BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
16 — E
29

Digitized by Google

DE INCARNATIONE DIVINI VERBI

DISPVTATIONES LXXX.

IN QVIBVS EXPLICANTVR, ET defenduntur, quæ in tertia parte Summæ Theologicæ docet S. Tho. à Quæſt. 1. vſque ad 24.

AVCTORE Fr. DIDACO ALVAREZ Metinenſi, Archiepiſcopo Tranenſi, & Salpenſi, ex Ord. Præd. aſſumpto.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. PETRVM FERDINANDEZ

DE CASTRO, COMITEM DE LEMOS, &c.

Et in Regno Neapolis Proregem.



ROMAE, Apud Guilielmum Facciottum. M. DC. XIII.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.



Digitized by Google

APPROBATIO REVERENDISSIMI D. Franciſci Diotalleuij Philoſophiæ, vtriuſque iuris, & Sacræ Theologiæ Doctoris, & SS.D.N. vtriuſque Signaturæ Referendarij.

Opus hoc Reuerendiſsimi P. M. Fr. Didaci Aluarez Ord. Præd. Archiepiſcopi Tranenſis, & Salpenſis de Incarnatione Diuini Verbi, ſumma cum iucunditate perlegi; cum in eo nihil deprehenderim, quod Catholicorum præſcripto aduerſetur, & probè nouerim omnia tam doctè, tam accuratè, ac tam eruditè pertractari: vt præſtantiſsimum Auctorem ſuum vndequaque redoleant. Vt ergo Reuerendiſsimus D. alijs etiam operibus clarus plura, eaque egregia ſui nominis monumenta poſteris relinquat, nec vmquam de Theologica diſciplina deſinat benè mereri; has Diſputationes in lucem omninò edendas eſſe cenſeo. Quod ſanè libentiſsimè teſtor, vt facilè intelligant omnes, quicquid ſit de intellectu ſpeculatiuo, animorum certè ſummam inter nos eſſe conſenſionem, & meam erga tantum virum obſeruantiam nullo vmquam tempore defuturam. Datum Romæ Kalendis Octobris anno Domini MDCXIII.

Franciſcus Diotalleuius.

Imprimatur; Si videbitur Reuerendiſsimo P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

Imprimatur. Fr. Damianus à Fonſeca Magiſter, & Reuerendiſsimi P. Fr. Ludouici Yſtella Sacri, & Apoſtolici Palatij Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.

✠ 2 PAV-

Digitized by Google

PAVLVS PAPA V.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVM ſicut dilectus filius Guiglielmus Facciottus incola Vrbis noſtræ Nobis nuper exponi fecit, ipſe Guiglielmus librum quendam ſuper tertia parte Sancti Thomæ, de Incarnatione Verbi Diuini à Venerabili Fratre Didaco Aluarez, Archiepiſcopo Tranenſi conſcriptum in lucem ediderit, ac vereatur, ne alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt, eundem librum typis cudi facere curent in ipſius Guiglielmi præiudicium. Nos eius indemnitati ne ex impreſſione huiuſmodi aliquod diſpendium patiatur, prouidere, ipſumque Guglielmum ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequẽdum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ipſius Didaci Archiepiſcopi Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Eidem Guiglielmo, vt decennio proximo à primæua dicti libri, dummodò antea à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici approbatus ſit, impreſſione computandum, nemo tam in Vrbe, quàm in vniuerſo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubiecto librum prædictum, aut aliquam eius partem etiam prætextu additionum, aut explanationum ſine ſpeciali dicti Guiglielmi, aut eius hæredum, & ſucceſſorum, vel ab eis cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alijs impreſſum vendere, aut venalem habere, ſeu proponere poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, præſertim librorum impreſſoribus ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia eidem Guiglielmo, ac pro reliqua tertijs partibus accuſatori, & Iudici exequenti irremiſſibiliter applicandis, & eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto decennio durante librum prædictum, aut aliquam eius partem tàm in magno, quàm in paruo folio, ac tàm in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis ſine huiuſmodi licentia imprimere, aut ab alijs impreſſum vendere, aut venalem habere, ſeu proponere quoquomodo audeant, ſeu præſumant. Mandantes propterea dilectis filijs Noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & Iuſtitiæ Miniſtris, Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum Status Noſtri Eccleſiaſtici prædicti quatenus eidem Guiglielmo, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus prædictis, ſeu ab eis cauſam habentibus huiuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque ab eodem Guiglielmo, & alijs prædictis fuerint requiſiti pœnas prædictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem illa prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die 8. Octobris M D C X I I I. Pontificatus Noſtri. Anno Nono.

S. Cobellutius.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. PETRO FERDINANDEZ DE CASTRO,

COMITI DE LEMOS, ET ANDRADA, Marchioni de Sarria, & de Villalua, Philippi III. à cubiculo clauis aureæ, Commendatori de la Zarza, Regij Status Conſiliario, Proregi, & Capitaneo Generali in Regno Neapolis, &c.

Fr. DIDACVS ALVAREZ, Ord. Præd. Archiepiſcopus Tranenſis, & Salpenſis ſummam fælicitatem precatur.

IVRE optimo priſcis illis temporibus à Græcis, Latiniſquè inuenta, & ad noſtram vſque tempeſtatem per manus quaſi tradita conſuetudo eſt (Excellentiſſime Princeps) vt, cum quis ingenij ſui partum aliquem bono publico palam exponere vult, eundem alicuius optimi Principis patrocinio credat, qui auctoritate, vel doctrina, ab oppugnatorum telis tueri poſſit. Ea igitur potiſſima ratione, cum de Incarnatione Diuini Verbi diſputationes diu à me in ſcholis elaboratas in lucem edendas decreuerim, eas tui nominis præſidio fulciendas duxi. Quid enim aptius inueniri potuit, quàm huiuſmodi inſignia prima fronte in conſpectum dare, quæ ipſimet materiæ, de qua agitur, non modo reſpondeant, verum etiam eiuſdem ſint velu-

Digitized by Google

ti titulus,tuæque Gentis glorioſum monumentum? Nam & illa Gabrielis Salutatio (AVE MARIA GRATIA PLENA) Deum Verbum in vtero Virgineo natum,carnemque factum indicat,& præclarum illud facinus inuictiſſimi viri Andradæ Domini ſignificatur, qui Templariorum militum vexillum eadem Salutatione Angelica inſignitum , à Mauritanis in grauiſſimo cuiuſdam belli conflictu ereptum ; ſummo conatu, maximoque vitæ diſcrimine recuperauit . Cum ergo maiores tui quàm plurimis rebus præclarè , ac fortiter geſtis illuſtres hoc ſibi tamquam proprium,præcipuumque virtutis inſigne vindicarint,poſteriſque ſuis imitandum reliquerint;cur non tua nixus auctoritate hoc Incarnationis opus in publicum prodibit,qui maiorum virtuti ita reſpondes,vt nihil aliud præ oculis habere videaris, quàm populos tibi cōmiſſos,tantoque Incarnationis, & Paſſionis Chriſti Domini pretio redemptos ad rectum virtutis tramitem ſumma iuſtitia ducere .

Quod etiam meum qualecumque munus pluribus tibi nominibus debere me fateor, cum quotidie (quæ tua innata eſt munificentia) me, meamque Tranenſem Eccleſiam ſummis beneficijs proſequi non prætermittas,& Sancti Nicolai Peregrini eiuſdem Eccleſiæ Patroni venerabile corpus , te Regni Neapolis clauum tenente , præter ſpem inuentum ſumma pietate venereris . Accipe igitur quod tuum eſt,& ea,qua ſoles,benignitate tuere : ſpero enim fore, vt hi labores mei ſaltem dignitate materiæ, tuiſque illuſtrati ſplendoribus , decus non modicum ſint conſecuturi . Vale .

A D

AD LECTOREM.

ANGELICVS Doctor, diuinæque voluntatis fidus interpres, ea ratione ductus vniuerſæ Theologiæ ſummam in tria volumina miro ordine diſtributam, dicendi breuitate, ac facilitate conſpicuam redegit, ne Tyronum Theologorum ingenia in his, quæ à diuerſis conſcripta ſunt, nimio plus occupari contingeret: Idquè tum propter multiplices, & non neceſſarias quæſtiones; tum etiam, quia earumdem frequens repetitio obſcuritatem, faſtidiumquè potius in ſtudioſiorum etiam animis parere ſolet. Nos ergo, & communem omnium præceptorem, eiuſque diſcipulorum perſecuti veſtigia in explicandis Incarnationis Diuini Verbi Myſterijs, ea omnia, vel ſaltem præcipua, quæ à Theologis in ſcholis hac noſtra tempeſtate agitari ſolent, ad maiorem incipientium inſtructionem in hoc opere, qua potuimus breuitate, ac claritate tradenda duximus, ne prolixa aliorum auctorum lectione, qui de hac materia longiores, & copioſa eruditione plenos edidere tractatus, plus æquo diſtrahantur: ſed facilius quid in controuerſiis, diſputationibuſquè de hoc ineffabili myſterio S. Thomas, quiduè Thomiſtæ ſentiant, colligere poſsint. Eſt quidem grata breuitas, & cum claritate doctrinæ, ad percipienda difficillima quæque, mirabili vinculo

connexa, & ijs, qui diuinam ſapientiam ſitiunt, valde accom-
Sap. 6. *modata.* (Clara eſt enim, & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam: & inuenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt, vt ſe illis prior oſtendat.) *Hanc ego in ijs omnibus, quæ triginta annorum ſpatio publicis lectionibus, tam in rebus philoſophicis, quàm Theologicis, in inſignioribus Dominicanæ Religionis ſtudijs, Hiſpaniæ primum, Romæ deinde, in Collegio Sancti Thomæ Aquinatis ſuper Mineruam, tanquam nobis gratiſsimam perpetuo profeſsi ſumus, eandemque nunc maxime profiteri intendimus in abſcondito Incarnationis myſterio.* Nec mirum ſi facimus nos breue Verbum,
Bern ſer. 1 Natal. Domini. quando, & Deus Pater Verbum fecit abbreuiatum, *cuius mira profunditas perſpicaciſsimum illud, diuinumque Auguſtini ingenium adeo exterruit, vt in tanti, tamque admirabilis ſecreti contemplatione defixus quid Sacramenti haberet (Verbum caro factum eſt) ne ſuſpicari quidem poſſet. Experientia ipſa didicimus, quantam grauiſsimi huius myſterij clara explicatio, & aliorum, quæ in diuina Theologia pertractantur, diſcipulis afferat vtilitatem.*

In hoc igitur opere, hoc ordine procedemus. Primo ex articulis omnibus S. Thomæ concluſiones cum ſuis probationibus excerptas proponemus: ea deinde, quæ maiorem ingerunt difficultatem, quæque in ſcholaſticis diſputationibus communius controuerti ſolent, in medium proferentes, veram, ac germanam S. Thomæ ſententiam oſtendemus, eamque pro viribus ab aduerſariorum impugnationibus tueri conabimur. Cætera demum, quæ ab alijs eiuſdem ſanctiſsimi præceptoris expoſitoribus optime pertractantur, conſulto apud ipſos videnda omittimus. Quod, ſi labor hic noſter non ingratus, vel infructuoſus fuerit, alia opuſcula, quæ de præcipuis materijs Theologicis parata iam ſunt fauente Deo in lucem emittemus. Vale.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM, ARTICVLORVM, ET DISPVTATIONVM,

QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

QVAESTIO PRIMA,
De conuenientia Incarnationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM conueniens fuerit Deum Incarnari. pag. 1
Diſputatio 1. Vtrum ſolo lumine naturali poſſit euidenter cognoſci, vel demonſtrari poſſibilitas Incarnationis. 4
Diſput. 2. Vtrum Incarnatio Verbi fuerit conueniens an vero ex illa ſequatur aliquod inconueniens ex parte Dei vel ex parte naturæ humanæ à Verbo diuino aſſumptæ 12
Artic. 2. Vtrum neceſſarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei Incarnari. 15
Diſput 3. Vtrum peccatum originale, vel mortale actuale. ſit ſimpliciter malum infinitum in ratione offenſæ diuinæ, vel habeat grauitatem, ſeu malitiam ſimpliciter infinitam. 17
Diſput 4. Vtrum Chriſtus de condigno, & de toto rigore iuſtitiæ. ſatisfecerit pro peccatis generis humani. 24
Diſput 5. Vtrum ſatisfactio ex iuſtitia pro peccatis noſtris tribuenda ſit humanitati Chriſti vt principio quod, an tãquam principio quo. 43
Diſput 6. Vtrum de potentia Dei abſoluta, purus homo, idest, homo, qui non eſt Deus habens tamen gratiam, & charitatem, poſſet ſatisfacere de condigno. vel de toto rigore iuſtitiæ pro culpa totius generis humani. 51
Diſput 7. Vtrum pœnitens, quando iuſtificatur per actum charitatis, & contritionis ſatisfaciat de facto Deo ex iuſtitia imperfecta pro culpa mortali. 58
Diſput 8. Vtrum ſaltē de potentia Dei abſoluta potuerit purus homo, abſque aliquo gratiæ auxilio per opera merè naturalia, ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro culpa totius generis humani. 67
Artic. 3. Vtrum, ſi Adam non peccaſſet, Filius Dei Incarnatus fuiſſet. 69
Diſput. 9. Vtrum peccato nō exiſtente Verbum diuinum Incarnatum fuiſſet. 69
Artic. 4. Vtrum principaliter Incarnatio Verbi facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale. 80
Artic. 5. Vtrum conueniens fuerit Deum Incarnari ab initio mundi. 81
Artic. 6. Vtrum Incarnatio differri debuerit vſque ad finem mundi. 84

Quæſt. II. De modo vnionis Verbi Incarnati.

ARtic. 1 Vtrum vnio Verbi Incarnati ſit facta in natura. 84
Diſput 10 Vtrum vnio Verbi Incarnati facta fuerit in natura. 85

Artic. 2.

Artic.2. Vtrum vnio Verbi Incarnati facta fuerit in perſona. 86
Diſput 11. Vtrum humanitas fuerit vnita perſonaliter Verbo. 87
Artic.3. Vtrum vnio ſit facta in ſuppoſito, vel hypoſtaſi. 89
Artic 4. Vtrum perſona, ſiue hypoſtaſis Chriſti, poſt Incarnationem ſit compoſita. 91
Diſput.12. Vtrum perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit dicenda abſolute, & ſimpliciter perſona compoſita. 92
Artic.5. Vtrum ſit aliqua vnio animæ, & corporis in Chriſto. 100
Artic.6. Vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter. 102
Artic.7. Vtrum vnio naturæ diuinæ, & humanæ, ſit aliquid creatum. 105
Diſput.13. Vtrum per Incarnationem ſiue vnionem hypoſtaticam productus fuerit in humanitate aliquis modus ſubſtantialis, & permanens realiter, vel ſaltem ex natura rei ab ipſa humanitate diſtinctus qui ſit terminus formalis ipſius actionis. 105
Artic.8. Vtrum vnio Verbi Incarnati ſit idem, quod aſſumptio. 115
Diſput.14. Vtrum natura humana fuerit aſſumpta non ſolum ad ſubſiſtentiam, ſed etiam ad exiſtentiam increatam Verbi; An vero formaliter exiſtat per propriam exiſtentiam creatam. 116
Artic.9. Vtrum vnio duarum naturarum in Chriſto ſit maxima vnionum. 129
Artic.10. Vtrum vnio duarum naturarũ in Chriſto ſit facta per gratiam. 129
Artic.11. Vtrum vnionem Verbi Incarnati aliqua merita præceſſerint. 130
Diſput.15. Vtrum de facto humanitas, vel anima Chriſti meruerit de condigno, vel ſaltem de congruo vnionem hypoſtaticam cum Verbo, & qua certitudine tenendum ſit eam de facto non meruiſſe. 131
Diſput 16. Vtrum ſaltem de potentia abſoluta Chriſtus vnionem hypoſtaticam ſuæ humanitatis cum Verbo promereri potuerit. 136
Diſput.17. Vtrum ſancti præcedentes tempore Incarnationem Chriſti, eam de congruo meruerint. 139
Artic.12. Vtrum gratia vnionis fuerit Chriſto naturalis. 146

Quaeſt. III. De modo vnionis ex parte aſſumentis.

ARtic.1. Vtrum perſonæ diuinæ conueniat aſſumere naturã creatã. 148
Diſput.18 Vtrum ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſit ſuppoſitum creatum ſuam propriam, & alienam naturam terminare ſubſtantialiter. 148
Artic.2. Vtrum diuinæ naturæ conueniat aſſumere. 151
Diſput.19. Vtrum per modum inſtrumenti potuerit aliqua creatura de potentia abſoluta, eandem vnionem hypoſtaticam efficere. 151
Diſput.20. Vtrum ratione Myſterij Incarnationis ſit Pater, & Spiritus ſanctus in humanitate Chriſti per concomitantiam. 154
Artic.3. Vtrum abſtracta perſonalitate per intellectum natura diuina poſſit aſſumere naturam humanam. 158
Artic 4. Vtrum vna perſona diuina poſſit ſine alia naturam humanam aſſumere. 160
Diſput.21. Vtrum de facto primo, & per ſe Verbum terminet naturam humanam per aliquid abſolutum, & eſſentiale: an per aliquid relatiuum, & perſonale. 160
Artic.5. Vtrum quælibet perſona diuina poſſit aſſumere vnam numero naturam. 166
Artic.6. Vtrum plures perſonæ diuinæ poſſint aſſumere vnam numero naturam. 167
Artic.7. Vtrum vna perſona diuina poſſit aſſumere duas naturas humanas. 167
Artic.8. Vtrum fuerit magis conueniẽs, quod perſona filij aſſumeret humanam naturam, quã alia perſona diuina. 167

Quaeſt. IV. De modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ.

ARtic.1. Vtrum natura humana fuerit magis aſſumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia natura. 167
Diſput.22 Vtrum qualibet alia creatura habeat potentiam obedientialem ad vnionem hypoſtaticam, ita vt per omnipotentiam Dei, poſſit aſſumi à Verbo, vel ab alia perſona diuina. 167
Artic.2. Vtrum Filius Dei aſſumpſerit perſonam. 176

Artic. 3. Vtrum perſona diuina aſſumpſerit hominem. 176

Diſput 23. Vtrum ſuppoſitum, & natura in rebus creatis realiter diſtinguatur, & quid addat ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem. 177

Diſput 24. In quo genere cauſę ſuppoſitum, vel perſona, ſit effectus naturæ. 181

Diſput 25. Vtrum per potentiam Dei abſolutam poſſit aliqua ſubſtantia creata exiſtere in rerum natura, abſque omni ſubſiſtentia propria, vel aliena. 182

Diſput. 26. Vtrum natura ſimel completa, & terminata per propriam perſonalitatem ſit aſſumptibilis à Verbo. 186

Diſput 27 Vtrum humanitas iam terminata in Chriſto perſonalitate Verbi, habeat naturalem inclinationem, & appetitum ad propriam perſonalitatem 189

Artic. 4. Vtrum Filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis. 191

Artic. 5. Vtrum Filius Dei naturam humanam aſſumere debuerit ab omnibus indiuiduis. 192

Artic. 6. Vtrum conueniens fuerit, quod Filius Dei humanam naturam aſſumeret ex ſtirpe Adæ. 192

Quæſt. V. De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ.

Artic. 1. Vtrum Dei Filius aſſumere debuerit verum corpus. 192

Artic. 2. Vtrum Dei Filius debuerit aſſumere verum corpus terrenum, ſcilicet carnem, & ſanguinem. 193

Diſput. 28. Vtrum Sanguis Chriſti fuerit vnitus Verbo diuino hypoſtaticè 197

Artic. 3. Vtrum Filius Dei aſſumpſerit animam. 199

Artic. 4. Vtrum Filius Dei aſſumere debuerit intellectum. 199

Quæſt. VI. De modo aſſumptionis quantum ad ordinem.

Artic. 1. Vtrum Filius Dei aſſumpſerit carnem mediante anima. 199

Artic. 2 Vtrum Dei Filius aſſumpſerit animā mediante Spiritu, ſiue mente. 200

Artic. 3. Vtrum anima à Dei Filio prius fuerit aſſumpta, quàm caro. 201

Diſput. 29. Vtrum anima rationalis ſubſiſtat vt quod. 201

Artic. 4. Vtrum caro Chriſti fuerit prius à Verbo aſſumpta, quàm anima vnita. 204

Artic. 5. Vtrum tota humana natura ſit aſſumpta mediantibus partibus. 204

Diſput 30. Vtrū ordine executionis prius natura fuerint à Verbo aſſumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas. 205

Artic. 6. Vtrum humana natura fuerit aſſumpta mediante gratia. 210

Quæſt. V I I. De gratia Chriſti, pro vt eſt ſingularis homo.

Artic. 1. Vtrum in anima Chriſti fuerit aliqua gratia habitualis. 211

Diſput 31. Vtrum de potentia Dei abſoluta potuerint humanæ operationes Chriſti eſſe ſupernaturales, & meritoriæ ſupernaturalis præmij ſine gratia habituali, & alijs habitibus ſiue donis infuſis 213

Artic. 2. Vtrum in Chriſto fuerint virtutes. 221

Diſput 32. Vtrum virtutes morales fuerint à principio per accidens infuſæ Chriſto Domino: an vero ſucceſſu temporis propria induſtria acquiſitæ. 222

Artic. 3. Vtrū in Chriſto fuerit fides 225

Artic. 4 Vtrū in Chriſto fuerit ſpes. 227

Artic. 5. Vtrū in Chriſto fuerit dona. 227

Artic. 6. Vtrum in Chriſto fuerit donum timoris. 228

Artic. 7. Vtrum in Chriſto fuerint gratię gratis datæ. 229

Artic. 8. Vtrum in Chriſto fuerit prophetia. 229

Artic. 9. Vtrum in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ. 230

Artic. 10. Vtrum plenitudo gratiæ ſit propria Chriſti. 231

Artic. 11. Vtrum Chriſti gratia ſit infinita. 231

Artic. 12. Vtrum gratia Chriſti potuerit augeri. 231

Diſput 33. Vtrum gratia Chriſti ſit infinita, ſolum extrinſece, & moraliter: an vero per aliquid ſibi intrinſecum. 232

Diſput. 34. Vtrum gratia Chriſti ſimpliciter dicenda ſit infinita, an ſolum cum addito. 239

Diſput 35. Vtrum gratia Chriſti habitualis ſit eiuſdem rationis, & ſpeciei cum

gratia

Digitized by Google

gratia habituali cuiuſlibet alterius iuſti. 243
Diſput.36. Vtrum de potentia Dei abſoluta potuerit augeri gratia Chriſti, vel eſſe maior intenſiuè. 246
Diſput 37. Iam quod gratia Chriſti non fuit infinita ſecundum intenſionem, quæritur: vtrum ſaltem habeat tantam intenſionem, vt adæquet omnes gradus gratiæ Angelorum, & hominum collatiuè ſumptos. 248
Artic.13. Qualiter gratia Chriſti habitualis ſe habeat ad gratiam vnionis. 251

Quæſt.VIII. De gratia Chriſti, ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ.

Artic.1. Vtrum Chriſtus ſit caput Eccleſiæ. 252
Artic.2. Vtrum Chriſtus ſit caput hominum, quantum ad corpora, vel ſolum quantum ad animas. 255
Artic.3. Vtrum Chriſtus ſit caput omniũ hominum. 255
Diſput.38. Vtrum Chriſtus, vt homo, & quatenus eſt caput Eccleſiæ, influat per humanitatem efficienter; ſeu ad modum cauſæ phyſica gratiam in omnes homines pertinentes ad corpus myſticum Eccleſiæ: an ſolum moraliter ſeu meritoriè. 255
Artic.4. Vtrum Chriſtus ſit caput Angelorum. 264
Diſput.39 Vtrum Chriſtus in quantum homo ſit verè, & propriè caput Angelorum. 265
Diſput 40. Vtrum Chriſtus Dominus in quantum homo, ita ſit caput Angelorum, vt illi conſequuti fuerint gratiam, & gloriam eſſentialem ex influxu, & meritis humanitatis eius. 267
Artic.5. Vtrum gratia Chriſti, ſecundum quam eſt caput Eccleſię, ſit eadem cum gratia habituali eius; ſecundum quod eſt quidam homo ſingularis. 270
Artic.6. Vtrum eſſe caput Eccleſię ſit proprium Chriſti. 270
Artic.7. Vtrum diabolus ſit caput omnium malorum. 271
Diſput 41. Vtrum per peccatum primi parentis vel aliorum hominum diabolus acquiſierit aliquam ſpecialem poteſtatem, aut dominium regiũ ſuper homines, ratione cuius dicatur rex eorum, & caput, 271
Artic.8. Vtrum Antichriſtus poſſit etiam dici caput omnium malorum. 275

De merito Chriſti ſecundum ſe. §. 1.

Diſput.42. Vtrum Chriſtus meruerit propriè loquendo de merito. 275
Diſput.43. Vtrum meritum Chriſti fuerit ſimpliciter infinitum. 279
Diſput.44. In quo inſtanti cœpit Chriſti meritum. 281

De actibus, per quos meruit anima Chriſti. §. 2.

Diſput 45. Vtrum Chriſtus meruerit per actum charitatis, quo diligebat Deu 285
Diſput 46. Vtrum Chriſtus meruerit formaliter per actus obedientiæ, quibus impleuit præceptum moriendi, vel alia præcepta decalogi. 292
Diſput 47. An humanitas Chriſti meruerit per actus ſenſualitatis, & actus, quibus vt inſtrumentum Diuinitatis operabatur miracula. 302

Quid meruerit ſibi Chriſtus Dominus. §. 3.

Diſput 48. Vtrum Chriſtus meruit ſibi gloriam animæ. 305
Diſput.49. Vtrum Chriſtus meruerit ſibi gloriam corporis & exaltationem humanitatis ſuæ, de qua ipſe teſtatur, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. 315

Quid meruerit nobis. §. 4.

Diſput.50. Vtrum Chriſtus meruerit nobis omnia dona ſpiritualia, vt gratiam habitualem, antecedentes eius diſpoſitiones, eiuſdem gratiæ augmentum, & omnia alia bona etiam temporalia quæ ad ſalutem animæ ordinantur. 317

Quæſt. IX. De ſcientia Chriſti in communi.

Artic.1 Vtrum Chriſtus habuerit aliquam ſciẽtiam, præter diuinã 322
Diſput.51.

Diſput.51. Vtrũ in intellectu animæ Christi debeat conſtitui creata rerum cognitio diſtincta à cognitione diuina. 322

Artic 2. Vtrum anima Chriſti habuerit ſcientiam, quam habent Beati, vel comprehenſores. 326

Diſput 52. Vtrum anima Chriſti habuerit ſcientiam beatam ab inſtanti ſuæ creationis, & toto tempore, quo fuit in corpore mortali. 326

Artic. 3. Vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam inditam, vel infuſam. 330

Artic. 4. Vtrum Chriſtus habuerit aliquã ſcientiam acquiſitam, 332

Diſput. 53. Vtrum in anima Chriſti fuerit aliqua ſcientia acquiſita proprijs actibus. 332

Quæſt. X. De ſcientia beata animæ Chriſti.

ARtic. 1. Vtrum anima Chriſti comprehenderit Verbum, ſiue diuinam naturam. 338

Artic. 2. Vtrum anima Chriſti in Verbo cognouerit omnia. 340

Diſput. 54. Vtrum re vera anima Chriſti omnia in Verbo cognouerit; an vero pro aliquo tempore ignorantia alicuius rei laborauerit. 341

Artic. 3. Vtrum anima Chriſti in Verbo cognouerit infinita. 345

Diſput. 55. Vtrum anima Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcat in Verbo infinita in actu. 346

Diſput. 56. Vtrum ſcientia beata animæ Chriſti in ratione ſcientiæ, ſiue in ratione cognitionis dicenda ſit infinita ſimpliciter; an ſolum cum addito, & ſecundum quid. 355

Artic. 4. Vtrũ anima Chriſti videat Verbum, ſiue diuinam eſſentiam clarius, quàm quælibet alia creatura. 360

Quæſt. X I. De ſcientia indita, vel infuſa animæ Chriſti.

ARtic. 1. Vtrum ſecundum ſcientiam inditam, vel infuſam Chriſtus omnia ſciat. 360

Diſput. 57. Vtrum anima Chriſti per ſcientiam inditam cognoſcat omnia, quæ ab intellectu creato poſſunt naturaliter cognoſci. 361

Diſput. 58. Vtrum anima Chriſti per ſcientiam infuſam certo cognoſcat cogitationes cordium, & omnes actus liberos, tam internos, quàm externos. 365

Diſput. 59. Vtrum anima Chriſti per ſcientiam inditam certo cognoſcat futura omnia contingentia, præſertim libera. 369

Diſput. 60. Vtrum cognitio, quam per ſcientiam inditam anima Chriſti habet de futuris contingentibus, ſit intuitiua, vel abſtractiua. 374

Diſput. 61. Vtrum anima Chriſti per ſcientiam inditam euidenter cognouerit obiecta omnia ſupernaturalia, & myſteria gratiæ. 380

Diſput. 62. Vtrum Chriſtus per ſcientiam inditam cognouerit Myſterium Trinitatis, vel Deum, vt eſt vnus. 384

Artic. 2. Vtrum Chriſtus hac ſcientia vti potuerit non conuertendo ſe ad phantaſmata. 390

Diſput. 63. Vtrum Chriſtus vſus fuerit aliquando, vel vti potuerit ſcientia indita, conuertendo ſe ad phantaſmata. 391

Artic. 3. Vtrum hæc ſcientia fuerit collatiua. 394

Diſput. 64. Vtrum Chriſtus Dominus vti potuerit, vel vſus fuerit aliquando ſcientia indita cũ diſcurſu, & collatione. 395

Artic. 4. Vtrum hæc ſcientia in Chriſto fuerit maior ſcientia Angelorum. 398

Artic. 5. Vtrum hæc ſcientia fuerit habitualis. 398

Artic. 6. Vtrum hæc ſcientia fuerit diſtincta per diuerſos habitus. 398

Diſput. 65. Vtrum ſpecies intelligibiles, quæ deſeruiunt ſcientiæ inditæ animæ Chriſti, ſint ordinis ſupernaturalis. 401

Quæſt. X I I. De ſcientia animæ Chriſti acquiſita.

ARtic. 1. Vtrum ſecundum hãc ſcientiam Chriſtus cognouerit omnia. 404

Artic. 2. Vtrum Chriſtus in hac ſcientia profecerit. 404

Artic 3. Vtrum Chriſtus aliquid ab homine didicerit. 404

Artic. 4. Vtrum Chriſtus aliquid acceperit ab Angelis. 404

Quaeſt. XIII. De potentia animæ Chriſti.

ARtic. 1. Vtrum anima Chriſti habuerit omnipotentiam ſimpliciter. 404
Artic. 2. Vtrum anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum. 405
Diſput. 66. An humanitas Chriſti concurrat, vt inſtrumentum phyſicum ad omnes immutationes ſupernaturales. 406
Diſput. 67. Vtrum ad facienda miracula ſit ponendus in anima Chriſti aliquis habitus. 413
Artic. 3. Vtrum anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu proprij corporis. 419
Artic. 4. Vtrum anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu exequutionis ſuæ voluntatis. 419

Quaeſt. XIV. De defectibus corporis aſſumptis à Filio Dei.

ARtic. 1. Vtrum Filius Dei in humana natura aſſumere debuerit corporis defectus. 420
Artic. 2. Vtrum Chriſtus neceſſitatē his defectibus ſubiacendi aſſumpſerit. 420
Artic. 3. Vtrum Chriſtus defectus corporales contraxerit. 420
Artic. 4. Vtrum Chriſtus omnes defectus corporales hominum aſſumere debuerit. 420

Quaeſt. XV. De defectibus animæ à Chriſto aſſumptis.

ARtic. 1. Vtrum in Chriſto fuerit peccatum. 421
Diſput. 68. Vtrum de potentia Dei abſoluta Chriſtus peccare potuerit per actionem humana natura aſſumpta. 421
Artic. 2. Vtrum in Chriſto fuerit fomes peccati. 426
Artic. 3. Vtrum in Chriſto fuerit ignorantia. 427
Artic. 4. Vtrum anima Chriſti fuerit paſſibilis. 427
Artic. 5. Vtrum in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis. 428
Artic. 6. Vtrum in Chriſto fuerit triſtitia. 428
Artic. 7. Vtrum in Chriſto fuerit timor. 429
Artic. 8. Vtrum in Chriſto fuerit admiratio. 429
Artic. 9. Vtrum in Chriſto fuerit ira. 429
Artic. 10. Vtrum Chriſtus ſimul fuerit viator, & comprehenſor. 429

Quaeſt. XVI. De conſequentibus vnionem, quantum ad ea, quæ conueniunt Chriſto, ſecundum eſſe, & fieri.

ARtic. 1. Vtrum hæc ſit vera, Deus eſt homo. 430
Diſput 99. Vtrum hæc propoſitio, Chriſtus eſt homo, ſit per ſe, & in materia naturali proprie loquendo. 431
Artic. 2. Vtrum hæc ſit vera: homo eſt Deus. 435
Artic. 3. Vtrum Chriſtus poſſit dici homo dominicus. 435
Artic. 4. Vtrum ea, quæ conueniunt filio hominis, poſſint prędicari de Filio Dei, & è conuerſo. 435
Artic. 5. Vtrum ea, quæ conueniunt filio hominis poſſint prædicari de diuina natura; & de humana, ea, quæ conueniunt Filio Dei. 435
Artic. 6. Vtrum hæc ſit vera: Deus factus eſt homo. 435
Artic 7. Vtrum hæc ſit vera: homo factus eſt Deus. 435
Artic. 8. Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus eſt creatura. 438
Diſput. 70. An Chriſtus abſolute, & abſque vllo additamento, poſſit in proprietate ſermonis dici creatura. 438
Artic. 9. Vtrum hæc ſit vera: iſte homo, demonſtrato Chriſto, incæpit eſſe. 445
Diſput 71. Vtrum hæc propoſitio: Chriſtus incæpit eſſe, ſeruata proprietate ſermonis ſit vera. 446
Artic. 10. Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura. 454
Diſput. 72. Vtrum hæc propoſitio: Chriſtus in quantum hic homo eſt creatura, ſit in proprietate ſermonis concedenda. 454
Artic. 11. Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus. 457
Artic. 12. Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus ſecundum quod homo eſt hypoſtaſis, vel perſona. 457

Diſput. 75.

Digitized by Google

Quaſt. XVII. De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto.

ARtic. 1. Vtrum Chriſtus ſit vnum, vel duo. 458
Artic. 2. Vtrum in Chriſto ſit tantum vnum eſſe. 461
Diſput. 73. Vtrum ſi humanitas Chriſti dimitteretur à Verbo, hoc ipſo ſtatim annihilaretur, an vero ſtaret ab illa propria ſubſiſtentia, vel exiſtentia creata. 463

Quaſt. XVIII. De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto quantum ad voluntatem.

ARtic. 1. Vtrum in Chriſto ſint duæ voluntates. 467
Artic. 2. Vtrum in Chriſto fuerit aliqua voluntas ſenſualitatis præter rationis voluntatem. 467
Artic. 3. Vtrum in Chriſto fuerint duæ voluntates quantum ad rationem. 468
Artic. 4. Vtrum in Chriſto fuerit liberũ arbitrium. 468
Artic. 5. Vtrum voluntas humana Chriſti fuerit omnino conformis diuinæ voluntati in volito. 469
Artic. 6. Vtrum in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum. 469

Quaſt. XIX. De pertinentibus ad virtutem Chriſti quantum ad operationem.

ARtic. 1. Vtrum in Chriſto ſit tantum vna operatio diuinitatis, & humanitatis. 470
Artic. 2. Vtrum in Chriſto ſint plures operationes humanæ. 472
Artic. 3. Vtrum actio humana Chriſti potuerit ſibi eſſe meritoria. 472
Artic. 4. Vtrum Chriſtus alijs mereri potuerit. 472

Quaſt. XX. De conuenientibus Chriſto ſecundum quod Patri fuit ſubiectus.

ARtic. 1. Vtrum dicendum ſit, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri. 471
Artic. 2. Vtrum Chriſtus ſit ſubiectus ſibi ipſi. 473
Diſput. 74. Vtrum Chriſtus verè, & propriè dicatur ſeruus. 473

Quaſt. XXI. De oratione Chriſti.

ARtic. 1. Vtrum Chriſto competat orare. 482
Artic. 2. Vtrum Chriſto conueniat orare ſecundum ſuam ſenſualitatem. 482
Artic. 3. Vtrum fuerit conueniens Chriſtum pro ſe orare. 483
Artic. 4. Vtrum oratio Chriſti fuerit ſemper exaudita. 483

Quaſt. XXII. De Sacerdotio Chriſti.

ARtic. 1. Vtrum Chriſto conueniat eſſe Sacerdotem. 483
Artic. 2. Vtrum Chriſtus ſimul fuerit Sacerdos, & hoſtia. 483
Artic. 3. Vtrum effectus Sacerdotij Chriſti ſit expiatio peccatorum. 483
Artic. 4. Vtrum effectus Sacerdotij Chriſti, non ſolum ad alios pertinuerit, ſed etiam ad ipſum. 484
Artic. 5. Vtrum Sacerdotium Chriſti permaneat in æternum. 484
Artic. 6. Vtrum Sacerdotium Chriſti fuerit ſecũdum ordinẽ Melchiſedech. 484

Quaſt. XXIII. De adoptione Chriſti.

ARtic. 1. Vtrum Deo conueniat filios adoptare. 486
Artic. 2. Vtrum adoptare conueniat toti Trinitati. 487
Artic. 3. Vtrum adoptari ſit proprium rationalis creaturæ. 487
Artic. 4. Vtrum Chriſtus, ſecũdum quod homo, ſit Filius Dei adoptiuus. 493

Quaſt.

Digitized by Google

Diſput.75. Vtrum ſit de fide, quod Chriſtus ſecundum quod homo ſit Filius Dei naturalis, & non adoptiuus. 494

Quæſt. XXIV. De prædeſtinatione Chriſti.

ARtic. 1. Vtrum Chriſto conueniat prædeſtinatum eſſe. 498
Artic. 2. Vtrum hæc præpoſitio, ſit falſa: Chriſtus ſecundũ quod homo eſt prædeſtinatus eſſe Filium Dei. 499
Diſput.76. Vtrum Chriſtus abſolute loquendo, & abſque determinatione aliqua ſit vere, & proprie prædeſtinatus. 499
Diſput.77. Ad quid fuerit Chriſtus Dominus prædeſtinatus. 502
Diſput 78. Vtrum humanitas Chriſti vere, & proprie dicatur prædeſtinata ſimpliciter, vel ad aliquem terminum. 510
Artic. 3. Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit noſtræ prædeſtinationis exemplar. 516
Diſput.79. Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit exemplar homogeneum, & eiuſdem rationis cum noſtra prædeſtinatione. 516
Artic. 4. Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis. 517
Diſput.80. Vtrum Chriſtus ſit primus omnium prædeſtinatorum. 518





PROOE-

PROOEMIVM.

De magno atque ineffabili Incarnationis Dominicæ Sacramẽto diſputaturi, neceſſe in primis eſt explicare, quẽ ordinem, & connexionem habeat præſens tractatus cum reliquis, qui in ſacra Theologia conſiderantur. Ad cuius intelligẽtiam notandum, quòd ſcopus totius Summæ Theologiæ S. Thomæ eſt agere de Deo non ſolum ſecundùm ſe, quatenus videlicet eſt vnus, & Trinus, ſed etiam in quantum eſt primum principium effectiuum omnium creaturarum præſertim intellectualium, & earum finis vltimus, iuxta illud
Apoc. 1. Apocal. primo [Ego ſum α, & ω, principium, & finis.] Vnde in prima parte egit ſanctus Thomas de Deo vno, & Trino, & in quantum eſt principium effectiuum creaturarum, præſertim Angelorum, & hominũ, in quibus Deus ſuam impreſſit ſimilitudinem iuxta illud. [Faciamus
Gen. 1. hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,] & Ezechielis 28.
Ezech. 28. [Et tu Cherub ſignaculum ſimilitudinis.] In ſecunda parte egit de actibus virtutum tam in communi, vt in prima ſecundæ, quàm in particulari, vt in ſecunda ſecundæ, per quos quidẽ actus intellectualis creatura in finem ſupernaturalem poteſt peruenire, vel ab ea deficere. Sed in tertia parte agit de Deo inquantum eſt hominum Redemptor, per cuius merita homines, qui tenebantur captiui, à ſeruitute peccati liberantur, & ad cæleſtem perueniunt beatitudinẽ iuxta illud Acto-
Actor. 4 rum quarto. [Non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat, nos ſaluos fieri, niſi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.]

Redemptionis autem opus mediа Verbi incarnatione fuit exequutum: dicitur enim 1. ad Thimot. 1. 1. *Ti.* 1
[Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere:] & in ſymbolo Niceni Concilij canitur: [Qui propter nos ho- *Symb.*
mines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & Incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt:] Vnde conuenienter ſanctus Thomas in huius 3. partis exordio, de ineffabili Incarnationis myſterio incipit diſputare.

Vt autem Ethimologiam propriã huius nominis [Incarnatio] apperiamus, aduertendum eſt, quòd ſicut myſterium hoc fuit nouum, & à ſæculis abſconditum in Deo, ita etiam noua nomina ad illiùs explicationẽ adinuenire oportuit. Fuiſſe quidem nouum admirabile, & à ſæculis inauditum hoc myſterium, teſtatur Hieremias: [Nouũ (inquiens) *Hier.*
creauit Dominus ſuper terram: fœ- 31.
mina circundabit virum.] Virum inquit, & virum perfectum ſcientiæ plenitudine, & magnitudine diuinitatis: ſed corporis mole paruulum.
[Paruulus enim natus eſt nobis] in *Iſai.* 9.
plenitudine temporis de Matre ſine Patre, qui in æternitate ſibi de Patre ſine Matre natus eſt magnus.
Vnde Apoſtolus ait, [Manifeſtè ma- 1. *Tim.*
gnum eſt pietatis Sacramentum, 3.
quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt Mundo, aſſumptum eſt

Digitized by Google

in gloria.] Ad explicandum ergo myſterium hoc, nouum adinuentum eſt nomen [Incarnatio] quod licet non ſit vſitatum apud Latinos, & Gentiles, perfectiſſimè tamen huius myſterij magnitudinem declarat: & ideo vtuntur illo communiter ſancti Doctores tàm Græci, quã Latini, atq; omnes Scholaſtici. Vnde S. Auguſtin. lib. 4. de doctr. Chriſtiana c. 11. [Quid prodeſt (inquit) clauis aurea ſi aperire non poteſt, quod volumus, aut quid obeſt lignea ſi hoc poteſt: quãdo nihil querimus, niſi patere, quod clauſum eſt.] Igitur incarnari, ſeu Incarnatio deriuatur à nomine caro, quod in ſacris litteris inter alias acceptiones ſumitur per Synedochen, pro homine cõpoſitio ex anima & carne. Huius autem acceptionis duplex eſt ratio. Altera, quia poſt peccatum homo fuit deditus carnalibus deſiderijs, & maximè corruptioni expoſitus: iuxta illud Gen. 6. [Omnis caro corruperet viam ſuã] & ideò poſt peccatum à carne homo quia carnalis eſt, potiſſimè denominatur. Altera eſt, quia ſicut caro nõ habet ex ſe vitam, niſi eam ab anima participet: Ita etiam homo per peccatum mortẽ ſempiternam incurrit, à qua niſi per Redemptoris noſtri gratiam, quæ vita eſt animæ, liberari non poteſt: neque vitale principium operationum ſupernaturalium acquirere. Vnde Auguſtinus. [Duæ vitæ ſunt: vna corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, ſic vita animę De': Quomodo ſi anima deſerat, moritur corpus, ſic anima moritur, ſi deſerat Deus.] Vnde ſicut corpus ſine anima fœtidum eſt, & mortuum, nec poteſt operationes vitales exercere, ita & peccatoris anima abſq; gratia ſicut Lazarus quatriduanus in monumento fœtet, & opera meritoria vitæ æternæ exercere non valet. Quod eleganter S. Chriſoſtomus his verbis proſequitur. [Age dum, num illam animam dicemus mortuam, cui inſidet Diabolus, verberans, ſtimulans, mordens, calcitrans, nec illa quicquam horum ſentit? Sed iacet exanimata, nec dolet, ſuis facultatibus ſpoliata? Ille quidem inſultat, hæc verò manet immobilis, nec ſentiens quidem, non aliterquàm corpus à quo diſceſſit. Quoties enim non adeſt vehemens timor Dei, talis ſit anima, neceſſe eſt, ac mortis infœlicior. Neque enim in tabem, cinerem, ac puluerem reſoluitur anima quemadmodum corpus: ſed in his fœtidiora, in ebrietatem, in iracundiam, in auaritiam, in abſurdos amores, in importunas cupiditates. Quòd ſi cupis plenius ſcire, quàm grauiter oleat, da mihi puram animam, ac tunc perſpicuè videbis, quàm malè oleat turpis hæc, & impura.] Et homilia 15. ſuper Epiſtolam ad Hebræos explicans illud [Emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis. Mortua (inquit) omnia opera ſunt, quæ vitam non habent, quæ putorem ſpirant. Sicut enim mortuum corpus ad nullum ſenſum eſt vtile, verum etiam cõtriſtat appropinquantes: ſic & peccatum confeſtim rationem noſtram perturbat, &c.]

Et quamuis in Verbo Incarnato anima rationalis, humanitas, & caro ſint hypoſtaticè vnita perſonæ eiuſdem Verbi, hoc tamen myſteriũ in ſacris litteris nomine Incarnationis, ſeu carnis explicatur. Dicitur enim Ioannis 1. [Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.]

[Caro]

Marginalia: S. Augu. tom. 3. — Gen. 6. — Aug. ſuper Pſal. 70. conc. 2. tom. 8. — Ioan. 11. — Chriſoſt. 2 ad Corinth. ho. 6. in expoſit. moral. to. 4. — Heb. 9. — Ioan. 1.

Digitized by Google

[Caro] inquit. Primo, ad manifeſtandam, & extollendam Dei miſericordiam, & benignitatem, qua exinaniuit ſe, infimam etiam hominis partem, carnem videlicet aſſumendo. Secundo, vt oſtenderet, Verbum aſſumpſiſſe naturam paſſibilē, & mortalē. Licet enim anima Chriſti Domini à principio ſuæ creationis fuerit beata, ex cuius beatitudine debuiſſet reſultare impaſſibili- corporis: diſpenſatione tamen diuina factum eſt, vt anima exiſtente beata, corpus nihilominus paſſibile remaneret, vt pro noſtra ſalute mortem Crucis ſuſtinere poſſet. Id quod Pſalmiſta in perſona Chriſti ad Patrem loquens ſignificauit cum di-
Pſal. 39 xit, [Holocauſtum, & pro peccato
Heb. 10 non poſtulaſti, corpus autem aptaſti mihi,] ideſt, aptum dediſti, vt fame cruciari, frigore affligi, flagellis cœdi, ſpinis coronari, ac demum inter duos latrones pro ſalute mundi Cruci affigi poſſet, & mori. Hæc autem paſſibilitas magis nomine carnis, quàm humanitatis exprimi-
Iſa. 40. tur, Iſaia dicente: [Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini manet in æternum.]

QVÆSTIO PRIMA.
De conuenientia Incarnationis.

ARTICVLVS I.
Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari.

1 PRIMA Concluſio eſt affirmatiua. Probatur à S. Thoma. Ad rationē ſummi boni quale eſt Deus pertinet, quod ſūmo modo ſe creaturæ communicet: ſed hæc cōmunicatio ſūma fit in Incarnatione Verbi per hoc, quod naturam humanā ſibi coniunxit in vnitatem perſonæ: ergo conueniens fuit, Deum incarnari. Maior probatur. Bono competit, vt ſe aliis communicet, vt patet per Dionyſium cap. 4. de Diuin. nominibus: Ergo ſummo bono cōueniens eſt, quod ſummo modo ſe communicet. Minor probatur: nam ſumma communicatio ad extra fieri non poteſt à Deo niſi per Incarnationem, in qua eſſe perſonale Verbi communicatum eſt naturæ humanæ. S. Dionyſ.

Confirmari poteſt, & explicari magis hæc ratio S. Thomæ, quia ſi Verbum Diuinum aſſumeret naturam Angelicam, ſolum communicaret ſeipſum creaturæ intellectuali. Si autem aſſumeret aliam naturam corpoream irrationalem, aut inſenſibilem, ſolum communicaret ſe naturæ corporali: Cæterū vniendo ſibi hypoſtaticè naturam humanam, communicauit ſe omni creaturæ, quia vt Greg. docet [omnis creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.] Propter quod nomine omnis creaturæ ſignificatur homo Marci vltimo cū dicitur: [Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ,] ideſt homini, quia nimirum aliquid commune habet homo cum omni creatura. Cum ergo Deus naturam humanam ſibi vniuit hypoſtaticè, ſummo modo ſeipſum communicauit creaturæ, tàm intenſiuè, quàm extenſiuè, quia videlicet non ſolum communicauit ſummum eſſe per- Greg. ho. 29. in Euang. *Marci vltimi.*

ſonale Verbi, ſed hanc communicationem quodammodo ad omnem creaturam extendit.

Hæc autem ratio S. Thomæ non eſt demonſtratiua, quia cum Incarnatio Verbi pendens fuerit ex ſola, & ſimplici Dei voluntate, nõ poteſt, (vt patebit infra) ratione naturali
Diſp. 1. demonſtrari, aut probari fuiſſe factam: ſed ſuppoſita Verbi Incarnatione diuinitus reuelata nobis, vel in re exhibita, eſt optima congruentia ad probandum fuiſſe conueniens Deum incarnari.

Secunda Concluſio in ſolutione ad primum. Incarnationis myſterium non eſt impletũ per hoc, quòd Deus ſit aliquo modo à ſuo ſtatu immutatus; in quo ab æterno fuit: ſed per hoc, quòd nouo modo ſe creaturę vniuit, vel potius eam ſibi.

Expoſitio Articuli.

a CIrca modum procedendi S. Thomæ in hac quæſtione notandum cum Caietano, quòd cum Incarnatio Verbi ſit ſubiectum huius libri, congrue S. Thomas omiſſa quæſtione de poſſibilitate Incarnationis, agit primo de eius conuenientia: nam vt dicitur lib. 1. poſteriorum, nulla ſcientia probat poſſibilitatem ſui ſubiecti, ſed illud præſupponit. Præterea, nam oſtendendo myſteriũ Incarnationis eſſe conueniens, probat conſequenter eſſe poſſibile: quia poſſibile ex modo ſuæ ſignificationis eſt quid ſuperius ad conueniens ſaltem in ordine ad creaturas, ſed in ordine ad operationem Dei conuertuntur, eo quòd Deus non poteſt in ſua operatione deficere. Vnde quicquid Deus immediatè operatur, ſicut eſt illi poſſibile; ita eſt & conueniens ſuæ naturæ. Suppoſito igitur Incarnationem Verbi eſſe poſſibilem, inquirendum eſt, an eius poſſibilitas ratione naturali poſſit cognoſci, aut demonſtrari.

Hæc difficultas poteſt in duplici ſenſu procedere. Primo præſcindendo reuelationem diuinam factã circa hoc myſterium, & realem exequutionem illius. Secundo ſuppoſito, quòd hoc myſterium eſt nobis reuelatum à Deo, & in tempore impletum. Et in vtroque ſenſu diſcutienda eſt in præſenti.

PRIMA DISPVTATIO.

Vtrum ſolo lumine naturali poſsit euidenter cognoſci, vel demonſtrari poſsibilitas Incarnationis.

NOTANDVM, omnes Theologos in hoc conuenire, quòd ſaltem perfecta, & abſoluta cognitione, non poteſt ſolo lumine naturæ poſſibilitas Incarnationis euidenter cognoſci, vel demonſtrari, propter loca ſcripturę, & rationes Theologicas quibus prima parte q. 32. art. 1. oſtenditur, myſterium Trinitatis non poſſe per naturam euidenter cognoſci: De quo plura diximus diſp. 118. & 119. de auxilijs, dum ageretur de modo quo liberi arbitrij concordia cum efficacia auxiliorum gratiæ poteſt à nobis cognoſci. Loquendo autem de notitia, ſeu cognitione imperfecta, & conditionali, quidam dixerunt, quod euidenter poteſt myſterij huius poſſibilitas cognoſci, & de-

Greg. de Valentia diſp. 1. 3. p puncto 2. §. ſecunda aſſertio.

demonſtrari. Probatur hæc ſententia.

Primo. Angelus poterat euidenter cognoſcere hoc myſterium non implicare contradictionem ex parte Dei aſſumentis naturam humanam; neque ex parte naturæ aſſumptæ, vel aſſumendæ; ergo poterat euidenter cognoſcere hoc myſteriũ non eſſe impoſſibile, & perconſequens eſſe poſſibile. Antecedẽs quo ad primam partem probatur. Euidens erat Angelo, lumine naturæ Deum habere infinitam virtutem, ergo erat illi euidens, quod poterat alienam ſuſtentare naturam: Hoc enim nullam imperfectionem inclu dit, quæ Deo repugnet, ſed potius dicit magnam perfectionem. Quo ad ſecundam partem probatur. Angelus cognoſcit euidenter humanã naturam habere potentiã obedientialem, & quamdam capacitatem, vt in ea, & de illa, fiat quidquid Deus voluerit: Ergo euidens erat Angelo, non repugnare ex parte naturæ humanæ, quod aſſumatur à Deo in vnitatem ſuppoſiti.

Secundo. Euidens ſolutio argumentorum, quæ in contrarium adducuntur, contra aliquod myſteriũ, oſtendit euidenter, illud eſſe poſſibile. Si enim eſſet impoſſibile, ex illo poſſent inferri duæ contradictoriæ veræ, vel falſæ, aut aliquid repugnans lumine naturæ; ſed Angelus vel homo Theologus poteſt ſoluere euidenter omnia argumenta, quæ fiunt cõtra myſterium Incarnationis, & alia myſteria noſtræ fidei, quia vt docet S. Thomas omnia huiuſmodi argumenta ſunt euidenter ſolubilia. ergo.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 8. in corp.

Tertio. Angelus præſertim ſupremus lumine naturali comprehendit naturam humanam, Ergo euidenter cognoſcebat, naturam humanam non habere eſſentialem cõnexionem cum ſua perſonalitate, & ſubſiſtentia, quia natura humana eſt prior ſua perſonalitate, & ſubſiſtentia, prius autem non dependet à poſteriori, ſed poteſt ab eo ſeparari per abſolutam Dei potentiam. Ergo euidenter cognoſcebat, naturam humanam poſſe ſubſiſtere abſque propria perſonalitate. Ergo erat illi euidens, naturam humanã poſſe ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi, aut per ſubſiſtentiam eſſentialem ipſius Dei.

Quarto. Propterea non poteſt lumine naturæ poſſibilitas myſterij Trinitatis euidenter cognoſci, quoniã in æternis, quæ ſunt ad intra, & nullũ important liberũ reſpectum ad extra, poſſe & eſſe ſunt neceſſario connexa; & ideò, qui cognoſceret ſolo lumine naturæ euidenter poſſibilitatem Trinitatis, naturaliter etiã cognoſceret euidenter Trinitatem eſſe de facto, quod eſt impoſſibile. Sed hæc ratio non procedit de myſterio Incarnationis: nam poſſibilitas illius non eſt neceſſario connexa cum actuali eius exiſtentia, ſed ſolum ex libera Dei voluntate; ergo ex hoc quod aliqua creatura euidenter cognoſcat poſſibilitatem incarnationis, non ſequitur, quòd euidenter cognoſcat exiſtentiam ipſius incarnationis, quæ pertinet ad vnum ex articulis fidei, ac per conſequens poſſibilitas Incarnationis poterit euidenter demonſtrari.

Quinto. Incarnatio Verbi eſt euidenter credibilis, vt de omnibus myſterijs fidei docet ſanctus Thomas. Ergo eſt euidenter poſſibilis. Patet cõſequentia, arguendo ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum

S. Thom. 2. 2. qu. 1. ar. 4 ad 2.

antecedentis, quod eſt euidenter im poſſibile, eſt euidenter incredibile: ergo per oppoſitum, quod eſt euidenter credibile, erit euidenter poſſibile.

Sexto. Arguitur, & probatur, quod ſaltem ſuppoſita reali exequu tione huius myſterij, poſſit ſolo lumine naturæ euidenter cognoſci. Angelus euidenter cognoſcit ſolo naturæ lumine, Chriſti Domini humanitatem ſubſiſtere à parte rei, & ſimiliter cognoſcit euidenter, quod non ſubſiſtebat per propriam ſubſiſtentiam creatam, nam euidenter cognoſcebat omnia naturalia, inter quæ tamen videbat non eſſe ſubſiſtentiam creatam eiuſdem humanitatis. Ergo euidenter cognouit eādem humanitatē ſubſiſtere per ſubſiſtentiā diuinam, quod eſt noſſe myſterium Incarnationis. patet conſequentia. nam euidens erat Angelo, quod nulla perſonalitas creata poterat ſupplere perſonalitatem humanæ naturæ: Ergo cognoſcebat, quod eam ſupplebat perſonalitas Diuina.

Septimo. Miracula, quæ in confirmationē ſuæ diuinitatis fecit Chriſtus Dominus euidēter oſtēdebant, illum eſſe non ſolum hominem, ſed
S.Thom. etiam verum Deum, vt docet S.Thomas infra q. 47. art. 5. corp. Ergo ſuppoſito hoc myſterio Incarnationis in re exhibito, potuit per euidentiam ſignorum, nedum eius poſſibilitas, ſed etiam realis exequutio euidenter cognoſci.

5 Secunda ſententia eſt S. Thomæ in 3. ſentent. diſt. 1. art. 2. in corp. vbi ait [quod ad incarnationem probandam, ratio demonſtratiua haberi non poteſt.] Idem ſentiunt Durandus eadem diſt. 1. num. 8. Scotus q. 1. & eſt communis Thomiſtarum. Durand. Scotus.

Pro cuius explicatione aduertendū eſt, iſtam propoſitionem Deus poteſt incarnari, non eſſe confundendam, ſed diſtinguendam ab iſta: Verbum diuinum poteſt incarnari. Plura enim requiruntur, vt hæc ſecunda ſit euidens lumine naturæ, quàm requirantur, vt ſit euidens prima. Etenim vt alicui ſit euidens Deum poſſe incarnari, non eſt neceſſaria notitia myſterij Trinitatis, quæ tamen requiritur, vt euidenter cognoſcatur, Verbum diuinum incarnari poſſe, quoniam Verbum eſt ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, Deus autem ſecundum, quod à nobis concipitur non explicat aliquā perſonam particularem Trinitatis, ſed diuinam naturā per ſe ſubſiſtentem, quæ lumine naturæ poteſt per effectus euidenter cognoſci, prout oſtendit S. Thomas 1. p. quæſt. 2. art. 2. & 3. ergo. S.Thom.

6 PRima Concluſio. Solo lumine naturæ non poteſt etiam notitia imperfecta poſſibilitas Incarnationis Verbi euidenter cognoſci, vel demōſtrari. Probatur primo. Solo lumine naturæ nō poteſt euidēter cognoſci myſterium Trinitatis, vel generatio Verbi diuini, etiā notitia imperfecta, vt oſtēditur p. p. q. 32. ar. 1. Ergo nec poſſibilitas Incarnationis Verbi. Ad hoc enim, vt dictū eſt, neceſſario requiritur, quod eſſe Verbum diuinum, cognoſcatur. S.Thom.

Secundo probatur authoritatibus Scripturę, quę non obſcurè indicāt, nullam prorſus cognitionē euidentem etiam imperfectā poſſibilitatis huius myſterij haberi poſſe ſolo naturæ lumine. Dicitur enim Iſaiæ 64. [Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.] Quem locum Apoſt. 1. Corinth. 2. adducit ad probandum myſterium Incar- *Iſa. 64.* *1.Cor. 2.*

Incarnationis abſque reueletione diuina cognoſci non poſſe, & illum refert ſub his verbis. [Neque oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus hijs, qui diligunt illum.] Vnde ibi appellat hoc myſterium [ſapientiā in myſterio abſconditam.] Et Coloſſ. 1. dicitur hoc myſterium eſſe [à ſæculis abſconditum in Deo.] *Coloſſ. 1*

Si dicatur, hęc & ſimilia loca eſſe intelligenda de Incarnatione Verbi, non vt poſſibili, ſed vt iam facta. Contra hoc eſt, nam cum dicat ſcriptura, hoc myſterium non aſcendere in cor hominis, ſatis declarat, intellectum creatum ſolo lumine naturæ non ſolum euidenti, ſed etiam probabili aſſenſu diffinite iudicare non poſſe Incarnationem Verbi eſſe poſſibilem; etiam poſt realem eius exequutionem.

Ambroſ. Hoc apertè docere videtur Diuus Ambroſius ſuper cap. 2. epiſt. 2. ad Corint. cum ait. [Abſcondita eſt ergo Dei ſapientia, dum non in verbis, ſed in virtute eſt, non humana ratione poſſibilis; ſed ſpiritus efficacia credibilis.]

Tertio probatur. Omnis cognitio euidens, etiam imperfecta, vel eſt euidens à priori per cauſam vel rationem formalem, vel à poſteriori per effectus; ſed poſſibilitas Incarnationis Verbi nō poteſt à priori oſtendi, vt omnes fatentur. Nec etiam à poſteriori per effectus, quia nullus effectus eſt dabilis, nobis, vel Angelis euidenter cognitus lumine naturæ, ex quo poſſimus demonſtrare Incarnationē Verbi eſſe poſſibilem, non enim poteſt id per effectus naturales euidenter demonſtrari, cum Incarnatio, & eius poſſibilitas tranſcendat totum ordinem naturæ, & ſolum oſtendant huiuſmodi effectus Deum eſſe, & Creatorem eſſe: Nec etiā per effectus ſupernaturalis ordinis, quia huiuſmodi effectus, qualis eſt gratia habitualis, virtutes infuſæ ex meritis Chriſti, nedum euidenter, ſed nec etiam cognitione certa, & infallibili poſsūt ſolo naturæ lumine cognoſci. Ergo.

Denique probatur, deſtruendo potiſſimam rationem oppoſitæ ſententiæ. Ex eo enim probat, cognitione imperfecta poſſe euidenter demonſtrari poſſibilitatem Incarnationis Verbi: Nam vt hoc modo demonſtretur, ſatis eſt argumenta ſoluere, quæcunque fiunt ad probandum Incarnationem Verbi eſſe impoſſibilem, quod quidem facit ſacra Theologia: Sed hæc ratio ſupponit falſum. Etenim ſolutio euidens argumentorum incontrarium nō ſufficit, vt aliquid euidenter cognoſcatur, vt in ſolutione ad ſecundum patebit, niſi quis velit abuti vocabulis, & cognitionem certam, & obſcuram appellare euidentem, & confundere euidentiam credibilitatis, cum euidentia poſsibilitatis quod eſt abſurdum. Alias enim concedendum eſſet, Theologos diſſoluentes omnia argumenta obiecta contra articulos fidei habere euidentem cognitionem, licet imperfectam, non ſolum credibilitatis, ſed etiam poſſibilitatis omnium articulorum fidei, quod tamen videtur pugnare cum ratione formali ipſius fidei, cum qua nulla ſtare poteſt euidentia, niſi fortè in atteſtante, Cum fides ſit [argumentum non apparentium,] vt dicitur Heb. 11. *Heb. 11*

SEcunda Concluſio. Etiam non poteſt ſolo lumine naturæ euidenter cognoſci, vel concludi, quod ſit impoſſibile Deum incarnari. Hęc 7

concluſio eſt etiam certa, quamuis non in eodem gradu quo procedés. Eam probant efficaciter argumenta adducta pro eadem concluſione, nam etiã Deum poſſe incarnari eſt veritas excedens totam facultatem naturæ: Ergo non poteſt ſolo lumine naturali euidenter cognoſci, aut demonſtrari.

8 TErtia Concluſio. Etiam ſuppoſita reali exhibitione huius myſterii non poteſt ſolo lumine naturæ Incarnatio Verbi, aut eius poſſibilitas euidenter cognoſci, aut demõſtrari. Probatur primo. Etiam poſtquàm Verbum diuinum aſſumpſit carnem humanam, hoc myſterium eſt intrinſecè ſupernaturale, vt fides docet: ergo non poteſt ſolo lumine naturæ euidenter cognoſci. Secundo. Nullum eſt principium naturale, ex quo poſſit euidenter deduci poſſibilitas Incarnationis Verbi: ergo non poteſt demõſtrari ratione naturali. Probatur conſequentia; nam demonſtratio, quæ fit ſolo lumine naturæ, debet inniti principijs naturalibus. Si enim aliquod principium, ex quo deducitur, ſit ſupernaturale, ſeu lumine fidei cognitum; iam demonſtratio non erit naturalis, ſed Theologica pertinens ad ſcientiam ſupernaturalem, quales ſunt demonſtrationes, quæ fiunt à Theologis ex vna præmiſſa fidei, & altera cognita lumine naturæ. Tertio. Omnia miracula & ſigna, & omnes rationes, atque argumentorum ſolutiones, quibus veritas huius myſterij defenditur, & confirmatur, ſolum demonſtrant, Incarnationem Verbi eſſe euidenter credibilem, non autẽ demonſtrant euidenter, eſſe poſſibilem, & multo minus demonſtrant eſſe iam factam. Etenim omnis certitudo infallibilis poſſibilitatis huius myſterij, vel exequutionis illius, fundatur in reuelatione diuina. ergo.

AD primum argumentum in oppoſitum reſpondetur, quòd quamuis de facto non repugnet ex parte Dei, neque ex parte naturæ humanæ Incarnatio Verbi: id tamẽ non eſt euidens Angelo ſolo naturæ lumine. Et ratio eſt, quia ſecundùm ordinem naturæ, quem Angelus virtute naturali euidenter cognoſcit, perſonalitas non aliter terminat naturam, niſi eam informando. Vnde non potuit euidenter cognoſcere, quod ſuppoſitum increatum poſſet terminare humanam naturam abſque informatione. Cum ergo repugnet, Deum eſſe formam alicuius; hinc eſt, Angelum non cognouiſſe euidenter, Incarnationem eſſe poſſibilem ex parte Dei aſſumentis: nõ quidem propter defectum virtutis diuinæ, ſed quia neſciebat, an id poſſet fieri abſque eo, quod in Deo cõſtitueretur aliqua imperfectio. Nec etiam cognouit euidenter id non repugnare ex parte naturæ humanæ, nam Angelus virtute propria non cognoſcit euidenter in particulari potentiam obedientialem, quæ eſt in natura humana in ordine ad Deum, vt eſt agens ſupernaturale: Sicut non cognoſcit euidenter capacitatem, vel potentiam obedientialem, quam habet anima in ordine ad gratiam, & ad viſionem beatificam. eo quod talis potentia obedientialis eſt ſupernaturalis formaliter loquendo, cum dicat ordinem ad formam ſupernaturalem, & ad ſupernaturale agens: quamuis entitatiuè, & materialiter ſit quid naturale. 9

Vide Fer. 3. contra Gent. cap. 166. Bañes 1. p. q. 48. ar. 4

Sed dices. Angelus euidenter cognoſcit totam entitatem naturalem natu-

naturæ humanæ, ſed illa potentia obedientialis eſt naturalis entitas; ergo Angelus euidenter cognoſcit totam potentiam obedientialem naturæ humanæ. Reſpondetur negando conſequētiam, variatur enim quid in ad aliquid. Sicut hæc conſequētia propter eundem defectum non eſt bona: Angelus ſolo lumine naturæ cognoſcit euidenter Deum eſſe: ſed Deus eſt Trinus & vnus, ergo Angelus ſolo lumine naturæ cognoſcit euidenter, Deum eſſe Trinum & vnum.

10 Ad ſecundum argumentum negatur antecedens: nam ad ſoluendum euidenter argumenta contra poſſibilitatem Incarnationis, & cōtra alia myſteria ſupernaturalia, ſufficit reſpōdere ex probabilibus, vel apparentibus, vel ex ijs, quæ non apparent eſſe falſa, licet non cognoſcantur euidenter eſſe vera, vt optimè notauit Caiet. 1. p. q. 1. art. 8. circa 3. concluſionem. Vt ſi propoſitis argumentis contra poſſibilitatem Incarnationis reſpondeamus recurrendo ad omnipotentiam Dei, & dicamus, quòd licet attendendo ad ſola principia naturæ, vnio humanitatis, & diuinitatis in eodem ſuppoſito videatur impoſſibilis: reſpectu tamen omnipotentiæ diuinæ, quæ plura poteſt facere, quàm intellectus noſter luminе naturali percipere, vnio illa hypoſtatica eſt poſſibilis. Cæterum ad cognoſcendum euidenter myſterium Incarnationis eſſe poſſibile, requiritur, quod à priori per propriam cauſam, vel à poſteriori per aliquem eius effectū euidenter cognitum, talis poſſibilitas cognoſcatur, quod tamen ſolo lumine naturæ euidenter cognoſci non poteſt, vt dictum eſt.

Caiet.

Obiectio. Sed obijcies. Ex impoſſibili poſſunt inferri duæ contradictoriæ ſimul veræ, vel falſæ, aut aliquid repugnans lumini naturæ; ſed ex myſterio Incarnationis nihil horum infertur, ergo euidenter conſtat, illud non eſſe impoſſibile: ac per conſequens eſſe poſſibile. Etenim inter poſſibile, & impoſſibile cum opponantur contradictoriè, nullum datur medium. Reſpondetur, quod quando euidenter cognoſcitur aliquid eſſe impoſſibile, poteſt ex illo per euidentem conſequentiam deduci aliquid repugnans lumini naturæ, quia ex impoſſibili ſequitur quodlibet: ſecus autem contingit quando ignoratur, vel non cognoſcitur euidenter, an illud ſit poſſibile vel impoſſibile: ſicut contingit in præſenti: quia lumen naturæ non dictat euidenter, Incarnationē Verbi eſſe poſſibilem, nec etiam dictat euidenter eſſe impoſſibilem: quia hoc myſterium tranſcendit lumen ipſum, & totum ordinem naturæ. Nec oportet, quòd ex duabus contradictorijs altera ſit à nobis euidenter cognita; poteſt quippè vtraque ignorari, aut probabiliter cognoſci, quamuis à parte rei, oporteat, quod ex duabus contradictorijs vna ſit vera, alia falſa.

Solutio.

11 Ad tertium reſpondetur, quòd figura eſt poſterior quātitate, à qua tamen etiam per Dei potentiam ſeparari non poteſt: vnde quamuis perſonalitas ſit poſterior natura humana; Angelus tamen ſolo lumine naturæ non poteſt euidenter cognoſcere, humanam naturam poſſe ſubſiſtere abſque propria ſubſiſtentia: quia non eſt euidens, quòd omne prius poſſit eſſe abſque eo quod eſt poſterius, vt patet in exemplo inducto quantitatis, & figuræ, quæ ad inuicem ſeparari non poſſunt. Confirma-

Digitized by Google

firmari poteſt hæc ſolutio alio exẽplo. Materia prima realiter diſtinguitur à forma, & eſt prior illa in genere cauſæ materialis: & tamen S. Thom. iuxta ſententiam S. Thomæ, & communem, materia prima exiſtere nõ poteſt ſine forma, neque ab ea ſeparari. Idem ergo poterat Angelus innixus lumini naturali exiſtimare de natura humana, quod ſcilicet à propria prſonalitate ſeparari non poſſet, licet ſit prior illa, niſi per diuinam reuelationem cognoſceret fuiſſe reuera ſeparatam, & naturam ipſam humanam terminatam perſonalitate Verbi.

Ad quartum reſpondetur, quod illa ratio ſolum procedit de myſterijs fidei, quæ ex libera Dei voluntate non pendent, ſicut eſt myſteriũ Trinitatis. Nam in his idem eſt eſſe & poſſe: non autẽ procedit de myſterijs fidei, quorum exequutio pendet ex libera Dei voluntate, qualia ſunt myſteriũ Incarnationis, & Euchariſtiæ. Vide non propter illam rationem in argumẽto inſinuatam, ſed propter alias ſuperius adductas eorum poſſibilitas non poteſt euidenter ſolo lumine naturæ cognoſci. Secundo reſpondetur, illam rationem non eſſe adæquatam etiam comparatione myſterij Trinitatis, vel aliorum, quæ Deo competunt ad intra, nec pendent ex libera eius voluntate. Sunt enim aliæ plures rationes magis principales, propter quas eiuſmodi myſteria fidei non poſſunt ſolo lumine naturæ euidenter cognoſci ab vlla creatura. Et potiſſima eſt, nam myſteria, quæ per ſe pertinent ad fidem, ſiue pendeant ex libera Dei voluntate, ſiue non, tranſcendunt totum ordinem naturæ, ac per conſequens abſque lumine ſupernaturali non poſſunt euidenter cognoſci.

Ad quintum negatur conſequentia, nam euidentia poſſibilitatis myſteriorum fidei, & euidentia credibilitatis ſumitur ex diuerſis principijs. Etenim euidentia poſſibilitatis ſicut & veritatis ſumitur ab eo quod eſt in re, iuxta illud commune proloquium: Ab eo quod eſt in re propoſitio dicitur vera vel falſa, poſſibilis, vel impoſſibilis. Cæterum euidentia credibilitatis non deſumitur ab eo quod eſt in re, ſicut nec euidentia probabilitatis, nam multa falſa ſunt probabiliora veris, & magis credibilia: ſed ſumitur ex alijs cauſis extrinſecis, videlicet ex Teſtimonijs aliorum, vel ex ſignis, & miraculis, vel ex rationibus apparentibus, quibus euidenter oſtenditur, rem eſſe credibilem, aut probabilem. Ita enim euidenter argumentum Topicum concludit, concluſionem eſſe probabilem, ſicut demonſtratio concludit eſſe ſcientificam. Argumenta verò quibus oſtẽditur myſteria noſtræ fidei eſſe euidenter credibilia, videnda ſunt apud Magiſtrum Bañes 2. 2. qu. 1. art. 4. Quibus conſonat illud Pſal. [Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis,] ideſt euidenter credibilia ſunt facta, quamuis non ſit nobis euidẽs eſſe poſſibilia. Ad impugnationem, reſpondetur, conſequentiam factam in argumento non tenere ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, nam vtraque propoſitio eſt affirmatiua. Vnde vt argumentum fiat ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis huius conſequentiæ, hoc eſt euidenter impoſſibile, ergo eſt euidenter incredibile, debet ſic formari. Hoc non eſt euidenter incredibile, ergo non eſt euidenter impoſſibile. Sed nihil 12 Bañes. *Pſ. 92.*

con-

concludit cõtra nos,ſed potius probat argumentum,id quod diximus, videlicet ſolo lumine naturę euidenter non poſſe cognoſci myſterium Incarnationis eſſe poſſibile, vel impoſſibile,quia,vt dictum eſt,neutrũ eſt nobis euidens ſolo lumine naturæ. Vide Ban.art.4. citat. dub.3. in ſolut ad 5.

Bañes.

13 Ad ſextum argumentum. M. Medina qu. 2. Introductoria in ſolutione ad 6. admittit peracto hoc myſterio Angelum cognouiſſe euidenter lumine naturæ, quod humanitas Chriſti ſubſiſtebat ſubſiſtentia increata:Negat tamẽ inde cõſequi, quod euidẽter cognouerit Deũ eſſe hominem,& adducit duplicẽ inſtantiam. Prima nam ſanguis Chriſti ſubſiſtit diuina ſubſiſtentia,& tamen ex hoc non ſequitur, quod Deus ſit ſanguis. Secunda eſt, nam anima Chriſti in triduo mortis ſubſiſtebat ſubſiſtentia diuina, & tamen Deus tunc non erat Anima. Crediderim tamen,hoc nullatenus eſſe admittendum,vt conſtat ex dictis in tertia concluſione. Et argumentum vrget contra M.Medinam. Nam ſi lumine naturæ Angelus cognoſcit euidenter humanitatem Chriſti ſubſiſtere ſubſiſtentia increata: ſequitur quod euidenter cognoſcat Deum eſſe hominem. Patet conſequentia, nam cum humanitas ſit natura cõpleta: impoſſibile eſt,quod ipſa humanitas ſubſiſtat per ſubſiſtentiam diuinam, & quod Deus non ſit homo.Ergo ſi Angelus cognoſcit euidenter Chriſti humanitatem ſubſiſtere per ſubſiſtentiam diuinam, ſequitur, quod cognoſcat euidenter Deum eſſe hominem. Ad inſtantias adductas, reſpondetur,non eſſe ſimiles, nam ſanguis & anima ſũt quid incompletum, vnde licet ſubſiſtant ſubſiſtentia diuina,tamen Deus non dicitur ſanguis, vel anima, ſed vnitus ſanguini, & animæ.

Aliter ergo reſpondetur ad argumentũ,quod licet humanitas Chriſti non ſubſiſtat de facto per propriam ſubſiſtentiam creatã, ſed per ſubſiſtentiam diuinam,id tamen nõ erat Angelo euidens. Ad impugnationem reſpondetur,quod quamuis Angelus relictus ſuæ naturæ cognoſcat euidenter omnes creatas ſubſiſtentias: attamen per miraculum poterat Deus vtendo ſua potentia abſoluta occultare Angelo aliquã ſubſiſtentiam creatam propter aliquod myſterium, vel iudicium occultum. Id quod Angelus cognoſcebat euidenter, Deum nimirum in hac parte vti potuiſſe potentia ſua abſoluta. Et quoniam neſciebat,an Deus de facto vteretur hac ſua potentia occultando ſubſiſtentiam creatam humanitatis Verbi; ſolo lumine naturæ iudicabat quidem humanitatem Chriſti ſubſiſtere,de modo autem quo ſubſiſtebat, nihil iudicabat in particulari Angelus bonus: ſed ſuſpendebat actum ne ſe exponeret periculo errandi. Angelus autem malus ſæpè præcipitabat iudicium, iudicans perſonã illam eſſe purum hominem, & ſubſiſtere per ſubſiſtentiam creatam eiuſdem humanitatis.

Ad ſeptimum quidã reſpondent, miracula, quæ Chriſtus fecit in confirmationem ſuæ Diuinitatis cauſare euidentiam huius myſterij in atteſtante. Sed hæc ſolutio non placet; nam facere miracula pertinet ad gratiam gratis datam, qua poteſt quis abuti. Vnde,licet per fidem ſit certiſſimum Chriſtum Dominum rectè vſum fuiſſe poteſtate faciendi miracula; id tamen non 14

erat

erat euidens lumine naturæ. Reſpõdetur ergo quod cognitio cauſata mediantibus miraculis præſupponit lumen ſupernaturale, quo cognoſcatur efficacia, & veritas miraculorum. Vnde rationes, quæ ex miraculis deducuntur ad probandum hoc myſterium re exhibitum, vel poſſibilitatem illius, non innituntur ſoli naturæ lumini.

DISPVTATIO SECVNDA.
Circa conuenientiam Incarnationis.

Vtrum Incarnatio Verbi fuerit conueniens, an vero ex illa ſequatur aliquod inconueniens ex parte Dei, vel ex parte naturæ humanæ à Verbo Diuino aſſumptæ.

1 PARS affirmatiua probatur. Primo. Nulla denominatio realis abſoluta poteſt alicui de nouo aduenire, abſque ſui mutatione: ſed eſſe hominem eſt denominatio realis abſoluta, cum deſumatur à forma reali purè abſoluta, ſcilicet ab humanitate. Cum ergo per myſterium Incarnationis hæc denominatio de nouo competat Deo, ſequitur quòd Deus realiter ſit mutatus, quod eſt inconueniens.

Secundo idem probatur ex parte naturæ aſſumptæ. Magnum inconueniens eſt, quòd natura humana in Chriſto Domino maneat perpetuo fruſtrata ſuo naturali deſiderio, ac ſua naturali perfectione: ſed hoc inconueniens ſubſequutum eſt ex myſterio Incarnationis: Ergo. Minor probatur. Natura humana habet naturalem inclinationem, & naturale deſiderium ad ſuam connaturalem perſonalitatem: ſed hoc deſiderium non ſatiatur, nec tollitur per Diuinam perſonalitatem, quia natura humana nõ appetit naturaliter vniri perſonalitati Diuinæ, ſed perſonalitati propriæ, & cõnaturali, quæ eſt propria, & connaturalis eius perfectio. Ergo.

Tertio. Potentia, quã habet natura humana, vt vniatur perſonalitati Diuinæ, non eſt naturalis, ſed obedientialis, quæ in ordine ad ſupernaturalia eſt formaliter loquendo potentia ſupernaturalis, vt ſupra dictum eſt, ergo per Diuinam perſonalitatem ſibi vnitam, non ſatiatur eius potentia, & appetitus naturalis, ſed ſolum ſatiatur potentia obedientialis. Et conſequenter aliquis appetitus naturalis manet perpetuo fruſtratus ſua perfectione ſuppoſito hoc myſterio.

Quarto. Humanitas appetit naturaliter ſuam propriam perſonalitatem, non ſolùm quatenus eſt terminus complens naturam, ſed etiã quatenus eamdem naturam informat: Sed hoc ſecundum non ſupplet Diuina perſonalitas, quia non informat naturam humanam: Ergo ſaltem quo ad hoc ſecundum manet perpetuo fruſtrata inclinatio naturalis humanitatis aſſumptæ.

IN hac parte non eſt nobis controuerſia cum Catholicis, omnes enim fatentur, Incarnationem Verbi eſſe conuenientem: id enim docet fides eo ipſo quod tradit hoc myſterium à Deo factũ fuiſſe, nam quæ à Deo ſunt, [ordinata ſunt,] vt dicitur ad Rom. 15. & Sap. 8. habetur, quod Deus [diſponit omnia ſuauiter, & attingit à fine vſque ad finem 2 Ro. 15. Sap. 8.

nor finem

finem fortiter.] Rationes autem S.Thomæ ſunt valdè apparentes ad ſuadendã Incarnationis conuenientiam: Illa præſertim ratio, quæ deſumitur ex proprietate boni, quod eſt cõmunicatiuum ſui. Cum enim Deus ſit ſummè bonus, eius bonitati congruit, vt ſe creaturæ ſummo modo communicet, hoc autem factum eſt per Incarnationem Verbi, quia natura humana totum vniuerſum quaſi quodam Epilogo complectitur. Habet enim commune eſſe cum lapidibus, vegetari cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis. Vnde, vt ſupra dictum eſt, magis illuſtrauit Deus totum vniuerſum per Incarnationem, quàm ſi naturam Angelicam, in qua non reperiuntur formaliter omnes gradus entis, vel aliam corpoream ſibi hypoſtaticè vniret. *Sup.n.1*

Tota itaquè controuerſia eſt cum Paganis, qui aliquibus ex rationibus adductis, & alijs conſimilibus conuicti Incarnationem Verbi, non ſolum incongruam, ſed etiam ſtultitiam appellant, vt dicit Apoſtolus 1.Corinth.2. [Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.] Vnde quia poſſibilitas Incarnationis, & conuenientia eius non poteſt contra Paganos rationibus euidentibus demonſtrari, vt ſupra dictum eſt, propterea eius credibilitas, ſoluendo argumenta in contrarium adducta, eſt manifeſtanda. *1.Cor.2* *Diſp. 1.*

3 AD primum argumentum reſpondetur, quòd licet eſſe hominem ſit aliquid abſolutum reale, hoc tamen abſolutum cõuenit Dei filio ratione vnionis humanitatis ad Verbum, quæ vnio nullã ponit mutationem realem in Verbo, eo quod per Incarnationem, ſeu temporalem natiuitatem ex Virgine nullam acquiſiuit relationem realem, ſed tantum rationis, vt infra q. 35. art. 5. dicit S.Thomas. Quare, ſicut relatio præſertim rationis poteſt alicui aduenire ſine ſui mutatione, per hoc ſolùm, quòd mutetur aliud extremum: ita eſſe hominem, aduenit Dei filio de nouo abſque ſui mutatione per ſolam mutationem humanę naturæ, quæ per Incarnationem perficitur acquirendo eſſe perſonale Verbi. Solutio eſt expreſſa S. Thomæ infra quæſt.16. art.6. ad 2. vbi ait: [Quod eſſe hominem prædicatur de nouo de Deo abſque eius mutatione per mutationem humanæ naturæ, quæ aſſumpta eſt in Diuinam perſonam.] Eamdem ſolutionem adhibet art. 1. eiuſdem quæſtionis ad 4. quam etiam ſequitur Medina q.2. introductoria ad 2. *S.Thom.* *S.Thom.*

Sed arguunt contrà illam. Relatio rationis cõſequitur ad vnionem ſubſtantialem, & abſolutam humanitatis cum Verbo, ſicut relatio vnionis, quæ eſt inter materiam, & formam fundatur in vnione abſoluta, & ſubſtantiali formæ cum materia, & ad illam conſequitur: Ergo Deum eſſe hominem ſubſtantialiter præſupponitur tanquam fundamentum ad relationem vnionis, quæ eſt inter humanitatem, & Verbum, ac perconſequens eſſe hominem non conuenit Deo ratione vnionis, quæ eſt relatio. Nihilominus ſolutio S. Thomæ eſt optima, ad cuius explicationem notandum eſt cum Caiet. q.16.ar.1.ad 4. quòd eſſe hominem conuenit filio Dei ratione vnionis ſubſtantialis, quæ terminatur ad aliquid abſolutum ſubſtantiale. Hæc tamen vnio, quamuis ſit abſoluta, *Obiectio* *Solutio.* *Caiet.*

habet

habet tamen modũ relationis, quatenus non ponit in Deo aliquã perfectionem realem intrinſecam, ſed ſolum relationem quamdam rationis, qua Verbum dicitur vnitum humanitati: ſicut creatio non ponit in Deo niſi relationem rationis ad creaturas, vt p. p. q. 13. art. 7. docet S. Thomas. Et ideò per ſolam mutationem realem naturæ humanæ abſq; ſui mutatione Deus factus eſt homo: ſicut etiam filiatio, qua Chriſtus refertur ad Matrem, eſt relatio rationis, & non realis in ipſo Verbo, vt dictũ eſt, quia perſona Diuina non eſt capax realis relationis temporalis. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt S. Thomas, cum dicit, quod vnio illa eſt quædam relatio: intelligit enim quod habet modum relationis propter rationem adductam, vel importat relationem in ſuo connotato, vt dixerat art. 1. citato ad 4.

S. Thom.

4 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod, vt patebit infra non ſolum in eſſendo, ſed etiam in terminando perſonalitas diuina eminentiſſimè continet, & perfectiſſimo modo quicquid perfectionis eſt in qualibet perſonalitate creata. Vnde eo ipſo, quod terminat naturam humanam, ſatiat eius appetitum, & confert illi omnem perfectionem, quam poterat ei tribuere propria perſonalitas. Et ideò humanitas Verbi ſuppoſita vnione hypoſtatica, nullam habet inclinationem ad propriam perſonalitatem, quæ eſt incompoſſibilis cum perſonalitate Verbi: Sicut Beati non habent appetitum alicuius rei, quæ ſit incompoſſibilis cum viſione beatifica, quia eorum deſiderium ſatiatur, & impletur per eamdem viſionem. Dicit enim Pſalmiſta. [Satiabor cũ apparuerit gloria tua.] Et iterum [Qui replet in bonis deſiderium tuum.]

Pſal. 16

Pſ. 102.

5 Ad tertium reſpondetur: quòd per vnionem hypoſtaticam per ſe primo ſatiatur potentia obedientialis naturæ humanæ, & perficitur: conſequenter tamen & ſecundario ſatiatur potentia naturalis, quam habet ad propriam perſonalitatem; Eo quod Diuina perſonalitas continet eminenter omnem perfectionem perſonalitatis creatæ, vt dictum eſt.

Ad quartum reſpondetur, quòd humanitas per ſe primo appetit propriam perſonalitatem in quantum talis perſonalitas eſt terminus complens naturam: ſed quia perſonalitas creata ob ſuam imperfectionem non poteſt eſſe terminus complens naturam, niſi eam informando, propterea ſecundario, & quaſi propter aliud appetit propriam perſonalitatem in quantum eſt forma. Quia ergo perſona Diuina ob ſuam infinitatem, & eminentiam terminat naturam humanam, eamque complet abſque eo quòd ſit forma illius, ideò per eamdem perſonalitatem Diuinam perfectiſſimè ſatiatur inclinatio naturalis, quam habet humanitas ſecundum ſe ad propriam perſonalitatem in quantum eſt terminus, & in quantum eſt forma eiuſdem humanitatis. Sicut ſi aliquis appeteret medicinam ſolùm propter ſanitatem, & illi abſque tali medicina per miraculum concederetur ſanitas, non ſolum ſatiaretur in illo appetitus ſanitatis, quæ per ſe erat intenta, ſed etiam appetitus medicinæ, quæ non erat volita niſi propter ſanitatem. Proportionabiliter dicimus in præſenti, quòd cum informatio perſonalitatis non appe-

Simile.

tatur

tatur ab aliqua natura niſi propter terminationem, ſi ſemel per miraculum natura terminetur, & compleatur per aliquam perſonalitatē abſq; informatione, vt contingit in hoc myſterio, perfectiſſimè manet ſatiatus appetitus, quo eadem natura appetebat per propriam perſonalitatem informari.

Aliæ duæ controuerſię grauiſſimę ſe offerebant hic diſputandæ. Altera eſt, vtrum efficaciter poſſit ex veteri Teſtamento aduerſus perfidos Iudæos demonſtrari, Incarnationem Verbi eſſe factam: & Meſſiam in lege abumbratum, & per Prophetas repromiſſum iam adueniſſe. Altera eſt, vtrum efficaciter poſsit ex eodem teſtamento oſtendi; Chriſtum Dominum non ſolum eſſe verum hominem, ſed etiam verum Deum. Sed de prima difficultate egimus ex profeſſo in noſtris commentarijs ſuper cap. 9. Iſaiæ à nu. 20. vſque ad 24. in illa verba: [Paruulus natus eſt nobis,] Vbi diximus, Scopum totius Euangelij S. Matth. eſſe ex ſignis, ſeu notis 22. De vero Meſſia in veteri Teſtamento prædictis, & expreſſis, quę ſigna in Chriſto Domino concurrere, & adimpleta eſſe declarat, contra Iudæos oſtendere, illum eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum. De qua re etiam agit M. Medina in 3. quæſtione introductoria. De ſecunda autem controuerſia, egimus etiam eodem cap. à nu. 45. vſque ad 73. in illa verba: [Et vocabitur De' fortis;] Quam etiam tractat M. Medina q. 3. citata, & S. Ioannes Euangeliſta hoc potiſſimè intēdit probare in toto Euangelio, videlicet Chriſtum nō ſolū eſſe hominē, ſed etiam verum Deū, cuius diſcurſum eodem cap. 9. explicuimus, & expedimus.

ARTICVLVS II.

Vtrum neceſſarium fuerit ad reparationem generis humani, Verbum Dei incarnari.

CONCLVSIO Prima. Incarnatio Verbi non fuit ſimpliciter neceſſaria ad reparationem generis humani. Probatur. Deus per ſuam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare, vt gratis dimittendo debitum, aut acceptando ſatisfactionem puri hominis. Ergo.

Secunda concluſio. Ad melius eſſe, & conuenientius reparandam naturam humanam, neceſſarium fuit Verbum Dei incarnari. Probatur primo. Per myſterium Incarnationis magis promouetur homo in bonum Fidei, Spei, & Charitatis Diuinæ, quæ per Incarnationē Verbi maximè excitantur. Secundo; quia per Incarnationem Verbi pertingit homo ad plenam participationem diuinitatis, quæ vera eſt hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ. Quia, vt Auguſtinus ait ſerm. 9. de Natiuitate Domini, factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus. Tertio fuit conuenientius ad remotionem mali, nè ſcilicet ſubijciamur Diabolo: quia iam vnus homo, Chriſtus, videlicet eſt eo ſuperior. Præterea quia per hoc myſterium inſtruimur quanta ſit dignitas humanæ naturæ, nè eam inquinemus peccando. Item etiam, vt gratia Dei in homine Chriſto commendaretur, & Aug.

ſuper-

ſuperbia hominis per tantam Dei humilitatem redargui poſſet, atque ſanari. Quarto ad perfectam ſatiſfactionem pro peccato: quia ſolus Deus homo potuit pro eo ſatisfacere de rigore iuſtitiæ.

Tertia concluſio in ſolutione ad ſecundum. Hominis puri ſatisfactio pro peccato generis humani non potuit eſſe perfecta, ſeu condigna per quamdam ad æquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ. Probatur primo. Quia tota humana natura erat per peccatum corrupta; nec bonum alicuius perſonæ, vel etiam pluriũ poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompenſare. Secundo. Quia peccatum contra Deum commiſſum, quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maieſtatis: quo enim perſona eſt dignior, eo offenſa in illum cõmiſſa eſt grauior. Vnde oportuit ad condignam ſatiſfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam. Hanc autem habere non potuit niſi ſatiſfaciens ſit Deus homo: ergo.

Quarta concluſio in eadem ſolutione. Chriſtus Dominus ſatisfecit perfectè, & ex condigno pro peccato generis humani. Probatur. Chriſti ſatisfactio fuit ad æqualitatem offenſæ, nam fuit ſatisfactio infinita tum ex parte ſatisfacientis, tum ex parte rei oblatæ, quia tàm ſatisfaciens, quàm res oblata pro peccato in Crucis ſacrificio, fuit Deus homo.

Quinta concluſio ibidem. Satiſfactio puri hominis poteſt dici ſufficiens imperfectè, ſcilicet ſecundum acceptationem eius, qui eſt ea contentus. Probatur ex dictis in 1. & 2. concluſione.

Sexta concluſio. Omnis puri hominis ſatisfactio efficaciam habet à ſatisfactione Chriſti. Probatur. Omne imperfectũ præſupponit aliquid perfectum, à quo ſuſtentetur: Sed ſatisfactio puri hominis eſt imperfecta: ergo ſupponit perfectam ſatisfactionem Chriſti, & in ea fundatur.

Expoſitio Articuli.

DVę priores concluſiones huius articuli nullã habent ſpecialẽ difficultatem: ſufficienter enim explicantur, & probantur à Magiſtro Medina. Circa tertiam autem concluſionem notandum, quod aliquod ſuppoſitum humanæ naturæ dupliciter poteſt dici purus homo. Primo, quia eſt homo, & non Deus. Secundo, quia non habet gratiam, neque aliquem habitum ſupernaturalem; ſed ſolum, & purum eſſe naturale: & in vtroque ſenſu diſputandum eſt, an purus homo potuerit genus humanum reparare, ſatisfaciendo ad æqualitatem pro culpa originali.

Notandum ſecundo, quòd tota reſolutio huius difficultatis dependet ex alia, vtrum videlicet peccatum originale, vel actuale mortale, pro quo ſatisfaciendum erat, ſit ſimpliciter malum infinitum, vel habeat grauitatem ſimpliciter infinitam intenſiuè in ratione mali moralis, & quatenus eſt offenſa commiſſa contra Deum: An verò ſolum ſit malum infinitum, ſecundũ quid extrinſecè, & ex parte obiecti, vel perſonæ Diuinæ, quæ offenditur. Hoc enim explicato, facile erit intelligere, qualis debeat eſſe ſatisfactio pro culpa, vt ſit condigna pro offenſa illata. Pro his ergo difficultatibus explicandis ſequentes diſputationes deſeruiunt.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum peccatum originale, vel mortale actuale ſit ſimpliciter malum infinitum in ratione offenſæ diuinæ, vel habeat grauitatem, ſeu malitiam ſimpliciter infinitam.

4 Scotus. PRIMA ſententia eſt negatiua, quam tenet Scotus 3.diſt. 19. ad 2. & diſt.20. quæſt. vnica, circa finem. Palud. d.20. citat quæſt.2. art.2. & illam defendunt multi alij recentiores Theologi præſertim. M. Cabrera in hoc ar. diſp.4.§.5. Probatur primo authoritate S.Thomæ in ſolutione ad 2. huius articuli dicentis, quod [peccatum contra Deum commiſſum quamdam habet infinitatem ex infinitate diuinæ maieſtatis, tanto enim offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille in quem delinquitur,] vbi non ait ſimpliciter peccatum habere infinitam grauitatem, ſed [quamdam infinitatem,] ſentit ergo grauitatem peccati non eſſe infinitam ſimpliciter, & intenſiuè, ſed ſolum ſecundum quid, & extrinſecè ex parte Diuinæ maieſtatis, quæ offenditur.

Primum Argum.

Secundo. Viſio beatifica hominum, vel Angelorum in ratione viſionis beatificæ eſt ſimpliciter finita, & ſolum ſecundum quid infinita, quia ſolum denominatione extrinſeca eſt infinita ex parte obiecti, quod immediatè videtur, nam eſt viſio Dei, vt in ſe eſt: obiectum enim infinitum non ponit intrinſecè in ipſa viſione infinitatem ſimpliciter; ſed ſimiliter peccatum originale in ratione offenſæ eſt infinitum denominatione extrinſeca ex infinitate Diuinæ maieſtatis, contra quam eſt peccatum, ergo ſolum habet infinitatem ſecundum quid.

Tertio. Ad peccatum duo tantū per ſe pertinent. Primum eſt conuerſio inordinata ad bonum commutabile, ſecundum; auerſio à bono rationis, atque ab incommutabili bono, quod eſt Deus: ſed ex neutro capite peccatum originale, vel mortale habet infinitam grauitatem ſimpliciter, vel malitiam: Ergo. Minor quo ad primam partem aſſeritur expreſſè à S.Thoma 1.2.q.87. ar.4.corp. vbi ait, [quod ex parte inordinatæ conuerſionis ad commutabile bonum, peccatum eſt finitum, tum, quia ipſum bonum commutabile eſt finitum, tum etiam quia ipſa conuerſio eſt finita.] S.Thom.

Quod autem non habeat infinitatem ſimpliciter, ſeu infinitam malitiam ex parte àuerſionis, vel priuationis, probatur: nam duplex auerſio reperitur in peccato mortali, altera à bono rationis virtutis oppoſitæ: & hæc auerſio ſine dubio eſt finita, ſicut bonum rationis, & virtutis quo priuat finitum eſt: vnde S.Thomas 1.2.quæſt.73.ar.4.ait, quod grauitas peccatorum differt ſecundùm dignitatem virtutum; quibus opponuntur. Altera verò eſt auerſio à fine vltimo ſcilicet à Deo, qui eſt bonum infinitum: & ex hac etiam parte non poteſt malitia peccati eſſe ſimpliciter infinita: nam Deus immediatè non eſt bonum intrinſecum creaturæ rationalis, ſed medijs ſuis effectibus, videlicet gratia, & charitate, atque alijs virtutibus infuſis, etenim ipſum peccatum non opponitur Deo imme- S.Thom.

diatè contrariè, vel priuatiuè. ſed ſolum eius effectibus, vt docet Sanctus Thomas p. p. quæſt. 14. ar. 10. ad 3: vbi ait, [quod malum non opponitur eſſentiæ diuinæ, quæ non eſt corruptibilis per malum: ſed opponitur effectibus Dei,] & idem dicit q. 49. art. 3. Ergo grauitas peccati, quæ ſumitur ex auerſione à bono rationis, vel à Deo, non eſt infinita ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundum quid. S. Thom.

Confirmatur. Species peccati ſimpliciter loquendo deſumitur ex conuerſione ad obiectum contrarium rationi, vt docet ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 72. ar. 1. Ergo & grauitas ſiue malitia peccati deſumenda eſt ex conuerſione ad obiectum contrarium rationi: ab eodem nãque peccatum habet malitiam, & grauitatem, à quo ſumit ſpeciem. Cum ergo ex parte conuerſionis peccatum habeat grauitatem finitam, vt ex S. Thoma dictum eſt, relinquitur, quòd grauitas, ſeu malitia peccati abſolutè loquendo ſit finita. S. Thom.

Quarto. Vnum peccatum mortale eſt grauius altero, vt probat ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 73. ar. 2. ergo nullum peccatum mortale habet grauitatem ſimpliciter infinitam, etiam in ratione offenſæ, vel mali moralis. Probatur conſequentia, nam vnum infinitum non eſt maius alio ſecundum illam rationem, ſecundùm quam eſt infinitum. Etenim, ſi darentur duæ lineæ infinitæ ſimpliciter, neutra eſſet maior altera. Ergo, ſi in ratione offenſæ, vel mali moralis quodlibet peccatum mortale habet grauitatem ſimpliciter infinitam, ſequitur, quòd vnum peccatum mortale in ratione offenſæ Dei non ſit grauius, quàm aliud, vel, ſi vnum peccatum eſt grauius altero, neutrum habet malitiam infinitam. S. Thom.

Quinto. Non datur nec eſt dabile aliquid, quod ſit ſummè malum, vt oſtendit ſanctus Thomas 1. p. quæſt. 49. ar. 3. quia malum eſt in bono, vnde malum non eſt malum per participationem alicuius, quod ſit ſummè malum, ſed per priuationem participationis ſummi boni: ergo nullum peccatum eſt ſummè malum, aliàs huiuſmodi malum non eſſet in bono, ſed priuaret omni bono tàm naturali, quàm morali, quod eſt inconueniens: Non ergo eſt dicendum, malitiam peccati eſſe abſolutè, & ſimpliciter infinitam. S. Thom.

Sexto. Satisfactio Chriſti pro peccato fuit ſuperabundans, vt colligũt communiter Theologi ex illo Rom. [Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia:] ergo peccatum, pro quo ſatisfecit Chriſtus, nõ habuit malitiam infinitam: aliàs ſatisfactio non excederet malitiam peccati. Infinitum enim, qua parte infinitum eſt, excedi non poteſt, aut ab alio ſuperari. Confirmatur, ſi peccatum mortale habet malitiam infinitam, ergo infinitè diſplicet Deo, ergo non potuerunt ſatiſfactiones Chriſti magis placere Deo, quàm illi diſplicuerit peccatum: & ex alia parte excedunt peccata in multitudine ſatisfactionem Chriſti: ergo, ſi peccatum habet malitiam infinitã; ſatisfactio Chriſti eſſe non potuit ſuperabundans. *Rom. 5.*

2 Secunda ſententia aſſerit per oppoſitum, quòd peccatum mortale habet grauitatem, & malitiam ſimpliciter infinitam in genere mali moralis. Ita ſentiunt Alexander Alenſis 3. par. quæſt. 1. membro 6. Alexãder

San-

Sanctus Bonauentura in 3. ſenten. diſt.20. Riccard. eadem diſt. Ioan. à Med. C. de pœn.quæſt.1.de ſatisf. Quam ſententiam probabiliorem reputat Aſturicenſis in relectione de Chriſti gratia quæſt.5.ar.2. pag. 301.& addit,quòd peccatum mortale in ratione mali eſt infinitum intenſiuè, non ſolum vt eſt malum Dei intentatum, ideſt offenſiuum diuinæ maieſtatis: ſed etiam, vt eſt malum morale contrarium bono rationalis creaturæ. Et pro hac ſententia refert Caiet. & Magiſtrum Medinam. Argumenta verò quibus conuincitur ſunt, quæ ſequuntur.

Septimo arguitur, nam ſanctus Thomas ad 2. huius articuli ait. [Tanto offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille, in quem delinquitur: vnde oportuit ad condignam ſatiſfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam,vtpotè Dei,& hominis exiſtens.] Sentit ergo,grauitatem,& malitiam peccati in genere mali moralis eſſe ſimpliciter infinitam, ſicut ſatisfactio Chriſti Domini in genere ſatisfactionis fuit ſimpliciter infinita. Aliàs enim,ex grauitate offenſæ,nō bene colligeret Sanctus Doctor, ad condignam ſatisfactionem eſſe neceſſariam in perſona ſatisfaciente efficaciam ſimpliciter infinitam. Si enim grauitas peccati ſolum eſſet infinita ſecundùm quid, & extrinſecè, ſufficeret ſatisfactio infinita ſecundùm quid, & ex parte obiecti,qualis reperitur in actu contritionis, vel charitatis ſupernaturalis,cuius obiectum eſt quid infinitum ſimpliciter.

Octauo. Peccatum mortale priuat creaturam rationalem coniunctione ad ſummum bonum: item etiam quantum eſt ex ſe deſtruit potiſſimum bonum naturæ intellectualis etiam vt eſt in Deo, in quo habet eſſe ſimpliciter infinitum: nam, ſi peccatum eſſet in Deo, bonum rationis Diuinæ euerteret. Ergo,vt eſt contrarium bono rationalis naturæ, peccatum eſt ſimpliciter malum infinitum. Rurſus peccatum, vt eſt offenſiuum Dei, quantum eſt ex ſe, & ex ipſo affectu peccantis, eſt deſtructiuum totius Deitatis, & loco ipſius Dei facit vltimum finem creaturam, & eam erigit in Deum: ergo peccatum, vt malum rationalis naturæ, & vt offenſiuum Diuinæ maieſtatis habet malitiam ſimpliciter infinitam.

7 Inter has duas extremas ſententias media eſt à nobis defendenda: pro cuius explicatione notandum, quòd peccatum poteſt dupliciter conſiderari. Primo modo in genere phyſico, & ſub hac ratione omnes fatentur,non habere grauitatem infinitam, nec eſſe ſimpliciter infinitum. nam hoc modo ſolus Deus eſt ſimpliciter infinitus. Vnde etiam ſatisfactio Chriſti Domini in genere phyſico conſiderata non eſt ſimpliciter infinita. Secundo modo poteſt conſiderari, vt eſt malum morale: & in hoc genere adhuc habet duplicem conſiderationem. Primo enim poteſt conſiderari, vt eſt malum eius,qui peccat. nam auertit illum ab ordine rationis debito in eſſe actui humano, & ſeparat illum ab ipſo Deo, cui adhærere bonum eſt homini ſecundum illud Pſalm.72. [Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Secundo poteſt conſiderari, vt eſt offenſa Dei, & malum Diuinæ maieſtatis non quidem illatum, ſed intentatum. Cum enim Deo imme- *Pſal.72*

diatè in ſe ipſo nihil opponatur cõtrariè, vel priuatiuè, vt ſupra dicebamus, nullum malum poteſt illi reipſa inferri, ſicut nec poteſt illi aliquod bonum adiungi in ſe ipſo *Iob.22.* ſecundùm illud Iob.22. [Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua?] Vnde, quantumuis peccatores velint Deum lædere, nihil efficiunt, & fruſtra nituntur. Nihilominus ſecundum affectum peccatum mortale, quantum eſt ex ſe Deum perimit, & illum à ſuo Regno deijcere, & loco eius alium Deum ſubrogare contendit. Vnde *S. Bernar. ſer.3 reſur. Dom.* ſanctus Bernardus malæ voluntatis grauitatem, & malitiam expendens ait. [Sed vtinam vel rebus iſtis eſſet contenta, nè in ipſum (horribile dictu) deſæuiſſet auctorem. Nunc autem & ipſum (quantum in ipſa eſt) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deũ peccata ſua, aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum, quæ quantum in ipſa eſt, vult eum, aut impotentem, aut inſipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam iuſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.]

Notandum ſecundo, quòd peccatum originale habet quamdam infinitatem extenſiuam, quatenus videlicet extenderet ſe ad infinitos homines, ſi ex Adam ſeminali propagatione naſceerentur. Item etiam, vt omnes fatentur, quodlibet peccatum mortale habet quamdam infinitatem ex parte auerſionis à ſummo bono, & ex parte Diuinæ maieſtatis contra quam committitur. Tota ergo difficultas eſt: vtrum hæc infinitas ſufficiat, vt peccatum mortale dicatur ſimpliciter infinitum, ſeu habere infinitam malitiam in genere mali moralis intenſiuè. Et quamuis quæſtio videatur de nomine; non tamen eſt de ſolo nomine, ſed etiam de re. Sit ergo

PRima concluſio. Peccatum originale, & mortale inquantum eſt malum hominis eum auertens ab ordine rationis, non eſt malũ ſimpliciter infinitũ etiã in genere moris. hęc concluſio eſt contra aliquos Doctores allegatos pro ſecunda ſententia: aſſeritur tamen à Defenſoribus primæ, & illam probant argumenta facta pro eadem prima ſententia, præſertim ſecundum, & tertium argumentum.

Præterea probatur: quia non eſt maior malitia ex parte deordinationis à recta ratione in peccato intemperantiæ, quàm ſit bonitas moralis in actu ſibi oppoſito, nempe in actu virtutis temperantiæ, vt aperte docet ſanctus Thomas 1. 2. quæſt.73. ar.3. *S. Thom.* Sed in actu virtutis temperantiæ, ex parte conformitatis ad rectam rationem, non eſt bonitas moralis infinita: ergo nec in peccato oppoſito eſt malitia moralis infinita.

Secundo probatur. Vnum peccatum mortale, immo & plura ſimul ſumpta non totaliter deſtruunt bonum naturæ, vel eius inclinationem ad bonum rationis, ſed ſolum minuunt talem inclinationem, vt probat S.Tho.1.2. q.85. ar.1. & 2. *S. Thom.* Aliàs enim, ſi per peccatũ naturalis inclinatio ad virtutẽ, quæ competit homini eo ipſo, quòd rationalis eſt, totaliter deſtrueretur, ammitteret homo eſſe rationale, & ita nõ eſſet capax peccati: Ergo ex parte deordinationis, vel auerſionis à bono rationis non habet peccatum malilitiam infinitam.

Secun-

Digitized by Google

9 SEcunda concluſio. Peccatum, vt eſt malum hominis auertens illū à bono infinito ſcilicet à Deo, habet quidem grauitatem, & malitiam infinitam: illa tamen malitia ſub eadem ratione non eſt infinita ſimpliciter, & intenſiuè, ſed extrinſecè, & obiectiuè etiam in genere moris. Hæc concluſio quo ad primam partem eſt S.Thomæ 1. 2. qu. 87.art.4. Et probatur. Bonum Diuinum, à quo auertitur homo per peccatum, eſt infinitum ſimpliciter: ergo malitia peccati ex hac parte eſt infinita ſaltē extrinſecè, & obiectiuè. Quo ad ſecundam partem probatur ex fundamentis poſitis. Sicut bonum Diuinum, à quo auertitur homo per peccatum, eſt ſimpliciter infinitum in ſe ipſo, ita & bonum diuinum, ad quod conuertitur homo per actum charitatis, eſt ſimpliciter infinitum in ſe ipſo: ſed conuerſio ad Deum per actum charitatis, non eſt bonum infinitum ſimpliciter, & intrinſecè, ſeu intenſiuè, ſed ſolum extrinſecè, & obiectiuè: ergo ſimiliter malum auerſionis ab eodem bono non erit malum hominis ſimpliciter infinitum, & intenſiuè, ſed ſolum obiectiuè, & extrinſecè.

S.Thom.

Confirmatur. Propterea actus charitatis ſupernaturalis, aut viſionis beatificæ non eſt bonum hominis ſimpliciter infinitum, niſi tantū obiectiuè; quia, licet attingat obiectum ſimpliciter infinitum, non tamen attingit illud infinito modo, cum nulla creatura amet Deum quantum eſt amabilis, neque cognoſcat, quantū eſt cognoſcibilis, aliàs comprehenderet Deum. Sed ſimiliter peccatum quamuis àuertat hominē à bono infinito ſcilicet à Deo; non tamen auertit ab eo, modo infinito; cum ſemper poſſit per grauiora peccata, ſeu per multiplicata peccata magis auerti ab eo: ergo tale malum non erit ſimpliciter infinitum.

Confirmatur ſecundo. Pœna dāni correſpondet peccato ex parte auerſionis, vt ait S.Thoma 1. 2. qu. 87.ar.4. Sed pœna dāni nō eſt æqualis in omnibus dānatis, aliàs oēs dānati in pœna eſſentiali, & potiſſima eſſent æquales, quod eſt falſum; nam in gloria eſſentiali nō ſunt æquales omnes beati, debet autem ſeruari eadem propoſitio inter demerita damnatorum, & pœnam eorum eſſentialem, qualis ſeruatur inter merita iuſtorum, & gloriam eſſentialem. Ergo malitia peccati ex parte auerſionis à bono incommutabili non eſt æqualis in omnibus, ac per cōſequēs nō eſt ſimpliciter infinita.

S.Thom.

Secundo probatur. Quantitas malitiæ priuationis debet attendi ex quantitate boni, quo immediatè priuat, ſed peccatum mortale non priuat bono diuino, vt eſt in ſe ipſo, cum Deo nihil opponatur priuatiuè, ſeu contrariè, vt dictum eſt, ſed priuat bono diuino, vt participatur à creatura rationali per gratiam, quod quidē bonum in creatura eſt ſimpliciter finitum, quia modo finito participatur, & ſolùm extrinſecè & obiectiuè habet infinitatem, ergo eſt malum hominis infinitum, ſecundùm quid, & non ſimpliciter.

TErtia concluſio. Peccatum originale, & actuale mortale, vt eſt offenſiuum Diuinæ Maieſtatis, & malum Dei intentatū, habet malitiam, & grauitatem ſimpliciter infinitam, eo modo quo, ſi daretur linea infinita, eſſet ſecundùm longitudinem ſimpliciter infinita. Hanc concluſionem damus authoribus 10

ſecundæ ſententiæ, & argumentis factis pro illa. Hanc etiam docet Caiet. hic §. [Ad alteram vero obiectionem,] & Magiſter Medina dubio ſecundo de ſatisfactione puri hominis ad ſecundum. Probatur argumentis factis pro ſecunda ſententia, nam quodlibet peccatum mortale quantum eſt ex affectu peccantis, eſt deſtructiuum Maieſtatis diuinæ. Præterea nam peccatum mortale formaliter inquantum offenſa Maieſtatis diuinæ, tendit immediatè cõtra ipſum Deum, quem etiam immediatè reſpicit, ergo habet ex hac parte grauitatem infinitam. Præterea dignitas perſonæ ſatisfacientis redundat in dignitatem ſatisfactionis, & valorem intrinſecũ illius: & ideò ſatisfactio Chriſti Domini, quia procedebat à perſona ſimpliciter infinita, erat ſimpliciter infinita in ratione ſatisfactionis; ergo ſimiliter dignitas perſonæ, quæ offenditur redundat in grauitatem, & malitiam eiuſdem offenſæ, in ratione offenſæ: Ergo offenſa commiſſa contra Maieſtatem infinitam Dei erit ſimpliciter ex hac parte infinita, in ratione offenſæ.

11 Obiectio Sed contra hanc rationem eſt argumentum. Sequitur ex illa, quod peccatum veniale in ratione offenſæ habeat malitiam ſimpliciter infinitam. Probatur; nam propterea peccatum mortale in ratione offenſæ habet malitiam ſimpliciter infinitam, quia quantum eſt ex parte ſua perimit Deum, & eſt deſtructiuũ Maieſtatis ipſius, quæ eſt infinita; ſed etiam peccatum v. g. mendacij officioſi quantum eſt ex parte ſua eſt deſtructiuum Diuinæ maieſtatis: Si enim Deus mentiretur, Deus nõ eſſet Deus, quia non eſſet prima veritas: ergo. Reſpondetur facile, quòd peccatum veniale in ratione offenſæ non attingit vltimum finem, neque illum deſtruit, ſed ſolum deordinat creaturam rationalem circa media, vt in 1. 2. ſæpè docet S. Thomas. Vnde in ratione offenſę commiſſę contra Deum, vel contra ea, quæ ordinãtur ad Deum non habet grauitatem infinitam, quia reuera non eſt contra Deum, ſed præter Deum. Et propter hanc rationem S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 10. in corp. ait, quod per peccatum veniale non minuitur charitas, nec corrumpitur. Et ſolutione ad ſecundum inquit, quod illud, quod amatur in peccato veniali, amatur propter Deum non quidem actu, ſed habitu. Idem dicit 1. 2. q. 88. art. 1. ad 3. de quo vide Caiet. art. 10. citato in 2. 2. §. [Ad hoc dicitur.] Si autem conſideretur peccatum veniale inquantum eſt actus peccantis, & deficientis à ratione; ſub hac conſideratione eſſet quidem deſtructiuum Diuinæ maieſtatis, ſi eſſet in Deo; hoc tamen nõ prouenit ex eo, quod peccatum veniale importet malitiam infinitam in ratione offenſæ, ſed quoniam aliunde includit aliquid incompoſſibile cum Diuina maieſtate. Cum enim Deus ſit prima veritas, & prima regula totius bonitatis, impoſſibile eſt, quòd mẽdacium, vel aliud veniale peccatum ei competat. Sed hoc modo etiam qualitas, & quantitas ſi formaliter eſſent in Deo deſtruerẽt Deum: Nam Deus tunc non eſſet purus actus, neque omnino incorporeus, & ita non eſſet Deus.

Solutio. S. Th. 1. 2. q. 88. ar. 1 & 2. q. 24. a. 10. S. Thom.

Denique probatur concluſio, authoritate S. Thomæ 1. 2. q. 73. art. 9. vbi probat, grauitatem peccati creſcere ex magnitudine perſonæ contra quam peccatur, & idem innuit q. 18. art. 12 S. Thom.

18.ar.10.& 11. Vnde peccatũ mortale contra Regem eo eſt grauius, quo dignitas Regis eſt excellentior, & Deo magis coniuncta ratione officij, quàm dignitas Tribuni, vel hominis plebei. Cum ergo dignitas maieſtatis Diuinæ ſit infinita ſimpliciter, relinquitur, quòd offenſa cõmiſſa contra Deum in ratione iniuriæ, & offenſæ ſit ſimpliciter infinita. Per hæc facile diſſoluuntur argumenta facta à principio. Ad quinque priora reſpõdetur, quòd ſolum probant primam, & ſecundam concluſionem, quatenus verò militant contra tertiam, occurrendum eſt ſingulis.

13 AD primum reſpondetur, quòd S. Thomas non dixit ſimpliciter, & abſolutè, peccatum habere infinitatem, ſed [quamdam infinitatem,] vt ſignificaret, quòd in genere phyſico non habet infinitatem ſimpliciter, neque etiam in genere morali, vt eſt malum hominis, ſed ſolum, vt eſt offenſiuum Dei.

Ad ſecundum negatur conſequentia. Primo, nam peccatum quantum eſt ex parte ſua eſt deſtructiuũ Dei: viſio autem beatifica quantũ eſt ex parte ſua non eſt inſtauratiua Diuini eſſe. Quin potius illud præſupponit, vt cauſam obiectiuam, & efficientem ipſius viſionis beatificæ. Si fiat argumentum. Nam actus charitatis quantum eſt ex parte ſua, eſt inſtauratiuus Diuini eſſe, nam conſtituit Deum vltimum finem, & quantum eſt ex affectu diligentis Deum ſuper omnia, ſi Deus non eſſet Deus, faceret illum Deum. Reſpondetur, quod per actum charitatis diligit homo Deum non quantum diligibilis eſt, ſed ſecundũ ſuam capacitatem. Vnde actus charitatis procedens à perſona finita non habet tantam vim, & efficaciã, vt quantum eſt ex parte ſua reſtaurare poſſit totum damnum, quòd ſecundùm effectum peccans mortaliter intulit Deo. Nam infinitas Maieſtatis Diuinæ redundat in ipſum peccatum mortale in ratione offenſæ, & tribuit illi infinitatem in genere moris, vt dictum eſt. Infinitas autem obiecti viſi, vel dilecti per actum charitatis, non redundat in cõditionem ipſius actus, ſed ſolum eſt infinitas obiectiua, & extrinſeca vnde non eſt ſimile. Præterea actus charitatis, vt patebit infra, non reſtituit Deo rationem Patris, quam peccatum abſtulit, hæc enim reſtituitur formaliter per gratiam habitualem: vnde actus charitatis nõ reſtituit Deo formaliter totum honorem, quem peccatum abſtulit.

Ad tertium reſpondetur, Peccatum mortale habere infinitatem in ratione offenſæ ex parte auerſionis non quidem ſecũdum, quod auerſio eſt malum hominis peccantis, ſed quatenus eſt iniurioſa Deo, & malum Diuinæ Maieſtatis intentatum. 14 Ad impugnationem autem dicitur, ex eo quòd nihil immediatè opponitur Deo contrariè, vel priuatiuè, ſolum infertur, quòd nullum malũ poteſt illi inferri ſecundùm rem, nõ tamen deducitur, quòd non poſſit illi malum inferri ſecundùm affectum peccantis. Ad confirmationem reſpondetur, ſolum concludere, grauitatem peccati non eſſe infinitam ſecu[ndu]m entitatem phyſicam, quæ ſumitur ex conuerſione ad obiectum contrarium rationi, nõ autem probat, non eſſe infinitam in ratione offenſæ.

Ad quartum reſpondetur ex dictis, quod vnum peccatum eſt grauius altero ex parte obiecti, non au-

tem ex parte Diuinę maieſtatis,quę offenditur.

Ad quintum.reſpondetur, quòd vt peccatum mortale habeat infinitam malitiam in ratione offenſæ, non requiritur,quòd priuet creaturam rationalem omni bono tàm naturali, quàm morali, ſed ſufficit, quòd ſit contra infinitam Dei maieſtatem,vt dictum eſt.

Ad ſextum dicitur, quod ſatisfactio Chriſti fuit ſuperabundãs,quia non ſolum habuit infinitatem moralem ex parte oblationis offerentis: ſed etiam fuit ex parte rei oblatæ infinita ſimpliciter in eſſe entis,quam infinitatem non habet malitia peccati.

Ad confirmationem reſpondetur ſimiliter, quòd ex parte rei oblatæ multo magis placet Deo ſatisfactio Chriſti; quàm illi diſplicuerit peccatum: quia ex parte rei oblatæ ſatisfactio Chriſti fuit infinita ſimpliciter in eſſe entis: fuit enim verus Deus,& homo Agnus, qui pro nobis in Cruce immolatus eſt.

15 Ad alia argumenta facta pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd ſolum probant tertiam concluſionem: quatenus verò impugnant primam,& ſecundam occurrendum eſt ſingulis.

Ad ſeptimum,reſpondetur,quòd ex infinitate, quam habent peccata in ratione offenſæ, rectè colligit S. Thomas,eſſe neceſſariam ad condignam ſatisfactionem infinitatem perſonæ ſatisfacientis, vt ex perſona in ipſam ſatisfactionem redundaret valor infinitus in genere ſatisfactionis: ſicut ex infinitate Diuinæ maieſtatis redundat in ipſam offenſam malitia infinita ſimpliciter in ratione offenſæ.

Ad octauum, reſpondetur, quòd peccatum, vt eſt malum peccantis, non deſtruit totum bonum naturæ rationalis, vt ſupra dictum eſt. Et multo minus deſtruit ſub hac ratione bonum infinitum naturæ intellectualis Diuinæ, ſed ſolum quatenus eſt offenſiuum ipſius Dei.

Explicata iã grauitate offenſæ ad cuius reparationem neceſſarium fuit Verbum incarnari: conſequenter agendum eſt de ipſa ſatisfactione, ad quam Verbi Incarnatio, tanquàm ad finem proximum fuit ordinata. Et quoniam huiuſmodi ſatisfactio poteſt offerri ab ipſo Verbo Incarnato, & ab homine purò habente gratiam habitualem, de vtraque ſatisfactione erit diſputandum,& primo agendum eſt de ſatiſfactione Chriſti, deinde verò de ſatisfactione puri hominis.

DISPVTATIO QVARTA

Vtrum Chriſtus de condigno, & de toto rigore Iuſtitiæ ſatisfecerit pro peccatis generis humani.

IN HAC difficili 1
quæſtione eſt nobis duplex concertatio. Altera eſt cum Hæreticis, altera cum Catholicis. Ex Hæreticis quidam dixerunt, Chriſtum Dominum ſolum eſſe datum hominibus in legiſlatorem, & Doctorem,non autem in Redemptorẽ, qui pro peccato totius naturæ ſatisfaceret. Ita ſenſit Pelagius teſte Pelagius
Auguſtino lib.de Gratia Chriſti cõtra Pelagium, & Celeſtium cap. 2. & epiſt. 107. ad Vital. & lib.de Hæreſi-

reſibus ad Quod vult.hæreſi. 88.Fundamentum potiſſimum eius fuit, quoniam exiſtimauit, filios Adæ nullum contrahere peccatum originale. Et ex hoc intulit, naturam humanam non indigere Redéptore, ſed ſolum Legiſlatore, & Doctore, qui viam ſalutis demonſtraret, & ſua doctrina, atque exemplo ſuaderet hominibus, vt à malo declinarent, & facerent bonum. Eundem errorem ex parte ſequutus fuit Petrus Abailardus, quem refert, & impugnat Sanctus Bernardus epiſt. 190. & 194. & Caſtro lib. 4. Aduerſus Hæreſes, Verbo Chriſtus, Hæreſi. 8.

Bernard.

2 Sed hæc ſententia cum ſuo fundamento tanquam hæretica damnatur in Concilio Arauſicano Can. 1. & 2. & in Tridentino decreto de peccato originali Can. 1. & Seſſ. 6. de Iuſtif. Can. 21. vbi definitur, Chriſtum Ieſum à Deo datum eſſe hominibus in Redemptorem, & Legiſlatorem. Id quod etiam paſſim affirmat ſacra Scriptura locis adductis ab Alfonſo de Caſtro. Et nos diſp. 44. de Auxilijs latè oſtendimus, omnes deſcendentes ex Adam per ſeminalem propagationem verè contrahere peccatum originale: & per conſequens indigere non ſolùm Legiſlatore, & Doctore, ſed etiam Redemptore.

Secunda ſententia eſt Catholicorũ quorundã aſſerentium, ſatisfactionẽ Chriſti non fuiſſe ſimpliciter infinitam in ratione ſatisfactionis, neque ſecundum ſe condignam, & ab intrinſeco, neque ex toto rigore iuſtitiæ; ſed ſolum fuiſſe condignam ab extrinſeco videlicet ex gratuita Dei acceptione, qui ſatisfactione illa fuit cõtentus. Hanc tenet Scot. 3. d. 19. q. vn. §. in iſta quæſtione Gabr. d. eadem quæſt. ar. 1. Durandus. 3. d. 19. & 20. Ioa. à M. Med. C. de pœn. tract. 3. q. 1. de ſatisfact. Eamdẽ ſententiam defendit M. Vaſquez in hoc art. diſp. 7. cap. 2. & ſequẽtibus, Et habet pro ſe efficaciſſima argumenta.

Scotus.

Primo arguitur. Vera, & rigoroſa iuſtitia eſt ad alterum. Vnde Ariſt. 5. Etich. cap. 6. & S. Thomas. 22. q. 57. art. 4. ait, inter Patrem, & Filium non eſſe ſimpliciter iuſtum ſeu iuſtitiàm, ſed ſecundum quid, eo quòd filius non eſt omnino alter à Patre, cum ſit aliquid Patris. Sed Chriſti ſatisfactio non eſt perfectè ad alterum, etenim Chriſtus Dominus ſatisfecit Deo, & conſequẽter etiam ſatisfecit ſibi ipſi in quãtum Deus, Chriſtus autem non eſt alter ab ipſo Deo, cũ ipſe ſit Deus: nec etiam omnino alter à ſe ipſo in quantum homo, eo quòd eadem perſona Verbi verè eſt perſona Diuina, & humana: Cùm ergo Chriſtus in quantum homo ſatisfecerit Deo, & ſibi in quantum Deus, relinquitur, quòd eius ſatisfactio non fuerit de toto rigore iuſtitiæ.

S. Thom.

Secundo. Ad perfectam ſatisfactionem, ex iuſtitia neceſſario requiritur quòd fiat ex proprijs ipſius ſatisfacientis, in quantum ſatisfaciens eſt, ſed ſatisfactio Chriſti non erat ex proprijs perſonæ ſatisfaciẽtis, vt ſatisfaciens, ſed ex communibus tribus perſonis quibus fiebat ſatisfactio, ergo. non fuit ex iuſtitia. Minor probatur. Valor infinitus ſatisfactionis Chriſti deſumebatur ex infinita virtute Diuina, quæ communis eſt toti Trinitati, cui fiebat ſatisfactio. Cum enim ſatisfactio ſit opus ad extra, oportet, quòd omnis valor ipſius procedat à Deo tanquàm à prima cauſa efficiente, ſi-

cut

cut alia opera ad extra, quæ communia ſunt toti Trinitati: ergo valor ſatisfactionis Chriſti deſumitur ex parte illius, cui fit ſatisfactio.

Confirmatur eadem minor. Valor infinitus ſatisfactionis Chriſti deſumitur ex Verbo Incarnato non inquantum eſt ſuppoſitum humanū, ſed inquantum eſt ſuppoſitum Diuinum. Etenim in quantum eſt ſuppoſitum humanum, non habet infinitam virtutem, cum ſit eiuſdem rationis cum alijs hominibus, in quibus non eſt virtus infinita ad ſatisfaciendum Deo: ſed Verbum Incarnatum inquantum eſt ſuppoſitū humanum, erat ſatisfaciens Deo, & ſibi ipſi inquantum ſuppoſitum Diuinum, ergo valor infinitus ſatisfactionis Chriſti deſumebatur ex illo, cui fiebat ſatisfactio, & non ex parte ſatisfacientis, vt ſatisfaciens erat.

Vazq. c. 4 cit. n. 28. Tertio arguit M. Vaſquez. Homines pro peccato in Deum commiſſo non debebant ſatisfactionem Deo ex iuſtitia; ergo nec Chriſtus pro eis ſoluens potuit ex iuſtitia ſatisfacere, ſiquidem Chriſtus idem onus ſubijt ſatisfaciendi Deo, quod homines habebant: ergo ſi materia talis ſatisfactionis non fuit hominibus materia ſufficiens, vt ex iuſtitia Deo ſatisfacerent, non potuit etiam Chriſto eſſe.

Si dicatur; homines non potuiſſe ſatisfacere Deo ex iuſtitia, quia non potuerunt Deo reddere ęquale, Chriſtum autem potuiſſe ex iuſtitia ſatisfacere, quia reddere potuit æquale: contra hoc eſt

Quartum argumentum, Chriſtus non potuit ſubire aliam obligationem erga Deum pro offenſa, & peccato ab eis commiſſo, quam habebant homines, ipſe enim nullo alio titulo iuſtitiæ obligari poterat, niſi vt illorum debitum in ſe ſuſciperet, & perſolueret: ſi ergo homines non tenebantur obligatione iuſtitiæ ad ſolutionem, neque Chriſtus pro illis ſoluens obligatione iuſtitię ad id teneri potuit.

Quinto idem probat; Chriſtus non minus perfectè, nec alio modo ſatisfaceret Deo pro nobis, etiamſi pro nobis non ſpopondiſſet, quàm nunc ſatisfecit ſpondens pro nobis: atqui ſi non ſpopondiſſet, non ſatisfaceret ex iuſtitia: ergo neque nunc ex iuſtitia ſatisfecit. Minor probatur, quia ſicut de ratione iuſtitiæ eſt æqualitas ſeruanda cum alio, ita & debitum ſeruandi hanc æqualitatē: ſi autem Chriſtus non promiſiſſet pro nobis, nullo debito, & obligatione, teneretur ad ſatisfaciendum: ergo.

Sexto arguitur. Satisfactio de rigore iuſtitiæ elicitur, vel imperatur à virtute iuſtitiæ commutatiuę: dicit enim S. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 1. Quod reſtitutio eſt actus iuſtitiæ cō mutatiuæ; ſatisfactio autem pro iniuria eſt quędam honoris reſtitutio. vnde ſi ſatisfactio eſt perfecta, & ad æqualitatem, debet pertinere ad iuſtitiam commutatiuam: ſed ſatisfactio Chriſti non fuit elicita, vel imperata à virtute iuſtitiæ commutatiuæ, ergo. Minor probatur. In humanitate Chriſti nulla fuit virtus iuſtitiæ erga Deum, aliàs in puro homine eſſe poſſet virtus iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum. Cum enim ſubiectum immediatum virtutis nō ſit ſuppoſitum Diuinum, ſed humanitas, quæ in Chriſto, & in alijs hominibus eſt eiuſdem rationis, nullus virtutis habitus fuit in humanitate Chriſti, qui non potuerit eſſe in puro homine, ergo. 4 S. Thom.

Septi-

Septimo arguitur. Qui offenditur, tenetur ex iuſtitia acceptare ſatisfactionem condignam, & rigoroſam ſibi oblatam: ſed Deus non tenebatur ex iuſtitia acceptare ſatisfactionem Chriſti: ergo non fuit rigoroſa. Minor probatur. Nemo tenetur acceptare ſatisfactionem oblatam pro offenſa, niſi fiat ſecundùm leges iuſtitiæ ſtatutas, & acceptatas à Repub. vel à Principe. Etenim ſi eſſet lex, quòd committens crimen læſæ maieſtatis, vel aliud, ſuſpendatur: & pro criminoſo, ipſemet filius Regis vellet mortem pati, & quamcumque aliam ſatisfactionem offerre, Rex non tenetur illam acceptare; ſed lex erat ſtatuta
Gen. 2. à Deo Gen. 2. [In quacunque die comederis ex eo morte morieris,] ergo non tenetur ex iuſtitia Deus acceptare aliam ſatisfactionem, etiamſi Verbum Incarnatum ſe ipſum offerat, & moriatur pro genere humano, ſed talis acceptatio erit ex gratia.

Confirmatur. In Deo nulla potuit eſſe obligatio iuſtitiæ, qua teneatur ſatisfactionem Chriſti acceptare: nam, qui obligatur alteri, ſubijcitur illi, & eſt eo inferior, Deus autem non poteſt alicui ſubijci, vel eſſe inferior: ergo ex parte Chriſti nõ fuit perfecta iuſtitia, qua obligaret Deum, vt eius acceptaret ſatisfactionem. Probatur conſequẽtia, nam iuſtitia perfecta inducit obligationem in vtroque extremo, cum iuſtitia, vt definiunt Iuriſtæ, ſit vltro citroque obligatio.

5 Tertia ſententia eſt aliorum Theologorum, qui docent, ſatisfactionẽ Chriſti Domini poſſe dupliciter cõſiderari. Primo ex parte rei oblatæ: & ex hac parte, dicunt, fuiſſe ſimpliciter infinitam, & ſatisfactoriam ex perfecta iuſtitia: Quoniam Chriſtus ſeipſum verum Deum, & hominẽ obtulit in ſacrificio Crucis pro peccatis generis humani. Secundo ex parte ipſius oblationis, ſeu actus offerentis. Et ſecundum hanc rationem, ſentiunt, non fuiſſe ſimpliciter infinitam in genere ſatisfactionis, vel de condigno. Pro qua faciunt argumenta ſequentia.

Octauo arguitur. Humanitas Chriſti, & gratia habitualis fuerunt principium formale quo ſatisfactionis, cum ſuppoſitum Diuinum aut Deus ſecundùm ſe nõ potuerit aliquam operationem ſatisfactoriam elicere. Sed humanitas Chriſti erat finita, & ſimiliter gratia habitualis, ergo, & ſatisfactio. Probatur conſequentia, nam quantitas actionis ſumitur ex principio formali, quo agens agit, & limitatur per illud: ſicut calefacio, per calorem.

Nono arguitur. In Chriſto fuerunt plures actiones ſatisfactoriæ, vt ieiunium, oratio, atque charitas: ergo nulla illarum erat ſimpliciter infinita in genere ſatisfactionis. Probatur conſequentia, nam infinitum non poteſt eſſe, niſi vnum, vt docet Ariſt. lib. 1. de Cœlo, & Mundo cap. ſecundo, vbi probat, quod ſi daretur aliquod corpus infinitum, non poſſet aliud corpus dari, quia oporteret, quòd illud infinitum haberet quicquid pertinet ad rationem corporis. Et propter eamdem rationem Sanctus Thom. p. p. q. 11. art. 3. in corp. in 2. argumento probat, Deum eſſe vnum, quia eſt infinitus. ergo.

Decimo arguitur. Redemptio generis humani non fuit facta niſi per ſacrificium Crucis, in quo ex parte rei oblatæ ſatisfactio fuit infinita;

finita: Ergo ex parte oblationis non erat ſatisfactio Chriſti infiniti valoris, neque ad æqualitatem: & conſequenter per illam non ſatisfecit ex rigore iuſtitiæ. Probatur conſequentia: nam aliàs ieiunium Chriſti, & effuſio vnius lacrimæ fuiſſet infiniti valoris, & per ieiunium vel aliud opus redemiſſet genus humanum, & ſatisfeciſſet ex iuſtitia pro culpa, antequam mortem ſubiret, quod eſt contra Sanctum Thomam infra q. 48. & 49. & contra illud Ioan. 11. [Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.] **S. Thom.**

Quarta ſententia affirmat, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe abſolutè loquendo, & abſque vlla diſtinctione infiniti valoris, & ſecundum ſe condignam, atque ex iuſtitia. Hanc interdit docere Sanctus Thomas in ſolutione ad 2. huius articuli, & infra q. 48. art. 2. & lib. 4. contra Gent. cap. 54. & 55. Hanc etiam docet Alex. 3. p. q. 1. memb. 4. & S. Bonauent. 3. d. 3. art. 1. & Sotus 4. d. 19. q. 1. & communiter Thomiſtæ, qui aſſerunt ex mente Sancti Thomæ, ſatisfactionem Chriſti eſſe ex toto rigore iuſtitiæ. Ita docent expreſſe Capreolus in 4. diſtinct. 15. q. 1. art. 3. ad primum Aureolus contra primam concluſionem. Ferrarienſis. 4. contra gentes cap. 55. Andreas de Vega lib. 7. ſuper Concilium Tridentinum cap. 8. & 9. M. Suarez in hoc art. diſp. 4. Sect. 4. M. Cabrera diſp. 5. §. 4. Sed tamen in modo explicandi hanc ſententiam, & ſenſum Sancti Thomæ non omnes conueniunt. Aſtur. in lib. de gratia Chriſti q. 5. concl. 2. pag. 269. & 289. opinatur, ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe elicitam, vel regulatam à virtute iuſtitiæ commutatiuæ, nec ab vnica dumtaxat virtute, ſed à pluribus, vt à virtute fortitudinis, temperantiæ, Religionis. Idem ſentit Vazquez diſp. 7. c. 6. n. 45. Hoc probat Aſturic. 3. argumento ex factis à principio, & alijs, quæ infra adducentur. Alij verò grauiſſimi Thomiſtæ ſentiunt, in Chriſto Domino fuiſſe virtutem iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum, quatenus pro peccato generis humani ſatisfecit, & cõſequenter eius ſatisfactionem in genere ſatisfactionis elicitam fuiſſe regulatã, vel imperatam à virtute iuſtitiæ commutatiuæ, loquendo de Imperio largo modo, quoniam virtus inferior non imperat ſtrictè loquẽdo actum virtutis ſuperioris, ſed ab ea quodammodo auxilium petit. Et quoniam hæc ſententia videtur probabilior, & maximè commendare, & extollere ſatisfactionem Chriſti, ideò à nobis explicanda eſt, & defendenda. **S. Thom.** **Aſtur.**

Pro huius intelligentia ſupponendum eſt, non eſſe ita extollendam paſſionem, & ſatisfactionem Chriſti, vt negetur neceſſitas operum, & ſatisfactionis noſtræ, ſicut negauit impius Lutherus, qui in ſermone de pœnitentia, [Poſt peccata,] inquit [etiam grauiſſima ſatisfactio nulla facienda eſt à nobis, nè ſatisfactioni Chriſti derogemus,] quod etiam aſſeruit Melancthon in prima editione locorum communium cap. de pœnitentia, & Caluinus lib. 3. inſtit. cap. 4. §. 25. & 30. Hæc tamen ſententia hæretica eſt, & contra maniſeſtiſſima loca Scripturæ; Nec extollit ſatisfactionem Chriſti, ſed magnam irrogat ei iniuriam, nam facit eam velamen iniquitatis noſtræ, quod non licet, iuxta illud 1. Petri 2. [Quaſi liberi, & non **Lutherus** **Melãcthõ** **Caluinus** **1. Pet. 2**

Digitized by Google

non quaſi velamen habentes malitiæ, libertatẽ.] Vnde idẽ Apoſt. c. 4. ſubdit [Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.] Contra iſtos Hæreticos loquitur
Cōc. Tri. Cocil. Trid. ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 8. & 9. vbi eos arguit, quòd ſummo pietatis prætextu, neceſſitatem ſatisfactionis noſtræ abnegarunt; vide Conc. Mogunt. 4. Can. 23. & 30. Contra eamdem hæreſim ſcribit optimè, & diffuſè Thæſaurus Catholic. Tom. 2. lib. 7. de pœnit. art. 4. Et frater Petrus Creſpecius in ſumma Catholicæ fidei, verbo ſatisfactio, & Sot. in 4. d. 19. q. 1. ar. 3. Hoc ſuppoſito ſit

8 PRima cōcluſio. Satisfactio Chriſti fuit ex iuſtitia verè, & propriè. Iſta concluſio ab omnibus Catholicis conceditur, & probatur manifeſtiſſimis locis Scripturæ.
1. Cor. 1 Dicitur enim 1. Corinth. 1. [Factus eſt nobis Iuſtitia, ſanctificatio, &
Rom. 3. Redemptio] & Rom. 3. [Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine eius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti.]
Iſa. 10. Et Iſaiæ 10. [Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam] (ideſt inundare faciet.) Conſummationẽ enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ:] Quæ verba de ſatiſfactione Chriſti, per quam Deo ſatisfecit pro offenſa intellig ũtur, vt oſtendimus ſuper cap. 10. Iſaiæ n. 10 Ex his locis deſumitur argumentũ; Verba Scripturæ, iuxta regulam
Auguſt. S. Auguſtini, & Ticonij, intelligenda ſunt in ſermonis proprietate, quando alius locus Scripturæ non obſtat, nec ſequitur manifeſta repugnantia: ſed Scriptura ſacra affirmat, Redemptionem qua ſuo ſanguine Chriſtus pro culpa noſtra ſatisfecit, & à poteſtate Diaboli liberauit, fuiſſe ex iuſtitia; & ex alia parte non obſtat alius locus Scripturæ, neque ſequitur aliqua repugnantia, ex eo quòd intelligantur de iuſtitia proprie ſumpta. ergo.

SEcunda concluſio. Satisfactio Chriſti fuit ex iuſtitia perfecta 9
ſiue ex toto rigore iuſtitiæ. Hæc concluſio eſt contra Auctores 2. ſẽtentiæ, aſſeritur tamen à defenſoribus 4. quam etiam ſequitur M. Medina infra q. 48. art. 2. Med. 22.
Probatur locis Scripturæ adductis, quæ aliquid amplius tribuũt ſatisfactioni Chriſti, quam competere poſſit ſatisfactioni puri hominis ex gratia Diuina, aut eius merito. Conſtat autem, ſatisfactionem puri hominis fundatam in gratia eſſe ſatisfactionem ex iuſtitia imperfecta, vt patebit Diſputatione ſequenti: ſicut etiam meritum illius reſpectu beatitudinis eſt ex iuſtitia imperfecta; cum retributio correſpondeat illi ex iuſtitia conſimili, iuxta illud 2. ad Timoth. 4. [De reliquo re- 2. Thim 4
poſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus, in illa die iuſtus iudex;] ergo ſatisfactio Chriſti fuit ex iuſtitia perfecta, ſiue ex toto rigore iuſtitiæ. Confirmatur; nam aliàs ad ſatisfaciendum ex iuſtitia perfecta pro culpa, vel ad reparandum genus humanum ex toto rigore iuſtitiæ, non fuiſſet ſimpliciter neceſſaria Verbi Incarnatio, quia ex iuſtitia imperfecta fundata in gratia, & liberali Dei acceptatione purus homo potuit ſaltẽ de potẽtia Dei abſoluta ſatiſfacere

10 pro culpa. Vt patebit infra.

Secundo probatur; reddendo rationem à priori huius concluſionis: Satisfactio, quæ nullam præſupponit gratiam factam perſonę ſatisfacienti, neque initiur gratiæ factæ eidem perſonæ, eſt ſatisfactio de toto rigore iuſtitiæ; propterea namque ſatisfactio puri hominis, & meritum illius non eſt de toto rigore iuſtitiæ, quia preſupponit gratiam factam homini ſatisfacienti, vel merenti, & in eadem gratia fundatur. Sed ſatisfactio Chriſti non fundatur in aliqua gratia facta perſonæ ſatisfacienti, neque initiur gratiæ eidem perſonæ factæ: nam perſona ſatisfaciens fuit verbum Diuinum, cui nulla poteſt fieri gratia, cum ſit Dominus omnium, ſicut eſt Pater, & Spiritus ſanctus. Vnde ad Philippen. 2. dici- Philip. 2. tur de Chriſto. [Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo;] ergo fuit ex toto rigore iuſtitiæ. Confirmatur. Tota gratia, quæ interuenit in hoc myſterio, & in Redemptione noſtra, facta eſt naturæ humanæ, ergo perſonæ aſſumenti naturam, in qua ſatisfecit, nulla prorſus gratia facta eſt.

11 Tertia concluſio. Satisfactio Chriſti fuit infiniti valoris, ſeu condigna, & ex toto rigore iuſtitiæ, tum ex parte rei oblatæ, tum etiam ex parte oblationis offerentis. Hæc concluſio quo ad primam partem probatur; Nam res oblata in ſacrificio Crucis fuit ſimpliciter infinita. Oblatus enim eſt verus Deus, & homo Chriſtus Ieſus. Vnde Clem. VI. in extrauaganti vnigenitus, de pœnitentijs, & remiſſionibus ait, quod gutta ſanguinis modica propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet. ergo. Quo ad ſecundam partem eſt cōtra Authores 3. ſententiæ. Probatur tamē authoritate Apoſtoli ad Hæbr. 5. *Hebr. 5* [Cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia.] Quaſi diceret. non ſolum exauditus eſt, & homines Deo reconciliauit Chriſtus ratione rei oblatæ, ſed etiam quoniam humilē reuerentiam Deo exibuit, vt explicat S. Tho. ſup. cap. 5. ad Hæbr. lect. 1. in fine, vbi id intelligit de reuerentia [quam Chriſtus ſuper omnes habebat ad Deum ſecundum illud Iſaię 11. & repleuit eum ſpiritus timoris Domini] Cui congruit illud Philip. 2. [Humiliauit ſe factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomē] Id eſt, propter humilitatem, obedientiam, & reuerentiam, qua ſe ipſum obtulit Deo Patri. Reuerentia autem pertinet ad oblationem offerentis. Idem videtur inſinuaſſe Redemptor noſter Matth. 3. cum dixit ad Ioan. [Sine modo, ſic *Matth. 3* enim decet nos implere omnem iuſtitiam.] Quibus verbis ſignificaſſe videtur, iuſtitiam, qua Deo pro culpa ſatisfecit, non ſolum fundari in infinitate rei oblatæ, ſed etiam in valore humilitatis, obedientiæ, & oblationis ipſius offerentis.

12 Præterea probatur ratione. Sicut offenſa eo eſt maior, quo perſona, quæ offenditur eſt excellentior, ita humiliatio, & ſatisfactio pro eadem offenſa augetur ſecundum maiorem dignitatem ſatisfacientis & ſe humiliantis. Sed perſona offerens ſatisfactionem erat ſimpliciter infinita, vt potè Deus, & homo,

Digitized by Google

mo, ergo etiam ex parte ipſius oblationis ſatisfactio Chriſti fuit infiniti valoris, & ex toto rigore Iuſtitiæ.

Confirmatur, & explicatur vis huius argumenti. Dignitas perſonæ offerentis ſatisfactionem, & ſe humiliantis non ſe habet concomitanter, & per accidens in ordine ad valorem operis ſatisfactorij: nam qui per ſuam operationem ſatisfacit alteri, non ſolum offert illi, & ſubijcit ei ipſam operationem, ſed etiam ſe ipſum. Vnde genuflexio Regis pluris extimatur in ratione humiliationis, & ſatisfactionis, quàm genuflexio militis. Cum ergo perſona Chriſti ſit infinitæ dignitatis, relinquitur, quòd eius ſatisfactio pro culpa, & humiliatio, qua obediuit vſque ad mortem, ſit dignitatis, & valoris infiniti moraliter loquendo in genere ſatisfactionis.

13 QVarta cõcluſio. Satisfactio Xpi in ratione ſatisfactionis elicitur, imperatur, vel regulatur à virtute iuſtitię commutatiuę. Concluſio eſt contra Vazquez. diſp. 7. cap. 6. nu. 49. & contra Aſturicenſem, vbi ſupra concluſ. 2. aſſeritur tamen ab alijs doctiſſimis Thomiſtis. Probatur primo. Loca Scripturæ, quæ ſatisfactionem Chriſti maximè commendant, commodius explicantur, ſi aſſeratur, eius ſatisfactionem elicitam eſſe, vel regulatam à virtute Iuſtitiæ commutatiuæ. Dicitur enim 1. Cor. 6. [Empti eſtis pretio magno.] Et Pſalm. 129. [Copioſa apud eum redemptio.] emptio autem, & redemptio pertinent ad iuſtitiam commulatiuam. Item alijs in locis ſupra adductis habetur, ſatisfactionẽ Chriſti fuiſſe ex iuſtitia perfecta; Iuſtitia autem perfecta eſt iuſtitia commutatiua. Inſuper eſt ad idem alius locus in Pſalm. 88. vbi iuxta interpretationem ſancti Auguſtini, loquitur Pſalmiſta de Iudæis, & gentibus exprobrantibus paſſionem Chriſti, cum ait. [Exprobrauerunt inimici tui Domine, exprobrauerunt commutationem Chriſti tui.] Quo in loco mors Chriſti dicitur commutatio, quia per illam commutati ſumus de morte ad vitam, vt ſuper eumdem Pſalm. & in tit. Pſal. 44. explicat idem Auguſtinus. Nomen commutationis importare etiam videtur modum, quo Chriſtus per mortem ſuam nos ex iuſtitia à poteſtate Dæmonis liberauit, & Deo pro peccato generis humani ſatisfecit. Hinc eſt, quod titulus Pſalm. 68. in quo ad literam agitur de Paſſione Chriſti, inſcribitur [In finem pro his, qui commutabuntur.] quia videlicet per Paſſionem Chriſti dato pretio ſanguinis, ex Iuſtitia commutatiua redempti ſumus: & ex eadem Iuſtitia ſatisfactum eſt Deo pro offenſa.

1. Cor. 6 *Pſ. 129* *Pſal. 88* *Pſal. 68*

Secundo probatur ratione. Satiſfactio Chriſti eſt ex iuſtitia perfecta, vt ſupra dictum eſt, ergo vel pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, vel commutatiuam. Probatur conſequentia: nam ſpecies iuſtitiæ particularis ſunt tantum duæ, ſcilicet diſtributiua, & commutatiua, vt docet Ariſt. 9. Ethic. cap. 2. & ſanctus Thomas 2. 2. q. 61. ar. 1. & p. p. qu. 21. ar. 1. in corp. Aliæ namque virtutes ad alterum, vt religio, pietas, obſeruantia, &c. non ſunt partes ſubiectiuæ Iuſtitiæ, ſed partes eius potentiales, & imperfectæ; vt ait Sanctus Thomas 2. 2. q. 80. art. vn. Sed ſatisfactio Chriſti non pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam eliicitiuè, 14

S. Thom.

tiuè, vel imperatiuè: ergo pertinet ad commutatiuam. Minor probatur. Nam, vt ait S. Tho. 1. p. q. 21. art. 1. [diſtributiua iuſtitia dicitur ſecundũ quòd aliquis Gubernator, vel Diſpenſator bonorum communium dat vnicuique perſonæ particulari ſecũdùm ſuam dignitatem:] ſicut enim iuſtitia legalis ordinat bonum partis ad bonum totius; ita iuſtitia diſtributiua ordinat bonum totius ad bonum partis: ſed ſatisfactio Chriſti pro offenſa non ordinat bonum totius ad bonũ partis; ergo non pertinet elicitiuè, vel imperatiuè ad iuſtitiam diſtributiuam. ergo pertinet ad commutatiuam.

15 Tertio. Recompenſatio, quam facit diſtributor ei, cui dedit minus quàm debuit, pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, vt ait S. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 1. ad 3. quoniam iuſtitia commutatiua facit æqualitatem rei ad rem: non tantum in commutationibus, ſed etiam in iniurijs: ergo recompenſatio iniuriæ illatæ, quæ fit ad æqualitatem, & ex proprijs, atque aliàs indebitis, qualis eſt recompenſatio Chriſti Domini, eſt recompenſatio elicita, vel imperata à iuſtitia commutatiua.

Quarto. Satisfactio Chriſti elicitur, vel imperatur ab aliqua virtute, ſed non ab alia, niſi à virtute iuſtitiæ commutatiuæ: ergo. Minor probatur, nam talis ſatisfactio non eſt à virtute pœnitentiæ, vt quidam volunt, etenim in Chriſto nulla fuit, nec eſſe potuit virtus pœnitentiæ, vt expreſſe docet S. Thomas infra q. 84. ar. 7. ad 4. & in 3. ſent. d. 13. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 2. eo quod in Chriſto nullum potuit eſſe peccatum proprium, quod eſt neceſſaria materia pœnitentiæ. Nec etiam eſt à virtute religionis, nam religio reddit Deo cultum debitum pro beneficijs acceptis, non autem pertinet ad religionem propriè loquendo ſatisfacere pro delictis. Nec poteſt aſſignari alia ſpecialis virtus ad quã eiuſmodi ſatisfactio Chriſti Domini pertineat: ergo. Reſpondet Vaſquez nu. 49. allegato, nullam eſſe peculiarem virtutem in Chriſto ad ſatisfaciendum, aut merendum hoc modo pro nobis, & aſſignat rationem: quia ſicut in nobis non eſt virtus peculiaris, qua velimus bonis operibus, & meritis emere nobis cælum, ſed ipſis bonis operibus, quæ ad varias pertinent virtutes, illud emimus: ita eadẽ ratione non eſt in Chriſto peculiaris virtus conſtituenda ad emendum nobis gratiæ dona, ſed bonis operibus, quæ pro nobis obtulit ex beneuolentia, & miſericordia erga nos, id effecit. Reſpondet ſecundo. Quòd etiamſi in Chriſto eſſet virtus illa ſpecialis conſtituenda, non opus erat Chriſto ex illius peculiari affectu operari, ita vt diceretur, per merita ſua oblata pro nobis ſecundum rigorem ſatisfacere: nam hoc ipſo; quod ex affectu charitatis poſtularet pro nobis à Deo gratiam illam, condignè ſecundum rigorem mereretur; & ita ſecundum rigorem diceretur eã nobis emere, & pro nobis ſatisfacere, vt cum Deo reconciliaremur. Sed neutra ſolutio videtur ſufficiẽs. Contra primam arguitur. Quando plures actus virtutum ordinantur ad vnum, & eumdem finem, oportet ponere aliquam ſpecialem virtutem, quæ illos ordinet, & dirigat ad eumdem finem; Hac enim ratione ſanctus Thomas 2. 2. q. 58. ar. 5. in corp. conſtituit ſpecialem virtutem iuſtitiæ legalis, vt videlicet ordinet ad bonum commune actus aliarum

Reſpõſio

Impugnatio.

S. Thom.

S. Thom.

virtutum, eo quod iuſtitia legalis per ſe primò reſpicit bonum commune tamquam finem proprium, & obiectum: virtus autem, ad quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad quas pertinent ea, quæ ſunt ad finem, vt ait ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 81. art. 1. ad 1. Sed in Chriſto plures actus virtutum ſunt ordinati ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa generis humani, vt actus temperantiæ, ieiunij, humilitatis, obedientiæ, religionis, &c. Ergo oportet ponere aliquam vnam virtutem in Chriſto, quæ tales actus dirigat ad illum finem. Sed non poteſt alia virtus aſſignari, quæ id efficiat, niſi iuſtitia commutatiua, cuius finis proprius eſt recompenſare iniuriam, vel damnum illatum, vel intentatum non ſolum in pecunijs, ſed etiam in honore: ergo.

16 Prima ſolutio. Ad hoc argumentum duplex ſolet adhiberi ſolutio. Prima eſt, quòd ſicut moralis dignitas gratiæ Chriſti, & valor infinitus illius eſt perſonalis, & non propriè formalis, quia immediatè ſumitur ex ſola infinita dignitate ſuppoſiti Diuini: neque habet aliam regulam, vel menſuram, præter ipſam dignitatem ſuppoſiti: ita perfectio moralis, & infinitas ſatisfactionis Chriſti nullam potuit aliam habere regulam præter infinitatem eiuſdem ſuppoſiti: vnde ſuperfluè poneretur in Chriſto iuſtitia commutatiua, vt ab ea eliciatur, vel reguletur operatio ſatisfactoria Chriſti pro culpa. Sed hæc ſolutio non euacuat vim argumenti, nam, licet tamquam à prima radice, infinita perfectio moralis ſatisfactionis Chriſti ſolum proueniat ab infinitate ſuppoſiti: adhuc tamen oportet aſſignare aliquam virtutem in Chriſto, quæ dirigat opera aliarum virtutum ad hunc finem, ſcilicet ad ſatisfaciendum Deo. Nec eſt eadem ratio de gratia habituali: nam gratia eſt habitus, & non actus ſatisfactorius, neque ordinatur per ſe primò ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa, ſed, vt anima Chriſti, eiuſque humanitas, quæ per ſuam eſſentiam non erat Diuina, fieret Diuina formaliter ſecundum participationem gratiæ, vt infra quæſt. 7. ar. 1. ad 1. docet S. Thomas.

Impugnatur.

17 Secunda ſolutio. Secunda ſolutio eſt, quòd alia opera ſatisfactoria Chriſti ordinabantur, & dirigebantur ad ſatisfaciendum Deo pro culpa per virtutem charitatis, vt ait M. Vaſquez in ſecunda ſolutione præcedentis argumenti, aut vero, vt alij exiſtimant, per virtutem religionis, ſicut in nobis diriguntur per virtutem pœnitentiæ. Sed contra hanc ſolutionem eſt efficax argumentum. Virtus charitatis non reſpicit Deũ, vt offenſus ab homine, neque inquantum eſt illi offerenda ſatisfactio pro iniuria, ſed in quantum eſt bonus in ſe ipſo, aliàs enim abſque ſpeciali virtute pœnitentiæ per ſolam virtutem charitatis poſſet homo Deo ſatisfacere pro culpæ iniuria, & ad hunc finem dirigere actus aliarum virtutum, quod eſt contra omnes Theologos. Eodem argumento concluditur, quod talis directio non pertineat ad virtutem religionis, nam, vt iam dictum eſt, iſta virtus non reſpicit tamquam finem proprium, ſatisfactionem, ſeu recompenſationem pro offenſa, cum ſolum habeat pro fine exhibere reuerentiam de-

Impugnatur.

bitam ratione excellentiæ Diuinæ, quatenus videlicet eſt primum principium Creationis, & Gubernationis rerum, vt ait ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 81. ar. 3. & 4. Aliàs enim per virtutem religionis poſſet pœnitens Deo ſatisfacere pro iniuria. Præterea, ſi per virtutem religionis actus aliarum virtutum ordinantur ad ſatisfaciendũ Deo pro offenſa, ſequeretur, ſatiſfactionem Chriſti non fuiſſe ex iuſtitia perfecta, ſed imperfecta: nam religio pars imperfecta, & potentialis eſt iuſtitiæ, vt docet ſanctus Thomas 2. 2. q. 80. ar. vnico. Et per hæc manet ſatis impugnata poſterior ſolutio quarti argumenti principalis ſuperius aſſignata. *S. Thom.*

18 Denique probatur concluſio argumento ad hominem: nam, vt fatentur Auctores oppoſitæ ſententiæ, actio Chriſti ſatisfactoria in eſſe morali conſiderata continet formalitèr rationem iuſtitiæ: nam habet omnes conditiones neceſſariò requiſitas ad perfectam iuſtitiam, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum: ergo eſt elicita, vel imperata, aut regulata à virtute iuſtitiæ. Probatur conſequentia, nam impoſſibile eſt, quòd aliquis actus habeat rationem formalem alicuius virtutis, & non ſit elicitus, vel imperatus, aut regulatus ab eadem virtute. Non enim eſt imaginabilis alius modus, quo ratio formalis virtutis alicuius ſit in aliquo actu, niſi quatenus ille actus elicitur, vel imperatur, aut regulatur ab illa virtute.

19 AD primum argumentum ex factis à principio quidam reſpondent, Chriſtum ſatisfeciſſe Deo Patri, à quo perſonaliter diſtinguitur, & ita ſaluant eius ſatisfactionem fuiſſe ad alterum diſtinctum perfecta diſtinctione perſonali. Probant hoc ex illa extrauaganti [Vnigenitus] de pœnitentijs, & remiſſionibus, vbi Clemens Sextus ait, Dei filium aſſumpſiſſe naturam humanam, vt haberet vnde hominem lapſum redimeret, & pro illo Deo Patri ſatisfaceret. Item ad Epheſ. ſecundo. [Per quem habemus acceſſum ad Patrem.] Et primæ Ioann. 2. [Aduocatum habemus apud Patrem Chriſtum Dominum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.] Ex his enim locis colligi videtur, alterum extremum, cui facta eſt ſatisfactio à Chriſto, fuiſſe dumtaxat Deum Patrem. Hæc tamen ſententia non poteſt admitti, nam offenſa per ſe primò facta eſt Deo, eiuſque maieſtati, & bonitati infinitæ, quæ, cum ſint eſſentialia, communia ſunt tribus perſonis; ergo & ſatisfactio per ſe primo debuit fieri Deo, vt communi tribus perſonis, & quaſi ſecundario ipſis perſonis in quibus reperitur Deitas, & Maieſtas Diuina: & ad rationem factam reſpondetur, eſſe familiare in ſacris literis, ea quæ important excellentiam, & dignitatem, ſeu maieſtatem attribuere Patri, quamuis communia tribus perſonis exiſtant. Nam Pater eſt principium ſine principio perſonarum procedentium. Et quoniam ſatisfactio pro culpa offertur Deo in quantum eius infinita maieſtas paſſa eſt iniuriam per culpam, ideò Summus Pontifex; & Scriptura per quamdam accommodationem dicunt, ſatiſfactionem fuiſſe factam Deo Patri: quamuis in rei veritate, non ſolum Patri fuerit facta, ſed Deo, vt communis eſt tribus perſonis, & con- *Eph. 2.* *Ioan. 2.*

conſequenter etiam facta fuerit Filio, & Spiritui ſancto.

20 Aliter ergo reſpondetur ad argumentum, quòd vt ſatisfactio ex iuſtitia, quæ reperitur inter perſonas creatas, ſit perfecta, ſiue ex iuſtitia perfecta, requiritur, quod ſit ad alterum perfectè diſtinctum ſecundùm ſuppoſitū, quia ſine hac diſtinctione non poſſet ſaluari inter duo extrema, perfecta diſtinctio naturarum, & volūtatum videlicet inter ſatisfacientem, & eum cui ſit ſatisfactio; quæ tamen diſtinctio intrinſecè requiritur ad perfectam iuſtitiam. In nullo enim ſuppoſito creato poſſunt conuenire duæ naturæ, vel duæ voluntates realiter diſtinctę: quoniam vt patebit infra, nullum ſuppoſitum creatum, etiam per potentiam Dei abſolutam poteſt duas ſuſtentare naturas: & propterea inter Patrem, & Filium in humanis non eſt perfecta iuſtitia in his, in quibus Filius dependet à Patre, nam omnia quæ ſunt Filij, accepta ſunt à Patre per voluntariam, & gratuitam communicationem, & ideò voluntas Filij in his in quibus à Patre dependet reputatur voluntas eiuſdē Patris. Vnde, quamdiu non eſt emancipatus, nullum poteſt per ſeipſum actum perfectæ iuſtitiæ exercere, præſertim cōparatione Patris, aut illi reddere æquiualens, vel adæquans eſſe naturale, quod à Patre gratuita cōicatione accepit, propter quod ait Ariſt. [Dijs, parentibus, & magiſtris æquale reddere non valemus.] Cæterum, quando in eadem perſona ſunt duæ naturę realitèr diſtinctæ, habentes diſtinctas voluntates; per quas poſſint actum iuſtitiæ exercere; ſufficit diſtinctio ſuppoſitorum ſecundùm rationem, vt ex hac parte ſaluetur perfecta iuſtitia; Perſona autem Chriſti Domini quamuis non diſtinguatur realiter à natura Diuina ſubſiſtente, neque à perſonalitate Verbi: nihilominus Chriſtus, ſeu Perſona Chriſti in quantum homo ratione diſtinguitur à Deo, & ſimilitèr à perſonalitate Verbi in quantum ſubſiſtit in natura Diuina, vt infra quæſtione 4. docet ſanctus Thomas. Inter naturam autem humanam, in qua Verbum ſatisfaciebat, & ipſum Deum, erat realis diſtinctio cum diſtinctione voluntatum: nam diuina voluntas, & humana Chriſti realitèr diſtinguuntur: vnde eius ſatisfactio habet omnia requiſita ad perfectam iuſtitiam quantum eſt ex parte ordinis ad alterū. Cum ergo in ſatisfactione Chriſti concurrant aliæ conditiones perfectæ iuſtitiæ, relinquitur, eamdem ſatisfactionem fuiſſe de toto rigore.

S. Thom.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd valor infinitus ſatisfactionis Chriſti non deſumebatur ex infinita virtute Diuina, vt talis virtus erat communis toti Trinitati, cui fiebat ſatisfactio, ſed ex infinitate Perſonæ Verbi, quæ in natura aſſumpta ſatisfaciebat Deo. Etenim ſuppoſitum Verbi ſubſiſtentis in natura humana, 21 quatenus terminabat per ſe ipſum naturam humanam, erat proximum principium principale, quod, eliciens eamdem ſatisfactionem, Deus autem vt communis toti Trinitati habebat influentiam generalem, vt cauſa prima in eamdem ſatisfactionem, ex qua quidem influentia generali non deſumebatur infinitus valor eiuſdem ſatisfactionis. Vnde ex parte perſonæ ſatisfacientis, vt ſatisfaciens erat, talis ſatisfa-

ctio habebat valorem infinitum.

Poteſt hæc ſolutio optimo exemplo confirmari. Sicut enim eſſentia Diuina cõmunis eſt tribus perſonis, non tamen eſt principium formale quo generationis Verbi ſecundùm quòd eſt communis omnibus perſonis, ſed prout eſt in Patre, qui ſolus generat Filium: Ita proportionabiliter in præſenti dicendum eſt, quòd, quamuis virtus Dei infinita ſit communis tribus perſonis, tamen hæc virtus non tribuit formaliter infinitum valorem in genere moris ſatisfactioni Chriſti, vt eſt virtus communis tribus perſonis, ſed in quantum eſt in ſuppoſito Verbi ſubſiſtentis in natura humana, cuius Verbi erant ſpeciali quadam ratione operationes ſatisfactoriæ, vtpotè à ſuppoſito Verbi ſubſiſtente in natura humana immediatè elicitæ. Cum ergo Verbum Diuinum in natura aſſumpta Deo ſatisfecerit, relinquitur, quòd valor infinitus ſatisfactionis Chriſti deſumatur ex perſona ſatisfaciente, vt ſatisfaciens eſt.

22 Ad confirmationem reſpondetur, quòd idem ſuppoſitum Diuini Verbi eſt ſecundum rem ſuppoſitum Diuinæ naturæ, & humanæ, quamuis ſecundum rationem ſit diſtinctum. Eſt enim ſuppoſitum Diuinum, vt terminat naturam Diuinam, & eſt ſuppoſitum humanũ, vt terminat naturã humanã: Quando ergo Verbum Diuinum operatur per naturam Diuinam, ſiue vt terminat naturam Diuinam, dicitur operari, vt ſuppoſitum Diuinum, ſicut operatus eſt in creatione mundi, & quotidie operatur in eius conſeruatione, & gubernatione; nam iſtæ operationes, & aliæ huiuſmodi competunt Deo, & omnibus perſonis ratione naturæ Diuinæ. Cæterum quando Verbum Diuinum operatur per naturam humanam tamquã per principium formale, quo, tunc dicitur operari in quantum terminat naturam humanam, ſiue vt ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana. Quia ergo opera ſatisfactoria procedebant à Verbo mediante natura humana, quæ erat principium formale, quo, operationis ſatisfactoriæ, ideò Chriſtus de rigore iuſtitiæ ſatisfecit in quantum ſuppoſitum humanum, hoc eſt, in quantum ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana, ſiue in quantum Deus homo. Nam quatenus ſuppoſitum Diuinum, ſiue vt Deus pertinebat ad alterum extremum, cui fiebat ſatisfactio; & ſecundùm quòd Deus ſubſiſtens in natura Diuina acceptabat cum alijs perſonis ipſam ſatisfactionem. Ad impugnationem factam in argumento: nam Chriſtus, vt ſuppoſitum humanum, erat eiuſdem rationis cum alijs hominibus: Reſpondetur, quòd, ſuppoſitum humanum importat duo, ſcilicet rationem ſubſiſtendi, quæ eſt humanitas, & id quod ſubſiſtit in natura humana. Quantum ergo ad rationem ſubſiſtendi perſona Chriſti erat eiuſdem rationis cum alijs hominibus: nam eius humanitas erat eiuſdem ſpeciei cum humanitate noſtra. Cæterum id, quod ſubſiſtebat, erat diuerſæ rationis; nam ſuppoſitum Chriſti ſubſiſtens in humanitate erat increatum, ſuppoſitum autem aliorum hominum eſt creatum; vnde, quamuis ratio ſubſiſtendi ſcilicet humanitas eſſet in Chriſto finita, tamen, quia ſuppoſitũ ſubſiſtẽs in humanitate erat infinitũ,

ideò

ideò ex hac parte potuit ſatisfactio Chriſti habere valorem infinitum, videlicet ex parte ſuppoſiti ſatisfacientis, quamuis non ex parte naturæ aſſumptæ.

23 Ad tertium reſpondetur, hominem, qui peccauit non potuiſſe Deo ſatisfacere ex iuſtitia perfecta, ſeu cōdignè pro peccato cōmiſſo, quia non potuit Deo ſatisfacere ex proprijs, & aliàs indebitis, nec reddere æquale pro offenſa illata, vt diſp. 6. & 7. patebit: & ideò eius ſatisfactio pertinet ad pœnitentiam, quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ; & deficit ab eius perfecta ratione, vt 2. 2. q. 80. ar. 1. docet ſanctus Thomas. Chriſtus autem ſatisfecit ex proprijs ſuppoſiti ſatisfacientis, & aliàs indebitis ab eodē ſuppoſito, & reddidit Deo æquiualens pro iniuria illata per peccatum generis humani, ideò eius ſatisfactio pertinet ad iuſtitiam perfectam; vnde non eſt ſimile.

24 Ad quartum reſpondetur, quòd vt colligitur ex ſancto Thoma 2. 2. q. 61. præſertim art. 3. ad iuſtitiam commutatiuam pertinet reddere æquale, non ſolum pro rebus exterioribus iniuſtè acceptis, ſed etiam pro iniurijs illatis. Contingit autē quòd quis deobligetur à reſtitutione eius, quod debebat ex commutatiua iuſtitia, propter impotentiam, quia nimirum ad æqualitatem ſatisfacere non poteſt: nemo enim tenetur ad impoſſibile. Nullus autem purus homo poteſt Deo ſatisfacere ad æqualitatem pro beneficijs acceptis, vel pro iniurijs illatis. Sed quoniam homo tenetur facere, id quod poteſt, ideò ponitur in illo virtus religionis, qua ſecundū ſuum poſſe reddat Deo debitum pro beneficijs acceptis, vt 2. 2. q. 80. ar. 1. dicit ſanctus Thomas: & ſimiliter virtus pœnitentiæ, qua ſatisfaciat Deo pro peccatis commiſſis, quæ quidem virtutes adiunguntur iuſtitiæ tāquam partes eius potentiales. Quia ergo Chriſtus Dominus ad æqualitatem ſatisfecit Deo pro offenſis generis humani, ideò eius ſatisfactio ad iuſtitiam commutatiuam pertinet. Et licet Chriſtus non ex obligatione aliqua iuſtitiæ, ſed ex gratuita voluntate, & miſericordia hoc debitum ſuper ſe ſuſceperit, oblatus enim eſt, quia ipſe voluit, vt dicitur Iſaiæ 53. tamen ad æqualitatem iuſtitiæ debitum illud exoluit; tantum honorem, immo & ſuperabundantem tribuens Deo, quantum homo abſtulerat per peccatum.

Contra hanc ſolutionem obijcitur, quia S. Thomas 2. 2. q. 80. ar. 1. cap. expreſſe docet, tunc deficere veram, & integram rationem iuſtitiæ, & conſtitui partem non ſubiectiuam, ſed poteſtatiuam, quoties virtus, quæ eſt ad alterum, aut non ſeruat æqualitatem, aut nullum debitum ſecum affert: ergo ſi Chriſtus non tenebatur ex debito iuſtitiæ ſatisfacere pro peccatis generis humani, videtur, quòd eius ſatisfactio ad veram, & perfectam iuſtitiā non pertineat. 25 Obiectio M. Vaſquez, vbi ſup. n. 32

Reſpondetur, quòd ad veram, & perfectam iuſtitiam quantum eſt ex parte debiti ſufficit, quod ille, qui ſatisfacit, vel pro quo fit ſatisfactio teneatur ex debito ſatisfacere, & per ſatisfactionem reddat æquiualens. Etenim ſi Petrus (verbi gratia) debeat Paulo centum aureos, & Ioannes ſoluat pro Petro Paulo creditori eoſdem aureos centum, in tali caſu Ioannes non tenebatur ex debito iuſtitiæ ſoluere, quia tamen ipſe volun- Solutio.

tariè, & ex charitate, vel amicitia ſuſcepit ſuper ſe debitum Petri, illa ſolutio in ordine ad Paulum creditorem eſt actus perfectæ iuſtitiæ, eo quòd reddit æquiualens pro debito Petri. Non diſſimiliter in præſenti, licet Chriſtus Dominus non ex aliqua iuſtitia, ſed ex miſericordia, & charitate perpetua, qua dilexit hominem, ſuſceperit ſuper ſe debitum ſatisfaciendi pro peccatis generis humani; quia tamen reddidit æquiualens Deo, immo, & ſuperabundans pro peccatis noſtris: ideo eius ſatisfactio pertinet ad veram, & perfectam iuſtitiam, iuxta illud
Pſal. 39 Pſalmi [Quæ non rapui, tunc exoluebam.]

26 Ad quintum argumentum reſpondetur ſimiliter, quòd ſi Chriſtus non ſpopondiſſet pro nobis, vel non ſuſcepiſſet ſuper ſe debitum ſatisfaciendi pro peccatis noſtris, eius ſatisfactio non pertineret ad iuſtitiam, quia non fieret intuitu conſtituendi æqualitatem inter Deum offenſum, & hominem peccatorem: ſicut in caſu poſito, ſi Ioannes daret Paulo centum aureos non intuitu ſatisfaciendi pro debito Petri, ſed ex alio motiuo, vt puta gratitudinis, vel liberalitatis; tunc illa ſolutio non pertineret ad perfectam iuſtitiam. Cum ergo Chriſtus obtulerit ſemetipſum Deo Patri, vt ſatisfaceret pro peccatis generis humani, & ſuſceperit ſuper ſe debitum noſtrum: ideò ex hac parte eius ſatisfactio pertinet ad perfectam iuſtitiam.

27 Ad ſextum reſpondetur, fuiſſe in Chriſto virtutem iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum, vt in vltima cõcluſione oſtenſum eſt. Ad impugnationem dicitur primo, quod licet potentiæ rationales creatæ ſint immediatum ſubiectum virtutis, ſubiectum tamen, quod, principale eſt ſuppoſitũ ſubſiſtens in natura creata intellectuali: & quoniam ſuppoſitum Chriſti erat infinitum, & ſecundùm ſuam entitatem æqualis virtutis cum Patre, ideò potuit in illo eſſe virtus iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum, cui ſatisfaciebat: quę tamen virtus eſſe non poteſt in ſuppoſito creato, eo quòd omnia creata producta ſunt à Deo per gratuitam communicationem, & ab eo dependet in eſſe, & conſeruari. Vnde omnis ſatisfactio, & iuſtitia ſuppoſiti creati erga Deum, ſemper eſt imperfecta. Reſpondetur ſecundo, quòd omnis virtus, quæ reperitur in anima Chriſti potuit eadem ſecundum ſpeciem eſſe in puro homine, non tamen oportet, quòd poſſit habere in puro homine omnem actum in ordine ad quodcumque extremũ, quem habuit in Chriſto: vnde in puro homine ponitur quidem virtus iuſtitiæ commutatiuę in ordine ad alios homines, quibus poteſt reddere æquale ex proprijs, & aliàs indebitis; non autem in ordine ad Deum. Chriſtus autem habuit iuſtitiam commutatiuam in ordine ad Deum, vt dictum eſt.

28 Ex hoc ſequitur, quòd, ſi Verbum relinqueret humanitatem, iuſtitia quam haberet anima Chriſti in ordine ad Deum, non eſſet commutatiua, ſed imperfecta, quia non eſſet vnde ſumeretur infinitas ſatisfactionis, vel meriti, & aliæ conditiones, quæ requiruntur ad iuſtitiam commutatiuam erga Deum.

Obiectio Prima. Sed contra vtramque ſolutionem eſt argumentum. Gratia Chriſti habitualis eſt eiuſdem ſpeciei cum gratia habituali aliorum hominum, ergo & virtutes infuſæ, quæ fluunt

ab

ab eadem gratia ad modum paſſionis ſunt eiuſdem ſpeciei. Sed in alijs hominibus non fluit à gratia habituali virtus commutatiuæ iuſtitiæ erga Deum, ergo neque in Chriſto. Et augetur difficultas huius argumenti. Iuſtitia commutatiua eſt inter æquales, ſed Chriſtus, vt ſatisfaciens pro culpa non operabatur, vt æqualis Deo, ſed vt ſubditus illi, quia operabatur per voluntatem humanam, & vt minor Patre, & inferior illo. Nam ex obedientia, quæ eſt inferioris ad ſuperiorē, mortem ſubijt, per quam ſatisfecit, iuxta illud Ioan. 14. [Sicut mādatum dedit mihi Pater, ſic facio.] Et ad Philip. 2. [Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem.] ergo.

Obiectio Secunda.

Obiectio Tertia.

Tertio eſt argumentum ad idem. Nulla virtus infuſa exiſtens in Chriſto præhabebat in ſua ratione infinitam dignitatem, aut infinitum valorem, etiam in genere morali, ergo nō poterat tribuere infinitum valorē operibus ſatisfactorijs Chriſti: ergo tales operationes, vt infinitè ſatisfactoriæ non eliciebantur, neque regulabantur à virtute iuſtitiæ commutatiuæ, vel ab alia ſpeciali virtute. Probatur conſequentia: nam valor, & dignitas actus moralis debet præexiſtere tamquā in cauſa in virtute, à qua elicitur, vel regulatur, cum omnis effectus contineatur in virtute ſuæ cauſæ.

29 Hęc tamen argumenta nihil cōuincunt contra noſtram ſententiā, ſed ex eorum ſolutione fiet clarior. Ad primam obiectionem reſpondetur primo, quòd eodem argumento probaretur, in Chriſto fuiſſe virtutem pœnitentię infuſæ erga Deū, nam in nobis eſt huiuſmodi virtus. Sicut ergo in nobis peccatoribus, dum iuſtificamur, cum gratia habituali, infunditur virtus pœnitentiæ, quæ non eſt infuſa animæ Chriſti cū gratia habituali, eo quòd Chriſtus non erat capax virtutis pœnitentiæ, quia nullum potuit habere peccatum: ita è contrario, cum gratia habituali eſt infuſa animæ Chriſti virtus iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum propter infinitatem ſuppoſiti ſatisfacientis, quæ tamen non infunditur nobis, quia talis virtus erga Deum repugnat ſuppoſito creato. Reſpondetur ſecundo, quòd quamuis gratia habitualis in eſſe phyſico ſit eiuſdem rationis in Chriſto, & in nobis, & ſimiliter operationes ſatisfactoriæ, tamen in eſſe morali erant diuerſæ rationis: nam gratia habitualis, vt erat in Chriſto ratione coniunctionis humanitatis ad Verbum fuit principium meriti infiniti, & ſimiliter ſatisfactiones Chriſti erant valoris infiniti ratione valoris ſuppoſiti, quod tamen non competit gratiæ, vel ſatisfactioni prout eſt in nobis: vnde in Chriſto potuit eſſe meritum, & ſatisfactio ex iuſtitia commutatiua erga Deum, non autem in nobis.

Ad ſecundam obiectionem reſpōdetur, quòd quamuis humanitas, in qua Chriſtus ſatisfaciebat, ſit inferior Deo, ſuppoſitum tamen Verbi, quod ſatisfaciebat in humanitate aſſumpta, erat æqualis dignitatis cum Deo; Quia, vt dicit Apoſtolus: [Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo;] vnde inter ſatisfacientem, & eum, cui fiebat ſatisfactio, erat æqualitas, quæ ad iuſtitiam commutatiuam requiritur. *Phil. 2.*

Ad tertiam obiectionem reſpondetur: quod totus valor, & dignitas actus moralis debet præexiſtere tamquam in cauſa, in virtute, à qua 30

Digitized by Google

elicitur, vel regulatur, aut ſaltem in ipſo ſuppoſito, à quo tamquàm à cauſa principali producitur actus virtutis. Et ita contingit in præſenti: nam valor infinitus ſatisfactionis Chriſti continetur in ipſo Verbi ſuppoſito operantis per humanitatem, & virtutes infuſas. Neque enim eſt neceſſarium, vt omnis perfectio, quæ reperitur in actu virtutis, præexiſtat in habitu, à quo elicitur, vel imperatur; aliàs enim habens habitum charitatis intenſum, vt quatuor, non poſſet producere actum intenſum, vt octo. Nam iſte actus excedit virtutem, & proportionem habitus. Nihilominus habitus, vt quatuor, vt eleuatus ab auxilio Diuino intenſo, vt octo, producit actum intenſum, vt octo.

Confirmatur, & explicatur hæc ſolutio. Nam ſimpliciter loquendo, vt ait S. Thomas, actus virtutis eſt præſtantior habitu. Ratio eſt, nam actus habet magis de actualitate, & plus recedit à potentialitate; quàm habitus, & perconſequens actus eſt ſimpliciter perfectior habitu; ergo tota perfectio, quæ reperitur in actu virtutis, non eſt neceſſe, quòd præexiſtat in ipſo habitu; ſed ſufficit, quod præexiſtat in ipſo habitu, vel in cauſa principaliter operante. Igitur non eſt neceſſarium, quod valor infinitus ſatisfactionis Chriſti præexiſtat in habitu virtutis iuſtitiæ commutatiuæ, vt ab ea eliciatur, vel reguletur, ſed ſufficit, quod præexiſtat altiori modo in Verbo Diuino, quòd eſt principale operans, & vtens habitu iuſtitiæ commutatiuæ ad eliciendum, vel regulandum operationes infinitè ſatiſfactorias pro culpa.

S. Thom. 1. p. q. 25. ar. 2 ad 2 & 1. 2. q. 71. art. 3. ad 1.

31 Ad ſeptimum argumentum principale reſpondetur, ſolum concludere, quòd abſolutè loquendo, & abſque alia ſuppoſitione, Deus non tenebatur acceptare ſatisfactionem Chriſti, quoniam non tenebatur hoc myſterium Incarnationis inſtituere pro ſalute generis humani. Nihilominus ſuppoſito myſterio Incarnationis, & ſuppoſito, quod Chriſtus verus Deus, & homo ſeipſum obtulit in redemptionem pro nobis; ex iuſtitia Deus acceptauit eiuſmodi ſatisfactionem, nam reuera fuit condigna, & ſuperabundans. Etſi fiat argumentum: nam hæc ſatisfactio ſupponit gratiam vnionis, ergo non fuit rigoroſa. Iuſtitia enim rigoroſa nullam ſupponit gratiam. Reſpondetur breuiter, quod gratia, quæ ſupponitur ſatisfactioni Chriſti, non eſt facta perſonæ ſatisfacienti, ſed naturæ humanæ. Vnde talis gratia non obſtat ſatisfactioni ex rigore iuſtitiæ. Noſtra enim ſatisfactio ideò non eſt rigoroſa, quia fundatur in gratia facta perſonæ ſatisfacienti.

Obiectio

Solutio

Reſpondetur ſecundo ex ſancto Thoma, quod caput, & membra ſunt vna perſona myſtica: vnde ſatiſfactio, quam offert caput pro membris, reputatur propria totius corporis myſtici, ſeu totius generis humani, præſertim cum ex duobus exiſtentibus in charitate poſſit vnus pro alio ſatisfacere: eo quòd vniuntur in eodem corpore per charitatem, & cum eodem capite: & ideò pœnam illam ſtatutam à Deo [in quacumque die commederis ex eo, morte morieris:] perfectiſſimè exſoluit in ſuo capite genus humanum, ſcilicet in Chriſto: nam in illo omnes mortui ſunt, moraliter loquendo, vt dicit Apoſtolus. [Si vnus pro omnibus, ergo omnes mortui ſunt, &c.] vnde idem Apoſtolus ex eadem

S. Tho. infra q. 48. ar. 2. ad 1

Gen. 2.

2. *Cor* 5

eadem habitudine membrorum ad caput, & capitis ad membra probat, mortem, & ſatisfactionem Chriſti cedere in vtilitatem noſtram, ac ſi ipſum genus humanum ſatiſfeciſſet, ſicut peccatum Adæ, eò quòd erat capitis, obfuit eidem generi humano, ait enim. [Sicut vnius delictum in omnes homines, in condemnationem: ita & per vnius iuſtitiam in omnes homines, in iuſtificationem. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi.]

Rom. 5.

32 Obiectio. Sed contra hanc ſolutionem vrget argumentum: nam, vt ſupra dictum eſt, pœna debita peccato ex parte auerſionis erat infinita ſecundum durationem, ſimiliter etiam erat infinita extenſiuè, nam poterat extendi ad infinitos homines, ſi eſſent futuri: Item ex parte conuerſionis debebatur illi pœna inferni, quæ eſt grauiſſima: ſed pœna quam ſuſtinuit Chriſtus, nec fuit infinita ſecundum extenſionem, nec ſecundam durationem, nec etiam fuit æqualis pœnæ Inferni, vt inſinuat S. Thomas infra quæſt. 46. ar. 6. & ibi docet communiter Thomiſtæ: ergo ſatisfactio Chriſti non fuit æqualis pœnæ debitæ pro culpa, & perconſequens non fuit condigna, & de rigore iuſtitiæ.

S. Thom.

Solutio. Reſpondetur, quòd phyſicè loquendo, pœna, quàm ſuſtinuit Chriſtus in ratione pœnæ, nō fuit æqualis pœnæ debitæ offenſæ: moraliter tamen in ratione ſatisfactionis fuit incomparabiliter maior. Nam in ratione ſatisfactionis magis præponderat, quòd perſona Diuina in natura aſſumpta patiatur minimam pœnam pro peccato generis humani, quàm ſi totum genus humanum, & quæcumque perſona creata ſuſtineret in æternum maximas pœnas, quales ſunt pœnæ inferni. Quod ſanctus Iob ſignificauit, cum dixit. [Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas hæc quam patior in ſtatera: quaſi arena maris hæc grauior apparerent.] (Quæ verba, licet ſignificent ad literam, calamitates, quibus præmebatur ſanctus Iob, multo maiores fuiſſe, quā eius peccata, ac per cōſequens non propter delicta, quæ ipſe commiſerat (vt eius aduerſarij exiſtimabāt) patiebatur, ſed propter alias cauſas, vt videlicet patientia eius oſtenderetur, & augeretur corona; myſticè tamen adaptantur Chriſto Domino, qui non propter delicta propria, ſed pro peccatis populi ſui tāquam agnus innocens occiſus eſt: & ſignificant: pœnam, quam pro peccatis generis humani ſuſtinuit, in ſtatera Crucis appenſam cum peccatis pro quibus patiebatur, multo maiorem fuiſſe in ratione ſatisfactionis, quàm promeruiſſent eius peccata, ideſt peccata generis humani, quæ ſua dixit, quoniam erāt ſui corporis myſtici. Sic interpretatur locum iſtum ſanctus Bernardus, cuius verba ſunt. [Crux facta eſt ſtatera corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Cum enim ipſe crucifigeretur; appenſa ſunt cum ipſo peccata, quæ commiſimus, calamitas, quā incurrimus. Ipſe erat innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis conuerſatio eius: non enim peccatum fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Et quoniam talis, ac tantus, tam indigna dignatus eſt in Cruce pati: præponderare cœpit calamitas, & crimina leuigare. Cum adhuc tamen

Iob. 6.

Bern. ho. de duob. diſcipulis euntibus in Emaus

in

Digitized by Google

in Cruce erectus ſtaret, vacillare videbatur ſtatera, nec plenè cognoſcebatur, quo cadere deberet, cum inclinato capite emiſit ſpiritum, & calamitas præponderando caderet, & quaſi arena maris grauior appareret, Gentes quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt. Nam in ſtatera ceciderunt, quia partes aduerſæ damnationis noſtræ chirographum amiſerunt.] Quibus conſonat illud Crucis elogium, [beata cuius brachijs, ſecli pependit pretium, ſtatera facta corporis: prædamque tulit Tartari.]

Ioan. 19. *Iob. 6.*

33 Ad confirmationem reſpondetur, quòd, eſſe inter diuerſa extrema, quæ ſibi inuicem poſſint ſubijci, nō eſt de ratione intrinſeca iuſtitiæ cōmutatiuæ, ſed imperfectio competens illi ex parte ſubiecti, ſecūdùm quòd reperitur inter perſonas creatas, quæ ad inuicem poſſunt ſubijci. Nam ad eſſentiam iuſtitiæ ſufficit, quòd ſit ad alterum, quòd ſit ex proprijs, & alias indebitis, & quòd cōſtituat perfectam æqualitatem rei ad rem, quę omnia concurrunt in ſatisfactione Chriſti. Quæ quidem ſatisfactio quantum eſt ex parte ſua ſubijceret ipſum Deum, & obligaret, ſi Deus eſſet capax ſubiectionis, & obligationis, qualis reperitur in homine reſpectu alterius hominis. Sicut etiam natiuitas ex Matre inducit relationem realem in filio reſpectu Matris per ſe loquendo, ſed tamen hoc non eſt ita eſſentiale natiuitati, vt nulla poſſit natiuitas reperiri ſine huiuſmodi relatione reali. Chriſtus enim inquantum homo verè, & realiter natus eſt ex Maria Virgine, ad quam tamen non refertur relatione reali filiationis, ſed tantum relatione rationis, vt docet S. Thomas infra: quia Verbum Diuinum non erat capax nouæ relationis realis. Ita proportionabiliter in præſenti, ſi Deus eſſet capax ſubiectionis, & obligationis in ordine ad alterum, Chriſtus ſua ſatisfactione ſubijceret ſibi Deum, & obligaret. Sed quia non eſt capax ſubiectionis, non induxit illam.

S. Thom. q. 35. ar. 5

Secundo reſpondetur, quòd abſolutè, & ex natura rei, non poteſt Deus alteri obligari: nihilominus ſuppoſito pacto, & promiſſione Diuina de acceptanda morte Chriſti pro ſatisfactione iniuriæ illatæ per peccatum generis humani, iam tenebatur Deus ex vera, & perfecta iuſtitia illam acceptare: nec id arguit imperfectionem aliquam, vel indigentiam in Deo, quoniam obligatio hæc non prouenit ab aliquo extrinſeco, ſed ex ipſa rectitudine Diuinæ voluntatis, quæ per pactum illud ſe voluit aſtringere ad acceptandam illam ſatisfactionem. Sed dices: hæc obligatio innititur promiſſioni Diuinæ, ergo ſolum potuit inducere in Deo obligationem ex fidelitate, quia [fidelis eſt Deus, & negare ſeipſum non poteſt,] vt dicitur 2. Thom. 2. hac enim ratione etiam tenebatur Deus ex fidelitate carnem humanam aſſummere, poſtquàm id promiſſit antiquis Patribus. Reſpondeo, quòd quando obligatio innititur ſolum promiſſioni Diuinæ abſque conditione, quæ onoroſa eſt ei, cui aliquid promittitur; tunc ſolum pertinet ad fidelitatem, vt in exemplo inducto. Cæterum quādo obligatio innititur promiſſioni factæ ſub conditione oneroſa, tunc inducit obligationem veræ iuſtitiæ, & huiuſmodi eſt promiſſio facta Chriſto, vt conſtat ex illo Iſaiæ, [Si poſuerit pro peccato animam ſuam

Obiectio **Reſpōſio** *Iſai. 53*

ſuam, videbit ſemen longæuum,] & ex alijs locis Scripturæ. Ex quo ſequitur, quòd beatitudo redditur iuſtis non ex ſola fidelitate, ſed etiam ex iuſtitia imperfecta, iuxta illud 2. Thim. 4. [De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex.] Iuſtus, inquit, reddet, & non ſolum fidelis, quia in reddendo præmium, pro laboribus promiſſum non ſolum eſt fidelis, ſed etiam iuſtus, quoniam ſuppoſita promiſſione, ex iuſtitia, licet imperfecta, obligauit ſe Deus ad reddendum coronam pro meritis, quam propterea coronam iuſtitiæ appellauit, vt ſuper eundem locum notauit ſanctus Thomas.

S.Thom. 2. *Ti.* 4. Lect. 1.

Ad octauum reſpondetur ex dictis, quòd in genere entis, & quoad ſubſtantiam phyſicam operationes Chriſti erant finitæ propter principium, quo, ideſt, propter humanitatem creatam, per quam operabatur Verbum tamquam per principium. Cæterum in genere morali, & quo ad valorem ſatisfactionis erant infinitæ, propter infinitatem ſuppoſiti operantis.

34 Ad nonum reſpondetur, quòd vt docet ſanctus Thomas infra: illud, quod eſt omnibus modis infinitum, non poteſt eſſe niſi vnum: & quoniam corpus eſt ad omnem partem dimenſionum, impoſſibile eſt eſſe plura corpora infinita, vt Philoſophus probat. Cum enim vnum corpus infinitum occupet omne ſpatium, nullus poteſt locus relinqui alteri corpori. Nihil tamen prohibet, quòd infinita ſecundum aliquã rationem ſint plura, vt ſi imaginemur plures lineas infinitas. Et quoniam operationes Chriſti non erant infinitæ ſecundum omnem rationem, neque in genere entis, ſed ſolum in ratione morali ſatisfactionis, ideò potuerunt eſſe plures, quamuis eſſent infinitæ.

S.Thom. q. 10. ar. 3. ad 3.

Ariſt lib. 1. de cæl. tex. 2. to. 2.

Ad decimum reſpondetur, quòd quantum eſt ex natura ſua, ſiue ex valore operationum Chriſti, quælibet operatio erat ſufficiens ad ſatisfaciendum ex iuſtitia pro culpa, & ad liberandum genus humanum à ſeruitute Diaboli; ſed tamen Chriſtus non ordinauit quamlibet operationem meritoriam, vt per eam abſque ſacrificio Crucis ſatisfaceret pro culpa, & redimeret genus humanum: ſed vt eſſet pignus abundantiſſimi pretij, quod (fuſo ſanguine) ſoluturus erat in Cruce, per quod quidẽ pretium [deleuit, quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis,] vt dicitur ad Coloſſ. 2. & ideò ex eo quod quælibet operatio Chriſti fuerit infinitè ſatisfactoria ex parte oblationis, nõ ſequitur; quod ante mortem ipſius fuerit genus humanum redemptum. Solutio eſt Durandi 3. diſt. 18. q. 3. nu. 8. videatur etiam Sotus in 4. d. 1. q. 3. ar. 5. & M. Medina 3. p. q. 48. ar. 1.

Coloſſ. 2.

DISPVTATIO QVINTA.

Vtrum ſatisfactio ex iuſtitia pro peccatis noſtris tribuenda ſit humanitati Chriſti, vt principio quo, An etiam tamquam principio, quod.

QVIDAM Doctores ad propoſitam difficultatẽ reſpondẽt duobus dictis. Primum dictum eſt. Humanæ natu-

Vaſq. diſpu. 8. c. 2.

ræ

Digitized by Google

ræ in Chriſto quatenus ſanctificatæ ipſa Deitate tribuenda eſt noſtra ſanctificatio, tamquam proximo ſatisfacienti: ſuppoſito autem diuino remotè per communicationē idiomatum, quatenus omnia opera humanitatis tribuuntur ſuppoſito diuino ſuſtentanti illam.

Secundum dictum. Satisfactio de rigore iuſtitiæ non ſolum tribuenda eſt naturæ humanæ, vt quo, ſed etiam, vt quod. Probatur hoc. Primo auctoritate Athanaſij epiſtola ad Epictetum in confeſſione fidei dicentis. [Corpus igitur, quod noſtri cauſa geſtauit Dominus, opus eſt, & creatura, idque genitum eſt nobis, vt inquit Paulus, ex Deo ſapientia, & ſanctificatio, & iuſtitia, & redemptio,] vbi nomine corporis intelligit totam humanitatem per ſinedochem: ſentit ergo, quòd humanitati Chriſti tribuenda ſit redemptio noſtra, & ſatisfactio, vt principio quod ſatisfacienti: Item etiam Elias Cretenſis in oratione 10. Nazianzeni expreſſe dicit, quod Chriſtus vicit vt homo, vbi particula, vt, eſt nota ſpecificationis, & determinationis ſignans naturam cujus eſt operatio redemptionis, & ſatisfactionis: ergo ſentit, quòd naturæ humanæ in Chriſto ſit tribuenda ſatisfactio pro nobis: probatur conſequentia, nam tribuere ſatisfactionem Chriſto qua homo, vel ſecundum quod homo, eſt eam tribuere naturæ humanæ Chriſti vnctæ ipſa Deitate. Præterea Carolus magnus in epiſt. ad Elipandum loquēs de Chriſto ait. [In forma Dei creator, in forma ſerui Redemptor.] vbi non dixit, in forma Dei, & hominis Redemptor, quod perinde eſſet, ac ſi diceret, ſecundum quod Deus homo, ſed dixit, in forma ſerui, hoc eſt, vt homo, vel ſecundum naturam humanam: ergo reuera natura humana nos redemit, vt quod

Primum Argum. S. Athan.

Elias Cretenſis.

Carolus. Habetur in Conc. Francof. in cōfeſſ. fidei.

Confirmat hoc auctoritate ſancti Thomæ, qui ait, proximum noſtrum Redemptorem fuiſſe Chriſtū inquātum homo eſt, ad Trinitatem vero remotè pertinere rationem redemptionis, vt ad primam cauſam; de ſuppoſito autem Chriſti nihil dixit. Et quæſt. 26. ar. 2. docet. Chriſtum non fuiſſe mediatorem ſecundum quod Deus eſt, ſed ſolum ſecundum quod eſt homo: ſi autem ſatisfeciſſet, non tantum ſecundum quod homo, ſed ſecundum quod homo Deus, non vteretur particula, ſolum, nec diceret, ſolum fuiſſe mediatorem ſecundum quod eſt homo. Præterea, inquit, duo eſſe de ratione mediatoris, vnum eſt, vt habeat rationem medij reſpectu extremorum, ac proinde ab eis diſtinguatur: alterum eſt, vt vnum extremum ad aliud deferat, & cum eo coniungat: vtrumque autem dicit Chriſto conueniſſe [ſolum] ſecundum quod homo erat, dum ſatisfecit pro nobis, vbi etiam vtitur particula, [ſolum,] vt ſignificaret quod Chriſtus, vt homo exactè ſatisfecit pro nobis, non autem quatenus homo Deus, aliàs Chriſtus non fuiſſet mediator, quia mediator deſtingui debet ab extremis; Chriſtus autem vt homo Deus non diſtinguitur à Deo: ergo Chriſtus fuit mediator, & redemptor non ſecundum quòd Deus eſt, nec ſecundum quòd Deus homo, ſed ſecundum quòd homo.

S. Thom. q. 48. ar. 4

Secundo idem probat. In Chriſto ſola natura humana erat principium operationis, quæ fuit meritum, & ſatisfactio: ergo Chriſtus ſolum ſatisfecit ſecūdum naturam humanam, vel ſecundum humanitatem: 2

ſatem: ergo humanitas fuit principium quod, ſatisfactionis.

Confirmatur. Idem eſt dicere, Chriſtus ſatisfecit ſecundum humanitatem, & deitatem, ac ſi diceretur Chriſtus elicuit operationem, qua ſatisfecit pro nobis, per deitatem, & humanitatem tamquam per proximum principium, ſed hoc ſecundum affirmari non poteſt, ergo nec primum: ergo ſola humanitas fuit proximum principium, quod ſatiſfactionis. Maior probatur, quia particula illa [ſecundum] adiuncta termino ſignificanti operationem, ſolum determinat principium proximum operationis, vt ſi dicamus: Petrus credit ſecundum intellectũ; ſignificamus, intellectum eſſe proximum principium actus credendi: licet non excludantur auxilia gratiæ, quæ neceſſaria ſunt ad fidem: ergo, cum dicimus, Chriſtus ſatiſfecit ſecundum humanitatem, & Deitatem, ſignificamus, quod humanitas, & diuinitas ſit proximum principium eliciens operationem ſatisfactoriam.

3 Tertiò. Non ſolum affirmamus in concreto, homo, aut hic homo ſatisfecit condignè pro nobis, ſed etiam in abſtracto verè poſſumus enunciare, humanitas, aut hæc humanitas ſatisfecit pro nobis: ergo humanitas Chriſti fuit principium quod, condignæ ſatisfactionis. Antecedens probatur. Concretum, homo etiam quando ponitur ex parte ſubiecti non ſupponit pro ſuppoſito connotata natura, ſed pro natura connotato ſuppoſito: ergo cum aſſerimus, quòd hic homo, demonſtrato Chriſto, ſatisfecit condignè pro nobis, ſenſus eſt, quòd natura humana vnita hypoſtaticè perſonæ Chriſti ſatisfecit condignè pro nobis: ergo ſatisfecit, vt principium quod.

Quartò. Operatio verè poteſt tribui, tamquam principio, quod, enti exiſtenti in actu, vt patet ex illo cõmuni proloquio: vnumquodque operatur in quantum eſt actu; ſed humanitas Chriſti eſt ens actu exiſtens formaliter per propriam exiſtentiam creatam, vt conſtat ex rationibus infra adducendis, ergo humanitas Chriſti verè ſatisfecit tamquam principium effectiuum, quod eiuſdem ſatisfactionis. 4

Confirmari poteſt hæc ſententia; Anima rationalis verè intelligit, vt quod, nam habet propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia totius compoſiti: Ergo ſimiliter humanitas Chriſti verè ſatisfecit, vt quod, nam etiam habet veram exiſtentiam creatam realitèr diſtinctam ab exiſtentia increata perſonę Chriſti.

Secunda ſentent. eſt omniũ Thomiſtarum aſſerentium, quòd natura humana in Chriſto non fuit principium, quod, ſatisfactionis condignę pro peccatis generis humani, ſed ſolum principium, quo, operationũ quantum ad ſpeciem actionum quibus fiebat ſatisfactio, nam valorem, & condignitatem ſatisfactionis eiuſdem, ex infinitate perſonæ ſatisfacientis, cenſent eſſe deſumendam, quę ſententia eſt expreſſa S. ncti Thomæ, & Sanctorum Patrum, quorum teſtimonia ſunt inferius adducenda. Ad cuius euidentiam ſupponendum eſt primò, humanitatem Chriſti aſſumptam fuiſſe, non ſolum ad ſubſiſtentiam Verbi, ſed etiam ad eius exiſtentiam, ita nimirum, vt humanitas Chriſti exiſtat actu in rerum natura, non quidem per aliquam exiſtentiam creatam, ſed ſolum 5

ſum per exiſtentiam increatam Verbi, id quod ex profeſſo infra manifeſtum fiet.

6 Secundo ſupponendum eſt, illud commune proloquiū; actiones ſunt ſuppoſitorum, non autem formarū, eo quòd operatio ſequitur ad eſſe, vt in 2. ſententiarum d.37.q.2.ar.2. in corp. dicit S.Thomas. eſſe autem per ſe primò, & immediatè competit ſuppoſito, quod eſt terminus generationis. Hoc fundamentum, quia eſt potiſſimum in hac parte, & ab aliquibus recentioribus Theologis non admittitur, ſtabiliendum eſt à nobis, & probandum: & in primis illa propoſitio habetur ex Ariſtotile lib.1.de anima cap.4.tex.64. cuius verba ſunt. [Dicere autem animam iraſci, vel timere, ſimile eſt, atque ſi quiſpiam animam texere dicat, vel edificare: nam melius eſt fortaſſe dicere, non animam, ſed hominem anima miſereri, vel diſcere, vel ratiocinari.] Item etiam ſanctus Damaſcenus lib.3. fidei orthodoxę cap.15. [Aliud (inquit) eſt actio, aliud actiuum, aliud actus, & aliud agens,] & poſtea docet agens eſſe perſonam. Denique Ioannes Theologus in Concilio Florentino ſeſſ.18. inter diſputandum, aſſumit illam propoſitionem tamquam communem Theologorum, [actiones ſunt ſuppoſitorum.] & naturæ ſolum tribuit rationem principij productiui vt quo: ergo non poteſt prędicta propoſitio negari. Sit ergo

Ariſt.

S. Damaſcenus.

Ioannes Theolog.

Eſt S.Thoma infra q.19 ar.1 ad 3.&4.

7 PRima concluſio. Perſona Chriſti, ſeu Chriſtus ſatisfecit condignè pro peccatis noſtris tamquam quod. Hæc concluſio à nullo Catholico, quem viderim, negatur. Habetur enim expreſſè in ſacris literis, ſed præſertim 1. Ioan.2. [Ipſe eſt propitiatio pro peccatis nřis.] 1. Petri 3. [Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt.] Hebr.9. [Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.] & 1. Thim.2. [Vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.] ad Gal. 3. [Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.] Eadem concluſio cōfirmari poteſt ex dictis diſp. 4. de ſatisfactione Chriſti.

8 SEcunda concluſio. Humanitas Chriſti fuit principium formale quo actionum, per quas fiebat ſatisfactio. Hæc concluſio eſt communis ſententia Theologorum, & ratio illius euidens eſt, nam ſpecies actionis ſummitur ex principio, ſicut calefactio ex calore, vt ſæpè dicit ſanctus Thomas: ergo actiones humanæ, quibus meruit Chriſtus, & ſatisfecit pro nobis, procedebant ab humanitate medijs potentijs rationalibus, vt à principio formali quo perſona Chriſti tales operationes efficiebat. Confirmatur. Intellectio, & volitio animæ Chriſti, cum ſint actiones vitales, dicunt ordinē intrinſecum ad intellectum, & voluntatem humanam tamquam ad principium formale à quo dependent: ergo humanitas Chriſti, ſeu intellectus illius, & voluntas concurrebant ad eiuſmodi operationes tamquam principium formale quo

S. Thom. infra qu. 19. ar.1. ad3.& 1. p.qu.14. ar.5.ad 3

9 TErtia concluſio. Satisfactio cōdigna pro peccatis noſtris non eſt tribuenda humanitati Chriſti tāquam principio, quod, ſed ſolum vt quo. Prima pars concluſionis eſt contra auctores primæ ſententiæ, ſed probatur manifeſtiſſimis rationibus. Primo, nam, vt dictum eſt, actiones ſunt ſuppoſitorum: ergo actiones meritoriæ, quibus ex condigno, Chriſtus ſatisfecit, procedebant

bant

Digitized by Google

bant efficienter tamquam à principio quod à ſuppoſito Verbi Diuini operante per naturam humanam tamquam à ſatisfaciente pro nobis. Secundo probatur. Suppoſitum Verbi Diuini ſubſiſtens in natura, ſeu Chriſtus ſatisfecit condignè pro nobis, vt quod; & ſimiliter operabatur actiones humanas tamquam ſuppoſitum operans, & ſatiſfaciens, vt quod: ergo natura humana illius non ſatisfecit, vt quod. Antecedens conſtat ex prima concluſione. Conſequentia probatur, nam implicat, quòd reſpectu eiuſdē operationis ſit duplex agens proximum vt quod, niſi in agentibus partialibus: ſed Chriſtus, & eius humanitas non ſunt duo agentia partialia ſicut duo trahentes nauim: cum ergo Chriſtus, ſeu ſuppoſitum Verbi ſubſiſtens in natura humana fuerit ſatisfaciens, quod proximum, relinquitur, naturam humanam non fuiſſe principium quod, ſatiſfactionis condignæ, ſed ſolum principium quo. Reſpondet auctor ſententiæ contrariæ, quod natura humana, non abſolutè conſiderata, & ſe ſola, ſed vncta Diuinitate, & deificata, fuit principium quod ſatiſfactionis condignæ; ſed hæc ſolutio vim argumenti non euacuat. Etenim deitas, cum ſit prædicatum cōmune tribus perſonis, non erat, vt quod agens proximum, & particulare ſatisfactionis Chriſti, ſed vniuerſale à quo omnis actio ſicut & quælibet alia entitas creata dependet in fieri, & in conſeruari: ergo humanitas deificata non potuit eſſe proximum principium quod, ſatisfactionis condignæ, vel operationis meritoriæ: ergo Perſona Verbi ſubſiſtens in natura humana fuit principium quod eiuſdem ſatisfactionis. Confirmatur. In nobis humanitas deificata per gratiam habitualem non eſt principium quod operis meritorij, vel ſatisfactorij, ſed ſolum, vt quo ſuppoſitum operatur, & ſatisfacit pro peccatis ſuis, eo quod actiones ſunt ſuppoſitorum, non autem formarum exiſtentium in ſuppoſito: ergo ſimiliter in Chriſto humanitas deificata per gratiam vnionis non fuit principium vt quod ſatisfactionis condignæ, ſed ſolum, vt quo.

Reſpōſio

Impugnatio.

10 Tertiò. Sancti Patres & præſertim S. Thomas apertiſſimè docent, condignitatem oblationis, & ſatiſfactionis Chriſti ortum habuiſſe ex perſona ſatisfaciente, quæ erat infinita, ſcilicet ex perſona Verbi operante, & ſatisfaciente per naturā humanam, vt conſtat ex præmiſſis diſp. 4. Ergo non deſumitur ex humanitate, vt à principio, quod, ſed ſolum tamquam à principio quo. Confirmatur auctoritate Leonis Papæ ſerm. 1. natalis Domini dicentis. [Si non eſſet verus Deus non afferret remedium, ſi non eſſet verus homo non præberet exemplum,] vbi, ex infinitate ſuppoſiti ſatisfacientis, docet, condignitatem ſatiſfactionis eſſe deſumendam, quod etiā docet Clemens Sextus, cuius verba adducenda ſunt infra.

Leo.

11 Reſpondet M. Vaſquez, ſanctos Patres non ideò dixiſſe, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ſufficientem, & copioſam, quia ipſa perſona diuina eſſet, quæ illam offerret, ſed quia ex vnione humanæ naturæ cū perſona, ipſa humanitas deificabatur, & digna reddebatur tāta redemptione. Vnde, niſi humanitas ob vnionē ſanctificaretur ipſa deitate, nullius valoris eſſet eius ſatisfactio. Facilè tamen impugnatur hæc ſolutio.

Solutio.

Primo,

Impugnatio. Primò, quia licet ad meritum, & ſatisfactionem requiratur neceſſariò ſanctificatio, & deificatio naturæ, vel potentiæ, quæ eſt proximum principium elicitiuum operationis: tamen natura ſic ſanctificata non eſt ſatisfaciens, vt quod, ſed ſolum, vt quo, nam ſuppoſitum mouet, & applicat naturam, ſeu potentiam ad operandum, & operatur tamquam id cui per ſe conuenit ſubſiſtere, & operari. Secundò, nam, vt patebit infra, per ſolam gratiam vnionis abſque gratia habituali, non poterat actiones Chriſti proximè, & formaliter eſſe ordinis ſupernaturalis, & conſequenter, nec meritoriæ, vel ſatisfactoriæ de condigno. Tertiò, etiam admiſſa illa ſententia, quòd ſanctificatio per gratiam vnionis abſque gratia habituali ſufficiat, vt operationes humanæ Chriſti ſint infinitè meritoriæ, & ſatisfactoriæ: adhuc ex diuino ſuppoſito operante, & ſatisfaciente per naturam humanam ſibi hypoſtaticè vnitam, ſatisfactio illa reddebatur condigna, & ex rigore iuſtitiæ. Deificatio autem humanitatis, ſeu humanitas deificata, & ſanctificata per vnionem erat principium quo eiuſdem ſatisfactionis. Si enim ſola humanitas ſanctificata operaretur, & perſona Chriſti non fuiſſet ſatisfaciens, quod, effectiuè producens operationes meritorias, illis re vera non fieret ſatisfactio de rigore iuſtitiæ pro peccatis noſtris.

12 Quartò probatur concluſio. Propriè loquendo ille ſatisfecit pro nobis, vt quod, qui pro nobis paſſus, & mortuus eſt, quoniam per paſſionem, & mortem liberati ſumus à ſeruitute Diaboli: ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei vnigenitus, pro nobis paſſus, mortuus, & ſepultus eſt, vt canit Eccleſia in Symbolo Concilij Niceni: Humanitas autem propriè loquendo non fuit paſſa, mortua, vel ſepulta, vt quod: ergo propriè loquendo humanitas Chriſti non ſatisfecit pro nobis, vt quod.

Quintò probatur. Terminus poſitus in ſubiecto, vt docet S. Thom. ſupponit materialiter pro ſuppoſito, non autem pro natura: ſed in hac propoſitione, quæ veriſſima eſt, Chriſtus ſatisfecit de condigno pro nobis, ille terminus, Chriſtus, ponitur in ſubiecto: ergo ſupponit pro ſuppoſito Chriſti, quod eſt diuinum, connotando naturam humanam, nō autem pro natura humana connotando ſuppoſitum Chriſti: ergo. Chriſtus ſatisfecit pro nobis, vt quod, non autem natura humana. S. Thom. infra qu. 16. art. 9. ad 3 & ar. 10. ad 2.

Sextò. Si ſuppoſitum Verbi Diuini ſolum remotè per communicationem idiomatum ſatisfecit pro nobis, vt aſſerit prima ſententia, ſequitur, quòd non habuerit aliam, vel maiorem efficientiam comparatione eiuſdē ſatisfactionis, quàm humanitas Chriſti in concreto habeat comparatione creationis vniuerſi; cōſequens non poteſt admitti: ergo. Maior probatur, nam etiam per communicationem idiomatū, eſt vera hæc propoſitio, hic homo demonſtrato Chriſto creauit vniuerſum: ergo, ſi eodem modo propter ſolam communicationem idiomatum verificatur remotè de ſuppoſito Verbi Incarnati, quod ſatisfecerit ex condigno pro peccatis noſtris, ſequitur, quòd ſuppoſitum Verbi Incarnati non habuerit aliā, vel maiorem efficientiam comparatione redemptionis noſtræ, quàm habuerit humanitas Chriſti comparatione

ratione creationis mundi, quod tamen admitti non poteſt.

13 QVarta concluſio. Hęc propoſitio, Chriſtus, in quantū Deus homo, ſatisfecit ex rigore iuſtitiæ pro peccatis noſtris, eſt in proprietate ſermonis concedenda. Concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ: ad cuius explicationem obſeruandum eſt, quòd in ſatisfactione Chriſti duo ſunt conſideranda, alterum ſpecies actionis humanæ, per quam ſatisfecit, & hæc proceſſit ab humanitate, tamquam à principio formali, vt ex præmiſſis conſtat; alterum eſt valor infinitus, quem habuit in ratione ſatisfactionis condignæ: & hunc valorem, & condignitatem habuit illa ſatisfactio à perſona ſatisfaciente, nimirum à Verbo Diuino ſubſiſtente in natura humana. Quo ſuppoſito probatur concluſio auctoritate Leonis Papæ ſermone 1. natalis Domini, vbi ait. [Si non eſſet verus Deus, non afferret remedium, ſi non eſſet verus homo, non pręberet exēplum,] quibus verbis non obſcurè ſignificauit, quòd Chriſtus in quantum Deus homo nos redemit, & pro nobis ſatisfecit. Idem colligitur ex Cyrillo Alexandrino in primo libro ad Reginas de recta fide, vbi oſtēdit, quòd mors Chriſti mundo fuerit ſalutaris, quia ille, qui moriebatur, erat Deus; & Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 5. ait. [Non enim humano modo ſanctificabat, vt qui nō homo ſolum, ſed etiam Deus, vnde etiam ipſius paſſiones viuificæ, & ſalutares extiterunt.] Sentit ergo, quòd Chriſtus, in quantum Deus homo, nos redemit. Præterea Theodorus Epiſcopus Ancyranus in homilia natiuitatis Domini. [Mors (inquit) veluti ipſius Dei facta, mortem demolitur, nam qui moriebatur ſimul Deus, & homo erat,] & in alia hom. de natiu. Dom. ait: [Iſtæ paſſiones propriæ factæ Dei, virtute quidem tantarum correctionum ex diuinitate perceperunt, tamquam Dei propriè factæ,] ac ſi diceret: ex virtute perſonæ Diuinæ, quæ in humanitate patiebatur, virtutem acceperunt illæ paſſiones ad ſaluandū nos, & ſatisfaciendum pro peccatis noſtris: Item etiam Clemens Sextus in extrauagante vnigenitus de pœnitentijs, & remiſſionibus determinat in hæc verba. [Qui in ara Crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſufficiat, ſed velut quoddam profluuium noſcitur effudiſſe,] vbi apertè definit, ex perſona Verbi Diuini, quæ patiebatur pro nobis, guttam ſanguinis Chriſti habuiſſe ſufficientem virtutem ad redimendum totum genus humanum.

Leo Papa — S. Cyrill. — S. Dama. — Theodo. — Clem. VI

Secundo probatur. Chriſtus, in quantum homo Deus, ſatisfecit cōdignè pro nobis, vt fatetur M. Vaſquez vbi ſupra nu. 23. ergo etiam in quantum Deus homo. Reſpōndet negando conſequentiam, & aſſignat rationem diſcriminis, nam in illa propoſitione Chriſtus, in quantum Deus homo, ſatisfecit pro nobis, ſignificatur, Deitatem fuiſſe principium proximum operationum, quibus fiebat ſatisfactio. Cæterum in alia propoſitione poſitā in antecedēti ſolum ſignificatur, quòd Chriſtus, in quantum homo Deificatus, ſeu humanitas Deificata, & ūncta Deitate fuerit principium proximum ſatisfactionis. Sed hæc differentia videtur voluntaria, nam vtraque propoſitio in cōmuni mo- 14

do concipiendi eumdem prorſus facit ſenſum. Prætereà impugnatur eadē ſolutio, nam oſtēſum eſt, quòd Chriſtus fuerit proximū principiū, quod, operationum, quibus fiebat ſatisfactio, humanitas autem Deificata, & vnita Verbo hypoſtaticè ſolū fuit proximū principium, quo: propter quod S. Dionyſius eiuſmodi operationes Chriſti appellat [Theādricas] hoc eſt Dei viriles: ergo ſiue dicamus, Chriſtus, in quantum homo Deus, ſatisfecit pro nobis, ſiue in quantum Deus homo, propoſitio eſt vera.

S.Dama.

115 AD primum argumentū reſpondetur, ex illis auctoritatibus ſolum colligi poſſe, quòd humanitas Chriſti fuerit proximum principiū, quo, ſatisfactionis pro peccatis noſtris. Sed ſpecialiter ad teſtimonia inducta ex S. Thoma reſpondetur, potius fauere noſtræ ſententiæ, quā aduerſæ: nam terminus homo, cum ſit concretus, includit ſuppoſitum. Vnde idem eſt dicere, Chriſtus ſatisfecit ſecundum quòd homo, ac ſi diceretur, Chriſtus ſecūdum quòd eſt ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana, & per eam operans ſatisfecit ex cōdigno pro nobis. Accedit quòd iuxta doctrinā S.Thomæ hic terminus concretus, Chriſtus, poſitus in ſubiecto ſupponit pro ſuppoſito, ergo non ſupponit pro natura conotando ſuppoſitum. Cum ergo in locis prææallegatis expreſſè doceat S. Tho. quòd Chriſtus fuerit immediatè Redemptor generis humani, & nuſquā aſſeruerit, quòd humanitas Chriſti fuerit principium, quod, redemptionis noſtræ, relinquitur, ipſū apertè ſenſiſſe, quòd ſuppoſitū Chriſti fuerit ſatisfaciens, quod, humanitas autem fuerit principiū, quo, ſatisfactionis condignæ quantū ad ſpeciem actionis. Cum ergo ait S. Thomas, quòd Chriſtus fuit mediator ſolum ſecundū quòd homo, non autem ſecundum quòd Deus, ſignificare voluit dumtaxat, ſolam humanitatem fuiſſe principium quo operationis, per quam reparati ſumus: & iuxta hanc doctrinam optimè ſaluatur, quòd mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus diſtinguatur ab extremis. nā Chriſtus, cum ſit Deus, & homo, per humanitatē diſtinguitur à Deo, & per Deitatem ab hnmanitate, & ita fuit medium coniungens in ſeipſo vtrumq; extremum: Iuxta illud. [Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum:] & vnus Deus, vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.]

Infra q. 16. art. 9. ad 3. & ar. 10. ad 2.

Eph. 2. *1.Ti.2.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod in Chriſto ſola humanitas fuit proximum principium, quo, operationis meritoriæ, & ſatisfactoriæ, ſuppoſitum autem Verbi Diuini ſubſiſtens in natura humana fuit proximum principium, quòd, eiuſdem operationis, & ſatisfactionis, vt dictum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd Chriſtus non ſatisfecit ſecundum humanitatem, & Deitatem, ſed ſolum ſecundum humanitatem, quia Diuinitas non fuit principiū, quo, operationis humanæ, per quā Chriſtus Dominus ſatisfecit: Nihilominus ſuppoſitum Verbi Incarnati operans per naturam humanā fuit verè principium, quod, ſatisfactionis condignæ. Cum ergo aſſerimus, quòd Chriſtus, ſecundum quod Deus homo, vel ſecundum quod homo Deus, ſatisfecit pro peccatis noſtris, nō ſignificamus, quod diuinitas, & humanitas fuerint proximum principium, quo, ipſius ſatisfactionis: ſed oſtendimus, humanita-

nitatem fuiſſe principium, quo, & Verbum Incarnatum operans per humanitatem fuiſſe reuera proximum principium, quod, eiuſdem ſatisfactionis tribuens illi condignitatem, & infinitum valorem ex parte perſonæ offerentis.

17 Ad tertium reſpondetur, hanc propoſitionem, humanitas, vel hæc humanitas operatur, meretur, vel ſatisfacit, eſſe valde impropriam, quoniam actiones non ſunt formarum, ſed ſuppoſitorum, vt dictum eſt. Ad rationem in oppoſitum reſpondetur, quòd terminus concretus poſitus in ſubiecto non ſupponit pro natura connotando ſuppoſitum, ſed pro ſuppoſito ipſo, vt docet expreſſè S. Thomas.

S. Thom. locus nu. 15. alleg.

Ad quartum reſpondetur, humanitatem in Chriſto non exiſtere formaliter per propriam exiſtentiam creatam, ſed per increatam exiſtentiam Verbi, vt patebit infra: Vnde operari, vt quod, & ſatisfacere, proxime conuenit perſonæ Chriſti, humanitati vero conuenit, vt quo: & per hæc ad confirmationem dicendum, quòd anima rationalis ſeparata, quia eſt ſemiperſona, intelligit vt quod incompletum. Cæterum dum eſt vnita corpori; eſt principium formale intellectionis; ſuppoſitum autem eſt proximum, quod principale eiuſdem intellectionis. Humanitas autem in Chriſto non habet propriam perſonalitatem, aut exiſtentiam creatam, ſed increatam, vt dictum eſt. Vnde ſatisfactoriæ operationes illius tribuendæ ſunt ſuppoſito Verbi Incarnati tamquàm proximo principio quod, operanti per naturam humanam, vt dictum eſt.

DISPVTATIO SEXTA.

Vtrum de potentia Dei abſoluta purus homo, ideſt, homo qui non eſt Deus habens tamen gratiam, & charitatem, poſſet ſatisfacere de condigno, vel de toto rigore Iuſtitia pro culpa totius generis humani.

PRIMA ſententia affirmat, poſſe quidem purum hominem cum gratia habituali per actum charitatis, vel pœnitentiæ ſatisfacere ex iuſtitia, & ad æqualitatem rei ad rem pro peccato originali, vel mortali aliorũ, non tamen de toto rigore iuſtitiæ, ſicut ſatisfecit Chriſtus Dominus. Ita tenent aliqui moderni, etiam ex Thomiſtis, & adducunt pro ſua ſententia Caiet. hic, Ferr. 4. con. gen. c. 54. & alios diſcipulos S. Thomæ. 1

Probatur primo ex ſancto Thoma dicente, [Quòd ille propriè ſatisfacit pro offenſa, qui exhibet offenſo, id quod æquè, vel magis diligit, quàm oderit offenſam:] ſed actus charitatis, vel contritionis, prout informantur gratia, non minus diliguntur à Deo, quàm fuerit odio habita offenſa originalis, vel mortalis: ergo. Minor probatur. Sicut per peccatum homo offendit Deum infinitum, & auerſus eſt ab illo, & conuerſus ad creaturam tãquam ad vltimum finem: ita per actũ charitatis, & contritionis auertitur homo à creatura, & conuertitur in Deum infinitum, tamquam in finem vltimum, quem ſuper omnia diligit: ergo ita placet Deo a-

S. Thom. infr. q. 48 art. 2.

D 2 ctus

ctus charitatis, & contritionis procedens ex gratia, ſicut diſplicuit ipſa offenſa.

Confirmatur. Ex gratia Dei, qui eſt infinitus, participat tantum valorem, in genere morali actus charitatis, & pœnitentiæ, quantum habuit malitiæ ipſa offenſa: vnde S. Thom. ait, quod ſicut offenſa mortalis habet infinitatẽ ex infinita Dei maieſtate, quæ offenditur, ita & ſatisfactio, quæ eſt per contritionem (de hac enim loquitur) habet quãdam infinitatem ex infinita miſericordia acceptantis: ergo de potentia Dei, abſoluta ſatisfactio puri hominis procedens ex gratia potuit eſſe condigna, & ad æqualitatem pro offenſa generis humani.

S. Tho. 4. d. 15. q. 1 ar. 2. ad 1

2 Secundo arguitur. Deus poteſt communicare puræ creaturæ poteſtatẽ excellentiæ, quam habuit Chriſtus in quantum homo, vt docet S. Tho. infra: ſed ad poteſtatem excellentiæ Chriſti pertinet habere tantam gratiæ plenitudinem, vt ab eo deriuetur in alios, & ſit eorum caput, & Redemptor ſatisfaciens ad æqualitatem pro culpa: ergo id potuit communicari puræ creaturæ.

S. Tho. q. 64. ar. 4.

Confirmatur. Puræ creaturæ poteſt communicari charitas ita perfecta ſicut fuit in anima Chriſti, nã charitas poteſt augeri in infinitum, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 24. ar. 7. Sed per charitatẽ Chriſti facta eſt Deo recompenſatio ad æqualitatem pro culpa: ergo per charitatem puri hominis habentis gratiam fieri poteſt conſimilis recompenſatio.

S. Thom.

Tertio arguitur. Chriſtus, vt homo, ſatisfecit pro culpa, vt cauſa ſecunda principalis, ſed quicquid poteſt Deus facere cum cauſa ſecũda, poteſt etiã ſe ſolo facere, aut interuentu alterius cauſæ ſecundæ: cum poſſit ſupplere vices cauſæ efficientis: cum ergo ſatiſfactio Chriſti fuerit condigna, & ad æqualitatem rei ad rẽ relinquitur, Deũ poſſe facere, quòd purus homo cum gratia ad æqualitatẽ ſatisfaceret pro culpa.

3 Secunda ſententia eſt Aureoli nuper Romæ excuſſi in 4. d. 15. ar. 2. vbi ait, quod non ſolum ad æqualitatem, ſed etiam de rigore iuſtitiæ poteſt purus homo per Dei gratiam ſatisfacere pro culpa, pro qua ſententia eſt argumentum Aureoli, quod eſt quartum in ordine.

Aureolus

Quartò arguitur. Ad rigoroſam hominis ſatisfactionẽ ſufficit, quòd reddam Deo aliquid æquale offenſę ex his, quæ non ſunt Deo debita ex iuſtitia: ſed purus homo cum gratia poteſt Deo offerre in ſatisfactionem pro culpa, actum charitatis ita intenſum in bonitate, ſicut fuit peccatum graue ſecundum malitiã: & ex alia parte, homo non tenetur ex iuſtitia elicere actum charitatis, ſed ſolum tenetur ad talem actum ex charitate, vel ex religione titulo gratitudinis: ergo per illum actum poterit Deo ſatisfacere ex rigoroſa iuſtitia.

Confirmatur. Quòd aliquid ſit debitum alteri ex charitate, vel titulo gratitudinis, non tollit ſatisfactionem rigoroſam iuſtitiæ, vt conſtat maniſeſtiſſimo exemplo. Petrus poteſt ſuis pecunijs ſatisfacere Paulo ex rigore iuſtitiæ pro debito cõtracto titulo venditionis alicuius rei, etiamſi ex gratitudine eædem pecuniæ ſint Paulo debitæ pro alijs acceptis beneficijs, aut ex charitate, quia videlicet Paulus eſt in extrema neceſſitate: ergo ſimiliter, quamuis opera ſatisfactoria puri hominis ſint alias Deo debita ex gratitudine pro alijs bene-

nefi-

Digitized by Google

neficijs acceptis; quia tamen non ſunt illi debita ex iuſtitia, poterit eiſdem operibus purus homo ſatisfacere pro culpa ex rigoroſa iuſtitia.

4 Quintò arguitur. Deus ſua potentia abſoluta poteſt producere aliquam ſubſtantiam intellectualem ſupernaturalis ordinis, cui ſit connaturale habere gratiam, & charitatem ſupernaturalem infuſam; cum in hoc nulla appareat implicatio contradictionis: Et præterea, nam Deus producit de facto accidens ſupernaturalis ordinis, vt lumen gloriæ, & habitus per ſe infuſos, ergo eadē ratione poterit producere aliquam ſubſtantiam ſupernaturalem, à qua per modum paſſionis fluant charitas, & alij habitus infuſi: ſed huiuſmodi creatura poſſet ſatisfacere pro culpa totius generis humani de rigore iuſtitiæ, nam ſatisfaceret ex proprijs principijs ſuæ naturæ, & conſequentèr ſatisfaceret ex aliàs indebitis titulo gratuitæ donationis. Si enim gratia, & charitas eſſet connaturalis ſubſtantiæ creatæ, non fuiſſet illi donata gratis, ſed ex debito naturæ; ſicut homo habet ex debito naturæ, quòd ſit riſibilis, quia riſibilitas eſt propria paſſio conſequens naturam hominis: ergo.

5 Tertia ſententia eſt ſancti Thomæ ad ſecundum huius articuli, quam reputo eſſe communem inter Thomiſtas, & eā defendit Capr. vbi ſupra, & Ferr. 4. cont. gent. ſupra allegato, & M. Sotus 4. d. 1. q. 5. ar. 4. Pro cuius explicatione notandum, quod vt docet expreſſè ſanctus Thomas hic ad 2. aliqua ſatiſfactio poteſt dici dupliciter ſufficiens, ſiue ad æqualitatem. Vno modo perfectè, quia eſt condigna per quamdam adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ. Secundò, poteſt dici ſufficiens, ſiue ad æqualitatem imperfectè: quia videlicet eſt ſufficiens ſecundum acceptationem eius, qui tali ſatisfactione contentus eſt. Sit ergo

S. Thom. Capr. Ferrar. Sotus.

6 Prima concluſio. Nulla pura creatura quantumuis innocēs, & ſancta poteſt perfectè ſatisfacere de condigno, ſiue ad æqualitatem perfectam pro culpa originali, vel mortali propria, vel alterius, etiam de potentia Dei abſoluta. Concluſio eſt expreſſa ſancti Thomæ ad ſecundum huius articuli, vbi apertè docet, quòd ſatisfactio puri hominis ſufficiens eſſe non potuit per adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ: & aſſignat rationem. quia peccatum contra Deum commiſſum quamdam habet infinitatem ex infinitate Diuinæ maieſtatis, cui eſt irrogata iniuria: & ex hoc infert, quòd oportuit ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciā infinitam, vtpotè Dei, & hominis exiſtens. Ex his deſumitur argumentum. Fieri non poteſt, vt ſatiſfactio puri hominis, quantumuis ſancti, habeat efficaciam, & valorē infinitum: nam hæc infinitas non poteſt aliunde ſumi, niſi ex infinitate perſonæ ſatisfacientis, quam quidem infinitatem nulla perſona creata poteſt habere, ergo non poteſt etiam per potentiam Dei abſolutam ſatisfacere ad æqualitatem perfectam pro culpa. Confirmatur; Nam aliàs Dei Incarnatio non fuiſſet ſimpliciter neceſſaria ad ſatisfaciendum de condigno, & ad perfectam æqualitatem pro culpa totius generis humani, cuius oppoſitum docet S. Tho. & cōiter SS. Doctores.

Solutio. Reſpondent ad hoc argumentum auctores oppoſitæ ſententiæ, quòd, quamuis ſatisfactio puri hominis non poſſit habere infinitum valorē ex parte ſuppoſiti ſatisfacientis, poteſt tamen habere illum ex parte gratiæ elicientis, & charitatis ipſū opus eleuantis ad eſſe ſupernaturale, & ex parte Dei mouentis, vt eſt auctor gratiæ, & charitatis. Et quoniā, id quod per amicos poſſumus, per nos ipſos poſſumus, propterea, quod poteſt homo per amicum Deum, per ſeipſum cenſetur poſſe.

Impugnatio. Sed contra hanc ſolutionem arguitur. Ad condignam ſatisfactionem pro offenſa facta Deo, requiritur infinitas, ſiue æqualitas perſonæ ſatisfacientis cum Deo, qui fuerat offenſus, vt ſupra dictum eſt: ergo, ſine illa, ſatisfactio non poteſt eſſe condigna.

7 Reſpondent, quòd æqualitas perſonæ ſatisfacientis ad perſonam offenſam non propter aliud requiritur, niſi vt dignitas ſatisfacientis redundet in valorem, & dignitatem ſatisfactionis, vt ita ſatisfactio ſit æqualis offenſæ. Quapropter, ſi cum inæqualitate perſonæ ſatisfacientis ad perſonam offenſam, ſaluetur aliunde æqualitas inter ſatisfactionem, & offenſam, vndecumque æqualitas hæc proueniat, ſatisfactio erit de condigno per adæquationē perfectam. Confirmant, & explicant hanc ſolutionem: nam, ſi fingeremus duos Deos æquales, & quòd homo adiutus ab vno ſatisfaceret alteri pro offenſa, illa ſatisfactio nō ſolum eſſet ad ęqualitatem, ſed etiā de rigore iuſtitiæ; nam tunc homo redderet æquale pro offenſa: & illa æqualitas non fundaretur in bonis eius, cui fit ſatisfactio, ſed in bonis alterius Dei amici, cuius virtute fieret ſatisfactio. Cum ergo per adiutorium gratiæ poſſit purus homo de potentia abſoluta reddere Deo æquale pro offenſa totius generis humani: relinquitur, non eſſe impoſſibile, quòd purus homo per gratiam ſatisfaciat perfectè Deo pro offenſa, & de condigno, quamuis non de toto rigore iuſtitiæ.

Sed hæc ſolutio videtur apertè pugnare cum ſancto Thoma ſolutione citata ad ſecundum, vbi abſolutè docet, ad perfectam ſatisfactionem de condigno eſſe neceſſarium, vt actus ſatisfacientis habeat efficaciam infinitā, [vtpotè Dei, & hominis exiſtens:] Cenſet igitur, condignitatem talis ſatisfactionis non poſſe aliunde ſumi, quàm ex infinitate perſonæ ſatisfacientis, eo quòd Deus offenſus ſimpliciter eſt infinitus. Ad exemplum adductum reſpondetur, quòd, etiam in illo caſu impoſſibili, purus homo cum gratia vnius Dei non ſatisfaceret alteri ad perfectam æqualitatem pro offenſa, vt dicetur infra.

Secundo probatur concluſio ex his, quæ dicta ſunt in tertia diſputatione. Peccatum originale, vel mortale in ratione offenſæ, & quatenus eſt malum Dei intentatum, habet malitiam in genere moris ſimpliciter infinitam: ergo non poteſt fieri recompenſatio pro culpa ad perfectam æqualitatem, niſi ipſa ſatisfactio in ratione ſatisfactionis habeat valorem ſimpliciter infinitum. Probatur conſequentia, quia nullum finitum, quantumcumque creſcat, poteſt perfectè adæquari infinito. Sed puri hominis ſatisfactio non poteſt habere valorem ſimpliciter infinitum in ratione ſatisfactionis: nam hæc infinitas ſolum poteſt deſumi ex infinitate perſonæ ſatisfacien-

cientis, vt ſupra dictum eſt: ergo.

Secunda concluſio. Satisfactio puri hominis pro culpa, etiam de potentia abſoluta, eſſe non poteſt de toto rigore iuſtitiæ. Concluſio eſt contra Aureolum, ſequitur tamen per euidentem conſequentiam ex præcedenti; nam, ſi non poteſt dari ſatisfactio puri hominis ad perfectam æqualitatem pro culpa, multo minus dari poterit de toto rigore iuſtitiæ. Præterea probatur. Ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ, requiritur, quòd ipſa ſatisfactio, & valor illius ſe teneat ex parte ſatiſfacientis, & fiat ex proprijs eius bonis, & non ex bonis eius, cui fit ſatisfactio; ſed purus homo non poteſt Deo ſatisfacere, offerendo illi aliquod bonũ pro culpa, ita ſibi proprium, vt non ſit acceptum à Deo, & ab eo dependens tamquam à primo, & abſoluto omnium domino,

1. Cor. 4 ait enim Apoſtolus. [Quid habes, 1. Paralip. 28. quod non accepiſti?] Et 1. Paralip. 28. dicitur. [Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi: ergo, &c.

Denique probatur. Satisfactio rigoroſa pro offenſa eſt actus elicitus, vel regulatus à iuſtitia commutatiua, vt diſputatione 4. oſtenſum eſt. Sed nulla ſatisfactio puri hominis pro culpa eſſe poteſt actus elicitus, vel regulatus à iuſtitia commutatiua: nam, vt ſupra dictum eſt ex

S. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. ſancto Thoma, in pura creatura eſſe non poteſt virtus iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum: ergo.

9 Tertia concluſio. De potentia Dei abſoluta potuit pura creatura exiſtẽs in gratia ſatisfacere imperfectè, ſiue ad æqualitatem imperfectam pro culpa totius generis humani. Concluſio eſt ſancti Thomæ in ſolutione citata ad ſecundum, quam defendunt communiter Theologi. Probatur ratione ſancti Thomæ. Ad imperfectam ſatisfactionem de condigno, ſufficit, quòd ſatisfactio ſit eiuſdẽ ordinis cum perſona offenſa, ſcilicet cum Deo, vt eſt auctor gratiæ; & quòd ipſe Deus eamdem ſatisfactionem acceptet, ſitque illa contentus: ſed per gratiam, & charitatem ſatisfactio puri hominis ſit ordinis ſupernaturalis, ſicut eſt Deus offenſus, & ex alia parte non repugnat, quòd Deus acceptet eamdem ſatisfactionem pro culpa totius generis humani, ſitque illa contentus, ergo de potentia abſoluta poteſt pura creatura ſatisfacere ad æqualitatem imperfectam pro culpa totius generis humani.

Secundò. Per opera procedentia ex gratia, & charitate meretur homo de condigno vitam æternam, vt omnes Theologi fatentur cum ſancto Thoma 1. 2. quæſt. 114. ar. 3. & conſtat ex illo 2. ad Thim. 4. [De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.] Item etiam pœnitens per actum contritionis, & charitatis ſatisfacit ſecundum acceptationem diuinam ſatisfactione imperfecta pro culpa propria mortali, vt patebit infra. Ergo, de potentia abſoluta, potuit purus homo cum gratia per actum charitatis ſatisfacere ad æqualitatem imperfectam pro culpa totius generis humani. Patet conſequentia, nam, ſicut de facto Deus acceptat actum charitatis, & pœnitentiæ in ſatisfactionem imperfectam pro culpa propria: ita etiam potuit acceptare actum charitatis puræ creaturæ habentis gratiam in ſatisfactionem imperfectã pro culpa totius generis humani, cum in hoc nulla appareat implicatio. S. Thom.

10 AD primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, quòd ſatisfactio puri hominis pro culpa totius generis humani potuit eſſe condigna ſecundùm acceptationem Diuinam, non autem ſecundùm ſe: ita videlicet, vt ideò acceptetur à Deo, quia condigna, hoc enim eſt proprium ſatisfactionis Chriſti, quæ propterea à Deo acceptata eſt, quia ſecundùm ſe erat condigna, & æqualis offenſæ, immò & ſuperabundans: & non econuerſo. Non enim ideò fuit condigna, quia acceptata à Deo, vt ex ſancto Thoma colligit Caiet. infra quæſt. 48. ar. 2. Et cum arguitur: nam per actū charitatis exhibet homo Deo, id quod æquè, vel magis diligit, quã oderit offenſam: ergo offert condignum, & æquale ſecundùm ſe: Reſpondetur, quòd, ſi conſideretur offenſa in quantum eſt malum hominis, Deus æquè, vel magis diligit actum charitatis, quàm odio habeat ipſam offenſam. nam tantum bonum hominis eſt gratia, & charitas, quantum malum fuit peccatū. Si autem conſideretur offenſa in quantum ſecundùm affectum peccantis eſt deſtructiua Diuinæ bonitatis, & maieſtatis, ſiue quatenus eſt malum Dei intentatum: plus odio habetur à Deo offenſa, quàm diligatur actus charitatis. Nam quantitas odij alicuius mali menſuratur ſecundùm quantitatẽ amoris boni oppoſiti: eo quòd omnes alij actus appetitiuæ virtutis fundantur, & radicantur in actu amoris. Et quoniam Deus infinitè amat ſeipſum, ideò odio infinito proſequitur peccatū quatenus eſt malum Diuinum intentatum, & deſtructiuum ipſius Dei. Cæterum actus charitatis puræ creaturæ diligitur finitè à Deo ex parte obiecti voliti, nam charitas puræ creaturæ eſt ſimpliciter bonum finitum, & ſolum habet infinitatem ſecundùm quid, & extrinſecam ex parte obiecti, & ex parte Spiritus S. mouentis. Vnde, nulla pura creatura poteſt per actum charitatis ad perfectã æqualitatem Deo ſatisfacere pro culpa, ſed ſolum ſecundùm gratuitam acceptationem Dei: & ſic intelligitur S. Thom. lib. 4. d. 15. cit. vt ex ipſo contextu colligitur.

Caiet.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd in Chriſto eſt duplex poteſtas excellentiæ. Altera auctoritatiua, quæ competit ei ſecundùm quòd Deus. Et hæc poteſtas nulli creaturæ puræ potuit communicari. Altera autem poteſtas excellentiæ eſt, quaſi miniſterialis, quæ competit ei quatenus eſt homo, vt poſſe inſtituere Sacramenta; poſſe effectum Sacramentorum extra Sacramenta conferre: & hæc potuit puræ creaturæ communicari, vt in eodem articulo docet ſanctus Thomas. Quia ergo infinitas ſatisfactionis, ratione cuius ipſa ſatisfactio Chriſti pro culpa eſt ad perfectam æqualitatem, prouenit ex infinitate perſonæ Diuinæ operantis in natura aſſumpta; quæ quidem infinitas perſonæ in pura creatura nequit reperiri, ideò non eſt communicabile perſonę creatæ, poſſe ſatisfacere ad perfectam æqualitatem pro culpa. 11

Ad confirmationem reſpondetur, quòd in eſſe phyſico potuit per abſolutam Dei potentiam communicari puræ creaturæ gratia, & charitas magis intenſa, quàm fuerit in Anima Chriſti; non tamen in genere morali, vt videlicet eſt principium merendi, & ſatisfaciendi. Hæc enim infinitatem, quam habet gratia

tia Chriſti, aliunde prouenire non poteſt, niſi ex infinitate perſonæ ſatisfacientis, & merentis, vt ſupra dictum eſt.

12 Ad tertium reſpondetur, quòd ſicut per nullam potentiam poteſt intellectio procedere niſi ab habente intellectum; eo quòd dicit intrinſecum ordinem ad illum, nedum in genere cauſæ efficientis, ſed etiam in genere cauſæ formalis, quia intellectio eſt actio vitalis, & conſequentèr dicit intrinſecum ordinem ad potentiam vitalem: ita proportionabiliter ſatisfactio ad æqualitatem perfectam pro culpa commiſſa contra Deum procedere non poteſt, niſi à perſona infinita, quia dignitas, & valor infinitus eiuſdem ſatisfactionis, ratione cuius eſt ad æqualitatem perfectam, dicit intrinſecum ordinem quaſi in genere cauſæ formalis ad infinitatem perſonæ ſatisfacientis, in qua, tamquam in prima radice, valor infinitus eiuſdem ſatisfactionis fundatur.

13 Ad quartum reſpondetur, ad rigoroſam ſatisfactionem requiri, quòd fiat ex proprijs bonis ſatisfacientis, quorum dominium, ita reſideat apud ſatisfacientem, vt in eo non dependeat principalitèr ab eo, cui fit ſatisfactio. Creatura autem nullius rei poteſt habere dominiũ, cuius Deus non ſit primus, & abſolutus Dominus, à quo quodcumque dominium creatum intrinſecè dependet. Vnde non poteſt pura creatura ſatisfacere ad æqualitatem perfectam pro culpa, vel pro acceptis beneficijs.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd Petrus non dependet in dominio ſuarum pecuniarum à Paulo, neque in ipſo actu ſatisfaciendi, nã actus ille ita procedit efficientèr à Petro, vt non procedat à Paulo effectiuè: & ex alia parte pecuniæ oblatæ poſſunt habere perfectam æqualitatem cum debito contracto: & ideò poteſt ſatisfacere eiſdem pecunijs acceptis à Paulo ad perfectam æqualitatem pro debito; etiãſi aliàs titulo gratitudinis, aut ex charitate creditori debeantur. Cæterũ dominium primum, & abſolutum omnium, quæ habet purus homo, reſidet apud Deum, & actus ipſe, quo fit ſatisfactio, pendet à Deo tãquam à cauſa prima efficiente: & ex alia parte quicquid poteſt homo Deo offerre non habet perfectam æqualitatem cum grauitate offenſæ, vnde non eſt ſimile.

Ad quintum argumentum, quidam Theologi arbitrantur non repugnare, quòd producatur à Deo aliqua ſubſtantia ordinis ſupernaturalis, cui eſſet connaturale habere charitatem ſupernaturalem, aut lumen gloriæ, & cæteros habitus infuſos. Hæc tamen ſententia eſt omnino improbabilis, vt alibi latè oſtendi. Sicut enim non eſt communicabile puræ creaturæ, quòd ſit ſuum eſſe, aut purus actus; nam id in ſuo conceptu formali includit infinitatem, quæ non poteſt ſubſtantiæ creatæ competere: ità non eſt communicabile creaturæ, quòd per ſuam ſubſtantiam ſit ordinis ſupernaturalis, & Diuini, nam hoc etiã in ſuo formali conceptu includit infinitatem. Nec eſt eadem ratio de gratia, & charitate, & alijs habitibus per ſe infuſis. nam, cum ſint accidentia, non habent eſſe ſupernaturale, vt quod, ſed ſolum, vt quò aliqua ſubſtantia intellectualis fit ſupernaturalis, quia accidentia non ſubſiſtunt per ſe; vnde in ſuo formali conceptu non includunt infinita-

14 Molina 1. p. q. 12. art. 4.

Lib. de auxiliis. diſp. 69.

nita-

nitatem: nam, eo ipſo quòd inhærent, vel poſſunt inhærere ſubiecto, limitantur per ſubiectum. Vnde non repugnat, quòd detur aliquod accidens ſupernaturale. Sed dato per impoſſibile, quòd poſſet produci aliqua pura creatura, cui eſſet connaturale diligere Deum ſuper omnia, vt eſt auctor gratiæ: & habere contritionem, quid eſſet dicendum ad argumentum.

Quidam Thomiſtæ reſpondent, quòd poſſet illa creatura ſatisfacere pro culpa totius generis humani, non ſolum ad perfectam æqualitatem, ſed etiam de rigore iuſtitiæ, quia licet non haberet æqualitatem cum Deo offenſo, poſſet tamen ex proprijs naturæ principijs reddere Deo æquale offenſæ illatæ. Ita videtur inſinuare Caiet. hic. §. [Ad vltimam verò obiectionem.] Sed hæc ſolutio mihi non probatur. Nam adhuc illa ſubſtantia creata, ſi daretur, penderet intrinſecè in ſuo eſſe, & ſatisfactione à Deo tamquam à primo Auctore, & tamquã à prima cauſa efficiente, ergo non poſſet ſatisfacere Deo pro culpa ex bonis ita ſibi proprijs, vt non ſint principaliter illius, cui fieret ſatisfactio: ac perconſequens illa ſatisfactio non eſſet de rigore iuſtitiæ, neque ad perfectam æqualitatem, vt ex dictis conſtat. Nam actus charitatis, etiamſi ſit ex proprijs, non adæquatur offenſæ. Ad argumentum ergo reſpondetur, quòd caſus ille eſt impoſſibilis: Quo etiam admiſſo, ſatiſfactio puræ creaturæ non eſſet de rigore iuſtitiæ, neque etiam ad perfectam æqualitatem, vt oſtenſum eſt.

Caiet.

DISPVTATIO SEPTIMA.

Vtrum pœnitens, quando iuſtificatur, per actum charitatis, & contritionis ſatisfaciat de facto Deo ex iuſtitia imperfecta pro culpa mortali.

PRIMA ſententia, 1
eſt aſſerentium, pœnitentem per actum charitatis, & contritionis non ſatiſfacere ex iuſtitia imperfecta pro culpa, ſed ſolum pro pœna temporali, ſiue conſideretur contritio, vt ordine naturæ antecedit gratiam iuſtificantem in ratione diſpoſitionis, ſiue vt eam ſubſequitur. Ita Riccard. 4. d. 17. ar. 2. quæſt. 4. Caiet. in opuſc. de fide, & operibus cap. 11. & 12. M. Med. hic ad medium cõmenti, & prima ſecundę quęſt. 114. ar. 5. & eam ſequuntur aliqui recentiores Theologi.

Riccard. Caiet. Medina.

Primum argumentum illorum eſt. Remiſſio peccatorum, & iuſtificatio impij nullo modo fit ex iuſtitia etiam imperfecta, ſed merè gratis, vt dicit Apoſtolus Rom. 3. [Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,] quod etiam repetit cap. 5. & Epheſ. 2. Ergo pœnitens non ſatiſfacit per actum contritionis pro culpa mortali ex iuſtitia imperfecta. Probatur conſequentia, nam ſatisfacienti ex iuſtitia pro culpa debetur ex iuſtitia remiſſio culpæ.

Rom. 3. *Eph. 2.*

Confirmatur primò. Temporalis pœna, pro qua ex iuſtitia imperfecta ſatisfacit iuſtus, ideò non remittitur gratis, quia fieri non poteſt, vt illud idem gratis remitti dicatur, pro quo pœnitens ſatisfacit ex iuſti-

iuſtitia. Similiter etiam, propterea gloria non datur iuſtis omnino gra-
1 tis, quia confertur ex debito iuſtitiæ, quamuis imperfectæ: Ergo ſimiliter culpa non remittetur gratis, ſi aliquo modo remiſſio eſt debita ex iuſtitia.

Confirmatur ſecundò. Iuſtificatio impij includit remiſſionem culpæ, & in illa conſummatur, vt docet
S. Thom. ſanctus Thomas 1.2.quæſt. 113.ar.6. in corp. Immò ſecundum Apoſto-
Rom. 4. lum Rom. 4. Idem eſt hominem iuſtificari, & remitti ei peccata,
Pſal. 31 quod probat ex illo Pſal. 31. [Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.] Cum ergo iuſtificatio impij fiat gratis, relinquitur, quòd remiſſio culpæ fiat omnino gratis. ergò pœnitens non ſatisfacit pro culpa ex iuſtitia imperfecta.

2 Secundò arguitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 7. vbi ſic dicitur. [In ipſa iuſtificatione cũ remiſſione peccati hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem:] & in toto illo cap. & cap. 8. apertiſſimè docet, impiũ gratis iuſtificari: quod etiam dicunt Concilia Mileuitanũ, & Arauſicanum. Ergo de fide eſt, culpam, & offenſam Dei gratis remitti, & non ex iuſtitia. Sed ex hoc principio fidei infertur per euidentem conſequentiam, pœnitentem non ſatisfacere pro eadem culpa ex iuſtitia etiam imperfecta: ergo.

Tertiò. Reconciliatio cum Deo, & remiſſio peccati quoad culpam eſt effectus formalis gratiæ iuſtificantis, cum per gratiam formaliter expellatur peccatum, ſicut nigredo expellitur per albedinem: ergo cui debetur ex iuſtitia remiſſio culpæ, debetur etiam ex iuſtitia prima gratia iuſtificans: forma enim, & effectus formalis eiuſdem pro eodem computantur. Sed impoſſibile eſt, quòd pœnitenti debeatur ex iuſtitia imperfecta, prima gratia iuſtificans, quia tunc gratia non eſſet gratia, dicitur enim Rom. 11. [Non Ro. 11.
ex operibus, aliàs gratia non eſt gratia.] Ergo non debetur pœnitenti ex iuſtitia remiſſio culpę, ac per cõſequens per actum contritionis, & charitatis non ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta pro culpa.

Quartò. Contritio non ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta pro culpa quatenus in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ antecedit ordine naturæ gratiam iuſtificantem; quia omnis iuſtitia, quæ poteſt eſſe inter hominem, & Deum, fundatur in amicitia, & conſequentèr in gratia iuſtificante, per quam homo Dei amicus conſtituitur: Contritio autem, vt antecedit gratiam habitualem, non eſt opus amici, quia in illo priori nondum intelligitur homo amicus Dei, cum non intelligatur gratia habitualis, per quam formaliter fit amicus illius. Nec etiam ſatisfacit ex iuſtitia pro culpa, quatenus ipſa cõtritio ſubſequitur gratiam iuſtificantem in genere cauſæ efficientis, vel formalis. Nam ſub hac ratione ipſa contritio præſupponit culpam iam remiſſam gratis per ipſam gratiam iuſtificantem. Culpa autem iam remiſſa gratis nõ poteſt remitti iterum ex iuſtitia imperfecta propter ſatisfactionem oblatam pro offenſa: ergo nullo modo contritio eſt ſatisfactoria pro culpa.

Secunda ſententia docet, homi- 3
nem per contritionem, vt ordine 2 ſenten.
naturæ ſequitur ad gratiam iuſtifi-

can-

cantem, non ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro culpa, quia ſuppo-
30 nit culpam iam remiſſam: ſed tamen, vt antecedit in ratione diſpoſitionis, & in genere cauſæ materialis gratiam iuſtificantem, ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta Deo pro ipſa culpa. Et pro hac ſententia, militant ſequentia argumenta.

Quintò arguitur. Ad ſatisfactionem ex iuſtitia imperfecta, non requiritur, quòd ſit ſufficiens ſecundum ſe, & æquiualens offenſæ, ſed ſatis eſt, quod ſit ſufficiens ſecundũ legem, vel beneplacitum, & acceptationem illius, cui fit ſatisfactio: ſed, ſecundum legem Dei, Spiritus contribulatus, & cor contritum eſt ſacrificium Deo acceptum, & ſatiſfactio pro culpa commiſſa ſufficiẽs ſecundum acceptationem Diuinã,
Pſal. 50 vt patet ex illo Pſalm. 50. [Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus
Ezech. 18. non deſpicies.] Et per Ezechiel. repromiſit Deus peccatori, quod in quacumq; die ingemuerit omnium iniquitatum eius non recordabitur amplius: ergo contritio, vt antecedit gratiam habitualem ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta pro culpa. Probatur conſequentia, nam contritio, vt antecedit gratiam habitualem eſt eſſentialitèr contritio, verè procedens ex auxilio Spiritus ſancti, & eſt id quod Deus exigit à peccatore, vt peccata ei dimittantur. ergo, &c.

3. ſenten. Tertia ſententia eſt aliorum aſſerentium, quòd contritio, vt antecedit gratiam habitualem, ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta pro culpa, ſicut aſſerit ſecunda ſententia. Quatenus autem ſubſequitur gratiam habitualem, ſatisfacit pro eadem culpa ſatisfactione perfecta: & pro hac ſententia.

Sextò arguitur. Contritio, vt antecedit gratiam iuſtificantem, non habet valorem æqualẽ, & adæquantem grauitatem offenſæ, quia non procedit à Spiritu ſancto inhabitante, habet tamen aliqualem valorem coram Deo, eo quòd eſt ordinis ſupernaturalis, & vltima diſpoſitio ad gratiam, procedens à Spiritu ſancto mouente: vt autem ſubſequitur gratiam procedit à Spiritu ſancto inhabitante, & perconſequens ex ipſa gratia habet æqualitatem cum grauitate offenſæ: ergo pœnitens per actum contritionis, vt antecedit gratiam, ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta pro offenſa, &, vt ſubſequitur gratiam, ſatisfacit ad perfectam æqualitatem pro eadem offenſa.

Confirmatur hæc ſententia omnibus argumentis, quibus diſputatione præcedenti contendebamus probare, purum hominem cum gratia per actum charitatis, & contritionis de potentia Dei abſoluta potuiſſe ſatisfacere ad æqualitatem perfectam pro culpa totius generis humani. Eadem quippè argumenta probare vidẽtur, pœnitentem per actum charitatis, & contritionis, vt informatum gratia ſatisfacere de facto ad perfectam æqualitatem pro culpa propria mortali.

Quarta ſententia docet, pœnitẽtem per actum contritionis, vt antecedit gratiam iuſtificantem, non ſatisfacere ex iuſtitia etiam imperfecta pro culpa, vt autem ſubſequitur gratiam ſatisfacere quidem ex iuſtitia imperfecta pro culpa, non tamen ad perfectam æqualitatem. Et quoniam hæc ſententia (noſtro iudicio) eſt expreſſa ſancti Thomæ, *4. ſenten.*

expli-

explicanda eſt, ac defendenda.

5 Pro huius intelligentia notandũ, quòd, vt ſupra dicebamus, peccatũ poteſt dupliciter conſiderari. Primò quatenus eſt malum ipſius peccatoris priuans illum vita ſpirituali, & inducens maculam peccati in anima, & deordinationem habitualem, vel quaſi habitualem, quæ permanet in anima tranſacto actu peccati. Secundò quatenus eſt formalitèr iniuria Diuinæ maieſtatis. ſit ergo

PRima concluſio. Pœnitens per actum contritionis non ſatisfacit ex iuſtitia etiam imperfecta pro peccato, quatenus eſt malum hominis peccantis, ſiue quantum ad habitualem deordinationem, & maculam: ſed ſub hac ratione peccatum ita omnino gratis dimittitur per infuſionem gratiæ, vt nulla precedat ſatisfactio pro illo. Hanc cõcluſionem probant efficaciter argumenta facta pro prima ſententia, nec illam negant auctores, quos adducemus pro tertia concluſione. Probatur inſuper. Satisfactio, in quantum ſatisfactio, nõ reſpicit per ſe bonum, vel commodum ſatisfacientis, ſed illius, cui fit ſatisfactio: ergo pœnitens per actum contritionis nõ ſatisfacit pro peccato, ex iuſtitia imperfecta, vt eſt malum ipſius peccatoris pœnitentis, & ſatiſfacientis. Aliàs per ſe talis ſatiſfactio reſpiceret commodum, & bonum ſatisfacientis, & non illius honorem, cui fit ſatisfactio. Confirmatur. Satisfactio, quatenus eſt actus iuſtitiæ etiam imperfectæ, eſt ad alterum: ergo debet reſpicere tamquam alterum extremum perſonam cui fit ſatisfactio. Aliàs per actum iuſtitiæ aliqua perſona creata ſatisfaceret ſibi ipſi: ergo pœnitens non ſatisfacit pro culpa, vt eſt malum hominis.

SEcunda concluſio. Pœnitens per actum contritionis, vt ordine naturæ præcedit gratiam iuſtificantem, non ſatisfacit ex iuſtitia etiam imperfecta pro culpa in quantum eſt iniuria Deo illata. Concluſio eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ: defenditur tamen ab aſſertoribus quartæ, & ab alijs, quos allegabimus in 3. concluſione. Probatur rationibus factis pro prima ſententia, quæ ad minus probant iſtam concluſionem. Probatur præterea ratione facta in 4. argumento. Omnis iuſtitia etiam imperfecta hominis erga Deum fundatur in eius gratia, & amicitia: ergo, antequam intelligatur in homine gratia iuſtificans, non poteſt intelligi in eo ſatiſfactio ex iuſtitia imperfecta pro culpa. 6

Confirmatur ex illo Geneſis 4. [Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.] Ex quibus verbis colligunt ſancti Patres, Deum prius reſpexiſſe ad Abel, quàm ad munera eius. nam, niſi perſona offerens ſit ei grata, & in eius amicitia, munera nõ reſpiciuntur à Deo, neque acceptantur ad meritum, vel ſatiſfactionem pro culpa. *Gen.* 4.

TErtia concluſio. Pœnitens per actum charitatis, & contritionis, vt ſequitur gratiam iuſtificantem, ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta pro culpa mortali propria, quatenus eſt malum Dei intentatum, & quatenus eſt formaliter offenſa, & iniuria illius. Concluſio eſt contra M. Medina, & contra auctores allegatos pro prima ſententia: eam tamen defendit de mente S. Thomæ Caiet. hic, & infra quęſt. 85. ar. 3. exponens art. ſancti Thomæ, in quo quærit 7

Digitized by Google

quærit vtrum pœnitentia ſit actus iuſtitiæ. Eamdem concluſionem defendit M. Baños 1. p. quæſt. 21. ar. 4. & multi Doctiſſimi Thomiſtæ, quam etiam vt probabilem ſequitur Decanus Louan. ar. 6. de ſatisfactione aſſerens eſſe ſententiam S. Thomæ. Probatur manifeſtiſſimis teſtimonijs eiuſdem ſancti Doctores, nam in ſolutione ad ſecundum huius art. docet, quòd purus homo, ideſt homo, qui non eſt Deus poteſt ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro culpa. Nec valet ſolutio aſſerentium, quod loquitur de ſatisfactione pro culpa totius generis humani, nam ſanctus Thomas abſolutè loquitur ibi. Præterea, quia magis requiritur ad ſatisfaciendum pro peccatis totius generis humani, quàm pro peccato proprio: ergo ſi purus homo poteſt ex iuſtitia imperfecta ſatisfacere pro peccatis totius generis humani, poterit etiã ſatisfacere pro peccatis proprijs per actum pœnitentiæ, vt informatum gratia. Item etiam p. p. q. 21. ar. 4. ad primum, ait, [quod in iuſtificatione impij apparet iuſtitia Dei, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipſe miſericorditèr infundit, ſicut de Magdale-
Luc. 7. na dicitur Lucę 7. [Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniã dilexit multum.] Et clarius hic quæſt. 85. ar. 3. in corp. ait, [quòd pœnitentia, quatenus virtus, eſt pars iuſtitiæ:] & ſtatim ſubdit, quòd iuſtitia hominis erga Deum eſt iuſtitia imperfecta,
S. Thom. ſicut eſt iuſtitia filij ad Patrẽ, ſerui ad Dominũ, & vxoris ad virũ: & in ſolutione ad 3. ait, quòd pœnitentia ſub commutatiua iuſtitia continetur, quatenus voluntariè recompenſat pro culpa. Denique in 4. d. 15. quæſt. 1. ar. 2. ad 1. eamdem doctrinam apertiſſimè docet.

Reſpondet primò M. Medina, quòd, cum ſanctus Thomas ait, hominem per pœnitentiam ſatisfacere pro culpa, ſenſus eſt, quòd concurrit diſpoſitiuè ad propriam iuſtificationem, per quam gratis remittitur culpa. Secunda eius explicatio eſt, quòd iuxta doctrinam ſancti Thomæ pœnitens ſatisfacit pro culpa ex iuſtitia, non noſtra, ſed Chriſti, cui debetur, vt pœnitentibus offenſa condonetur. Sed vtraque explicatio eſt apertè contra contextum literæ ſancti Thomæ. Contra primam arguitur. Hominẽ ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro culpa, aliquid amplius importat, quàm concurrere ſuis operibus diſpoſitiuè ad propriam iuſtificationem. Aliàs enim homo per actũ fidei, & ſpei diceretur ſatisfacere Deo ex iuſtitia imperfecta, pro culpa. Nam etiam per hos actus concurrit diſpoſitiuè ad ſuam iuſtificationem: ergo.

Secunda etiam explicatio facile impugnatur. Quia non ſolum Chriſtus ſatisfecit pro peccatis noſtris, ſed etiam ipſe pœnitens per actum contritionis in virtute meritorum Chriſti ſatisfacit ex iuſtitia imperfecta pro culpa propria, vt expreſſè fatetur ſanctus Thomas 4. d. 15. cit. ad primum. Præterea, nam Chriſto debetur ex iuſtitia perfecta, vt pœnitentibus, & contritis remittatur culpa, & offenſa Dei: ſed S. Thomas S. Thom. docet, quòd pœnitens ex iuſtitia imperfecta ſatisfecit pro culpa: ergo non poteſt explicari de iuſtitia, quæ eſt in ordine ad Chriſtum, & merita illius: ſed de illa, quæ eſt in ordine ad ipſum pœnitentem.

Secundò probatur concluſio ratione deſumpta ex S. Tho. quæſt. 85. cit.

cit. ar. 3. ad 3. Sicut per virtutem religionis ſatisfacimus Deo pro beneficijs ab eo acceptis: ita & per virtutem pœnitentiæ ſatisfacimus illi pro offenſis contra eum commiſſis: ſed per virtutem religionis, ſatisfacimus Deo ex iuſtitia imperfecta pro beneficijs acceptis, vt probat ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 80. ar. vnico. ergo per virtutem pœnitentiæ ſatisfacimus Deo ex iuſtitia imperfecta pro offenſis commiſſis. Confirmatur. Pœnitentia non eſt iuſtitia metaphoricè, ſed eſt vera pars iuſtitiæ, quamuis imperfecta, ſed nõ alia ratione ponitur pars imperfecta iuſtitiæ, niſi quatenus ſatisfacit Deo pro offenſa commiſſa contra maieſtatem illius: ergo.

10 Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, quòd pœnitentia ex eo ponitur pars imperfecta iuſtitiæ, quia ſatisfecit ex iuſtitia imperfecta pro pœnis debitis peccatis remiſſis gratis, quæ pœnæ correſpondent peccatis ex parte conuerſionis. Sed hæc explicatio præuiſa fuit à ſancto Thoma, & impugnata in 4. ſent. ſolutione cit. ad primum, vbi ſic ait. [Quidam dicunt, quòd peccatum habet infinitatem ex parte auerſionis, & ſic gratis dimittitur: ſed ex parte conuerſionis culpa finita eſt, & ſic pro ea ſatisfieri poteſt (ſcilicet ab homine) per actum pœnitentiæ: ſed hoc nihil eſt, quia ſatisfactio non correſpondet peccato niſi ſecundum quòd eſt offenſa Dei, quod non habet ex parte conuerſionis, ſed ex parte auerſionis.] Et ſtatim ſubdit, quod in virtute meritorum Chriſti ſatisfacit pœnitens ex iuſtitia imperfecta. Præterea impugnatur eadem ſolutio: nam pœnitens per ſe non conteritur de pœna, ſed de culpa, vt eſt offenſa Dei: ergo ſatisfactio pœnitentis per actũ contritionis per ſe primo fit pro offenſa Dei, & non pro pœna relicta poſt peccatum. Denique probatur 11 concluſio. Per actum charitatis, & contritionis, vt informatum gratia reddit pœnitens Deo pro offenſa cõmiſſa totum, quod poteſt, & quod Deus ab eo exigit: & ex alia parte ille actus, vt informatus gratia eſt actus amici, & acceptus Deo: ergo per illum ſatisfecit ex iuſtitia imperfecta pro offenſa. Per hanc rationem etiam manet probatum, quòd pœnitens per contritionem, vt antecedit gratiam iuſtificantem non ſatisfaciat ex iuſtitia etiam imperfecta pro culpa: nam contritio, vt antecedit gratiam non intelligitur procedere à ſubiecto grato, & amico Dei: quod tamen requiritur ad iuſtitiam imperfectam, quæ eſt in homine erga Deum. ergo.

Quarta concluſio. Pœnitens per 12 actum charitatis, & contritionis, vt informatum gratia iuſtificante non ſatisfacit Deo pro offenſa ad perfectam æqualitatem, ſiue ex iuſtitia perfecta. Concluſio eſt contra quartam ſententiam: eſt tamen expreſſa ſancti Thomæ locis citatis, quam etiam defundunt Doctores allegati pro cõcluſione præcedenti, & eam probant efficacitèr argumenta, quibus diſp. 6. concluſione prima oſtendimus, puram creaturam etiam cum gratia non poſſe ad perfectam æqualitatem Deo ſatisfacere pro offenſa originali, vel mortali.

Ad primum argumentum ex 13 factis à principio reſpondetur. Quando inquit Paulus, hominem gratis iuſtificari, & non ex operibus, loquitur de operibus antecedentibus infuſionem gratiæ habitualis

tualis

Digitized by Google

tualis vndecumque proueniant illa opera, ſiue ex lege, ſiue ex virtute naturali, ſiue ex fide, ſiue ex auxilio Diuino: ita videlicet, vt huiuſmodi opera iuſtificationis gratiam aliquo modo promereantur. nihil enim horum gratiam iuſtificantem promeretur. Sic explicat locum illum Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. de iuſtificatione c. 8. vbi ait: [Gratis autem iuſtificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.] Hoc autem non impedit, quo minus pœnitens per actũ contritionis, vt ſubſequitur gratiæ iuſtificantis infuſionem, ſatisfaciat ex iuſtitia imperfecta pro culpa mortali, vt eſt Dei offenſa. Dicendum eſt ergo, quòd peccatum quo ad maculam, & deordinationem habitualem gratis omnino remittitur per infuſionem gratiæ abſque vlla præcedente ſatisfactione, vel iuſtitia ipſius peccatoris. Cæterum quatenus eſt Dei iniuria ita remittitur gratis, vt relinquatur locus ſatisfactioni ex iuſtitia imperfecta, quæ fit per actum contritionis gratia informatum, vt infra patebit.

14 Ad primam confirmationem reſpondetur, temporalem pœnam, quæ remanet ex ſoluenda poſt iuſtificationem, non remitti formaliter per ipſam gratiam iuſtificantem, ſecundùm aliquam rationem formalem eiuſdem pœnæ, & ideò abſolutè loquendo nõ remittitur gratis eo modo, quo culpa, ſed remittitur propter ſatisfactionem ſubſequentem, quamuis generali quadã ratione gratis dimitti dicatur, quatenus videlicet remittitur propter ſatisfactionem procedẽtem ex gratia, in quo ſenſu etiam beatitudo æterna quamuis reddatur operibus meritorijs ex iuſtitia ſuppoſita promiſſione diuina; nihilominus appellatur gratia ſecũdùm illud Zach. 4. [Et exequabit gratiã gratia eius,] quia, videlicet correſpondet meritis procedentibus ex gratia. Culpa autem, ſecundùm quod eſt malum hominis gratis omnino remittitur abſque vlla præcedente iuſtitia, vt dictum eſt, vnde non eſt ſimile. *Zach. 4*

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur eodem modo. Solum enim probat, remiſſionem culpæ, vt culpa eſt malum hominis, & emundationem internam à macula peccati fieri omnino gratis abſque vlla præcedente iuſtitia eius, qui iuſtificatur: & ſimiliter dicendum ad ſecundum argumentum ex Concilio Tridentino. 15

Sed contra hanc ſolutionem vrget argumentum. Actualis ſatisfactio præſupponit debitum ſatisfacientis reſpectu illius, cui fit ſatiſfactio, ſicut reſtitutio præſupponit inæqualitatem, & debitum contractum; ſed ſuppoſita remiſſione peccatorum gratis omnino facta per infuſionem gratiæ iuſtificantis, pœnitens non debet Deo aliquam ſatisfactionem pro culpa, ſed ſolum pro pœna remanente: nam debitũ culpæ eſt per gratiam iam miſericorditèr condonatum: ergo per contritionem, vt ſubſequitur gratiam iuſtificantem, non ſatisfacit homo ex iuſtitia pro culpa, ſed ſolum pro pœna.

Ad hoc argumentum aliqui Thomiſtæ reſpondent, quòd in inſtanti iuſtificationis antequam intelligatur contritio, vt informata gratia, peccatum remittitur omnino gratis per infuſionem gratiæ iuſtificantis, & charitatis: ſed tamen in eodem 16

dem inſtanti temporis per actum contritionis, vt informatum gratia, & charitate ſatisfacit pœnitens ex iuſtitia imperfecta pro eiſdem peccatis, vt ſunt iniuria Dei. Itaque remiſſio peccatorum datur pœnitenti in inſtanti iuſtificationis duplici titulo, & titulo miſericordiæ propter gratiam remittentem peccata, & titulo iuſtitiæ imperfectæ propter ſatisfactionem imperfectã, quam offert pœnitens. Confirmant hanc ſolutionem, nam gloria corporis data eſt Chriſto Domino duplici titulo, ſcilicet, & naturali debito, quia erat naturalis Dei filius, & quoniam à principio fuit anima eius glorificata, ex cuius gloria per ſe loquendo redundat naturalitèr gloria in corpus, niſi ſpeciali Dei prouidentia impediatur, vt factum eſt in myſterio Incarnationis: & eadẽ gloria corporis data eſt Chriſto titulo iuſtitiæ propter meritum paſſionis. Item etiam in opinione aliquorum Theologorum, primus gradus gloriæ correſpondet pœnitenti duplici titulo, videlicet titulo miſericordiæ quatenus per gratiam conſtituitur gratis filius Dei adoptiuus, & titulo iuſtitiæ, quatenus per contritionem, vt informatam gratia meretur ipſam gloriam: ergo idem ſimiliter dici poterit de remiſſione culpæ quatenus eſt Dei offenſa.

17 Hæc ſolutio aliquam habet apparentiam. Nec obſtat, quòd quidam obijciunt contra illam, quia nullus poteſt facere ſibi debitum nouo titulo id, quod iam præhabet in re. Hæc enim propoſitio non eſt vniuerſalitèr vera, niſi quando id, quod præhabetur in re, eſt primum principium merendi, ſicut eſt gratia habitualis, vel aliquid repugnans merito, ſicut eſt beatitudo exiſtentis in termino.

Reſpõdetur ſecundò melius, quòd antequam intelligatur contritio, vt informata gratia, & charitate intelligitur quidem remiſſum formalitèr ipſum peccati debitum, quatenus eſt malum hominis, vt dictum eſt: Cæterum quatenus eſt malum Dei intentatum, & illius iniuria nondum intelligitur dimiſſum formaliter per infuſionem gratiæ, ſed radicalitèr: & ita remanet locus, vt pœnitens per actum contritionis informatum gratia, poſſit Deo ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro offenſa.

Contra iſtam ſolutionem. Quidam obijciunt: nam ſequeretur ex illa, quòd in eodem inſtanti ſimplicitèr intelligatur homo amicus, & inimicus Dei. Probatur hoc, nam in illo priori, in quo intelligitur infuſa gratia iuſtificans ante omne actum contritionis, eadem gratia informatum, intelligitur homo Dei amicus: nam intelligitur cum gratia iuſtificante, per quam formalitèr conſtituitur amicus Dei, & ſimilitèr intelligitur inimicus, cum adhuc intelligatur Dei iniuria in illo homine, & peccatum, vt eſt offenſa Dei, quæ non remittitur, niſi per actum contritionis: ergo intelligitur amicus, & inimicus. Obiectio

Quidam Thomiſtæ reſpondent, hominẽ non eſſe formalitèr, & proximè Dei amicum per gratiam: nam gratia formalitèr loquendo, ſolum habet, quòd ſit forma conſtituens nos participes Diuinæ naturæ, per quam ſumus Deo dilecti, ſiue obiectum Diuinæ dilectionis. Amicitiæ autem Diuinę ſolum eſt principium radicale, quatenus ex illa reſultat charitas, quæ nos facit Dei amicos 18

E forma-

Digitized by Google

formalitèr,&pœnitentia,per quam Deo ſatisfacimus pro offenſa,& illi reconciliamur. Hæc tamen ſolutio ex eo videtur deficiens, quia non explicat,an in illo priori intelligatur homo ſimplicitèr loquendo amicus,vel inimicus Dei. Secunda ſolutio eſt aliorum, quòd licet de facto pro quolibet inſtanti temporis, quilibet homo ſit amicus,vel inimicus Dei,eo quòd ſtatus gratiæ,& ſtatus peccati ſunt oppoſita immediata,ſuppoſito quod homo ſit ordinatus ad vitam æternam: non tamen oportet,quod intelligatur amicus, vel inimicus pro quolibet inſtanti naturæ, vel pro quolibet ſigno rationis. Adducunt inſtantiam in propoſitione de futuro contingenti, quæ quidem pro quolibet inſtanti temporis,vel eſt determinatè vera,vel determinatè falſa: non tamē pro quolibet ſigno rationis: nam ante decretum Diuinæ voluntatis determinantis futura contingentia ad alteram partem, nulla propoſitio de futuro contingenti habet determinatam veritatem, vel falſitatem, ſed ſolum intelligitur in illo ſigno, vt omnino indifferēs ad vtrũlibet,vt diſp.7.& 13.de auxilijs oſtenſum eſt. Hæc ſolutio,quamuis ſit apparens,facile impugnatur, nam in illo priori intelligitur homo iuſtus per gratiam habitualem: ergo oportet, quòd intelligatur amicus Dei.

Tertia ſolutio eſt, quòd in illo priori abſolutè loquendo intelligitur homo Dei amicus: nam ad hoc ſufficit, vt macula peccati intelligatur oblata per infuſionem gratiæ,& quòd radicalitèr ſit remiſſa iniuria,vt eſt offenſa Dei, quamuis in poſteriori ſigno rationis intelligatur ſatisfactio,per quam formalitèr aufertur inęqualitas,& actualis iniuria ipſius Dei: & hæc ſolutio ſufficiētèr vim euacuat argumenti.

Ad tertium principale reſpondetur,remiſſionem culpę, quatenus eſt malum hominis,eſſe effectũ formalem ſecundarium ad gratiam iuſtificantem ſubſequutum abſque media ſatisfactione ipſius pœnitentis: effectus enim formalis primarius eſt reddere hominem gratũ,& facere conſortem Diuinæ naturæ.Cæterum remiſſio culpæ, vt eſt Dei iniuria, eſt effectus ſecundarius procedens à gratia mediante ſatisfactione pœnitentis, quam tamen Deus miſericorditèr infundit. Vnde,ex eo quòd pœnitens ſatisfaciat ex iuſtitia imperfecta pro offenſa, non ſequitur,quòd gratia iuſtificans ſit ei debita ex iuſtitia.

Ad quartum iam patet ſolutio ex dictis ad ſecundam confirmationem primi argumenti.

Ad quintum pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd contritio, vt antecedit gratiam iuſtificantem, habet ſufficientem valorem,& virtutem, vt ſit vltima diſpoſitio ad infuſionem gratiæ: nam eſt eiuſdem ordinis cum illa, & procedit à Spiritu ſancto mouente efficacitèr ad iuſtitiam. non tamen habet, neque intelligitur habere in illo priori ſufficientem virtutem,& valorem, vt per eam fiat ſatisfactio ex iuſtitia imperfecta pro iniuria. nam,vt dictum eſt,omnis iuſtitia inter hominem,& Deum fundatur in gratia, & amicitia, eo quòd eſt iuſtitia, & ſatisfactio amicabilis.

Ad ſextum cum ſua confirmatione patet ſolutio ex dictis diſputatione præcedenti.

DI-

DISPVTATIO OCTAVA.

Vtrum, ſaltem de potentia Dei abſoluta, potuerit purus homo abſque aliquo gratiæ auxilio per opera merè naturalia ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro culpa totius generis humani.

1 QVIDAM partem defendunt affirmatiuam: quam probant. Primò. Satisfactio ex iuſtitia imperfecta fũdatur in acceptatione Diuina, vt ſupra dictum eſt, ſed Deus potuit acceptare in ſatisfactionẽ pro culpa totius generis humani actũ charitatis v.g. procedentem ab homine ex ſolis viribus naturæ, cum id nullam explicet contradictionẽ: ergo.

Confirmatur. Homo in puris naturalibus conſtitutus poteſt abſque gratiæ auxilio elicere vnum, vel alterum actum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia: ergo, ſi Deus acceptet pro ſatisfactione illum actum, talis homo ſatisfaceret ex iuſt.tia imperfecta pro culpa. Probatur conſequentia: nam ad huiuſmodi ſatisfactionẽ ſufficit, quòd offeratur Deo æquiualens ſecundũ acceptationem offenſi. At in illo caſu actus charitatis eſſet æquiualens offenſæ ſecundùm acceptationem ipſius Dei offenſi: ergo, &c.

Secundò arguitur: Si peccatum commiſſum contra Deum, ſolum eſſet contra finem naturalem, & nõ contra ſupernaturalem, ſicut de facto contingeret, ſi homo ſolũ eſſet, ordinatus ad finem naturalem: tũc actus naturalis dilectionis Dei, ſuper omnia eſſet actus eiuſdem ordinis cum Deo, in quantum erat per peccatum offenſus: ergo in tali caſu potuiſſet homo ex iuſtitia imperfecta ſatisfacere per illum actũ pro culpa. Patet conſequentia, nam ſem per peccatum habet infinitatem ex parte Dei offenſi, ſiue offenſa ſit cõtra Deum, vt eſt Auctor naturæ, ſiue vt eſt Auctor gratiæ.

Tertiò arguitur. Actus charitatis merè naturalis poteſt reparare totum damnum, quòd peccatum intulit contra ordinem naturæ: nam per illum actum rectificatur voluntas in ordine ad finem naturalem, & conſtituit homo vltimum finem in ipſo Deo, à quo per peccatum fuerat auerſus: ergo per huiuſmodi actum potuit ex iuſtitia imperfecta fieri ſatisfactio pro culpa, ſaltem vt eſt contra Deum auctorem naturæ.

Oppoſitam ſententiã reputo probabiliorẽ, eam defendunt multi doctiſſimi Thomiſtæ. Probatur. Omnia opera merè naturalia ſunt inferioris ordinis cum Deo, qui offenſus eſt per peccatum originale: nam huiuſmodi peccatum, & alia mortalia ſunt contra Deum non ſolum vt eſt Auctor naturæ, ſed etiam, vt eſt Auctor gratiæ, cum quodlibet mortale peccatum per ſe loquendo auertat hominem à fine naturali, & ſupernaturali: ergo per huiuſmodi opus non poteſt fieri ſatisfactio ex iuſtitia etiam imperfecta. Probatur cõſequentia, nam ſatisfactio ex iuſtitia imperfecta non fundatur ſolum in extrinſeca acceptatione Diuina, ſed etiã in valore, & qualitate proportionis, quam habet opus ſatisfactorium, vt procedit à gratia iuſtificante: eo quòd talis ſatisfactio eſt amicabilis: & propterea in præcedenti diſputatione diximus, contritionem, vt antecedit gratiam iuſtificantem, non eſſe ſatisfactoriam ex

Digitized by Google

iuſtitia pro culpa mortali.

4 Confirmatur. Si Deus promiſiſſet gloriam benè operanti ex facultate naturę, tunc opus merè naturale nō eſſet meritorium de condigno vitæ æternæ, vel ex iuſtitia imperfecta: nam eſſet opus inferioris ordinis ad

Rom. 8 gloriam. Vnde Ro. 8. dicitur. [Non ſunt condignę paſſionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] Quibus verbis, vt explicat S. Tho. 1. 2. q. 114. a. 3. ad 2. ſignificat, quòd ſi cōſiderentur paſſiones huius temporis, & alia opera bona ſecundum quòd procedunt à noſtro arbitrio, ſic non habent condignitatem ad futurā gloriam, propter maximam inæqualitatem, quia videlicet ſunt inferioris ordinis: & ideò ad condignitatem requiritur, ꝙ procedāt ex gratia: ergo propter eamdē rationem per opera merè naturalia non potuit purus homo Deo ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro offenſa originali, vel mortali.

5 AD primum argumentū in contrarium reſpondetur, quòd ſi Deus nihil amplius exigeret ab homine in ſatisfactionē pro culpa originali, vel mortali, niſi actum charitatis merè naturalē, tunc gratis remitteret illi offenſam abſq; vlla præcedente ſatisfactione ex iuſtitia: & in tali caſu actus charitatis ſolum eſſet conditio ſine qua non dimitteretur offenſa, non autem eſſet ſatiſfactio propriè loquendo ex iuſtitia imperfecta pro eadem offenſa.

Ad confirmationem reſpōdetur, ꝙ ſola extrinſeca acceptatio Dei non tribuit dignitatē, & æqualitatē etiam proportionis actui merè naturali reſpectu grauitatis offenſæ, ſed ad talem proportionem requiritur dignitas operis, quam habet ex gratia. Vnde talis actus nō eſt ſatisfactorius ex iuſtitia pro culpa.

Ad ſecundum, & tertium argumentum, reſpondetur vnica reſolutione, quòd peccatum originale, vel mortale ex natura ſua habet, quod ſit offenſiuū Dei non ſolū, vt eſt Auctor naturæ, ſed etiam, vt eſt auctor gratiæ, & per ſe loquendo auertit ſaltem radicalitèr à fine ſupernaturali. Et quoniā actus charitatis merè naturalis non habet etiā radicalitèr virtutem coniungendi, vel ordinandi hominē ad Deum, vt eſt auctor gratiæ, eo quòd eſt inferioris ordinis; ideò per illum non potuit homo ſatisfacere ex iuſtitia pro culpa, nec reparare totū damnū, quod peccatum intulit. Vt enim optimè notauit Capr. 4. d. 15. q. 1. ar. 3. plura requiruntur ad bonū, quàm ad malum, ſicut plura requiruntur ad meritum, quàm ad demeritū, eo quòd bonū cōſurgit ex integra cauſa, malum autē ex quocumq; defectu. Propter quod non meretur tantū ſecundùm legē humanam, qui ſalutat Regem, quantum demeretur, qui maledicit Regi, vel irrogat illi iniuriā. 6

Secundò reſpondetur. Quòd per actū charitatis, & contritionis non reparatur totum id, quod per peccatū amiſſimus, nec reſtituimus Deo totum honorem, quē peccando abſtulimus. etenim actu peccati abſtulimus à Deo, & rationem vltimi finis, & etiā rationē Patris, qua fruebamur per gratiam habitualē. Hæc enim facit hominem filium Dei, & Diuinæ conſortē naturæ, vt dicitur 2. Pet. 1. per actū verò cōtritionis, & charitatis licet reſtituamus Deo rationem vltimi finis, non tamen reſtituimus illi rationem patris, cum id ſit effectus gratiæ habitualis, qua ſit homo filius Dei. 7

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum, ſi homo non peccaſſet, Deus nihilominus Incarnatus fuiſſet.

1 PRIMA concluſio. Potuiſſet Deus etiam hominis peccato nõ exiſtente Incarnari. Probatur. Potentia Dei non erat limitata ad hoc, vt ſolum aſſumeret naturam humanam peccato hominis exiſtente: ergo.

Secunda concluſio. Si homo nõ peccaſſet, Deus carnem non aſſumpſiſſet. Probatur. Ea quæ ex ſola Dei voluntate proueniunt ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenus in ſacra Scriptura traduntur: per quam Diuina voluntas nobis innoteſcit: ſed in ſacra Scriptura vbique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſſignatur, vt
Luc. 19 patet Lucæ 19. [Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod
1.Thi. 1 perierat,] & 1. ad Thim. 1. [Chriſtus venit in hunc mundum, vt peccatores ſaluos faceret,] vbi dicit Gloſſ.
Aug. ſer. 9. de ver. Apoſt. in princ. to. 10. [Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.] ergo.

DISPVTATIO NONA.

Vtrum, peccato non exiſtente, Verbum Diuinum Incarnatum fuiſſet.

2 PRima ſententia affirmat abſolutè, quòd etiamſi homo non peccaſſet, adhuc tamen Verbum Diuinum fuiſſet Incarnatum, ex vi illius voluntatis, & decreti, quo de facto Incarnatio facta eſt. Ita docet Scot. 3. d. 7. q. 3. §. ſed hic ſunt, & d. 19. §. In iſta quæſtione. Catherinus opuſc. de eximia Chriſti prædeſtinatione. Galatinus lib. 3. de Arcanis Catholicæ verit. cap. 4. Eamdem ſequitur P. Suarez diſp. 5. per totam, præſertim ſect. 2. 4. & 5. & probatur.

Primò. Chriſtus prædeſtinatus eſt ante præſcientiam peccati: ergo etiamſi nullum peccatum extitiſſet, Verbum fuiſſet Incarnatum. Conſequentia eſt nota. nam, ſi prædeſtinatus eſt ante præſcientiã peccati; eius prædeſtinatio, & effectus illius quo ad conſequutionem gloriæ animæ Chriſti non dependet ex præſcientia peccati, nec illud præſupponit. Antecedens probatur ex illo Eccleſiaſt. 24. [Ego ſapientia ex Eccl. 24
ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.] Vbi ſermo eſt de ſapientia incarnata, ſcilicet de Chriſto Domino, qui dicitur primogenitus ante omnem creaturam: ſed multæ creaturæ intellectuales prædeſtinatæ ſunt ante præſcientiam peccati, vt Angeli boni: ergo & Chriſtus, vt homo.

Confirmatur. Chriſtus, vt homo eſt primus omnium prædeſtinatorum, & eorum caput, vt infra patebit: & conſtat ex auctoritate Apo Eph. 1.
ſtoli. [Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.] Ergo prædeſtinatus eſt ante omnes alios prædeſtinatos: ſed, etiam nullo exiſtente peccato, Angeli boni eſſent prædeſtinati, & ſimiliter multi homines, nam durante ſtatu iuſtitiæ originalis, abſque dubio aliqui ſaluarentur, cum ad prouidentiam Diuinam pertineat, quòd ex creaturis poſſi-

Digitized by Google

bilibus deficere,quaſdam conſeruet ne deficiant à ſuo fine,quaſdam verò deficere permittat: ergo etiam Chriſtus,vt homo,prædeſtinatus eſſet nullo exiſtente peccato.

3 Secundò arguitur. Prædeſtinatio Chriſti,& gloria,atque dignificatio humanitatis illius, fuit finis propter quem Deus permiſit peccatum Adæ, nam omnia creata ſiue pertineant ad ordinem naturæ, ſiue ad ordinem gratiæ ordinantur ad Chriſtum Dominum,& ad exaltationem humanitatis eius tamquam ad finẽ
1.Cor 3 intermedium, vt patet ex 1. Cor.3.
Paulus. [Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue Mundus: omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.] & Hebr.2. dicitur Chriſtum eſſe eum
*Coloſſ.*1 [propter quem omnia,]& Coloſſ.1. [Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa,& ipſe eſt ante omnes,&c. vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens.] Sed finis eſt præuiſus, & intentus prius ijs, quæ ſunt propter finem, nam ex intentione finis procedit electio mediorum: ergo prius in ſigno rationis fuit præuiſa,& volita à Deo Incarnatio Verbi,& exaltatio humanitatis Chriſti, quàm alia, quæ pertinent ad ordinem naturæ, vel ad ordinem gratiæ. Sed prius non dependet à poſteriori: ergo etiã non exiſtente peccato Verbum Incarnatum fuiſſet.

Confirmatur. Deus nullum permittit malum, niſi vt inde eliciat aliquòd maius bonum,vt docet Au
Auguſt. guſtinus in Enchirid. ad Laurentiũ cap.95.& 96.& ſanctus Thomas hic ad 3. ſed maius bonum,quod voluit Deus educere ex permiſſione peccati Adæ,& propter quod permiſit ipſum peccatum, fuit Incarnatio Verbi, & exaltatio, atque glorificatio humanitatis Chriſti, vt colligitur
ex ſancto Gregorio dicente. [Felix S.Greg.
culpa,quæ talem,ac tantum meruit habere Redemptorem: ergo finis, propter quem Deus permiſit peccatum Adæ,fuit Incarnatio Verbi.

Tertiò arguitur.Deus non voluit 4
primò,& per ſe Incarnationem Verbi ob remedium peccati originalis, 5
ſed propter ſe ipſam,& propter maiorem Diuinæ bonitatis manifeſtationẽ: nam id, quod eſt perfectius, non debet ordinari ad id, quod eſt minus perfectum, neq; appeti propter illud. Conſtat autem,Incarnationem Verbi excedere in infinitum reparationem generis humani: ergo etiam non exiſtente peccato, Verbum Diuinum Incarnatum fuiſſet.

Confirmatur primò. Anima Chriſti, & exaltatio humanitatis eius maioris eſt valoris, & magis à Deo diligibilis, quàm omnes prædeſtinati, vt docet ſanctus Thomas
1.p.quæſt.20.ar.4.ad 1.& q.25.ar.6. S.Thomas
ad 4. Ergo credibile eſt, magis fuiſſe per ſe volitam, & amatam à Deo, quàm omnes Angelos, & homines,ac per conſequens fuiſſe volitam independenter à ſalute,& reparatione generis humani.

Confirmatur ſecundò. Licet de facto Verbum Diuinum fuerit Incarnatum propter reparationem generis humani, hæc tamen non fuit ſola cauſa principalis, vel adæquata ipſius Incarnationis. nam, præter illam aſſignantur aliæ cauſæ etiam principales, vt manifeſtatio Diuinæ bonitatis,omnipotentiæ, & ſapientiæ, exaltatio humanæ naturæ, & conſequentèr totius vniuerſi dignificatio; ac denique conſummatio ordinis gratiæ, quæ quidem cauſæ erant ſufficientes, vt Incarnatio

natio fieret etiam Adamo non peccante : ergo. &c.

5 Secunda ſententia eſt ſancti Thomę in hoc art.& 4. cont. gent.c.55. quòd ſcilicet peccato hominis non exiſtente Verbum Diuinum de facto Incarnatum non fuiſſet. Hanc ſententiam defendunt omnes Thomiſtæ præſertim Capr.3.d.1.q.vnic. ar.1. concluſione 1. Ferr.4. contra gent.cap.55.cit.Bonauent.3.d.1. ar. 2.q.2. Richard.art.1.q.2. Abulenſis ſuper cap.4.Matth. qu. 44. quos ſequitur P. Valentia puncto 7. huius articuli, & M. Vaſquez diſp. 10.c.4. ſed in modo explicandi ſententiam ſancti Thomæ non conueniunt omnes Thomiſtæ.

Capreo.

Prima explicatio eſt Caiet. qui, vt defendat doctrinam ſancti Thomæ, quinque ſigna rationis diſtinguit. In primo cognouit Deus per ſcientiã ſimplicis intelligentiæ tres modos poſſibiles, quibus ſuam bonitatem poterat creaturis communicare. Primus eſt ſecundùm ordinem naturæ tribuendo illis eſſe naturale. Secundus eſt ſecundum ordinem gratiæ eleuando creaturas ad ſupernaturalem finem. Tertius modus eſt ſecundum ordinem gratiæ vnionis, communicando ſuum eſſe per vnionem hypoſtaticam, ad quem pertinent myſterii Incarnationis, & omnes effectus, qui ex ea proueniunt. In ſecundo ſigno decreuit Deus ſuam bonitatem creaturis communicare ſecundum ordinem naturæ, & in hoc ſigno cognouit omnia naturalia, & etiam peccata, vt ſunt defectus naturæ. In tertio ſigno decreuit ſe communicare ſecundum ordinem gratiæ, & in hoc ſigno cognouit omnia, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, antecedenter ad Incarnationem: & etiam cognouit peccatum originale, vt eo contrariatur gratiæ. In quarto ſigno, præſuppoſita permiſſione peccati originalis, & eius præuiſione, decreuit abſoluta, & efficaci voluntate mittere filium ſuum in Mundum in remedium originalis peccati, communicando ſeipſum naturæ humanæ per vnionem Verbi hypoſtaticam. In quinto ſigno prædeſtinauit quoſdam homines ad gloriam in Chriſto, & per Chriſtum, quoſdam autem reprobauit. Ex his colligit Caiet. Peccatum originale permiſſum fuiſſe, & prçuiſum à Deo ante prædeſtinationem Chriſti, ac per conſequens Deum non decreuiſſe abſoluta, & efficaci voluntate carnem aſſumere humanam, niſi hominis peccato præſuppoſito. Ex quo per euidentem conſequentiam infertur, quòd ex vi decreti Diuini, quo de facto venit Chriſtus, Verbum Incarnatum non fuiſſet, peccato hominis non exiſtente.

Signa rationis cai.

6 Secunda explicatio eſt aliorum Thomiſtarum, qui ſolum conſtituũt tria ſigna rationis, in quorum primo cognouit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, tres illos modos quibus poterat ſe creaturis communicare, vt poſuit Caiet. In ſecundo ſigno decreuit communicare ſeipſum ſũmo modo per vnionem hypoſtaticam: & in hoc ſigno nulla fuit facta mentio peccati, nec remedij illius, immò neque alicuius puræ creaturæ producendæ. In tertio ſigno decreuit Deus condere vniuerſum, & eleuare creaturas intellectuales ad ordinem gratię, omnia ordinando ad Chriſtum, & ad exaltationem illius tamquam ad finem. Et in eodem ſigno quoſdam prædeſtinauit per Chriſtum, quoſdã autem reprobauit. Conuincuntur

iſti auctores argumentis quibuſdã ex factis à principio, quorum potiſſimum eſt, nam finis debet eſſe primus in intentione quamuis in exequutione ſit vltimus. Cum ergo communicatio per vnionem hypoſtaticam; & exaltatio humanitatis Chriſti ſit finis, ad quem Deus ordinauit ordinem naturæ, & ordinem gratiæ; relinquitur, quòd in intentione voluntatis Diuinæ, prius fuerit velle ſe communicare per vnionem hypoſtaticam, quamuis in exequutione prius fuerit communicatio facta ſecundum ordinem naturæ, & ſecundum ordinem gratiæ, quàm communicatio per vnionem hypoſtaticam. Idem confirmant locis Scripturæ adductis, nam aliàs non ſaluatur, quòd Chriſtus, vt homo, fuerit primogenitus inter omnes creaturas, & earum caput.

7 Tertia explicatio eſt Aſturicenſis in relectione de Chriſti gratia quæſ. 6. concluſione 4. pag. 683. vbi hunc ordinem circa Chriſti prædeſtinationem, & aliarum rerum præordinationem, Deum ſeruaſſe opinatur. Diſtinguit enim tria ſigna. In primo Deus ſpeculatiuè cognouit tres illos modos, quibus ſe poterat creaturis communicare. In ſecundo ſigno efficaci decreto, & abſoluta voluntate acceptauit illos tres modos, atque decreuit triplici illo modo ſe ipſum communicare, nullam conſtituendo formalitèr prioritatem, aut dependentiam inter eoſdem modos communicationis. Ratio illius eſt, nam Deus immediatè poterat per quemlibet modum ex illis tribus ſuam bonitatem manifeſtare, eo quod ex parte obiecti voliti nulla erat intrinſeca dependentia vnius ordinis ab alio reſpectu finis per ſe primò intenti à Deo, qui erat manifeſtatio ſuæ bonitatis. Addit tamen, quòd implicitè, & virtualitèr communicatio inferioris ordinis ordinatur ad communicationẽ ordinis ſuperioris. Addit præterea, Deum in hoc ſecundo ſigno non determinaſſe, quænam perſona Diuina aſſumptura eſſet naturam creatam, nec determinaſſe in ſpecie, vel indiuiduo naturam aſſummendam. In tertio ſigno determinauit in particulari ſingulos modos communicationis incipiens à primo, quia erat aliorum fundamentum: & decreuit totum ordinem vniuerſi cõſtituere quo ad præcipuas eius partes, inter quas primum locum obtinent creaturæ intellectuales, & eas ſtatuit donis gratiæ exornare: & in eodem ſigno permiſit peccatum originale, atque in eius remedium ſtatuit filium ſuum mittere carne mortali indutum ad reparandum malum, quod peccatum originale intulerat per ſe primo in ordine gratiæ, & ſecundario in ordine naturæ.

8 Pro reſolutione huius difficultatis, notandum primò, quòd, quamuis Deus vnico ſimpliciſſimo actu omnia ſimul intelligat, ordinet, atq; decernat: nihilominus ad noſtrum modum concipiendi in ipſo intellectu Diuino diſtinguenda ſunt diuerſa rationis ſigna, quæ quidem non diuerſificantur ex parte actus intellectus, vel voluntatis Dei, ſed ex parte obiecti, ſecundùm quòd vnum obiectum habet ab alio dependentiam, etiam quatenus cadit ſub intellectione, & voluntate Diuina: ſicut media, vt media ſunt, non cadunt ſub cognitione, neque appetuntur niſi propter finem, ad quem ordinantur, eo quòd tota ratio, bo-

nitas,

nitas,& neceſſitas mediorum deſumitur ex fine.

9 Notandum ſecundò, quòd finis vltimus, propter quem Deus voluit creaturis ſeipſum communicare tribus modis iam explicatis, eſt ipſe Deus, iuxta illud Prouerb. 16. [Vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus.] & Apocal. 1. [Ego ſum α, & ω, principium, & finis.] Et quoniam ex operibus ad extra Deus in ſeipſo non perficitur, neque acquirit aliquod bonum proprium; ideò per communicationem ad extra nō intendit propriam vtilitatem, ſed manifeſtationem, & oſtenſionem ſuæ bonitatis. Vnde Apoſtolus ad Epheſ. 2. ait. [Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, conuiuificauit nos in Chriſto, &c. vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate in Chriſto Ieſu.] & Ro. 9. [Deus, volens oſtendere iram ſuam, & notam facere potentiā ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, &c.] & Epheſ. 1. ait, quòd Deus [prædeſtinauit nos in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.] Nihilominus dantur alij fines proximi, & intermedij propter quos Deus aliqua operatus eſt ad extra. Sicut creauit res corporales propter hominem: & partes, propter perfectionem totius.

Prou. 16. *Apoc. 1.* *Eph. 2.* *Rom. 9.* *Eph. 1.*

10 Notandum tertiò, quòd præſens Diſputatio poteſt in duplici ſenſu procedere. Primus eſt: vtrum, peccato originali non exiſtente, Verbū fuiſſet Incarnatum ex vi decreti Incarnādi, quod de facto fuit in Deo. Secundus eſt. Vtrum, ſi Adam non peccaſſet, Verbū Incarnatum fuiſſet ex vi ſaltē alterius decreti, quod fuiſſet in Deo ab æterno ex hypotheſi, quòd Adā non peccaſſet: & in vtroque ſenſu id erit diſplicandum. Sit ergo.

Prima concluſio. Præſcientia explicita peccati originalis futuri præceſſit in mente Diuina in ſigno rationis, ex parte obiecti voliti, ipſam Chriſti prædeſtinationē, & decretum abſolutum, & efficax ſumendi carnem humanam. Itaque ante præſcientiam eiuſdem peccati futuri, non intelligimus in Deo aliquod efficax decretum ſumendi carnem humanam. In hac concluſione conuenio cum Caiet. & eſt directè contra ſententiam Scoti, & contra explicationem tertiam ſupra poſitam.

Probatur. Primò ex ſancto Thoma hic ad 4. vbi noſtram ſtatuit cōcluſionem. ait enim, [quòd prædeſtinatio præſupponit futurorum præſcientiam.] Quæ propoſitio intelligenda eſt de præſcientia futurorum, quæ non conſtituuntur per ipſam prædeſtinationem: Peccatum autem originale non conſtituitur per prædeſtinationem: Et ſtatim ſubdit S. Thomas, [quòd Deus prædeſtinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati.] Si autem ante Chriſti prædeſtinationem non fuiſſet præuiſum originale peccatum, non poſſet dici cum proprietate, quòd Incarnationis opus fuerit prædeſtinatum in remedium humani peccati: nam vix poteſt intelligi, quomodo remedium peccati contineatur in Incarnatione, & fuerit obiectum, ſeu finis proximus propter quem venit Chriſtus, niſi præuiſio eiuſdem peccati in genere cauſæ materialis præceſſerit in ſigno rationis efficax Incarnandi decretum. 11

Secundò probatur. Sacra Scriptura ſæpiſſimè docet, myſterium

Incar-

Incarnationis proceſſiſſe ex dilectione æterna, qua Deus hominem dilexit, & ex affectu miſericordiæ, qua voluit humanam ſubleuare miſeriam. Dicitur enim Ioan. 3. [Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuũ vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum non pereat.] & Eph. 2. [Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatẽ, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, &c.] Sed ante præuiſionem miſeriæ naturæ humanæ, quam per originale peccatum incurrit, non poteſt intelligi in Deo huiuſmodi affectus miſericordiæ erga hominẽ: nam miſericordia neceſſariò præſupponit miſeriam ſubleuandam, cũ miſericordia ſit ſubleuatio alienæ miſeriæ: ergo ante præſcientiã peccati Adæ nõ fuit prædeſtinatum opus Incarnationis.

Ioan. 3. *Eph. 2.*

12 Secunda concluſio. Ex vi decreti Incarnandi, quod fuit de facto in Deo, Verbum Diuinum carnem humanam non aſſumpſiſſet, peccato hominis non exiſtente. Concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ, eſt tamen ſancti Thomæ, & omnium Thomiſtarum. Probatur primò ratione ſancti Thomæ in corp. cuius vis, & efficacia cõſiſtit in hoc. Quotieſcumque ſacra Scriptura aſſignat cauſam alicuius facti, argumento efficaci inde colligimus, illam eſſe ſolam cauſam, vel ſaltem principalem, ſine qua res non fieret, vt patet manifeſtis exemplis. Ex eo enim, quod Scriptura docet [per vnũ hominẽ peccatũ intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors.] & [ſtipendia peccati mors;] inde nos colligimus efficaci argumento cum ſancto Thoma 1. p. qu. 97. art. 1. quòd ſi Adam non peccaſſet, mortuus non fuiſſet. Similiter etiam, quia Scriptura non exprimit creationem alterius mundi, ſed ſolum creationem huius mundi, inde argumentamur efficacitèr, Deum non creaſſe plures mundos, nec aliũ mundum eſſe creaturum. Sed Scriptura agens de cauſa Incarnationis Verbi, ſæpiſſimè affirmat, cauſam fuiſſe redemptionem generis humani à peccato. Dicitur enim 1. Thim. 1. [Chriſtus Ieſus venit in hunc mũdum peccatores ſaluos facere.] & Rom. 1. [Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, &c.] Quorum Verborum ſenſus eſt. Chriſtus, vt homo ad hoc eſt prædeſtinatus, vt videlicet ſanctificaret homines, & eos liberaret à peccato. Et Luc. 19. [Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.] Denique in ſymbolo Niceno canit Eccleſia. [Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & Incarnatus eſt, &c.] ergo redemptio generis humani eſt præcipua cauſa proxima Incarnationis Verbi, qua non exiſtente, Filius Dei Incarnatus non fuiſſet.

Rom. 5. & 6. *1. Thi. 1* *Rom. 1.* *Luc. 19* *Symb.*

13 Reſpondent Scotiſtæ. Potiſſimam cauſam, ſeu finem proximum Incarnationis Verbi in carne paſſibili fuiſſe redemptionem generis humani à peccato, quo ſubinde non exiſtente carnem paſſibilem, & mortalem, nõ aſſumpſiſſet; Non tamen fuiſſe hanc potiſſimam cauſam Incarnationis, quo ad eius ſubſtantiam. Hæc tamẽ ſolutio, & explicatio videtur voluntaria. Nam Scriptura ſacra non aſſignat aliam cauſam principalem, ſeu finem proximum Incarnationis Verbi etiam ſecundum ſubſtantiã, niſi reparationem generis humani. Aliæ enim cauſæ aduentus illius, vt eſſe

vt eſſe Doctorem, Magiſtrum, Exẽplar, & Conſummatorem gratiæ, quæ nobis confertur in præſenti, & gloriæ conferendæ in futuro, ordinantur ad perfectam liberationem generis humani à peccato, vt patebit ex ſolutionibus argumẽtorum: ergo abſque rationabili fundamento aſſeritur, Incarnationem futuram eſſe ſecundum ſubſtantiam, & non in carne paſſibili, peccato non exiſtente.

14 Secundò probatur, & impugnatur efficaciſſimè præcedens ſolutio. Ex vi decreti Incarnandi, quod de facto fuit in Deo ante præſcientiam originalis peccati, Chriſtus Dominus non veniſſet in carne impaſſibili, nec etiam in carne paſſibili; ſi Adam non peccaſſet: ergo non exiſtente peccato nullo modo veniſſet, neque carnem aliquam aſſumpſiſſet. Conſequentia probatur, quia nulla alia caro eſt imaginabilis, in qua venturus eſſet peccato non exiſtente, niſi caro paſſibilis, & mortalis, vel caro impaſſibilis; cum nullum à parte rei detur medium. Antecedens autem, quòd non veniſſet in carne impaſſibili, probatur: nam aliàs etiam ſuppoſito peccato veniſſet in carne impaſſibili, vt illud efficax decretum antecedẽs præſcientiam peccati impleretur in tempore eo modo, quo Incarnatio prædefinita eſt efficacitèr ante præſcientiam peccati. Aliàs enim ſequeretur, vnum ex duobus inconuenientibus. Nam vel illud decretũ non fuiſſet efficax, vel decretũ Dei fuiſſet mutatum poſt præuiſum peccatum, quod videtur pugnare cum

Iacob. 1 verbis Iacobi in ſua Canonica. [Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.] Habemus ergo, quòd ex vi illius decreti non veniſſet in carne impaſſibili. Quòd autem non veniſſet etiam in carne paſſibili, probatur eadem ratione. Nam aliàs etiam peccato nõ exiſtente debuiſſet venire in carne paſſibili. nam decretum illud, & exequutio illius non dependet ex præſcientia peccati futuri, cum eamdem præſcientiam antecedat, iuxta oppoſitam ſententiam. Hoc autem videtur locis repugnare Scripturæ ſacræ ſupra inductis, ex quibus habetur, mortem per peccatum in mundum intraſſe: ergo, &c. Confirmatur. Peccato non exiſtente alij homines non morerentur, vt probat ſanctus Thomas prima par. quæſt. 97. cit. Ergo etiam Chriſtus, ſi veniſſet peccato non exiſtente, non habuiſſet carnem morti ſubiectam.

Reſpondent ad hoc. Ante præſcientiam peccati originalis fuiſſe quidem à Deo determinatam Incarnationem, quo ad ſubſtantiam abſtrahendo à carne paſſibili, vel impaſſibili: non autem fuiſſe abſoluto, & efficaci decreto determinatas à Deo circumſtantias Incarnationis quo ad modum, videlicet quo ad carnem paſſibilem in particulari. Modus enim Incarnationis quo ad huiuſmodi circumſtantias, prefixus eſt à Deo, & determinatus per aliud decretum, ſuppoſita præuiſione peccati originalis. Sed cõtra hoc eſt efficax argumentum. Prædeſtinatio Dei eſt prouidentia perfectiſſima, quæ ſubinde extenditur, nedum ad ſubſtantiam rei, ſed etiam ad omnes, & ſingulas illius circumſtantias, & modos, vt probat ſanctus Thomas 1. p. q. 19. ar. 8. & q. 22. ar. 2. & 3. ergo in eodẽ ſigno, in quo fuit prædeſtinatum à Deo, vt filius incarnaretur, fuerunt 15

etiam

etiam determinatæ omnes circumſtantiæ, incarnationis.

Confirmatur. Chriſtus non potuit venire in carne abſtracta à paſſibili,& impaſſibili; eo quòd debuiſſet venire in carne ſingulari, quæ ex neceſſitate deberet eſſe paſſibilis vel impaſſibilis, non enim aſſumeret ideam Platonis; ergo ex vi decreti antecedentis præſcientiam originalis peccati Chriſtus non veniſſet in Mundum. Implicat enim ipſum venire, & non in carne paſſibili vel impaſſibili determinatè cũ alijs circumſtantijs, quæ requiruntur ad carnem ſingularem, ergo ſi ex vi illius decreti non veniſſet in carne paſſibili, vel impaſſibili determinatè, non veniſſet ex vi eiuſdem decreti.

16 Reſpondent aliqui, quòd ex vi illius primi decreti aſſumeret Verbũ carnem humanam in indiuiduo, eo modo quo ipſa humana caro ſe haberet à parte rei. Et quoniam ſuppoſito peccato inueniret eam mortalem, & paſſibilem, non exiſtente autem peccato inueniſſet eã immortalem propter donum originalis iuſtitiæ; ideò ex vi eiuſdem decreti, ſi Adam non peccaſſet, Verbum Diuinum aſſumpſiſſet carnem immortalem. Suppoſito autem hominis peccato aſſumpſit carnẽ mortalem, quia ſic eam inuenit à parte rei. Hæc tamen ſolutio, quamuis aliquam videatur habere apparentiam, non tamen ſaluat rationem perfectiſſimam Prouidentiæ in Deo circa maximum opus illius, videlicet circa myſterium incarnationis. Nam iuxta hanc ſolutionem Deus ſuo æterno, & efficaci decreto non prædeterminauit in particulari myſterium incarnationis quò admodum, & quò ad omnes eius particulares circumſtantias, ſed ſolùm in communi, & quaſi in confuſo, committens rerum euentui determinationem incarnationis, quò ad prędictum modum, & circumſtantias: & conſequenter ſolum determinaſſet ipſam incarnationis ſubſtantiam, quod tamen videtur derogare perfectioni prouidentiæ, & prædeſtinationis Diuinæ. Habemus ergo, quòd præciſè ex vi decreti Diuini antecedentis præſcientiam originalis peccati verbum Diuinum non aſſumpſiſſet carnem humanam.

Tertia concluſio. Etiam ex vi alterius decreti incarnandi Verbum Diuinum non aſſumpſiſſet carnem humanam, ſi Adam non peccaſſet. Concluſio eſt cõtra Suarez, & contra quoſdam Auctores ex allegatis pro prima ſententia. Eam tamen defendunt omnes Thomiſtæ cum S. Thoma, quem ſequitur P. Valentia vbi ſupra, & Pater Vaſquez diſput. 10. c. 4. & ſeqq. & idem docuerũt Ireneus lib. 5. aduerſus hæres, c. 14. S. Athan. ſer. 3. contra Arianos S. Aug. ſuper Pſal. 36. conc. 2. Leo magnus ſerm. 3. Pentecoſt. S Greg. ſuper 4. lib. reg. c. 1. in illa verba [Iuxta omnia opera ſua quæ fecerunt,] quorum teſtimonia adducit, & accuratè expendit. Pater Vaſquez c. 4. citato. Probatur: Deus de facto non habuit decretum efficax incarnandi, ſi Adam non peccaſſet, cum ex Sacra ſcriptura nõ conſtet nobis, illum habuiſſe huiuſmodi decretum; nec id poſſit conſtare aliqua ratione probabili. [Quis enim nouit ſenſum Domini?] Similiter etiam non conſtat nobis aliqua ſolida vel probabili ratione, Deum habiturum fuiſſe aliud decretum incarnandi ex hypotheſi, quòd Adam non peccaſſet, nam id etiam

17 Suarez. Ro. 11.

non colligitur ex Scriptura, per quam ſolum nobis innoteſcunt ea, quæ pendent ex ſola voluntate Diuina. Vnde Sanctus Thomas ſuper cap. 1. primæ ad Timoth. explicans

1. Timoth. 1. vbi S. Tho. illud. [Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.] Ait, [Deus ordinauit facienda ſecundùm quòd res ipſæ faciendæ erant, & neſcimus, quid ordinaſſet ſi non præſciuiſſet peccatum.] Et ratio id ſuadet, quia ſi non præſciuiſſet peccatum, poterat pro ſua libertate ordinare, quod ſibi placuiſſet: ergo abſque fundamento aſſeritur, incarnationem futuram fuiſſe ex vi alterius decreti, ex hypotheſi, quòd Adam non peccaſſet. Probatur conſequentia: nam ſicut virtute alterius decreti potuiſſet Verbum Incarnari Adamo non peccante; ita etiam virtute alterius decreti, quod potuit habere non exiſtente peccato, potuiſſet non incarnari: ergo non eſt magis nobis certum, eſſe futurum vnum potius quā aliud ex vi alterius decreti. Con-

18 firmatur. Ante omne liberum Diuinæ voluntatis decretum non eſt ſcibile etiā à Deo, quot Angelos producturus eſſet ex hypotheſi, quòd voluiſſet creare alium Mundum, ſed ſolum eſt ſcibile, quòd creaſſet quos ipſe voluiſſet. Similiter etiam ante idem decretum non eſt ſcibile in particulari, quid ego facturus eſſe in hac hora ex hypotheſi quod eſſem in Hiſpania, & non Romæ, vt latiſſimè oſtendimus diſp. 7. de Aux. vbi ſcientiam illam mediam, ſeu conditionatorum ab humana libertate dependentium impoſſibilem eſſe oſtendimus ante liberum Diuinæ voluntatis decretum. Ergo etiā non eſt ſcibile, quid in particulari ſua libera voluntate eſſet Deus circa Myſterium incarnationis determinaturus ex hypotheſi, quòd Adā non peccaſſet. Ergò irrationabilitèr aſſeritur, incarnationem futuram eſſe ex vi alterius decreti, quod fuiſſet in Deo ex hypotheſi, quòd Adā non peccaſſet.

AD primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, Chriſtum prædeſtinatum non fuiſſe ante præſcientiam originalis peccati. Ad impugnationem dicendū, quòd vt patebit infra q. 24. Chriſtus vt homo fuit primus inter omnes prædeſtinatos, tum quia præ deſtinatus eſt vt caput, alij autem vt membra corporis miſtici, ſcilicet Eccleſiæ: tum etiam quoniam prædeſtinatio Chriſti fuit cauſa finalis prædeſtinationis omnium, finis autem prior eſt ſecundum intentionem in mente artificis, quàm ea quæ ordinatur ad finem. Vnde prior fuit prædeſtinatio Chriſti quā prædeſtinatio Angelorum & hominum: Licet enim gratia & gloria eſſentialis non fuerit Angelis collata ex meritis Chriſti; præmia tamen accidentalia quàm plurima ex eius meritis habuerunt, vt patebit infra q. 8. art. 4. Item etiam prædeſtinatio Chriſti fuit exemplar prædeſtinationis Angelorum, ſicut prędeſtinationis hominum. Nam, vt docet Sanctus Thomas infra q. 24. art. 3. Filiatio naturalis Dei, ad quam Chriſtus eſt, in quantum homo prædeſtinatus, ſecundùm illud Rom. 1. [Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute,] eſt exemplar filiationis adoptiuæ, ad quam Angeli & homines prædeſtinati ſunt. Et ex hac etiam parte prædeſtinatio Chriſti eſt prior prædeſtinatione Angelorum. Sed contra. Sequitur, quod ſi Adam non peccaſſet,

Ange-

19 · S. Thom. · Obiectio

Angeli prædeſtinati non fuiſſent. Sequela probatur. Si Adam non peccaſſet: Chriſtus Dominus prædeſtinatus non fuiſſet: ergo neque Angeli. Aliàs enim prædeſtinatio Angelorum fuiſſet prior prædeſtinatione Chriſti, & ab ea independens: & conſequenter Chriſtus non eſſet prædeſtinatus caput Angelorum: nec fuiſſet exemplar prædeſtinationis eorum.

Reſpōſio Reſpondetur, Suppoſita præſcientia peccati originalis, prædeſtinationem Angelorum pendere in genere cauſæ finalis à prædeſtinatione Chriſti, nam peccato ſuppoſito totus ordo naturæ & gratiæ ordinatur ad prædeſtinationem Chriſti, & ad exaltationē humanitatis eius vt dictum eſt: & hoc ſufficit, vt de facto prædeſtinatio Chriſti ſit ſimpliciter prior prædeſtinatione Angelorum. Licet enim Chriſtus non fuerit Angelorum Redemptor, fuit tamen conſumator gratiæ, & beatitudinis ipſorum.

21 Ad confirmationem reſpōdetur, prædeſtinationem, & glorificationem Angelorum, quo ad ſubſtātiam non dependere ex meritis Chriſti, ſicut pendet prædeſtinatio & glorificatio hominum. Ratio huius eſt, nā gratia Angelorum quo ad ſubſtantiam, nō fuit illis collata ex meritis Chriſti præuiſis, ſicut nec etiā gratia ſtatus Innocentiæ fuit homini collata per merita Chriſti. Vnde, etiam non exiſtente peccato Originali, Angeli fuiſſent prædeſtinati, & glorificati quo ad ſubſtantiam glorificationis. Homines autem non ſunt de facto prædeſtinati, vel glorificati, niſi ex meritis Chriſti. Vnde, ex vi decreti prædeſtinandi homines, quod de facto fuit in Deo; nullus homo eſſet prædeſtinatus, ſi Chriſtus non fuiſſet prædeſtinatus. Vtrum autem ex vi alterius decreti eſſent homines prædeſtinati, non poſſumus certò ſcire, quia id ſacra Scriptura non explicat. ſuppoſito tamen quòd Adam fuit ordinatus ad vitam æternam ſufficienter per gratiam ſtatus Innocentiæ, & ſimilitèr eius filij, ſi in ea nati fuiſſent; dicendum eſt, quòd ſi Adam non peccaſſet, ad Diuinam prouidentiā pertinuiſſet, alitèr ordinare homines efficacitèr ad vitam æternam, & eos prædeſtinare independentèr à meritis Chriſti: ne tota natura humana deficeret à ſuo vltimo fine. Nam vt dicebamus in libro de Auxilijs ad Diuinam prouidentiam pertinet permittere, vt ex cauſis cōtingentibus & defectibilibus aliquæ deficiant à ſuo fine, non tamen omnes. Diſp. 37. & 110.

22 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, ſolum concludere, quòd in genere cauſæ finalis prius fuerit præuiſa, & volita à Deo prædeſtinatio Chriſti, & exaltatio humanitatis eius, quàm alia futura. Nihilominus in genere cauſæ materialis & quaſi obiectiuè prius fuit præuiſum à Deo peccatum originale, in cuius remedium prædeſtinatus eſt Chriſtus. Vnde peccato non exiſtente Verbum carnem humanam non aſſumpſiſſet: & per hæc reſpondetur ad confirmationem.

23 Ad tertium argumentum reſpondetur, Deum voluiſſe incarnationem Verbi propter ſemetipſum, & propter manifeſtationem ſuæ immenſæ bonitatis tamquam propter finem vltimum: Cęterum tamquam propter finem proximum, ſine quo incarnatio non eſſet, eam voluit propter redemptionem generis humani, vt ſupradictum eſt. Nec eſt incon-

inconueniẽs, vt illud, quod eſt per-
fectius, ordinetur tamquam ad fi-
nem proximum, ſiue tamquam ad
effectum ad aliquid minus perfe-
ctum, dum tamen vtrumque ordi-
netur vlterius ad alium vlteriorem
finem vltimum.

* Ad primam confirmationem re-
ſpondetur, incarnationem Verbi
coniunctam cum redemptione ge-
neris humani eſſe maius bonũ, ſal-
tem extenſiuè, & magis volitum à
Deo, quàm incarnatio ſecundum ſe
ſumpta, & ſolitariè. Vnde credibi-
le eſt magis fuiſſe per ſe volitam in-
carnationem Chriſti coniunctam
cum redemptione generis humani,
quàm ſecundum ſe. Vnde nõ ſequi-
tur, quòd peccato non exiſtente,
Obiectio eſſet futura incarnatio. Sed con-
24 tra ſolutionem eſt argumentum;
Incarnatio ſeorſum ſumpta eſt ma
ius bonum, quàm redemptio ge-
neris humani ſecundum ſe, præſcin-
dendo à Verbi incarnatione: ergo
ipſa incarnatio ſecundum ſe fuit
magis volita à Deo, quàm redem-
ptio generis humani ſecundùm ſe.
Et per conſequens verbum incar-
natum fuiſſet, peccato hominis non
exiſtente. Et augetur difficultas,
nam medium accipit ſuam bonita-
tem à fine etiam proximo: ſed in-
carnatio Verbi non potuit deſume-
re ſuam bonitatem ex redemptio-
ne generis humani: cum incarna-
tio ſit bonum infinitum, quod à bo-
no finito, quale eſt redemptio to-
tius generis humani bonitatem de-
Solutio. ſumere non poſſit, ergo. Reſponde-
25 tur, Quamuis ſecundum ſe incar-
natio Verbi ſit maius bonum & ma
gis amabile à Deo, quàm Redem-
ptio generis humani ſeorſum ſum-
pta, nõ tamen ſequitur, quòd ſit vo-
lita de facto à Deo ſecundum ſe, &
ſecluſo ordine ad reparationem ge-
neris humani, Non enim ſequitur:
Hoc eſt magis volibile à Deo, ergo
magis volitum: Argumentamur
enim à proprietate naturali ad ea,
quæ competũt rebus ex libera Dei
voluntate. Et quoniam de facto vo-
luntas Diuina non voluit efficaci-
tèr incarnationem, niſi præſuppoſi-
to peccato, vt ex ſupradictis con-
ſtat: ideò, peccato non exiſtente, in-
carnatio non eſſet futura. Ad ratio-
nem factam dicendum, quòd mediũ
quandò ſolum habet rationem me-
dij, & non cauſæ principalis effi-
cientis, ordinari non poteſt ad id
quod eſt minus perfectũ. Cæterum
quando medium habet rationem
cauſæ efficientis, benè poteſt ordi-
nari tamquam ad finem proximum
ad aliquid, quod ſecundum ſe eſt mi
nùs perfectum. Vnde maxima illa,
Id quod eſt perfectius non debet or
dinari ad minus perfectum, intelli-
genda eſt, quando ex tali ordina-
tione ſequitur per ſe deſtructio e-
ius, quod eſt magis perfectum: non
autem quando ſequitùr per ſe con-
ſeruatio vtriuſque. Multotiès enim
homines rationabilitèr exponunt
vitam pro pecunijs, vt vitam ipſam
cum pecunijs conſeruent, quæ eſt
magis appetibilis, quàm vita ſine
pecunijs. Nam, ex eo quòd hoc mo
do ordinetur vita ad conſequutio-
nem pecuniarum, non ſequitur per
ſe amiſſio vitæ.

Ad ſecundam confirmationem 26
reſpondetur, quòd aliæ cauſæ incar
nationis, quæ exprimuntur in ſacra
Scriptura, præſupponunt præſcien-
tiam originalis peccati, ſicut & ip-
ſa incarnatio, & ad reparationem
generis humani ordinantur, vt con
ſtat ex verbis Apoſtoli, ad Titum Ad Tit. 2.
ſecundo. [Apparuit gratia Dei Sal-
uatoris

Digitized by Google

natoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos: vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo. & cap. 3. [Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, &c. vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.] In quibus verbis ſimul cum Doctrina, quam vt Doctor tradidit nobis Chriſtus Dominus, & cum manifeſtatione benignitatis, & bonitatis Dei, coniungitur Redemptio generis humani.

Ex dictis colligitur, quid ſit dicendum de ſignis rationis ſupra poſitis, quæ Thomiſtæ diſtinguunt ad explicandam ſententiã Sancti Thomæ. Illa enim quæ diſtinguit Caiet. ſunt magis accommodata & conſona Doctrinæ Sancti Thomæ. Dum tamen fateamur, prædeſtinationem Chriſti ita fuiſſe priorem in genere cauſæ finalis toto ordine naturæ, & gratiæ, vt nihilominus aſſeramus, in genere cauſæ materialis, ſiue obiectiuæ, fuiſſe priorem in Deo præſcientiam originalis peccati, ſeu peccatum ipſum futurum. Similitèr etiam concedendum eſt, quòd in exequutione, prius fuit ordo naturæ, & ordo gratiæ, atque ipſum peccatum ſecundum quòd habebat oppoſitionem cum iuſtitia originali, & gratia Adæ collata in ſtatu innocentiæ, quia hæc præſupponuntur in exequutione ad conſequutionẽ finis principalitèr à Deo intenti.

27 Per hæc facilè reſpondetur ad rationem aliorum Thomiſtarũ, propter quam alitèr diſtinguunt ſigna rationis, ſed præſertim ad argumentum quo conuincitur Aſturicen. reſpondetur, quòd, quamuis ſecundum ſe quilibet modus communicationis ex illis tribus potuerit immediatè acceptari à Deo in ordine ad finem principalem, qui eſt manifeſtatio bonitatis Diuinæ, de facto tamen, & ſecundum ordinem Diuinæ prouidentiæ non fuerunt ſecundum ſe immediatè acceptati, ſed formalitèr & explicitè ordo naturæ fuit volitus à Deo propter ordinem gratiæ tamquam propter finem, & ordo gratiæ propter vnionem hypoſtaticam, vt ex ſupra dictis patet.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm principalius incarnatio Verbi facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale.

PRIMA concluſio. Certum eſt, Chriſtum veniſſe in hunc mundum, non ſolum ad delendum peccatum originale, ſed etiam omnia actualia, quæ poſtmodum ſuper addita ſunt. Probatur, nam Chriſtus exhibuit remedium ſufficiens ad omnium peccatorum deletionem.

Secunda concluſio. Si loquamur de magnitudine peccati extenſiua, principalius venit Chriſtus ad delendum peccatum originale, quàm actuale. Probatur: Nam hoc modo peccatum originale per quod totum genus humanum inficitur, eſt maius quolibet peccato actuali, quod eſt proprium ſingularis perſonæ.

Tertia concluſio. Si ſermo ſit de magnitudine intenſiua, principalius

lius venit Chriſtus ad delendum peccatum actuale, quàm originale. Probatur. nam intenſiuè maius eſt peccatum actuale, quàm originale, quia plus habet de ratione voluntarij, vt 1. 2. q. 81. art. 1. habitũ eſt.

Expoſitio Articuli.

NOtandum, quòd ſimpliciter, & abſolutè loquendo principalius venit Chriſtus ad peccatum originale delendum, quàm actuale. Huius ratio eſt, quia reſpectu naturæ humanæ, quam venit reparare, maius malum eſt originale peccatum, quàm actuale. Nam originale totam infecit naturam humanam in primo parente, & aduerſatur bono magis vniuerſali. quod eſt Diuinius: Peccatum autem actuale eſt peccatum perſonale: vnde etiam ſi nullum eſſet peccatum actuale, exiſtente originali peccato, Verbum incarnatum fuiſſet.

Vtrum autem, ſi è contrario eſſent peccata actualia, & nõ originale, veniſſet Chriſtus Dominus, nõ eſt certum etiam apud Thomiſtas. Quidam enim partem affirmatiuã, alij verò negatiuam defendunt. Mihi tamen diſtinguendum videtur. Si enim tantum eſſent peccata venialia; certum eſt, in doctrina Sancti Thomæ, quòd non veniſſet. Nam peccatum veniale, non auertit hominem à ſuo vltimo fine, neque claudit portam Paradiſi, quam reſerare venit Chriſtus, ſed ſolum deordinat circa media. Si autem fuiſſent mortalia paucorum hominum, etiam non veniſſet Chriſtus, quia non eſſet tunc in natura humana malum vniuerſale ſeu malum gentis. Magna autem & vniuerſalis miſericordia, qualis eſt Incarnatio Verbi, exigere videtur, & præſupponere magnam, & vniuerſalem miſeriam, quam ſubleuet, vt ex Sacris litteris locis ſupra citatis colligitur. Et in tali caſu Deus aliter prouidiſſet peccatoribus de medijs, quibus à peccatis poſſent reſurgere. Si verò eſſent peccata mortalia in omnibus ferè hominibus, vel in maiori parte, ſicut modo ſunt, probabiliter aſſeritur, etiam non exiſtente peccato originali, Incarnationem fuiſſe futuram, quia tunc peccatum mortale cenſeretur malum gentis, ſeu malum vniuerſale, vel quaſi vniuerſale, quod ſubinde per Incarnationem Verbi delendum erat. Reliqua verò, quæ ad iſtum articulum pertinent: videnda ſunt apud Caietanum: & M. Medinam.

ARTICVLVS V.

Vtrum conueniens fuerit, Deum Incarnari ab initio Mundi.

CONCLVSIO eſt negatiua. Probatur. Quia non debuit incarnari ante peccatum, nam medicina præſupponit morbum; nec immediate poſt peccatum: Primò, vt homo infirmus vires naturæ expertus cognoſceret ſe liberatore indigere. Secundò, vt magis diſponeretur natura humana ad tantam vnionem recipiendam, recto ordine procedendo ab imperfecto ad perfectum. Tertiò, propter dignitatem Verbi, vt eum longior præconum & Prophe-

tarum ſeries præcederet. Quarto, vt fides noſtra eſſet ſolidior, quam videmus tot Prophetarum oraculis reſpondere.

Expoſitio Articuli.

2 BReuis difficultas ſe offert in præſenti, vtrum ſalus generis humani fuerit verè & propriè cauſa finalis Incarnationis Verbi. Prima ratio dubitandi eſt. Nam finis præſtantior eſt ijs, quæ ordinantur ad finem, cum bonitas medij ſumatur ex bonitate finis: Sed ſalus totius generis humani non eſt præſtantior Incarnatione Verbi: ſed econtra Incarnatio Verbi eſt abſque vlla comparatione præſtantior ſalute generis humani: Ergo impoſſibile eſt, quòd ſalus generis humani fuerit cauſa finalis Incarnationis Verbi Diuini.

Primum argumentum.

Secundũ. Secundo. Incarnatio Chriſti fuit cauſa finalis reparationis generis humani, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo non potuit eſſe eius effectus in eodem genere cauſæ finalis. aliàs idem eſſet cauſa, & effectus, prius, & poſterius reſpectu eiuſdem in eodem genere cauſæ.

Reſpondetur, tria poſſe in Verbi Incarnatione conſiderari: Primum eſt ſubſtantia ipſius Incarnationis qua humanitas fuit vnita perſonaliter Dei Filio. Secundum eſt opera ipſa Verbi Incarnati, quibus pro peccato generis humani ſatisfecit. Tertium eſt glorificatio & exaltatio Animæ Chriſti, quæ ex Incarnatione, & ex opere noſtræ Redemptionis ſubſequuta eſt. Dicendum eſt ergo: Incarnationem Verbi, quantum ad duo priora, quæ in illa conſiderantur, ordinatam fuiſſe à Deo ad ſalutem generis humani tanquam ad finem, non quidem principalem, ſed proximum. Probatur locis Scripturæ ſuperius adductis, ſed præſertim ex illo ad Galatas 4. [Miſit Deus filium ſuum factum ex Muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.] Vbi illa dictio, vt, cauſam finalem denotat, ſeu finem immediatum & proximum ipſius Incarnationis. vnde in Symbolo Concilij Niceni dicitur. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto. Id ipſum probatur de operibus Verbi Incarnati, ex illo Eſaiæ 53. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et Mathæi 26. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et primæ ad Corinth. 11. hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Vnde etiam in Symbolo præallegato dicitur Chriſtus Dominus crucifixus etiam pro nobis, paſſus & ſepultus; Pro nobis, inquam, vt propter finem proximum & immediatum: nam finis eſt, cuius gratia aliquid fit, & nomine paſſionis omnia opera ſatisfactoria Chriſti Domini comprahendit. fuit enim tota eius vita Sanctiſſima quaſi continua quædam paſſio. Si autem in ipſa Incarnatione conſideretur gloria & exaltatio Chriſti, dicendum eſt, eiuſmodi Chriſti gloriam non fuiſſe ordinatam ad ſalutem generis humani tamquam ad finem, ſed potius econuerſo gloriam Chriſti eſſe cauſam finalem ſalutis generis humani, vt patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 7. vbi dicitur. Huius

Galat. 4.

Symbo.

Eſaia. 53.

Matth. 26.

1. Corint. 11.

Concil. Trid.

[Huius iuſtificationis cauſę ſunt, finalis quidem, gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna.] Idipſum probari
1. Cor. 3 poteſt ex illo 1. Corinth. 3. [Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors: ſiue præſentia, ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei] Quorum Verborum ſenſus eſt. Omnia ordinantur ad gloriam veſtrã, vos autem ad gloriam Chriſti, qui vos redemit, Chriſtus autem ſecundum quod homo ad gloriam Dei.
Coloſ. 1 Et ad Colloſſenſes 1. [Quoniam in ipſo cõdita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt:] Ex quibus verbis colligitur, Chriſtum Dominum, in quantũ eſt Deus, eſſe cauſam exemplarem efficientem, & finalem omnium creaturarum, vt ſuper eamdem Epiſtolam
S. Tom. lectione 4. explicat Sanctus Thomas: Et in quantum homo, ſicut eſt caput corporis Eccleſiæ primogenitus ex mortuis, & in omnibus ipſe primatum tenens, vt in eodem capite dicit Apoſtolus: ita etiam eſt finis ad cuius exaltationem & gloriam, ſalus ſui corporis myſtici tamquam ad finem Deo magis coniunctum ordinata eſt.

5 Per hæc facilè reſpondetur ad rationes dubitandi, ſuperius propoſi-
Ad 1. arg. tas. Ad primam dicitur, quod finis vltimus, & magis principalis ſemper eſt præſtantior ijs, quæ ordinantur ad finem: non tamen oportet, quòd finis proximus & immediatus ſit præſtantior, præſertim quando illa quæ ordinantur ad talem finem habent rationem cauſæ efficientis eiuſdem finis. Incarnatio autem Verbi, ſeu Verbum Incarnatum eſt cauſa efficiens principalis reparationis generis humani: Humanitas etiam Verbo vnita fuit verè cauſa efficiens, & inſtrumentum coniunctum, quo Verbum Incarnatum eamdem ſalutem, & efficienter, & meritoriè operatum eſt, vt patebit infra. Vnde non ſequitur, quòd ſalus totius generis humani ſit præſtantior Incarnatione Verbi.

6 Secundò reſpondetur, Licèt Incarnatio Verbi ordinetur tamquã ad finem proximum, & immediatum ad ſalutem generis humani, tamen ex alia parte ſalus generis humani ordinatur ad incarnationem Verbi, & ad exaltationem humanitatis Chriſti, tamquam ad finem ſuperiorem, & magis principalem, quàm ſit ſalus generis humani. Vnde Incarnatio Verbi eſt multò præſtantior & excellentior.

Tertiò reſpondetur, quòd quando medium participat totam ſuam bonitatem à fine, ad quem ordinatur: tunc finis eſt præſtantior, quia medium non eſt appetibile, niſi propter finem, ſicut medicina non eſt appetibilis, niſi propter ſanitatem. Cæterum quando aliquid ordinatur ad finem perficiendum, ſicut Incarnatio Verbi ordinata eſt ad reparationem generis humani, tunc id quod ordinatur ad talem finem, præſtantius eſt ipſo fine, quia non participat bonitatem ab huiuſmodi fine, ſed potius eidem perfectionem & bonitatem communicat.

Ad ſecundam rationem dicendum, nullũ eſſe inconueniens, quòd aliqua duo ſecundùm diuerſas rationes ordinẽtur ad inuicem tam- *Ad ſecun.* 7

quàm ad finem, quotieſcunq; vnum ordinatur ad aliud tanquàm ad finem proximum, & minus principalem, alterum verò econuerſo ordinatur ad illud tanquam ad finem ſuperiorem, & magis principalem, vt patet innaturalibus: quia vnumquodq; eſt propter ſuam operationem, tanquam propter finem proximum, & tamen operatio ordinatur ad perfectionem agentis, vt ad finem principalem.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Incarnatio differri debuerit vſque ad finem Mundi.

CONCLVSIO eſt negatiua, quã probat in argumento, ſed contra, ex illo Habacuc 3. [in medio annorum notum facies.] In corpore autem articuli adducit S. Tho. pro eadem concluſione aliquas congruentias, quæ in ipſo tex tu ſunt videndæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

De modo vnionis Verbi Incarnati.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum vnio Verbi Incarnati ſit facta in natura.

CONCLVSIO. Impoſſibile eſt Incarnati Verbi vnionem eſſe factam in natura. Probatur, nam tripliciter aliquid vnum ex duobus vel pluribus conſtituitur. Primò ex duobus integris perfectis remanentibus, ſicut eſt domus, vel aceruus lapidum. Et hoc modo vnio Verbi Incarnati non potuit fieri, tum quia vnio Incarnationis non eſſet per ſe, ſed per accidens, quod infra art. 6. improbabimus: tum quia ex huiuſmodi non fit vnum ſimpliciter, ſed ſecundum quid, remanent enim plura actu: tum tertio, quia forma talium non eſt natura, ſed magis ars. Ergo iſto modo non potuit in Chriſto fieri vnio in natura. Secundo modo fit aliquid vnum ex perfectis, ſed tranſmutatis, ſicut ex elementis fit mixtum, & ſic etiam vnio Verbi Incarnati non potuit fieri in natura. Primò quia natura Diuina eſt omninò immutabilis, incorruptibilis, & ingenerabilis: Secundò, quia commixtum differt ſpecie à quolibet miſcibilium, ſicut caro differt ſpecie à quolibet elementorũ, & ita Chriſtus non eſſet eiuſdem naturæ cum Patre, neque cum matre. Tertiò, Si quis guttam aquæ amphoræ vini apponat ſoluitur ſpecies aquæ, & remanet ſolum vinum. Vnde ſi hoc modo fieret mixtio naturæ humanæ & Diuinæ, remaneret in Chriſto ſola natura Diuina. Tertio modo fit aliquid ex pluribus non permixtis, vel permutatis, ſed imperfectis, & hoc modo nõ potuit vnio Incarnationis fieri in natura, quia & natura Diuina & humana eſt ſecundùm rationem ſuam perfecta: præterea, quia natura Diuina non poteſt eſſe forma alicuius præſertim corporei. Tertiò, quia ſequeretur, Chriſtum non eſſe humanæ naturę, neque Diuinæ naturæ. Differentia enim addita variat ſpeciem, ſicut vnitas numerum.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMA.

Vtrum vnio Verbi incarnati facta fuerit in natura.

2 PRO huius explicatione notandum, vnionem fieri in natura nihil aliud eſſe, quàm per talem vnionem reſultare in Chriſto dumtaxat vnam naturam, ſiue id fiat, quia reſultat ex natura Diuina & humana vna tertia natura, ſiue quia natura Diuina conuertitur in humanam, vel quia humana conuertitur in Diuinam. Fuit ergo olim hæreſis Euthichetis, qui, vt refert Leo primus Epiſt. 10. & 52. & Theodoretus lib. 4. hæreticarũ fabularum, aſſeruit, poſt incarnationem vnam tantum fuiſſe & eſſe in Chriſto naturam, & eam factam eſſe ex Diuinitate, & carne, per conuerſionem videlicet Diuinitatis in carnem, eo modo quo aqua vino admixta conuertitur in vinum: & ſicut per conſecrationem ſubſtantia panis conuertitur in Corpus Chriſti. Eumdem errorẽ ex parte ſuſcitauerunt Monothelitæ; qui, vt refert Damaſcenus lib. de hæreſibus, & Nicephorus, lib. 18. cap. 45. & 46. dixerunt, vnam tantum in Chriſto eſſe naturam, vnam voluntatem, vnam actionem & operationem. Similiter etiam Armeni, vt refert Euthimius parte 2. ſuæ Panopliæ tit. 20. dixerunt, in Chriſto non fuiſſe duas naturas, ſed carnem Chriſti in diuinitatem fuiſſe conuerſam, ac per conſequens vnionem factam fuiſſe in natura.

Euthich. Leo, & Theod.

Damaſc.

3 Argumentum potiſſimum, quo Eutiches fuit conuictus, deſumitur ex illo Ioan. 1. [Verbum caro factum eſt:] ſed verbum non fit caro, niſi conuertatur in carnem, ſicut aqua non fit vinum; niſi conuertatur in vinum, ergo, &c.

Argumt. Ioan. 1.

Confirmat hoc, nam ſicut dicitur Ioan. 1. Verbum caro factum eſt, ita dicitur Ioan. 2. [vt guſtauit Architiclinus aquã vinũ factam;] ſed in hoc ſecundo loco, aquam eſſe vinum factum, ſignificat aquam eſſe in vinum conuerſam, ergo in priori loco ſignificatur, verbum fuiſſe conuerſum in carnem. Hæc tamen ſententia non ſolùm eſt contra fidem, ſed etiam lumini naturali repugnat, vnde eſt per ſequentes concluſiones impugnanda.

Confirmatio. Ioan. 2.

4 PRima concluſio. Secundùm fidem Catholicam tenendum eſt, vnionem Verbi incarnati nullo modo factam fuiſſe natura, ac perconſequens neceſſario aſſerendum eſt, Chriſtum duabus conſtare naturis, Diuina ſcilicet, & humana, in eadem perſona verbi vnitis. Iſta concluſio habetur definita in Concilio Calcedonenſi actione quinta, vbi ſic dicitur. [Sequentes Sanctos Patres confitemur eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate Deum verè, & hominẽ verè:] Et poſt pauca. [Confitemur eumdem Chriſtum filium Dei vnigenitum in duabus naturis incõfuſè, immutabiliter indiuiſè.] Et in Concilio 5. Conſtantinopolitano confeſſ. 5. cap. 2. dicitur [ſi quis nõ confitetur Dei Verbi duas eſſe natiuitates, vnam ante ſæcula ex Patre, alteram in vltimis diebus de Sancta Dei genitrice, & ſemper Virgine Maria, anathema ſit.] Duæ

autem natiuitates eſſe non poſſunt, niſi ſint duæ naturæ. Eadem veritas definitur in 6. Synodo Oecumenica Conſtantinopolitana actione 17. & in Concilio Toletano 5. in aſſertione fidei, & in Concilio Arelatenſi 4. in cõfeſſ. fidei, vbi dicitur. [Cõfitemur Chriſtum habere in vna perſona duarum naturarum proprietatem.] Idem habetur in Concilio Vuormatienſi in confeſſione fidei, & in Concilio Lateran. cap. 1. & refertur cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

5 Secundò probatur ex diuerſis Summis Pontificibus eamdem veritatem confirmãtibus: inter quos eſt Caius Papa Epiſtola ad fœlicem Epiſcopum, vbi multis teſtimonijs ſcripturæ probat, in Chriſto eſſe Diuinam naturam & humanam. Idem docet Iulius Papa Epiſtola ad Profdochium, Damaſcenus in Profeſſione fidei ad Paulinum Theſſalonicenſem Epiſcopum. Leo magnus ſermone 1. de Natiuitate Domini cap. 2. Ormiſda Epiſtola 76. ad Iuſtinum Imperatorem. Ioan. ſecundus epiſtola 3. de duabus Chriſti naturis. Agato Papa Epiſtola ad Conſtantinum. Et Leo nonus Epiſtola ad Petrum Antiochenum.

Caiꝰ PP.

Iulius. Damaſus Leo, &c.

6 Tertiò probatur ex cõmuni conſenſu omnium Sanctorum, quorum Teſtimonia, tàm ex Græcis, quàm ex Latinis deſumpta in vnum colligit Theſaurus Catholicus Tom. 1. lib. 2. de Chriſto Saluatore art. 2. Cum ergo in Chriſto ſint duę naturæ realitèr diſtinctæ, relinquitur, vnionem verbi factam non fuiſſe in natura.

Theſaur. Cathol.

Quartò probatur ratione. In Chriſto ſunt duę operationes, Diuina ſcilicet & humana, & ſimilitèr duæ voluntates realitèr diſtinctæ, vt patebit infra, q. 17. & 18. Ergo & duæ naturæ realitèr diſtinctæ. operationes enim ſequuntur ad naturam, eique proportionantur. ergo vnio fieri non potuit in natura.

Secunda concluſio. Non ſolum fidei, ſed etiã lumini naturali repugnat Eutichetis, & aliorum hæreticorum ſententia inducta. Probatur. Nam Diuinitas eſt immutabilis, ingenerabilis, & incorruptibilis, vt lumine naturæ conſtat: ergo per vnionem hypoſtaticam Diuinitas non potuit in carnem conuerti, neque caro in Diuinitatem: ergo per incarnationem non reſultauit vna natura, ac perconſequens vnio non fuit facta in natura. Denique probatur ratione Sancti Thomæ in corpore huius articuli. vide Caiet. & M. Med. 7

Ad argumentum hæreticorum facilè reſpondetur, quòd Verbũ Diuinum dicitur caro factum, non quia in carnem cõuerſum, ſed quia carni eſt vnitum. Nec eſt eadem ratio de aqua facta vinum, nam aqua eſt generabilis & corruptibilis, & virtute Diuina potuit in vinũ conuerti: Diuinitas autem eſt omnino immutabilis, vnde non eſt ſimile. Et per hæc patet ad cõfirmationẽ. 8

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum vnio Verbi incarnati fuerit facta in perſona.

CONCLVSIO eſt affirmatiua. Probatur: fides docet, quòd Verbum Diuinum ſibi vniuit naturam humanam: ſed hæc vnio non fuit facta in natura, vt art. præcedenti viſum eſt: 1

eſt: ergo facta fuit in perſona. Probatur conſequentia, nã ſi non fuiſſet vnita in perſona, nullo modo vniretur verbo. Etenim omne quod vnitur alicui perſonę, ſiue pertineat ad naturam eius, vt humanitas, ſiue non, vt accidentia, vnitur ei in perſona: Si ergo humana natura Verbo Dei non vnitur in perſona nullo modo ei vnitur: & ſic totalitèr tolleretur Incarnationis fides: quod eſt ſubruere totam fidem Chriſtianam.

Expoſitio Articuli.

2 NOtandum primò, quòd vniri in perſona, nihil aliud eſt, quã ſubſiſtere per ſubſiſtentiam perſonæ, & per eam ſuſtentari: ſicut vniri in natura, eſt, quòd ex vnione reſultet vna natura. Secundo notandũ, quòd accidentia non ſubſiſtunt formalitèr per ſubſiſtentiã perſonę, ſed tantum cauſalitèr & effectiuè, nam accidentia habent proprias in exiſtentias formales, ſicut proprias eſſentias.

DISPVTATIO VNDECIMA.

Vtrum humanitas fuerit vnita perſonalitèr Verbo.

3 FVIT olim Hæreſis Neſtorij, qui, vt refert S. Cyrillus Epiſtola ad Acatiũ, & lib. de recta fide in Chriſtum, aſſeruit, non eſſe vnam, & eamdẽ perſonã, vel ypoſtaſim Dei, & hominis poſt Incarnationis myſteriũ, ſed alium eſſe filiũ ex Patre genitum, alium verò diuiſim, & ſeparatim filium Chriſtum ex Virgine natũ, ac per conſequens, vnionẽ Verbi Incarnati non fuiſſe factã in perſona, vel ypoſtaſi, ſicut nõ fuit facta in natura. Vnde ſolũ admittebat Neſtorius quamdã accidentalem vnionẽ Verbi cum humanitate per gratiam, aut dignitatem, vel aliam vnionẽ, quæ non eſſet ſubſtantialis: Volens enim hæreſim Euthichetis conſtituentis in Chriſto vnicam dũtaxat naturam declinare, in aliũ extremum incidit errorem, aſſerendo, non ſolum eſſe duas naturas filij Dei, & Virginis Matris, ſed etiam duas perſonas, vel ypoſtaſes ſeparatas, & realitèr diſtinctas.

Ratio potiſſima illius fuit, nã vbi ſunt duæ naturę cõpletę indiuiduę, & per ſe ſubſiſtentes, neceſſe eſt eſſe duas perſonas diuiſas, vel ypoſtaſes: ſed poſt Incarnationis myſteriũ ſunt duæ naturæ completæ, indiuiduæ, & per ſe ſubſiſtentes, videlicet natura filij Dei, & filij Beatiſſimæ Virginis: ergo & duæ perſonæ, vel ypoſtaſes. 4

Eſt autẽ ſententia iſta damnata à S. Cyrillo tanquã hæretica ſacro approbante Concilio Epheſino, vt patet Tom. 1. Concil. pag. 1114. in impreſſione Veneta Anathematiſmo 3. Tho. 5. eiuſdẽ Conc. Epheſ. vbi ſic dicitur. [Si quis poſt naturarum vnionem ſubſiſtentias in vno Chriſto diuidit, vnicuiq; nimirum ſuam propriam aſſignans, naturaſq; ea tantum copula connectitur, quæ eſt ſecundum dignitatem, vel auctoritatem, non autem ea ratione, quæ eſt ſecundum phyſicam vnionem; Anathema ſit.]

Contra hanc definitionem inſurrexerunt Neſtoriani orientales, vt refertur eod. Conc. pag. 1159. impugnantes S. Cyrillum, quòd vnionem Verbi naturalem, ſeu phyſicam appellauerit. Et inter alia ſic loquebantur.

bantur. Quomodo naturalẽ Diuinã vnionem nominant? Si enim naturalis vnio, vbi gratia, vbi Diuinum Sacramẽtum? (quaſi dicerent. Non poteſt vnio phyſica, vel naturalis cum vnione gratuita & Diuina, atque imperſcrutabili conſiſtere.

5 Huic obiectioni, reſpondet Cyrillus in eodem Cõcilio, & naturalem ſeu phyſicam inter Verbum, & carnem ſacro approbante Concilio vnionem defendens, ſic ait. [Habet ſcriptura inſpirata hunc morẽ hac dictione vti, Scribit enim Apoſtol. Epheſ. 2. Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri, & neutiquam dixerit quiſpiã ſubſiſtere ſecundùm naturã iram Dei, ita vt peccatores illius ſint ſoboles. Alioquin in inſaniam Manichæorũ incideremus: vnde ibi Natura idẽ eſt quòd verè: non ergo confundentes naturas, neque ipſas inter ſe confermẽtantes, ſicut dicũt aduerſarij, naturalem diximus factã eſſe vnionẽ, ſed ex duabus rebus diſſimilibus, Deitate ſcilicet, & humanitate vnum factum eſſe Chriſtũ, & filium & Dominũ vbique affirmamus. Hæc ille. Quibus verbis clariſſimè docet, vnionẽ hypoſtaticã poſſe & debere phyſicã in eo ſenſu appellari, vt ſignificat veram & realẽ vnionem Diuinæ naturę & humanę in eodẽ Verbi ſuppoſito. Approbauit autẽ Celeſtinus Papa reſponſa S. Cyrilli, vt patet ex Epiſt. eiuſdem Celeſtini ad Neſtorium, quæ habetur inter acta eiuſdẽ Concil. Epheſ.

Rod. Concil. 1160. *Eph. 2.*

6 Hic eſt obiter aduertendũ, hanc vocẽ phyſicam ſeu phyſicè, vt ſignificat idẽ quod verè & realiter eſt tale, non eſſe nouam, ſed antiquam à Sanctis Patribus traditã, & à Summis Pontificibus, & Concilijs approbatam, & in eodem ſenſu eã accipiunt Theologi, cũ dicunt, humanitatem Chriſti tamq iã inſtrumentum cõiunctum Diuinitati phyſicè, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ cauſare gratiam, & miracula. Et cũ docent, ſacramenta nouæ legis phyſicè cauſare gratiam, & Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ phyſicè, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ efficere, vt liberum arbitrium cõcurrat, & cooperetur Deo mouenti, & excitanti. Nihil enim aliud his verbis ſignificant, niſi Deũ verè efficienter & realiter per idem auxiliũ facere, vt faciamus, & operari vt operemur ea, quæ pertinent ad noſtram ſalutem. Eadem veritas diffinita eſt in Concil. Calcedonenſi 5. & Conſtantinop. 2. actione 4. & c. firmiter de Summa Trinitate & fide Catholica, atque in alijs Concilijs & decretis Summorum Pontificum ſupra inductis.

Denique probatur prædicta conclusio ratione. Idẽ Chriſtus eſt ſubſtantialiter & realiter verus Deus, & verus homo, vt conſtat ex Symbolo Athanaſ. [Sicut Anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus,] ergo eſt vna perſona Dei & hominis, ac per conſequens vnio Diuinæ naturæ & humanæ facta eſt in perſona vel hypoſtaſi. Probatur conſequentia, quia duæ naturæ perfectæ non poſſunt in concreto de ſe inuicem prædicari, niſi ratione vnitatis ſuppoſiti in quo conueniunt, Ideò namque hæc propoſitio eſt vera, Album eſt dulce, quia Albedo & dulcedo vniuntur in eodem ſuppoſito. Cũ ergo poſt myſteriũ Incarnationis Deus & homo de ſe inuicem prædicentur; cũ affirmamus Deum eſſe hominem, & hominem eſſe Deum, relinquitur, naturam Diuinam & humanam in eadem perſona, vel 7

ſup-

Digitized by Google

8 ſuppoſito Verbi fuiſſe vnitam.

Ad argumentum Neſtorij reſpõdetur; Quando duæ naturæ completæ per ſe ſubſiſtunt propria, & connaturali ſubſiſtentia: tunc conſtituunt duo ſuppoſita realiter inter ſe diſtincta, & diuiſa, ſicut ſunt Petrus, & Paulus: Natura autem humana in Chriſto non ſubſiſtit propria, & connaturali ſubſtantia, ſed ſubſiſtentia Verbi Diuini. Vnde, quamuis in illo ſint duæ naturæ cõpletæ, & realiter diſtinctæ: non tamen ſunt duo ſuppoſita diuiſa, vel realitèr diſtincta, ſed ſolum ratione; nam idem ſuppoſitum Verbi, vt ſubſiſtit in natura Diuina, eſt ſuppoſitum Diuinum, & vt ſubſiſtit in natura humana, eſt ſuppoſitum humanum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum vnio ſit facta in ſuppoſito, vel hypoſtaſi.

CONCLVSIO affirmatiua. Probatur. Vnio eſt facta in perſona, vt articulo præcedenti oſtenſum eſt: ergo & in ſuppoſito, vel hypoſtaſi. Patet conſequentia, nam perſona ſupra hypoſtaſim, vel ſuppoſitum tantum addit determinatã naturã: Etenim perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: Suppoſitum autem, vel hypoſtaſis reperitur, in quacumque alia natura completa prædicamenti ſubſtantiæ. Secundò probatur rationibus factis pro concluſione præcedentis articuli.

Expoſitio Articuli.

2 NOtandum eſt: Sanctum Thomam hunc articulum addidiſſe præcedenti, propter ſpecialem hæreſim Neſtorij, qui in Chriſto duas hypoſtaſes eſſe confinxit, cuius hæreſis articulo præcedenti impugnata eſt, & vt explicaret differentiam inter hypoſtaſim, & perſonam: vnde non debet præſens articulus ſuperfluus reputari.

Sed, vt veritas huius concluſionis, & præcedentis articuli magis appareat, proponenda ſunt, & ſoluenda quædam argumenta.

Primò arguitur. Implicat contradictionem, quòd eadem ſpecies contineatur ſub duobus generibus diſparatis: ergo, & quòd idem ſuppoſitum ſit ſub duplici natura. Reſpondetur negando conſequentiã, nam genus eſt de eſſentia ſpeciei, ſuppoſitum autem proprium non eſt de ratione, vel eſſentia naturæ, aliàs natura eſſe non poſſet abſque proprio, & ſibi connaturali ſuppoſito, cuius contrarium reperitur in humanitate Chriſti. Primum argum. Solutio.

Secundò arguitur. Omnis generatio terminatur ad ſuppoſitum: ergo noua generatio ex Virgine, qualis fuit generatio Chriſti terminatur ad nouum ſuppoſitum: ergo in Chriſto eſt duplex ſuppoſitum, nimirum ſuppoſitum Diuinum terminans generationem Diuinam ex Patre, & ſuppoſitum humanum terminans generationem temporalẽ, & humanam ex Matre. Reſpondetur, quòd ad terminandam duplicẽ generationem non oportet conſtituere in Chriſto duplex ſuppoſitum realiter diſtinctũ, ſed ſufficit, quòd in illo reperiatur duplex natura, Diuina, ſcilicet, & humana: quia ſuppoſitum terminat generationem, vt quod, natura verò, vt quo. Vnde idem ſuppoſitum diuinum Chriſti Domini ratione Diuinæ naturæ terminat 3 Secundũ argum. Solutio.

minat generationem æternam: ratione autem naturæ humanæ aſſumptæ terminat generationem temporalem ex Virgine Matre.

4 Tertium argum. Tertiò arguitur. Sancti affirmant, Verbum Diuinum aſſumpſiſſe hominem. Dicit enim Ambroſius, & Auguſtinus in Cantico, Te Deum laudamus: [Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum:] & in Pſalmo 64. [Beatus quē elegiſti, & aſſumpſiſti.] Sed homo ſignificat ſuppoſitum naturæ humanæ: ergo Verbum Diuinum aſſumpſit ſuppoſitum humanum: ergo vnio Incarnationis non eſt facta in ſuppoſito, vel hypoſtaſi. *Pſal. 64*

Solutio. Reſpondetur, quòd ſanctus Ambroſius & Auguſtinus per hominem intelligunt naturam humanam. ſimiliter etiam verba illa Pſalmi intellecta de Chriſto debent ſic explicari: Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, id eſt, cuius naturam aſſumpſiſti.

Quartum argum. Quartò arguitur. Omnis vnio terminatur ad aliquid vnum, quod eſt poſterius vnione: ſed vnitas perſonæ ſuppoſiti Diuini non eſt poſterior vnione, quæ facta eſt in myſterio Incarnationis: nam ſuppoſitum Verbi eſt ab æterno: ergo eiuſmodi vnio non fuit facta in ſuppoſito, vel ypoſtaſi.

Solutio. Reſpōdetur, quòd ſuppoſitum Verbi qua ratione eſt in ſeipſo vnum, & ſubſiſtens in natura Diuina, fuit ab æterno, ſed quatenus ſubſiſtit in natura humana, & vt eſt illi vnitum, fuit ratione poſterius hac mirabili vnione, & ſic terminat eamdem vnionem. Solutio eſt ſancti Thomæ in diſputatis quæſtione de vnione Verbi Incarnati art. 1. ad 5.

5 Quintum argum. Quintò. Suppoſitum creatum non poteſt aſſumi ſine propria natura: ergo neque natura ſine proprio ſuppoſito: ergo vnio humanæ naturæ non fuit facta in ſuppoſito Verbi.

Solutio. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſuppoſitū includit naturam: Cæterum natura non includit ſuppoſitum: vnde non eſt ſimile. Secundo reſpondetur, quòd ſuppoſitum creatum non eſt aſſumptibile à Verbo, nam id repugnat ſuppoſito, vt patebit infra.

6 Dubium. His ſuppoſitis dubitari ſolet, vtrum Chriſtus ſit vnum, vel duo. Ad quod breuiter reſpondetur, cum ſancto Thoma quæſt. de vnione Verbi Incarnati ar. 3. quòd Chriſtus eſt ſimpliciter vnum propter vnum ſuppoſitum, ſed duo ſecundum quid propter duas naturas, Diuinam ſcilicet, & humanam, in quibus ſubſiſtit. Et quidem, quòd ſit ſimpliciter vnus, probatur ex verbis Athanaſij. [Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. Nam ſicut anima rationalis, & caro, vnus eſt homo, ita Deus, & homo, vnus eſt Chriſtus:] & explicans qua ratione ſit vnus inquit. [Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ] quaſi diceret, Chriſtum eſſe vnum propter vnitatem perſonæ, vel ſuppoſiti. Hoc ipſum cōfirmatur ex verbis Apoſtoli, [Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus.] Et ad Epheſ. 2. [Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.] Ratio autem, propter quam Chriſtus ſimplicitèr dicendus ſit vnus maſculinè, aut vnum neutralitèr, & duo ſecundum quid, aſſignatur à ſancto Thoma ar. 3. allegato. nam, quod conuenit alicui ſecundum totum, magis conuenit ei ſimplicitèr, quàm quod conuenit ei ſecundum partē: ſed ſuppoſitum ſignificatur per modum totius, natura autem per modum

Symb. *1. Thi. 2* *Eph. 2.*

dum

Digitized by Google

dum partis formalis. Cum ergo vnũ & multa poſſint referri, & ad ſuppoſitum, & ad naturam, relinquitur, quòd ſi aliquod vnum ſuppoſitum habeat plures naturas ſubſtantiales ſicut habet Chriſtus Dominus, ſit vnum ſimpliciter, & duo ſecundùm quid.

7 Obiectio prima. Sed contra. Chriſtus eſt vnus vnitate increata in quantum Deus, & vnitate creata in quantum homo, ergo eſt duo ſimplicitèr.

Obiectio ſecunda. Secundò. Chriſtus non eſt duo ſimplicitèr: ergo eſt vnum tantum: ergo ſimplicitèr loquendo, vel eſt homo tantum, vel Deus tantum, neutrum poteſt dici, ergo ſimplicitèr Chriſtus non eſt vnum, ſed duo.

Obiectio tertia. Tertiò. Diuinitas, & humanitas non ſe habent vt actus, & potentia, ergo non conſtituunt vnum ſimplicitèr, ſed duo.

8 Ad primum. Ad primum negatur conſequentia, quia ſufficit, quòd in Chriſto ſint duę naturæ, vt habeat illas duas vnitates, quæ conſequuntur duas naturas, ratione quarum dicendus eſt Chriſtus duo ſecundùm quid, non autem ſimplicitèr.

Ad 2. Ad ſecundum autem reſpondetur, Chriſtum ſimplicitèr loquendo eſſe vnum tantum propter vnum ſuppoſitum, & duo ſecundùm quid propter duas naturas. vnde non eſt tantum Deus, nec tantum homo, ſed eſt Deus homo. Secundò reſpondetur, quòd Chriſtus ratione ſuppoſiti, vt eſt in ſeipſo, eſt tantum Deus, quia nullum aliud ſuppoſitum habet, niſi ſuppoſitum Diuinum; ſed ratione naturæ nõ eſt tantum Deus, ſed Deus homo, quia non ſubſiſtit ſolum in natura Diuina, ſed etiam in natura humana.

Ad 3. Ad tertium reſpondetur, ſolum concludere, quòd Diuinitas, & humanitas non conſtituant vnum ſecundùm naturam: non autem probat, quòd non vniantur in vno ſuppoſito, ratione cuius Chriſtus dicitur, & eſt ſimplicitèr vnus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum perſona, ſiue ypoſtaſis Chriſti poſt Incarnationem ſit compoſita.

PRima concluſ. Si perſona Chriſti cõſideretur ſecũdũ ſe, non eſt compoſita etiam poſt Incarnationem. Probatur, quia ſub hac ratione eſt omnino idem cum natura Diuina, ſeu natura Verbi: ſed natura Verbi eſt omnino ſimplex: ergo. 1

Secunda concluſio. Si conſideretur perſona Chriſti ſecundùm quòd poſt Incarnationem, ſubſiſtit in duabus naturis, ſub hac ratione eſt perſona compoſita. Probatur, quia, licet ſit vnum ſubſiſtens, eſt tamen in eo alia, & alia ratio ſubſiſtendi: ergo dicitur perſona compoſita in quantum vnum duobus ſubſiſtit.

Expoſitio Articuli.

PRo clariori intelligentia literæ ſancti Thomæ aduertendum eſt, quòd, licet non differant ſecundùm rem perſona Verbi, & perſona Chriſti, differunt tamen ſecundùm rationem: nam perſona Verbi ſignificat perſonã Verbi, vt ſubſiſtit in natura Diuina: at perſona Chriſti importat perſonam ſubſiſtentem in duabus naturis, Diuina ſcilicet, & humana: vnde eadem perſona Chriſti, & eſt perſona Diuina, vt ſubſi- 2

Digitized by Google

ſubſiſtit in natura Diuina: & eſt perſona humana, vt ſubſiſtit in natura humana, quod tamen non competit perſonæ Verbi ſecundùm ſe conſideratæ, nam ante Incarnationem ſolum erat perſona Diuina, nō autem perſona humana. Notandum ſecundo, quod hoc nomen compoſitum à parte prædicati appellat ſuū formale ſignificatum ſupra formale termini cui adiungitur, vel de quo prædicatur.

DISPVTATIO XII.

Vtrum perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit dicenda abſolutè, & ſimpliciter perſona compoſita.

1 IN hac parte ſunt duę graues difficultates. Altera circa rem ipſam, altera circa modum loquendi, quem in hoc myſterio ſeruare debemus, Vt autem titulus quæſtionis manifeſtus fiat: notandum, omnes Theologos in hoc conuenire, quòd natura humana, quæ eſt in Chriſto, ſit compoſita ex genere, & differentia, & ex anima, & corpore, hoc enim eſt de fide, vt infra patebit. Difficultas ergo eſt, vtrum Chriſtus, quatenus ſubſiſtit in natura Diuina, & humana, ſit ſimpliciter, & abſolutè perſona compoſita ex diuinitate, & humanitate: aut ex ſuppoſito, vel perſonalitate Verbi, & ex humanitate tamquàm ex duobus extremis.

Prima ſententia aſſerit, Chriſti perſonam non eſſe compoſitam propriè, & ſimpliciter loquendo. Ita Scotus 3. d. 6. quæſt. 3. Gabr. d. ead. quæſt. 1. Marſil. 3. qu. 6. art. 3. dub. 3. Durand. diſt. ead. qu. 3. Cartuſ. qu. 8. & alij.

Primum argumentum eſt ad probandum, compoſitionem fieri non poſſe ex humanitate, & ſuppoſito Verbi. Nam compoſitio, quæ fit ex natura, & ſuppoſito, vel perſonalitate non eſt propriè compoſitio, quia natura eſt quoddam totum conſtans ex materia, & forma, & ſubinde ex illa, & perſonalitate non poteſt reſultare vnum totum ſimpliciter habens formam totalem ſub qua continētur omnia, quæ ſunt in toto compoſito: ergo perſona Chriſti non poteſt eſſe compoſita ex natura humana, & ſuppoſito Verbi tamquam ex duobus extremis. Quòd autem non ſit compoſita ex natura Diuina, & humana tamquā ex duobus extremis probatur, quia Diuinitas non poteſt intrare compoſitionem alicuius tamquam alterum extremum componens, cum repugnet illi habere rationem partis, præſertim materiæ, vel formæ, extremum autem componens aliquod totum, neceſſe eſt, vt habeat rationem partis. 4

Secundò. Vt notauit Caiet. 1. p. q. 3. ar. 8. ad veram, & propriam compoſitionem quatuor conditiones requiruntur. Prima, quòd componentia ſint realiter diſtincta. Secunda, quòd realiter vniātur. Tertia, quòd non ſolum vniātur ſecundùm ſitum, vel habitum extrinſecū, ſed in aliquo eſſe. Quarta, quòd alterum extremum habeat rationem potentiæ, alterum ſit aliquo modo actus: Aliàs enim totum compoſitum non eſſet realiter, & per ſe vnū, ſed per accidens: ſed in perſona 5

Chri-

Chriſti natura Diuina non habet rationem actus reſpectu naturæ humanæ: nam aliàs vnio fieret in natura, quod eſt contra prædicta: nec etiam èconuerſo natura humana in hac mirabili vnione habet rationem actus reſpectu naturæ Diuinæ, aliàs eſſet ea perfectior: ergo perſona Chriſti non eſt propriè compoſita ex natura Diuina, & humana tamquàm ex duobus extremis.

6 Tertiò. Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſed in Chriſto ſubſtantia, ſeu ratio ſubſiſtendi ſimpliciter, & abſolutè eſt vnica, & ſimpliciſſima ſcilicet natura Diuina: ergo ſimpliciter, & abſolutè perſona Chriſti eſt ſimplex, nec debet dici compoſita, niſi cum addito, & ſecundùm quid: ergo. Minor eſt ſancti Thomæ 4. cont. gent. c.49. & habetur in 5. Synodo collatione 8. Can.7. & probatur, quia per naturam Diuinam Chriſtus habet eſſe ſimpliciter, per naturam autem humanam non habet eſſe ſimpliciter, aut ſubſiſtere ſimpliciter, ſed ſolum cum addito. vnde hæc propoſitio, Chriſtus incipit eſſe, eſt ſimpliciter falſa: Hæc autem eſt vera, Chriſtus incipit eſſe homo: ergo ſimpliciter loquendo perſona Chriſti non eſt dicenda compoſita, ſed ſolum cum addito. S.Tho.

7 Quartò. Vt docet ſanctus Thomas infra q.16.ar.8. Chriſtus non dicitur ſimpliciter creatura, ſed ſolum cum addito, videlicet ſecundũ humanitatem, quia Chriſtus ſupponit pro ſuppoſito Diuino, cui repugnat, quòd ſit creatura: ſed ſimiliter repugnat ſuppoſito Diuino cõpoſitio, cum Deus ex natura ſua ſit ſimpliciſſimus: ergo etiam Chriſtus non debet dici ſimpliciter perſona compoſita, ſed cum addito, ſcilicet ſecundùm humanitatem, vel quatenus ſubſiſtit in natura humana, ſicut dicitur in ſymbolo Athanaſ. quòd ſit minor Patre ſecundùm humanitatem. Symb.

8 Secunda ſententia admittit quidem, perſonam Chriſti abſolutè, & ſimpliciter eſſe compoſitam ex duabus naturis, Diuina ſcilicet, & humana. Admittit etiam eſſe perſonã compoſitam ex Diuino ſuppoſito, & ex humanitate, vt ex duobus extremis, negat tamen inter humanitatem Chriſti, & Diuinam Verbi perſonalitatem eſſe compoſitionem propriam. Tenet hanc ſententiam Aſturic. in relectione de gratia q.7. concl.2.3.&4. pro qua eſt in ordine.

Quintum argumentum. Perſonalitas Verbi non habet rationem extremi in compoſitione, qua Chriſtus dicitur perſona compoſita, nã perſonalitas illius tantum ſe habet vt medium quo humanitas trahitur ad ipſum Verbum, quod eſt ſuppoſitum terminans, & ſuſtentans ipſam humanitatem: ergo compoſitio perſonæ Chriſti fieri non poteſt ex humanitate, & perſonalitate Verbi tamquam ex duobus extremis. 9

Confirmatur. Nam, licet inter accidens, & ſubiectum, cui inhæret, ſit vera compoſitio: non tamen reperitur vera compoſitio inter accidens, & quantitatem, quia quantitas non habet rationem extremi, ſed medij quo cætera accidentia corporalia inhærent ſubiecto: ſed ſimiliter perſonalitas Verbi eſt mediũ, quo humanitas copulatur Verbo Diuino: ergo compoſitio perſonæ Chriſti, & humanitatis non eſt tamquam ex duobus extremis. 10

Sextò. Perſonalitas Verbi terminat humanitatem, vt quo, Verbum

Digitized by Google

bum autem eam terminat, vt quod: ergo compoſitio, quæ reperitur in perſona Chriſti, non debet eſſe inter humanitatem, & perſonalitatem Verbi, ſed inter humanitatem, & ipſum Verbum. Patet conſequentia: nam compoſitio non eſt attendenda in ordine ad terminans quo, ſed in ordine ad terminans, vt quod, quia terminans quo non habet rationem extremi, ſed formalis, vel quaſi formalis medij.

Septimò. Patres antiqui, & Doctores, ſacra Concilia, & Pontifices numquam docuerunt perſonam Chriſti eſſe compoſitam ex humanitate, & perſonalitate Verbi: ſed ſolum dixerunt, eſſe compoſitam ex Diuinitate, & humanitate, vt patebit ex locis infra allegandis: ergo non eſt aſſerendum, perſonam Chriſti eſſe compoſitam ex humanitate, & perſonalitate Verbi.

11 Tertia ſententia à nobis defendenda, docet perſonam Chriſti verè, & propriè eſſe compoſitam non ſolum ex duabus naturis, Diuina, ſcilicet, & humana, aut ex ſuppoſito Diuino, & humanitate, ſed etiam ex perſonalitate Verbi, & humanitate. Quam ſententiã ſequutus eſt olim ipſe Aſturicenſis, in prælectionibus dictatis in Salmanticenſi Academia, vt ipſe fatetur, vbi ſupra, cõcluſione 4. & eam docent grauiſſimi Thomiſtæ. Vnde pro eius explicatione notandum primò, quòd vt docet Ferr. 2. con. gen. cap. 54. & Caiet. hic ad 3. dub. compoſitio eſt duplex. Altera dicitur compoſitio ex his, qualis reperitur in his, quæ componuntur ex materia, & forma. Altera verò dicitur compoſitio cum his, qualis eſt compoſitio eſſentiæ cum ſuo eſſe, vel ipſius eſſe cum eſſentia. Eſt autem differentia inter vtramque compoſitionem: nam per compoſitionem ex his reſultat vnum totum, quod tamen nõ eſt neceſſe reſultare per cõpoſitionẽ cũ his.

Not. 1. Ferrar. Caiet.

Not. 2. Notandum ſecundò, quòd quamuis compoſitio, quæ reperitur in rebus naturalibus, videatur intrinſecè includere aliquam imperfectionem ex parte vtriuſque extremi, non tamen eſt hoc ita de eſſentia compoſitionis cuiuſlibet, vt nulla dari poſſit vera compoſitio abſq; aliqua vtriuſque extremi imperfectione. Ita videtur clarè docere S. Thomas in ſolutione ad argumenta huius articuli, vbi abſolutè docet, perſonam Chriſti eſſe compoſitam abſque eo quòd reperiatur aliqua imperfectio ex parte alterius extremi, nempe ex parte naturæ, vel ſuppoſiti Diuini, quod etiam amplius explicabitur in ſequentibus. Sit ergo

Prima concluſio. Perſona Chriſti poſt Incarnationem verè, & propriè eſt perſona compoſita ex duabus naturis, ſcilicet ex Diuinitate, & humanitate. 12 In hac concluſione conueniunt auctores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ: nec eam intendit negare Caiet. in præſenti. Quamuis enim dicat in ſolutione ad 3. dub. non eſſe abſolutè concedendum, Chriſtum eſſe perſonam compoſitã, ſed cum aliquo adiectiuo, videlicet, quòd eſt compoſitio ineffabilis, & abſque vlla imperfectione alterius componentis: his tamen verbis ſolum explicare voluit, compoſitionẽ illam eſſe alterius rationis ab alijs compoſitionibus, quæ in puris creaturis inueniuntur. Sicut ergo vnio Verbi Diuini cum humanitate eſt verè, & propriè vnio, quamuis ſit vnio ineffabilis, & abſque vlla imperfectione alterius extremi: Ita etiam

etiam compoſitio perſonæ Chriſti, quamuis ſit ineffabilis, & abſque vlla imperfectione alterius extremi, nihilominus verè, & propriè eſt compoſitio. Illud enim adiectiuum ineffabile, non eſt dictio diminuens veritatem compoſitionis Chriſti, ſicut non diminuit veritatem vnionis, ſed ſolum excludit imperfectionem ex parte alterius extremi: & in hoc ſenſu noſtra concluſio videtur expreſſa ſancti Thomæ 4. con. gen. cap. 49. ad 6. obiectionem, vbi ait, [quòd natura humana eſt ſimplicior, quàm Verbum, in quantum Verbum eſt hic homo.] Hoc autem non eſſet verum, niſi perſona Chriſti ſubſiſtentis in duabus naturis eſſet verè, & propriè perſona compoſita. Nam propterea, natura Diuina non eſt ſimplicior Verbo, aut relatione Diuina, quia nullam facit realem, & veram compoſitionem cum ipſo Verbo, vel Diuina relatione conſtitutiua Verbi, vt in tractatu de Trinitate explicabimus. Denique in ſolutione ad 2. & 3. huius articuli, abſolutè docet, perſonã Verbi eſſe compoſitam. — S. Thom.

Præterea probatur concluſio. In
13 ſacris Concilijs, & decretis ſummorum Pontificum, abſolutè, & abſque vllo addito diminuente aſſeritur perſonam Chriſti eſſe compoſitam ex natura Diuina, & humana. Nam in Concilio 5. Generali collatione 8. Can. 4. dicitur. [Sancta Eccleſia vnionem Verbi Dei ad carnem, ſecundum compoſitionem, fatetur, quæ eſt ſecundùm ſubſtantiam: & Can. 7. ſic ait. [Chriſtus duas habet naturas ex quibus eſt compoſitus.] Quibus verbis admittit abſolutè compoſitionem in perſona Chriſti ex natura Diuina, & humana, tamquàm ex duobus extremis: & in Concilio 6. Generali actione 4. Patres Concilij confitemur, inquiunt, & Chriſtum ex duabus naturis cõpoſitum. Idem habetur actione 11. & actione 13. Can. 6. Denique in Concilio Lateran. 1. Can. 8. ſic dicitur. [Si quis non cõfitetur propriè, & verè ſecundùm compoſitionem idest, ſecundùm ſubſiſtentiam naturalem vnionem, ex quibus vnus, & ſolus extitit Chriſtus inconfusè, & indiuisè in eo cognitam, ſit condemnatus:] ergo ſententia, quæ aſſerit perſonam Chriſti eſſe verè compoſitam ex Diuinitate, & humanitate eſt conformis modo loquendi Conciliorum. Reſpondent, quòd Concilia tantum intendunt diffinire contra Neſtorium, & alios Hæreticos, quòd in perſona, & ſubſiſtentia Verbi conueniant, & vniantur verè, & propriè duæ naturæ diuerſæ, Diuina ſcilicet, & humana, vnde nomine compoſitionis non intelligũt compoſitionem propriè, ſed largo modo, vt importat veram & propriam vnionem ſubſtantialẽ; quæ explicatio habet fundamẽtum in Verbis Concilij Lateranen. ſupra inductis. Hæc tamen ſolutio, licet ſit ſufficiens ad primam ſententiam excuſandam ab omni cenſura erroris, & temeritatis: Non tamen omnino euacuat vim argumenti; non enim videtur concedendum Concilia fuiſſe loquuta impropriè, & metaphoricè de compoſitione. — Reſpõſio. — Impugnatio.

Secundò probatur concluſio auctoritate Sanctorum præcipuè ſancti Auguſtini lib. 3. de Trin. cap. 17. dicentis. [Ex duabus ſubſtantijs facta fuit vna perſona,] idest, compoſita. & Diuus Dionyſius cap. 4. de Diuin. nom. vocat hanc compoſitionem ineffabilem. Damaſcenus lib. 3. de fid. Orthod. cap. 3. 4. & 5. & alle- — S. Aug. — Dionyſ. — Damaſc.

allegatur à ſancto Thoma in argumento, ſed contra, inquit in Domino noſtro Ieſu Chriſto, duas naturas cognoſcimus, vnam autem hypoſtaſim ex vtraque compoſitam: & Mag. ſent. 3. d. 6. & 7. ſæpiùs affirmat, Chriſti perſonam ex duabus ſubſiſtere naturis.

Magiſter ſententiæ.

Tertiò probatur ratione. Perſona Chriſti vna realiter exiſtens, & eſt perſona Diuina, & humana; quòd ſit Diuina, habet à Diuinitate, quatenus in ea ſubſiſtit, quòd autem ſit humana, habet ab humanitate: ergo eſt vna perſona compoſita ex natura Diuina, & humana. Confirmatur. Perſona non ſolum importat perſonalitatem, & ſubſiſtentiam, ſed intrinſecè includit naturam, eſt enim perſona rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: ergo perſona Chriſti non ſolum importat perſonalitatem Verbi, ſed etiam vtramque naturam ſubſtantialem, in qua ſubſiſtit. Vnde & in Hymno Natalis Domini canit Eccleſia. [Geminæ Gigas ſubſtantiæ.] Ergo perſona Chriſti eſt compoſita ex duabus naturis in eadem ſubſiſtentia Verbi vnitis.

Quartò probatur. Vbi eſt multitudo rerum abſque compoſitione, neceſſe eſt, vt ſit inordinata confuſio earumdem rerum, ſicut eſt in aceruo lapidum; ſed in perſona Chriſti non eſt inordinata confuſio naturarum, vt conſtat ex inductis Concilijs damnantibus errorem Euthichetis confundentis naturas in Chriſto: ergo perſona Chriſti eſt compoſita ex natura Diuina, & humana.

15 SEcunda concluſio. Perſona Chriſti eſt verè compoſita ex humanitate, & Verbi ſuppoſito. Probatur rationibus factis pro concluſione præcedenti. Præterea nam inter accidens, & ſubiectum reperitur verâ compoſitio, quia ſubiectum ſuſtentat accidens tribuens illi eſſe exiſtentiæ, & ab eo accipit denominationem: album enim dicitur tale ab albedine: ſed ſuppoſitum Verbi ſuſtentat naturam humanam, atque illam terminat tribuens ei eſſe ſubſiſtentiæ, & ab eadem humanitate idem ſuppoſitum Verbi dicitur ſuppoſitum humanum: ergo. Præterea. Humanitas immediate vnitur Verbo: ergo Verbum, ſeu Verbi ſuppoſitum eſt alterum extremũ, ex quo reſultat compoſitio perſonæ Chriſti, & perconſequens perſona Chriſti eſt compoſita ex humanitate, & ſuppoſito Verbi, tamquam ex duobus extremis. Confirmatur ex Symbolo Athanaſij dicẽtis. Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus. Quibus verbis non obſcurè ſignificatur, perſonam Chriſti eſſe compoſitam ex ſuppoſito Verbi, & humanitate.

Symb.

TErtia concluſio. Perſona Chriſti verè, & propriè eſt compoſita ex humanitate, & perſonalitate Verbi. Concluſio eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ. Sed probatur. Primò perſona Chriſti eſt compoſita ex Diuinitate, & humanitate, vt fatentur auctores ſententiæ oppoſitæ: ergo eſt compoſita ex humanitate, & perſonalitate Verbi. Patet conſequentia, nam propterea perſona Chriſti eſt compoſita ex Diuinitate, & humanitate, quia vtraque natura ſubſiſtit in Chriſto Domino in eodem ſuppoſito Verbi, ſed etiam natura humana, & perſonalitas Verbi ſubſiſtunt in Chriſto eadem ſubſiſtentia Verbi: ergo, &c. 16

Secundò. Vt inquit Baſilius lib. 2. con- Baſilius.

2.contra Eunom.compoſitum illud dicitur,quod,vnum cum ſit, ex diuerſis conſtat: ſed perſona Chriſti vna exiſtens conſtat ex humanitate,& perſonalitate Verbi, quæ ſunt realiter diuerſa: ergo componitur ex humanitate, & perſonalitate Verbi.

17 Tertiò. Ex perſonalitate Verbi, & humanitate vnitis reſultat vnum per ſe, nempe vnus homo Chriſtus non minus, quam ex humanitate Petri, & eius perſonalitate reſultat vnus homo, ſcilicet Petrus: ergo, ita propriè concedendum eſt,Chriſtu n eſſe perſonam compoſitam ex humanitate,& perſonalitate Verbi, ſicut Petrus eſt perſona compoſita ex humanitate, & propria perſonalitate: ſed Petrus verè, & propriè eſt perſona compoſita ex natura humana,& propria pſonalitate,vt docet S.Tho loc.infra allegādis: ergo.

18 Quartò probatur. In hac cōpoſitione Chriſti ex humanitate, & perſonalitate Verbi reperiūtur illę quatuor cōditiones, quæ ſecundum Caiet.1.p.q.3.art.8.requiruntur, & ſufficiunt ad veram compoſitionē. Primò namq; perſonalitas Verbi,& humanitas ſunt realiter diſtincta. Secundò, realiter etiam vniuntur. Tertiò,vniuntur in eadem ſubſiſtentia, vel ſuppoſito Verbi; quia licet perſonalitas ſubſiſtentia,& ſuppoſitū Verbi non diſtinguātur realiter, differunt tamen ratione ratiocinata,vel ſecundū modum ſignificandi diuerſum,& ita verificari poteſt, ꝙ humanitas, & perſonalitas Verbi vniantur in eodem ſuppoſito Verbi Diuini: nam etiam natura Diuina non diſtinguitur realiter à perſona Verbi,ſed ſolum ratione ratiocinata,& tamen cum omni proprietate affirmamus,quòd natura Diuina, & humana ſint vnita ſubſtantialiter in perſona Verbi. Quartò denique, perſonalitas Verbi aliquo modo habet rationem actus reſpectu naturę humanæ, non quidem actus informantis,ſed terminantis,& complentis naturam humanam, atque eam ſuſtentātis:cū humanitas in Chriſto ſubſiſtat per Verbi perſonalitatem: ergo eſt vera compoſitio ex humanitate,& perſonalitate Verbi.

Quòd verò attinet ad modum loquendi, dicendum eſt, has propoſitiones poſſe ſimpliciter, & abſque addito concedi. Prima, Chriſtus eſt compoſitus. Secunda, Chriſtus eſt perſona compoſita: nam illas abſolutè concedunt Concilia ſupra inducta. Inſuper,nam reuera ita eſt à parte rei, ſicut per huiuſmodi propoſitiones ſignificatur: ergo ſunt veræ, & concedendæ. Maior difficultas eſt de iſtis propoſitionibus. Prima, filius Dei eſt compoſitus; ſecunda, Verbum Diuinum eſt perſona compoſita: vtrum videlicet in rigore ſint concedendæ abſque aliquo addito. Quidam etiam ex Thomiſtis tenent partem affirmatiuā: & ratio illorum eſt, nam propter communicationem idiomatū, hæc propoſitio abſolute conceditur, Filius Dei eſt mortuus: ergo propter eamdem rationem poterit abſolute concedi,quòd filius Dei ſit compoſitus, vel perſona compoſita. Sit nihilominus 19

QVarta concluſio. Iſtæ propoſitiones,filius Dei eſt compoſitus, Verbum Diuinum eſt perſona compoſita,non ſunt ſimpliciter concedendæ, ſed cum addito, ſcilicet filius Dei quatenus homo,eſt perſona compoſita, vel compoſitus. Ita M.Medina. Ratio eſt,nam hoc vocabulum compoſitum appellat ſu- 20

pra formale ſignificatum ſubiecti. Vnde hæc propoſitio, filius Dei eſt compoſitus, abſolutè prolata, ſignificat compoſitionem conuenire Dei filio ratione filiationis Diuinæ, vel Deitatis: qui ſenſus eſt falſus. Quòd autem illud Verbum, compoſitus, appellet, probatur; nam propter variationē appellationis, hæc conſequentia eſt nulla, Petrus eſt compoſitus ex materia, & forma rationali: Petrus eſt animal: ergo animal eſt compoſitum ex materia, & forma rationali: & propter eumdem defectum non ſequitur, Chriſtus eſt compoſitus ex Diuinitate, & humanitate; Chriſtus eſt Deitas: ergo Deitas eſt compoſita ex Diuinitate, & humanitate. Nec eſt eadem ratio de illa propoſitione, filius Dei eſt mortuus, eo quòd mortuus, non appellat.

21 AD primum argumentum reſpondetur, perſonam Chriſti eſſe compoſitam, tum ex ſuppoſito, ſeu perſonalitate Verbi, & humanitate, tum etiam ex Diuinitate, & humanitate. Ad impugnationem Durandus, vbi ſupra quæſt. 3. reſpondet, compoſitionem ſuppoſiti Diuini Verbi cum humanitate non eſſe compoſitionem ex his, ſed cum his: cui ſententiæ fauet Ferr. 2. cont. gent. cap. 54. vbi docet, compoſitionem ex eſſe, & eſſentia, vel ex natura, & ſuppoſito in rebus creatis, non eſſe proprie loquendo compoſitionem ex his, ſed cum his, quia non reſultat aliquod compoſitum ex eſſe, & eſſentia.

22 Nos tamen dicimus primo, parum referre ad noſtram difficultatem, quòd compoſitio perſonę Chriſti, quæ reſultat ex ſuppoſito Verbi & humani tate, dicatur cõpoſitio ex his, vel cum his, dum tamen fateamur eſſe veram, & propriam compoſitionem in Chriſto ex ſuppoſito Verbi, & humanitate, ſicut eſt in Petro compoſitio ex natura, & ſuppoſito, vel ex eſſe, & eſſentia, demptis imperfectionibus. Dicimus ſecundo, quòd compoſitio ex natura, & ſuppoſito, vel ex eſſe, & eſſentia in rebus creatis, eſt propriè loquendo compoſitio ex his, vt patet ex ſancto Thoma 1. p. q. 50. art. 2. ad 3. & lib. 2. cont. gent. cap. 54. vbi abſolutè docet, Angelum eſſe compoſitum ex quo eſt, & quod eſt, vel ex eſſe, & eſſentia, quia videlicet in ſubſtantijs creatis immaterialibus natura diſtinguitur realiter à ſuppoſito, & ſimiliter eſſe diſtinguitur ab eſſentia, quia recipitur in illa. Nec eſt neceſſarium ad huiuſmodi compoſitionem, quòd reſultet compoſitum ſub vna forma totali, comprehendente omnia extrema componentia, ſed ſufficit, quòd compoſitum reſultans comprehendat realiter ipſa componentia vnita in eodem eſſe, & differat realiter à quolibet componentium ſeorſim: quæ omnia reperiuntur in compoſitione ex natura, & ſuppoſito creato. vnde huiuſmodi compoſitio verè eſt compoſitio ex his. In perſona autem Chriſti reperitur diſtinctio realis ſuppoſiti Diuini, & naturæ humanæ. Et quamuis ipſum ſuppoſitum ſecundum ſe non diſtinguatur realiter à natura Diuina, ſed ſolum ratione ratiocinata; nihilominus, vt ſubſiſtit in natura humana, importat aliquid realiter diſtinctum à natura Diuina, & ab ipſo ſuppoſito Diuino, ſcilicet naturam humanam.

Ad aliam impugnationem reſpondetur, quòd natura Diuina in Chriſto habet aliquo modo rationem 23

nem

nem actus in ordine ad naturam humanam, quia mediante perſonalitate Verbi, ſuſtentat, complet, & terminat ipſam naturam humanam. Vnde natura humana reſpectu perſonalitatis Verbi, habet rationem potentiæ, quatenus per eamdem perſonalitatem completur: & hoc ſufficit, vt perſona Chriſti ſit compoſita ex natura Diuina, & humana etiam: per hæc reſpondetur ad ſecundum argumentum.

14 Ad tertium argumentum negatur conſequentia: nam aliunde ſumitur in Chriſto ratio ſubſiſtendi abſolutè, & ſimpliciter, aliunde verò ſumitur compoſitio perſonæ ipſius Chriſti. Nam ſubſiſtere ſimpliciter habet ex ſola Diuinitate, & proprietate relatiua. Quòd autem ſit perſona compoſita, habet ex Diuinitate, & humanitate vnitis in eadem perſona Verbi, vel ex humanitate, & ſuppoſito Diuino. vnde ſicut ex ſubiecto, & accidenti conſurgit vera compoſitio, quamuis accidens non tribuat eſſe ſimpliciter ipſi ſubiecto, ſed ſecundum quid: ita ex ſuppoſito Verbi, & humanitate reſultat vera compoſitio perſonæ Chriſti, quamuis humanitas non tribuat eſſe ſimpliciter perſonæ Verbi, ſed ſolum eſſe hominem, vel perſonam humanam.

25 Ad quartum negetur conſequentia. Ratio diſcriminis eſt: nam eſſe creaturam ſolum competit Chriſto ratione humanitatis. Cæterum eſſe perſonam compoſitam conſurgit ex Diuinitate, & humanitate vnitis in eodem Verbi ſuppoſito, vel ex ipſo ſuppoſito, & humanitate, vnde non eſt ſimile. Eſt & alia differentia: nam hoc nomen creatura non appellat ſupra formale ſubiecti: & ideo non debet prædicari de Chriſto niſi cum addito. Cæterum hoc nomen compoſitum, appellat ſuper ipſum ſubiectum vt dictum eſt. Vnde hæc propoſitio, Chriſtus eſt compoſitus, vel perſona compoſita abſolutè prolata, ſignificat, quòd Chriſtus, quatenus ſubſiſtit in duabus naturis, eſt perſona compoſita: vnde per hanc propoſitionem non attribuitur compoſitio perſonæ Diuinæ ſecundum ſe conſideratæ, ſed quatenus ſubſiſtit in natura humana, vel in vtraq; natura: & ideo propoſitio abſolutè eſt concedenda.

Ad quintum reſpondetur, quòd medium comparatum vni extremo induit rationem alterius. Vnde perſonalitas Verbi in ordine ad humanitatem induit, rationem alterius extremi, ſcilicet ſuppoſiti ipſius Verbi, præſertim cum realiter, & formaliter identificetur cum ipſo Verbo. Vnde ſicut perſona Chriſti eſt compoſita ex ſuppoſito Verbi, & natura humana, ita etiam eſt compoſita ex perſonalitate Verbi, & natura humana tamquam ex duobus extremis.

Ad confirmationem reſpõdetur, primo negando antecedens: nam quantitas, & qualitas, dum vniuntur eidem ſubiecto, habent omnes quatuor compoſitiones requiſitas ad veram compoſitionem. Reſpondetur ſecundo, negando conſequentiam: nam quantitas ita habet rationem medij inter qualitatem, & ſubiectum, quòd realiter diſtinguitur ab vtroque extremo. Cæterum perſonalitas Verbi non diſtinguitur realiter, nec formaliter à ſuppoſito Verbi. Vnde ſicut perſona Chriſti componitur ex ſuppoſito Verbi, 26

& natura humana, ita etiam componitur ex perſonalitate Verbi, & natura humana.

27 Ad ſextum reſpondetur, quòd, quando terminans quo, realiter, & formaliter identificatur cum terminante quod, ſicut identificatur perſonalitas Verbi cum ipſo Verbo, & eius ſuppoſito, tunc compoſitio perſonæ fit ex vtroque terminante cum ipſa natura humana propter rationes ſuperius aſſignatas.

Ad ſeptimum dicendũ, quòd eodem argumento probaretur, perſonam Chriſti non eſſe compoſitam ex ſuppoſito Verbi, & natura humana, quod tamen eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ. Etenim etiam Concilia, & Patres nullam fecerunt mentionem de hac compoſitione. Reſpondetur ergo, quòd nomine compoſitionis perſonæ Chriſti ex natura humana, & Diuina comprehenderunt Concilia compoſitionẽ ex ſuppoſito, ſeu perſonalitate Verbi, & humanitate, quia in prima compoſitione includitur, cum vtraque natura, humana ſcilicet & Diuina, in eodem ſuppoſito Verbi ſubſiſtat. Fecerunt autem Concilia, & Patres expreſſam mentionem ſolius compoſitionis perſonæ Chriſti ex natura humana, & Diuina, quia hæc compoſitio maximè conducebat ad refellendos, & damnandos omnes errores hæreticorum, qui duas hypoſtaſes realiter diſtinctas in Chriſto conſtituebant, humanam ſcilicet, & Diuinam, vel naturas in eo confundebant, aſſerentes vnionem factam fuiſſe in natura. Secundo, quia proprietas compoſitionis magis apparet in compoſitione perſonæ Chriſti ex duabus naturis, quàm in compoſitione ex natura humana, & ſuppoſito, ſeu perſonalitate Verbi: nam in prima compoſitione reperitur vnum ex duobus conſtans, quod non ita apparet in ſecunda compoſitione, cum in illa potius reperiatur vnum extremum eleuatum ad eſſe alterius, & aſſumptum. Quia tamen humanitas ita eleuatur ad eſſe perſonale Verbi, vt è conuerſo etiam ipſum Verbum habeat ab humanitate, quòd ſit homo, vel perſona humana; ideo perſona Chriſti eſt etiam verè compoſita ex perſonalitate Verbi, & humanitate: nam ad veram compoſitionem ſufficit, & requiritur, quòd ex vtroque componentium reſultet vnum tertium, vel quòd vnum extremum aliquid ab alio accipiat, & è conuerſo, & ita contingit in compoſitione perſonę Chriſti. Nam perſona Verbi ab humanitate habet, quòd ſit homo, & humanitas à Verbo ſubſiſtentiam.

ARTICVLVS V.

Vtrum ſit aliqua vnio animæ, & corporis in Chriſto.

CONCLVSIO eſt affirmatiua. Probatur in argumento, ſed contra; Corpus non dicitur animatum niſi ex vnione animæ: ſed corpus Chriſti dicitur animatum: ſecundum illud, quod Eccleſia cantat, Animatum corpus ſumens de Virgine naſci dignatus eſt: ergo in Chriſto fuit vnio animæ, & corporis. Secundo probatur in corpore: Chriſtus eſt homo eiuſdem ſpeciei, & vniuoce cum alijs hominibus. Sed

Digitized by Google

ſed ad rationem ſpeciei humanæ pertinet,quòd anima corpori vniatur: nam alias Chriſtus non eſſet conceptus: nam terminus conceptionis, ſeu generationis eſt compoſitum ex anima, & corpore: ergo neceſſe eſt dicere, quòd in Chriſto fuerit anima corpori vnita, & contrarium eſt hæreticum: vtpote derogans veritati humanitatis Chriſti.

Expoſitio Articuli.

Concluſio ſancti Thomæ eſt de fide, nam in Concilio 1. Epheſ. cap. 13. definitur, quòd Chriſtus carnem animatam anima rationali ſibi copulauerit. Id ipſum habetur in Concilio 3. Conſtantinopolitano, actione 11. & in alijs Concilijs allegatis à M. Medina.

Dub. Dubium mouet idem Medina in hoc art. vtrum ſaltem de potentia Dei abſoluta, Diuinitas in Chriſto potuerit ſupplere vices animæ rationalis, vel intellectus creati, ſicut ſupplet vices ſuppoſiti, & ſubſiſtentiæ creatæ, ita vt Chriſtus, vt homo intelligeret immediatè per intellectum Diuinum, & viueret immediatè per ipſam Diuinitatem. Reſpondet concluſione negatiua, quam quinque rationibus demonſtrat. Eamdem ſententiam docuit Capr. 3. d. 5. q. 2. & d. 14. q. 1. de qua vide ſanctum Thomam 4. con. gen. cap. 32. & 33. De eadem difficultate agendum eſt infra q. 9. ar. 1. Sed tamen in ſolutione ad 5. eiuſdem dub. ait M. Medina, quòd ſi Deus ſepararet ab anima Chriſti intellectum, & voluntatem (quod eſſe poſſibile omnes Theologi fatentur) in tali caſu anima Chriſti intelligeret immediatè per ſe ipſam ſine intellectu, & ſic anima haberet vices intellectus humani, non autē Diuinitas.

Hæc tamen ſententia mihi non probatur, eſt enim contra illam efficax argumentum. Nam actus intellectus, & voluntatis humanæ, cum ſint actiones vitales, non ſolum dicunt intrinſecum ordinem ad ſubſtantiam, ſiue ad animam creatam, tamquam ad principium radicale, ſed etiam ad potentiam intellectiuam, & volitiuam, tamquā ad principium formale, & immediatū: ergo ſicut eſt impoſſibile, quod Chriſtus, vt homo, intelligat, aut velit abſq; principio radicali, nempe abſq; anima rationali, ita erit impoſſibile, quòd intelligat, aut velit abſque intellectu, & voluntate: quæ ſunt principia formalia, & proxima intellectionis, & volitionis. 3

Confirmatur. Impoſſibile eſt, hominem ſine potentia viſiua corporali elicere viſionem corpoream, quia ſpecies viſibilis ſine qua viſio nequit fieri, recipi non poteſt niſi in potentia viſiua corporea: ergo ſimiliter non poterit ſine intellectu elicere viſionem ſpiritualem, ſeu intellectionem, quia ſpecies intelligibilis, ſine qua non fit intellectio, recipi non poteſt, niſi in potentia intellectiua.

Probatur ſecundo, nam vt docēt cōmuniter Theologi 1. p. q. 12. ar. 5. intellectus creatus ſine lumine gloriæ non poteſt videre Deū per eſſentiam de potentia etiam abſoluta, quia ſine eodem lumine ſaltem per modum actus, nō habet intellectus rationem potentiæ proximæ in ordine ad viſionem beatificam: & ideo nō poteſt in illo recipi eſſentia Diuina in ratione ſpeciei intelligibilis, ſine qua Deus clarè videri non poteſt: ergo ſimiliter in præſenti dicēdum eſt, eſſe impoſſibile, animā ra- 4

tionalem intelligere ſine intellectu. Confirmari poteſt hæc ratio omnibus argumẽtis,quibus in lib.de Auxilijs diſp. 67.oſtenſum eſt,eſſe impoſſibile etiam de potentia Dei abſoluta,quòd liberum arbitrium eliciat act' ſupernaturales,Fidei,Spei, & Charitatis abſque dono gratiæ ſibi inhærentis. Dicendum eſt ergo, quòd in caſu poſito anima Chriſti nihil intelligeret ; ſicut homo abſq; oculis nihil videret.

5 Obiectio prima. Sed contra concluſionem ſancti Thomæ,vt amplius explicetur, arguitur primo. Ari.inquit [viuere in viuẽtibus eſt eſſe.]Sed Verbum Diuinum dat eſſe humanitati, & corpori,ergo & viuere. Non ergo anima rationalis fuit vnita corpori Chriſti Domini: hac enim ratione anima vnitur corpori, vt det illi vitam, & faciat eam viuere.

Obiectio ſecunda. Secundò. Damaſcenus lib. 3.fidei Orthodoxæ ait, quòd totus Chriſtus deſcendit ad inferos, ſed tunc anima non erat vnita eius corpori: ergo abſque vnione animæ cum corpore eſt totus Chriſtus.

Obiectio tertia. Tertiò,Magiſter in 3. diſt. 6.refert inter opiniones,ſententiam,quæ aſſerit, animam rationalem in Chriſto fuiſſe vnitam corpori : ergo id non eſt de fide, vt ait ſanctus Thomas.Nihilominus dicendum eſt, cõcluſionem S.Thomæ eſſe certiſſimã, & de fide, quod rationes ab eo adductæ probant efficaciter. Præterea probari poteſt alia ratione: de fide eſt Chriſtum verè fuiſſe mortuum, vt conſtat ex ſymbolo Apoſtolorũ: ergo de fide eſt,animam Chriſti Domini fuiſſe ab eius corpore ſeparatam. Mors enim conſiſtit in ſeparatione animæ à corpore. Sed anima, quæ ſeparatur à corpore, fuit prius illi vnita : ergo.

Ad primum. Ad primum reſpondetur, quòd Verbum Diuinum tribuit corpori Chriſti eſſe exiſtentiæ,& ſubſiſtẽtiæ, ſicut & humanitati, non tamen tribuit illi formaliter eſſe eſſentiæ : id enim habet corpus ab anima rationali: & Ariſt.loquitur de eſſe eſſentiæ: vel intelligendus eſt cauſaliter, vt patebit diſp. 14.ad 8.argumentũ. Sed obijcies:ergo in Chriſto eſt duplex eſſe. Reſpondetur,eſſe quidem in Chriſto duplex eſſe eſſentiæ: nam in illo eſt duplex natura,non tamen eſt in illo duplex eſſe exiſtentiæ, ſed vnicum dumtaxat eſſe exiſtentiæ Diuinæ, per quam etiam exiſtit natura humana,vt patebit infra.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondetur, locũ Damaſceni ſic eſſe intelligendum, quòd totus Chriſtus deſcendit ſecũdum ſuppoſitum; quia totum ſuppoſitum Verbi vnitum animæ deſcendit ad inferos : non tamen deſcendit totum totalitate vtriuſque naturæ : nam in triduo anima Chriſti fuit à corpore ſeparata.

Ad 3. Ad tertium reſpondetur, quòd Mag. ſenten. ibi non fuit ſolicitus de vocabulis, ſed accepit nomen opinionis in ampla ſignificatione, vt ſignificat ſententiam, quæ indifferenter dicitur de ſententia vera, & falſa, Catholica,vel hæretica.

ARTICVLVS VI.

Vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.

1 Concluſio. Vnio humanitatis in Verbo non eſt eſſentialis:nam humanitas non eſt eſſentialis Verbo, nec etiam eſt vnio accidentalis:nam quod vnitur acci-

accidentaliter, non prædicatur in quid, ſed in quale: eſt tamen vnio ſecundum ſubſiſtentiam, ſiue hypoſtaſim, & dicitur vnio ſubſtãtialis, quia natura humana vnita eſt Verbo in perſona, vel hypoſtaſi, vt art. 2. & 3. dictum eſt. Addit S. Thomas ſententiam, quæ aſſerit, hanc vnionem eſſe accidentalem, non eſſe dicendam opinionem, ſed hæreſim in Concilijs ab Eccleſia damnatam.

Expoſitio Articuli.

2 NOtandum eſt, quòd Durandus 3. d. 6. q. 4. art. 7. ait, poſſe concedi, quòd natura humana adueniat Verbo accidentaliter, quia conuenit Verbo exiſtenti actu abſque inhærentia vnius ad alterum: quod enim aduenit enti actu exiſtenti, aduenit accidentaliter. Michael Palatius d. ead. diſp. 5. renuit vnionem humanæ naturæ cum Verbo appellare abſolutè, & ſimpliciter ſubſtantialem, ſed ait, dicendã eſſe ſubſtantialem, & accidentalem, quia ſapit naturam vtriuſque vnionis. Accidentalis quidem propter rationem Durandi; ſubſtantialis autem propter rationem S. Thomæ, quia videlicet natura humana trahitur in Chriſto ad ipſum eſſe perſonale Verbi, quod eſt ſubſtantiale. Nihilominus vterque loquendi modus iſtorum reijciendus eſt, quia modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum concors non eſt: Nam ſexta Synodus, quam in hoc art. refert S. Thomas, vnionem iſtam mirabilem appellat ſecundum ſubſtãtiam. Vnio autem ſecundum ſubſtantiam eſt ſubſtantialis: & in Concilio Lateranen. ſub Martino primo conſultatione. 5. Can. 6. & 8. appellatur ſimiliter vnio ſecundum ſubſtantiã, ſeu ſubſtantialis. Item Maxentius in confeſſione fidei confitetur ſecũdum traditionem Patrum duas naturas in Chriſto ſubſtantialiter vnitas: & Damaſcen. lib. 3. fid. Orthod. cap. 3. iuxta verſionem Fabij, ſimiliter vocat iſtam vnionem ſubſtantialem: nec aliquando Concilia, vel Sancti eam appellarunt accidentalem, vel mixtam.

Ad rationem Durandi reſpondetur cum S. Thoma hic ad ſecũdum, illud, quod aduenit enti completo, aduenire illi accidentaliter, niſi trahatur in communionem illius eſſe completi: humana autem natura trahitur in Chriſto ad idem eſſe perſonale Verbi Diuini, quia formaliter ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi: & per hæc reſpondetur ad argumentum, quo Palatius conuincitur. 3

Sed contra hanc ſolutionem eſt argumentum difficile. Secundum probabilem ſententiam M. Soti 1. phyſ. q. 6. quam etiam olim tenuit M. Ban. vt ipſe refert 1. p. q. 3. ar. 4. dub. 5. §. ex his. accidentia non habent proprias exiſtentias diſtinctas realiter ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſed immediatè exiſtunt per exiſtentiam ſubſtantiæ, ac per conſequens trahuntur ad idem eſſe ſubſtantiæ: & tamen vnio accidentium ad ſubſtantiam non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis: nam accidens aduenit ſubſtantiæ poſt eſſe completum: ergo ſimiliter, licet humanitas trahatur ad ipſum eſſe perſonale Verbi, & per ſubſiſtentiam illius immediatè ſubſiſtat, quia tamen aduenit Verbo poſt eſſe completum, vnietur illi accidentaliter, & non ſubſtantialiter. Obiect.

Reſpondetur primò, illam ſententiam parum, aut nihil probabilitatis habere, vt oſtendunt argumenta, quæ cõtra illam adducit M. Ban. 4 Solutio

vbi ſupra in ſecunda editione, vbi corrigit ſententiam, quam tenuit in prima, & ſanctus Thomas ad 2. huius art. non obſcure docet contrarium: nam poſt ſolutionem ſuperius adductam ſubdit: [Non eſt autem ſic de albedine, quia aliud eſt eſſe albi, & aliud eſt eſſe hominis cui aduenit albedo.] Et infra q.13.ar.2. ait. [Aliud eſt eſſe, quo Sortes eſt albus, & quo Sortes eſt muſicus,]quod vtique non dixiſſet, ſi accidentia non haberēt proprias exiſtentias, realiter diſtinctas ab exiſtentia ſubſtantiæ. Eamdem ſententiam docet Caiet. 1.p.q.8.art.2. & de ente cap. 7. & eſt communis inter Thomiſtas. Illam docent Paludanus in 4. ſent.d.12.q.3. Scotus in 4.d.12.q.1.Soncinas 7. metaphy. q.5.concluſ.2.M.Zumel 1.p.q.4. in ſolut.ad 3. argumentū, & probatur ex Concil.Trid. ſeſſ.13. Can.2. vbi definitur. [Si quis negauerit mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis,& vini,anathema ſit.] Si autem accidentia panis formaliter exiſterent per exiſtentiam ſubſtantialē panis,ſequeretur,quòd poſt conſecrationem remaneret aliquid ſubſtantiale panis,nimirum eius exiſtentia, vt per eam exiſterent accidentia panis quæ remanēt in Sacramento Euchariſtiæ, & ita non conuerteretur tota ſubſtantia panis in corpus Chriſti: quod eſt contra definitionem Concilij.

5 Reſpondetur ſecundo, quòd etiā dato, & non conceſſo, accidentia ſubſtentari immediatè,& exiſtere per exiſtentiam ſubſtantiæ, adhuc argumentum nihil concludit. Eſt enim magna differentia inter vnionē, qua natura humana vnitur Verbo,& vnionē,qua accidentia vniuntur ſubſtantiæ,quia natura humana immediatè terminatur per ſubſiſtentiam,& perſonalitatem Verbi; & ideo vnitur illi hypoſtaticè, & perſonaliter,vnde illa vnio eſt ſubſtantialis. Cæterum accidentia, etiamſi exiſterent per exiſtentiam ſubſtantiæ, non tamen terminarentur immediatè per ipſum eſſe perſonale,aut ſubſtantiale ſubiecti, ſed mediante natura ſubſtātiali,cui accidentia immediatè inhærent,tamquàm ſubiecto quo: & ita vnio accidentis cum ſubiecto non eſt ſimpliciter ſubſtantialis,vel hypoſtatica: nam ad rationem vnionis hypoſtaticæ neceſſariò requiritur, vt inter hypoſtaſim,& ipſam naturam terminatam non mediet alia natura,vel aliquid aliud. Igitur, vt aliquid dicatur vniri ſubſtantialiter, duo requiruntur, primò, vt illud, quod vnitur,ſit ſubſtantia: ſecundò, quòd det denominationem ſubſtantialem. Tertiò, quòd trahatur ad idem eſſe perſonæ cui vnitur, & terminetur per illud:quod alijs verbis explicari ſolet,ita videlicet,vt talis vnio non ſolū ſit in perſona,ſed etiā ſecundum perſonam. Et quoniam hæc non competunt vnioni, qua accidentia vniuntur ſuppoſito: ideo talis vnio non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis. Vnio autem humanitatis cū perſona Verbi verè eſt vnio ſubſtantialis: quia humanitas, quæ vnitur, eſt ſubſtantia, & tribuit perſonę Verbi,cui vnitur,denominationem ſubſtantialem; nam Verbū incarnatum ſubſtantialiter eſt homo, ac demum ipſa humanitas vnita eſt Verbo ſecundum perſonam cum immediatè terminetur per eius perſonalitatem.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

Vtrum vnio naturæ Diuinæ & humanæ ſit aliquid creatum.

1 PRIMA concluſio. Relatio vnionis de qua loquimur in præſenti, in Deo, eſt relatio rationis & non realis. Quia non innaſcitur ſecundùm mutationem Dei ſed ex mutatione creaturæ, videlicet humanitatis vnitæ verbo hypoſtaticè.

2 Secunda concluſio. Relatio vnionis in humanitate eſt realis, & ideo eſt quid creatum, nam talis vnio ſicut & humanitas vnita non fuit ab æterno, ſed incepit eſſe ex tempore.

Expoſitio Articuli.

PRo intelligentia eorum quæ in hoc articulo docet Sanctus Thomas, Notandum, quòd vnio poteſt accipi tripliciter. Primo pro actione, qua res aliquæ vniuntur: & hæc potius appellatur vnitio, quàm vnio. Secundo accipitur pro termino huius actionis, qui eſt vnitas compoſiti, reſultans ex rebus vnitis. Tertio, pro relatione, quę conſurgit ex actione vniendi, & termino. Et hæc relatio propriè dicitur vnio, de qua loquitur Sanctus Thomas, vt conſtat ex principio Corporis art. Non autem loquitur de vnione, vt importat actionem, vel terminum actionis. Hoc etiam conſtat ex articulo ſequenti, vbi diſtinguit vnionem ab aſſumptione. Nam aſſumptio ſignificat actionem, vnio verò relationem.

Obiectio Si fiat argumentum. Nam Sanctus Thomas hic ad tertium ait, quòd homo eſt creator, & Deus, propter vnionem, in quantum terminatur ad hypoſtaſim Diuinam, ergo accipit vnionem, vt importat actionem, vel terminum illius. Homo enim non dicitur creator vel Deus propter relationem vnionis humanitatis ad verbum, cũ huiuſmodi relatio præſupponat terminũ vnionis, ſcilicet quòd Deus ſit homo. Reſpondetur, relationem quidem vnionis non eſſe cauſam, aut rationem formalem, per quam homo ſit Deus; nec Sanctus Thomas in verbis adductis intendit docere oppoſitum: ſed per relationem cõſequentem ipſam actionem vniendi, & terminum illius explicuit à poſteriori ſubſtantiam, ſeu eſſentiã vnionis humanitatis ad Verbum. Nam euidens eſt à poſteriori, quòd ſi natura humana refertur ad Verbum relatione vnionis hypoſtaticę, ſit vnita Verbo perſonaliter. Vt autem agamus etiam de vnione in 1. & 2. acceptatione, & explicemus, quod nam ſit fundamentum proximum relationis realis humanitatis ad Verbum, & relationis rationis Verbi ad humanitatem, eſt diſcutienda alia grauis difficultas de termino formali ipſius vnionis, vt importat actionem. Solutio.

DISPVTATIO XIII.

Vtrum per incarnationem, ſiue vnitionem hypoſtaticam productus fuerit in humanitate aliquis modus ſubſtantialis, & permanens, realiter, vel ſaltem ex natura rei ab ipſa humanitate diſtinctus, qui ſit terminus formalis ipſius actionis.

Par-

M. Suarez.

PARTEM affirmatiuam defendit M. Suarez Diſp.8. ſect.2. §. dicendũ. Vbi explicans, quod ſit fundamentum proximum relationis vnionis humanitatis ad Verbum, reſpondet, eſſe modum quẽdam ſubſtantialis vnionis, ſeu coniunctionis eiuſdem humanitatis ad ipſum Verbum. Ille enim modus per ſe primò fit, & ex illo reſultat relatio:& addit, modum iſtum ſubſtantialem eſſe quid abſolutum. Alij verò, inter quos eſt Vaſquez diſp. 18.cap.3. dum eumdem modum explicant, dicunt, illũ non eſſe abſolutum, ſed relatum ad Verbum & exiſtimant, eſſe relationem ſubſtantialem, non accidentalem. Ad eiuſmodi ſubſtantialem modum conſtituẽdum conuincuntur ſequentibus argumentis.

Primò. De eſſentia actionis eſt, vt habeat terminum productum:ſed vnitio ſeu Incarnatio eſt vera actio, ergo habet aliquem terminum productum; ſed non poteſt aſſignari alius terminus productus, niſi ille modus coniunctionis ſubſtantialis, quo humanitas coniungitur Verbo. Ergo, &c.

Secundo. Impoſſibile eſt, quòd relatio realis ſit in aliquo ſubiecto, niſi in eodem ſubiecto aſſignetur aliquid reale, quod ſit fundamentum proximum eiuſdem relationis. Sed ſecundum Sanctum Thomam natura humana refertur ad Verbum relatione vnionis realis: ergo in ipſa natura humana debet aſſignari aliquid reale ab ipſa diſtinctum, ſaltem ex natura rei, quod ſit fundamentum proximum eiuſdem relationis. Nihil autem poteſt imaginari in humanitate, quod ſit fundamentum proximum ſeu ratio fundandi huiuſmodi relationem, niſi prædictus modus ſubſtantialis: ergo neceſſe eſt conſtituere illum modum ſubſtantialem 4 productum per vnitionem humanitatis ad verbum.

Si dicatur, fundamentum proximum, & rationem fundandi eſſe vnitatem increatam perſonalitatis Verbi, quæ ſubſiſtit in vtraq; natura, Diuina ſcilicet, & humana: Contra. Nam ſequitur, quòd relatio vnionis non ſit realis ex parte ipſius humanitatis, cuius contrarium docet S. Thomas. Probatur:nã relatio æqualitatis in Diuina natura, quæ reperitur inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non eſt realis, ſed rationis, vt docet Sãctus Thomas p.1. q.42. art. 1. ad 4. quia ratio fundandi illam relationẽ eſt omnino eadem realiter, & formaliter in vtroque extremo, ſcilicet natura Diuina, quæ communis eſt tribus perſonis; ergo, ſi ratio fundandi relationem vnionis humanitatis ad Verbum eſt vnitas perſonæ Verbi, in qua conueniunt natura Diuina, & humana; cum hæc vnitas perſonalis, in qua ſubſiſtit vtraque natura, ſit realiter & formaliter omnino eadem, relatio vnionis hu- 5 manitatis ad verbum erit rationis.

S. Thom.

Tertio. Extrema ſubſtantialia nõ poſſunt diuerſimodè inter ſe referri, niſi in altero interueniat aliqua variatio realis, huiuſmodi enim relationes reſultant ex ipſis extremis, in quibus ſunt; quapropter relationes non poſſunt eſſe diuerſæ, niſi interueniat realis variatio ex parte alterius extremi: ſed ſubſtantia humanitatis, & ſubſtantia perſonæ Verbi, quæ ſunt extrema vnionis hypoſtaticæ ſubſtãtialia, poſt Incarnationem aliter inter ſe referun-

tur,

tur, quàm antea, vt ex ſupradictis conſtat: ergo per Incarnationem aliqua mutatio realis facta fuit in altero extremo, ſcilicet humanitate, quæ ſit fundamentum nouæ relationis realis, qua dicitur vnita Verbo hypoſtaticè. Etenim in Verbo nulla variatio realis interuenire potuit, cum ſit omnino immutabile: ergo conſtituendus eſt in humanitate aliquis modus ſubſtantialis per Incarnationem productus, & ab ea diſtinctus, qui ſit ratio vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, potius quàm cum alia perſona. Conſequentia probatur: nam ille modus non poteſt eſſe accidens, quia nullum accidens poteſt eſſe ratio, ſeu fundamentum proximum ſubſtantialis vnionis.

6 Confirmatur. Idem prædicatum reale non poteſt ſucceſſiuè affirmari, vel negari de eodem ſubiecto, niſi interueniente mutatione reali alicuius rei. Nam cum ab eo, quod eſt, vel non eſt in rebus, propoſitio dicatur vera, vel falſa, impoſſibile eſt, quòd, rebus omnibus, eodem modo ſe habentibus, propoſitio mutetur de vera in falſã. Sed ante Incarnationem, Verbum Dei non erat homo, poſt Incarnationem autem eſt homo: ergo aliqua variatio realis facta eſt in rebus; ſed non in Verbo Diuino: ergo in humanitate. Sed talis varietas non poteſt eſſe ſola productio humanitatis, nec ſola carẽtia propriæ ſubſiſtentiæ creatæ: quoniam eadem productio humanitatis cum eadem carentia propriæ ſubſiſtentiæ eſſe potuit abſque vnione hypoſtatica cum Verbo, vt ſi fuiſſet vnita Patri, vel Spiritui Sancto duntaxat: ergo facta eſt mutatio in humanitate per productionem alicuius modi ſubſtantialis, ratione cuius Verbum ſit homo, cum antea non eſſet homo.

Quartò. Humanitatem hypoſtaticè dependere à Verbo, & ab eo immediatè ſuſtentari, eſt aliqua formalitas in rerum natura de nouo exiſtens: ſed hæc formalitas non eſt ſola entitas humanitatis, aut Verbi: nam iſtæ duæ entitates eſſe poſſunt in rerum natura ſine illa formalitate dependentiæ humanitatis à Verbo: ergo, præter entitatem humanitatis & Verbi, aliquid aliud ſaltem ex natura rei diſtinctum oportet ponere in ipſa humanitate, in quo conſiſtat dependentia, quam habet à Verbo. Hoc autem appellatur modus ſubſtantialis: ergo, &c. 7

Quintò. Qualibet re poſita in humanitate, quæ non ſit formalis & actualis coniunctio illius cum Verbo, poteſt humanitas exiſtere & ſubſiſtere ſine dependentia à Verbo, & ſine illis relationibus, quæ Verbi incarnationem conſequuntur; ergo illud, quod per Incarnationem fit in humanitate, & ex quo prædicti reſpectus conſurgunt, debet eſſe formalis & actualis coniunctio ſubſtantialis eiuſdem humanitatis cum Verbo.

Sextò. In corpore Chriſti, quando per conſecrationem ſubſtantia panis in ipſum cõuertitur, ponitur aliquis modus ſubſtantialis, ratione cuius terminet ſubſtantialem conuerſionem panis, quam antea nõ terminabat. Cum enim illa conuerſio ſit ſubſtantialis, vt definitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. decreto de Sacramento Euchar. cap. 4. & Can. 2. & non terminetur ad Corpus Chriſti ſecundum ſe, eo quòd præexiſtit ante illam conuerſionem. 8

ſionem, neceſſe eſt, quòd terminetur ad illud ſecundùm aliquem modum ſubſtantialem de nouo productum: ergo ſimiliter in humanitate Chriſti conſtituẽdus eſt aliquis modus ſubſtantialis ab ea formaliter diſtinctus, & per Incarnationem productus, ratione cuius dicatur vnita Verbo ſubſtantialiter, cum ante Incarnationẽ non eſſet vnita.

Septimo, probant, illum modum non eſſe omnino abſolutum, ſed relatiuum. Nam ſiue ille modus ſit quid præuium, & prius ipſo actu perſonali Verbi, quod dicitur terminare naturam, & illam ſuſtentare, ſiue ſit ipſemet actus terminandi, in naturam humanam deriuatus, ſuapte natura debet habere habitudinem, & reſpectum ad perſonam Verbi: alioquin, aut non determinaret naturam humanam, vt à verbo terminaretur, aut non eſſet ipſe actus terminandi; hæc enim duo eſſentialem ordinem habent ad ipſum Verbum, vt conſtat.

Octauo, probant, hanc relationẽ non eſſe accidens, vt dici ſolet, prædicamentale, etiamſi adeſſe poſſet, & abeſſe naturæ humanæ: nam aliàs vnio humanitatis cum Verbo eſſet accidentalis, fieret enim medio accidenti, tanquam vinculo. Cuius tamen contrarium oſtenſum eſt ſupra.

Confirmatur. Omne accidens etiam relatiuum ſupponit conſtitutam perſonam cui ineſt: ergo, ſi modus ille eſt relatio prædicamentalis, ſequitur, quòd ſupponat iam perſonatã perſonalitate Verbi humanitatem cui ineſt, ac per conſequens fruſtra conſtitueretur, vt humanitas ſit formaliter vnita Verbo.

Nono. Modus quo natura ſubſtantialis per ſe eſt, & completur, vt ſit perſona, eſt modus ſubſtãtialis, & non accidens prædicamentale: ſed natura humana exiſtens in Verbo diuino, quæ aliàs per ſe eſſet, ſi propriam haberet perſonalitatem; habet nouum modum diſtinctum à modo illo per ſe exiſtendi, quem vocare poſſumus modum exiſtendi in alio, vt in ſuppoſito. Ergo modus ille debet eſſe ſubſtantialis & non accidentalis, ac per conſequens non erit relatio prædicamentalis.

Confirmatur. Hic modus eſt etiam actus ſuppoſiti terminantis, & ſubſtentantis naturam, quo natura ipſa completur, vt ſit in ſuppoſito: ergo eſt quid ſubſtantiale: ergo relatio illa eſt ſubſtantialis, & non accidens prædicamentale.

Hæc tamen ſententia non videtur conſona doctrinæ Sancti Thomæ, art. 6. 7. & 8. huius q. & alijs locis, in quibus agens de termino incarnationis formali, nunquã docuit, eſſe aliquod creatum abſolutum, vel ralatiuum, vel aliquẽ modũ ſubſtantialem, exiſtentẽ in humanitate, ab ea realiter, ſeu formaliter diſtinctum, ſed potius docet, eſſe aliquid increatum, vt infra patebit, & ita docet Caiet. art. 6. cit. Et eſt communis ſententia inter Thomiſtas. **Argum. M. Vaſquez. 9**

Pro huius explicatione notandum primo, quòd vnio in prima illa acceptione ex tribus ſupra explicatis, poteſt adhuc dupliciter accipi. Primo pro actione, quatenus ſe tenet ex parte vnientis, ſcilicet ex parte Dei, qui ſua infinita virtute humanitatem effectiuè coniunxit Verbo Diuino; & in hac acceptione, omnes Theologi fatentur, actionem vniendi eſſe quid increatum: nam eſt ipſe actus intellectus,

& vo-

& voluntatis Diuinæ, quo efficienter operatur res ad extra, cum habitudine rationis ad ipſas res productas,vel vnitas. Secundò poteſt accipi formaliter, videlicet pro vnione formali, qua vnibilia copulantur, & de hac procedit præſens difficultas. Sicut v. g. generatio, qua generans coniungit effectiuè formam materię,dicitur vnio actiua,ipſa vero coniunctio, qua forma & materia formaliter coniunguntur,eſt vnio formalis: & de hac inquirimus, vtrum ſit aliquis modus ſubſtantialis ab vtroque extremo diſtinctus ſaltem ex natura rei.

10 Notandum ſecundo, quòd terminus actionis eſt duplex: alius quidem totalis, alius autem formalis:ſicut in generatione ſubſtantiali terminus totalis eſt totum compoſitum, quod per generationem producitur: terminus autem formalis eſt forma,qua ipſe terminus totalis habet eſſe. Hæc diſtinctio fundatur in doctrina Ariſt.2. phyſ. vbi formam vocat terminū, & finē generationis; loquitur enim de termino formali, nā terminum totalem conſtat eſſe totum compoſitum, & vtrumque terminum oportet aſſignare in myſterio incarnationis,cum incarnatio ſit vera actio; omnis autem actio ex neceſſitate debet habere terminum.

11 Notandum tertiò, quòd inter actiones, quædam ſunt factiuæ, ſeu productiuæ ſui termini, ſicut calefactio eſt actio, per quam agens producit calidum. Aliæ vero non ſunt productiuæ ſui termini, ſed vnitiuæ, ſicut viſio corporalis, & alię actiones immanentes ſenſuum exteriorum: in quibus, iuxta magis communē,& veram ſententiam non producitur aliquis terminus: ſed obiectum ſenſibile vnitur cum potentia in actu ſecundo. Similiter etiam viſio beatifica, non producit in intellectu aliquem terminum ſcilicet verbum: ſed ipſa eſſentia Diuina immediate ſupplet rationem verbi producti,ſicut ſupplet vices ſpeciei intelligibilis. Vnde in huiuſmodi actionibus terminus non habet rationem producti, ſed vniti. ſit ergo

Prima concluſio. Per incarnationem, ſiue actionem vnionis hypoſtaticæ nullus producitur modus ſubſtantialis in humanitate,ab ea ex natura rei diſtinctus, ſicut conſtituit prima ſententia: ſed natura humana, & Verbum ſe ipſis vniuntur, abſque eo quòd interueniat prædictus modus ſubſtantialis, vel aliquid aliud creatum, per quod actualiter & formaliter coniungantur. Hanc concluſionem docet Caiet.art.10.huius quæſt. ad 1. vbi ait, in myſterio incarnationis præter relationem vnionis & extrema vnita,nihil aliud reale inueniri. Eādem ſententiam defendunt communiter Thomiſtæ, & eam docuerunt quidam antiquiores Doctores extra Scholam Sancti Thomæ. 12

Probatur primò. Vt docet Sanctus Thomas 4.cont.gent.c.41. nihil in rebus naturalibus inuenitur huic vnioni tam ſimile, ſicut vnio animæ intellectualis ad corpus: quo exemplo vſus eſt Athanaſ. in Symbolo fidei cum dixit; [Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.] Sicut enim anima rationalis,quæ per ſe ſubſiſtit ſeparata à corpore per mortem,cum vnitur corpori, ſicut fiet in reſurrectione, illi communicat ſubſiſtere perſonaliter: ita proportionabiliter 13

ter

ter Verbum Diuinum, quod erat ab æterno, cum in tempore per incarnationem fuit vnitum humanitati, communicauit illi eſſe perſonale, ita vt humanitas ſubſiſtat formaliter per idem eſſe perſonale, per quod ſubſiſtit ipſum Verbum Diuinum: ſed anima & corpus, quando generatur homo, vniuntur ſe ipſis immediatè, nec intercedit aliquis modus ſubſtantialis abſolutus, quo actualiter & formaliter vniantur. In natura autem multiplicandæ non ſunt entitates, vel formalitates abſque neceſſitate. Nulla autem eſt neceſſitas conſtituendi prædictum modum ſubſtantialem, cum ſine illo poſſit aſſignari ſufficiens fundamẽtum proximum relationis realis, qua materia & forma dicuntur vnitæ. Sufficit ergo ad fundamentum huius relationis vnionis actio generantis, ſcilicet generatio, & vnitas compoſiti, in quo vniuntur materia & forma.

14 Confirmatur. Ad fundamentum relationis ſimilitudinis, quæ reperitur inter duo alba, ſufficit ipſa albefactio, quæ eſt actio, & vnitas in albedine, quæ eſt in vtroque extremo, abſque alia media entitate, & formalitate. Poſita enim vnitate albedinis in vtroque extremo, & ſeparata quacunque entitate, aut formalitate abſoluta, ſtatim conſurgit ex neceſſitate naturæ relatio ſimilitudinis in albedine. Ergo ſimiliter, poſita generatione, & vnitate compoſiti, & ſeparata quacũque alia entitate, aut modo ſubſtantiali, conſurget relatio vnionis inter materiam & formam, ac per conſequens, poſita actione vniendi humanam naturam Diuinæ, & vnitate reali perſonæ Chriſti, in qua ſubſiſtit vtraque natura, conſurget relatio vnionis inter humanitatẽ, & Verbum, abſque eo quòd conſtituatur in humanitate ille modus abſolutus, qui ſit fundamentum, vel ratio fundãdi relationem vnionis.

15 Probatur ſecundò. Ille modus ſubſtantialis abſolutus, qui in humanitate Chriſti conſtituitur, vel eſt vnitus Verbo hypoſtaticè, vel non. Si detur primum, ſequitur, quòd ſit vnitus per alium modum ſubſtantialem, & ille per alium, & ſic in infinitum. Si ſecundum, ſequitur aliud inconueniens, quòd ſcilicet non ſint vnita verbo hypoſtaticæ omnia ſubſtantialia, ſeu quidquid ſubſtantiale inuenitur in humanitate Chriſti, & ita vnio hypoſtatica Verbi non fuiſſet perfectè facta cum humana natura, nec aſſumpſiſſet totum, quod pertinet ad ipſam humanam naturam; quod eſt contra dicta Sanctorum.

16 Probatur tertiò efficacius. Ille modus ſubſtantialis, qui in humanitate Chriſti conſtituitur, nõ pertinet ad eſſentiam eiuſdem humanitatis, vel ad propriam eius ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam; nec eſt idem entitatiue cum eadem eſſentia, ſubſiſtentia, vel exiſtentia. ergo, &c. Antecedens probatur: nam eſſentiæ, & quantitates rerum non dependent ex tempore, vel ex aliqua cauſa efficiente; ille autem modus ponitur dependens ex cauſa efficiente, ſcilicet ex actione Diuina: ergo non pertinet ad ipſam eſſentiam naturæ humanæ. Quòd autem non pertineat ad propriam eius ſubſiſtentiam vel exiſtentiam, nec ſit idem entitatiuè cum illa, probatur. Nam ſecundum fidem Catholicam humanitas Chriſti nõ habet propriam ſubſiſtentiam, ſed immediate ſubſiſtit per ſubſiſtentiam

tiam

tiam Verbi. Similiter etiam non habet propriam exiſtentiam creatam, per quam exiſtat extra ſuas cauſas, ſed immediate exiſtit per exiſtentiam Verbi, vt ex profeſſo oſtendimus diſput. 14. Relinquitur ergo, quòd, ſi ille modus ſubſtantialis eſt idem entitatiue cum altero extremo, identificetur entitatiue cum perſona Verbi, quod eſt impoſſibile;quia nullus modus ſubſtantialis creatus, poteſt realiter identificari cum ſubſtantia, vel ſubſiſtentia increata.

17 SEcunda concluſio. Terminus totalis vnionis hypoſtaticæ, ſi rem ipſam attendamus, nec eſt præcisè aliquid creatum, nec aliquid increatum, ſed includit vtrumque, Hanc concluſionem ſtatuit Aſturic.q.7.de gratia Chriſti, pag. 869. Probatur. Terminus totalis eſt perſona Chriſti ſubſiſtens in duabus naturis, quarum vna, ſcilicet Diuina,eſt increata, ſicut & ſuppoſitum Verbi: alia verò ſcilicet humana eſt creata. ergo, &c. Confirmatur. Terminus totalis aliarum vnionum ſubſtantialium, vt generationis, non eſt præcisè materia vel forma,quæ ſunt extrema vnita; ſed eſt aliquid includēs vtrumque, nempe totum compoſitum, ergo ſimiliter,&c.

18 TErtia concluſio.Si de termino magis formali & principali loquamur, dicendum eſt,terminum vnionis hypoſtaticæ eſſe quid increatum. Hanc concluſionem etiā ſtatuit Aſturic. & videtur eſſe Sancti Thomæ articulo 6.7.& 8. huius q.Et Probatur.Vt ſupra dictum eſt in generatione ſubſtantiali,forma, ſeu id, quod habet rationem actus, eſt terminus formalis; nam, vt ait Ariſt.2. phyſ. forma eſt finis generationis: ſed in perſona Chriſti, quæ, vt oſtendimus art. 4. eſt verè compoſita ex Diuinitate ſeu perſona Verbi & humanitate:perſonalitas ipſa Verbi habet rationem actus terminantis humanitatem, & eam complentis, vt in eod. art. dictum eſt. Ergo perſonalitas Verbi eſt terminus magis formalis vnionis hypoſtaticæ. Cōſtat autem perſonalitatem Verbi eſſe quid increatum:ergo,&c. Dixi in concluſione,magis formalis; nam ſecundum quid poteſt humanitas dici terminus formalis,quatenus videlicet ab humanitate habet Verbum Diuinum, quòd ſit homo, & dicatur perſona humana. Non enim eſt perſona humana formaliter, niſi quatenus in natura humana ſubſiſtit.

Ariſt.

19 Si quis inquirat, quid ſit dicendum abſolute, reſpondetur, quòd abſolute loquendo, & ſimpliciter terminus vnionis hypoſtaticæ eſt quid increatum. Ratio eſt; nam terminus vnionis eſt perſona Chriſti:perſona autem Chriſti, abſolute loquendo, eſt increata; nam eſt ipſamet perſona Verbi, quamuis in obliquo includat naturam humanam, quæ eſt quid creatum: ergo ſimpliciter loquendo, terminus vnionis hypoſtaticę eſt quid increatum. Confirmatur. Nam Sanctus Thomas vbi ſupra, explicans terminum vnionis hypoſtaticæ, abſolute docet eſſe quid increatum: ergo,&c.

20 QVarta concluſio.Ille modus, quē prima ſententia affirmat produci per incarnationem in humanitate Chriſti, non poteſt eſſe relatio ſubſtantialis.Hæc concluſio ſequitur ex prima, & probatur rationibus pro illa adductis. Præterea

rea nulla relatio datur in rerum natura, quæ ſit ſubſtantia, niſi in diuinis, vbi relationes conſtitutiuæ diuinarũ perſonarum ſunt ſubſtantiæ: ſed modus ille productus, qui in humanitate conſtituitur, non pertinet ad aliquam ex relationibus conſtitutiuis diuinarum perſonarum: ergo.

Solutio. 21 Reſpondent, quòd ſicut quæuis creatura ſubſtantialiter & ab intrinſeco refertur ad Deum creatorem, ita vt relatio non ſit diſtincta ex natura rei ab ipſa ſubſtantia creaturæ: ſic ille modus ſubſtantialis dicit intrinſecam habitudinem ad Verbum diuinum, & relatio illa à modo illo ſubſtantiali non diſtinguitur. Sed contra hãc ſolutionem

Impugn. vrget argumentum. Creatura eſſentialiter eſt quid abſolutum, licet includat relationem tranſcendentalem ad creatorem, quia relatio non producitur, ſed conſequitur ad productionem fundamenti, eo quòd, vt ait Ariſt. ad relationem non eſt per ſe motus: ergo ſimiliter relatio ad Verbum, quam includit ille modus ſubſtantialis, ſi admittendus eſſet, erit relatio tranſcendentalis, & modus ille erit eſſentialiter aliquid abſolutum, & creatũ, pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ. Sed nulla entitas creata conſtituenda eſt in humanitate Chriſti præter materiam, & animam rationalem, & earum vnionem, ex qua reſultat ipſa humanitas: ergo ille modus ſubſtantialis, qui ſuperadditur, eſt fictitius. Minor probatur ratione facta; nam vel ille modus ſubſtantialis vnitur verbo hypoſtatice, vel non vnitur. Si vnitur; ergo oportet conſtituere alium modum ſubſtantialem, quo vniatur formaliter Verbo Diuino, & idem eſſet dicendum de alio ſecundo modo, & de tertio, & ſic dabitur proceſſus in infinitum; quod eſt inconueniẽs. Si non vnitur: ergo aliquid ſubſtantiale erit in natura humana, aſſumpta à Verbo, quod non ſit vnitum illi hypoſtaticè, & ita vnio perſonalis verbi cum humanitate non eſt perfecta vnio. Si dicatur, quòd ille modus ſubſtantialis vnitur immediate Verbo diuino abſque alio modo ſubſtãtiali ſuperaddito; contra eſt argumentum: nam eadem ratione humanitas ipſa potuit immediate vniri Verbo hypoſtaticè abſq; illo modo ſubſtãtiali ſuperaddito: ergo abſque vlla neceſſitate conſtituitur in ipſa humanitate.

Secundò probatur cõcluſio. Hic modus ſubſtantialis, qui in humanitate Chriſti conſtituitur, vel eſt aliquid præuium, quaſi prius natura præparans humanitatem, vt ſuſtentetur à Verbo, & illi vniatur, aut vero eſt actus ipſe ſuppoſiti diuini terminantis & ſuſtentantis naturam humanam. Primum non poteſt dici, nam aliàs eſſet conſtituendus duplex modus ſubſtantialis in humanitate, alter præuius ad vnionem hypoſtaticam, alter ſimultaneus, ſeu concomitans ipſam vnionem, & terminationem Verbi diuini; nam iuxta auctores ſententię, quam impugnamus, fieri non poteſt, vt natura de nouo terminetur per ſuppoſitum, & hoc ipſo in ſe non habeat aliquid, quod non habebat ante terminationem. Si autem dicatur, quòd ille modus ſit actus ipſe ſuppoſiti diuini terminantis & ſuſtentantis naturam humanam, ſequitur, quòd per vnionem hypoſtaticam ſolum communicetur humanitati exiſtentia, & 22

ſubſi-

ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas Verbi, ita vt humanitas per eam exiſtat, & ſubſiſtat. Exiſtentia autẽ, & ſubſiſtentia Verbi eſt quid increatum: ergo per incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticã nihil ſubſtantiale creatũ producitur in humanitate Chriſti, ab ea realiter aut formaliter diſtinctum.

23 Quarto. Nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd humanitas exiſteret, & ſubſiſteret in Chriſto formaliter per illum creatum modum ſubſtantialem, quem vocant modum inexiſtentiæ, ac per conſequens non ſubſiſteret, nec exiſteret quaſi formaliter & immediate per ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Verbi: quod tamen, vt patebit diſp. 14. admitti non poteſt.

24 AD 1. argum. in oppoſitum reſpondetur ex dictis in 3. notab. quòd, quando actio eſt ſolum vnitiua, ſicut eſt incarnatio, ſiue vnio hypoſtatica, nõ oportet, quòd habeat terminum productum per ipſam actionem, vt dictum eſt.

Sed contra: nam in ſacris litteris incarnatio vel vnio hypoſtatica appellatur actio factiua, ſicut Hier.

Hier. 31. 31. [Nouum fecit Dominus ſuper terram: fœmina circumdabit virum;] quod de incarnatione interpretantur communiter Doctores.

Ioan. 1. Et Ioan. 1. [Verbum caro factum eſt,] cui conſonat illud Symboli Niceni: [Et homo factus eſt.] & Lu-

Luc. 2. cæ. [Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus Verbum, quod factum eſt, &c.] Ergo actio ſeu vnio hypoſtatica eſt factiua, ſeu productiua alicuius termini.

Reſpondetur, quòd per incarnationẽ, ſeu vnionẽ hypoſtaticã filius Dei non eſt factus ſimpliciter, ſed ſecundũ quid, & cũ addito, ſcilicet, factus eſt homo: ſicut non incæpit eſſe ſimpliciter per incarnationem, ſed incæpit eſſe homo, ꝑ hoc, quòd natura humana fuit illi vnita hypoſtaticè, quę quidẽ vnio eſt ſufficiens ad verificãdas prædictas loquutiones ſcripturæ & Conciliorum. 25

Ad ſecundum reſpondetur. In verbi incarnatione humanitas Chriſti mutata eſt realiter, ſed nõ eſt mutata realiter per acquiſitionem illius modi ſubſtantialis, quem arguens intendit, ſed quia de nouo conſtituta eſt extra ſuas cauſas, & acquiſiuit de nouo eſſe perſonale Verbi, in quo ſubſiſtit. Et huiuſmodi vnitas perſonæ Chriſti, quæ de nouo cæpit communicari naturæ humanæ, & in qua ab æterno ſubſiſtebat natura Diuina, eſt ſufficiens fundamentum relationis realis vnionis ad Verbum, vt dictum eſt. Ad impugnationem reſpondetur, negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt; nam licet vnitas perſonalis Chriſti, in qua ſubſiſtit natura Diuina & humana, ſit realiter eadem; aliter tamen ſe habet in ordine ad naturam Diuinam, & aliter ad humanam; quia cum natura Diuina identificatur realiter, & formaliter. Hæc enim propoſitio vera eſt: Verbum ſeu perſonalitas Verbi eſt Deitas. A natura autem humana diſtinguitur realiter, cum hæc propoſitio ſit falſa: Verbum ſeu perſonalitas Verbi eſt humanitas. Cæterum vnitas realis eſſentiæ Diuinæ, quæ eſt ratio fundandi relationem æqualitatis inter perſonas Diuinas, à nulla earum diſtinguitur realiter, vel formaliter, ſed ſolum ratione ratiocinata. Vnde non eſt ſimile. 26

Ad tertium reſpondetur, naturam humanam in myſterio incar-

nationis fuiſſe realiter mutatam; non quidem per acquiſitionem illius modi ſubſtantialis abſoluti, ſed per hoc, quod, cum prius non eſſet vnita Verbo, nec haberet eſſe perſonale Verbi, poſtmodum fuit illi vnita, vt ait Sanctus Thomas ſupra art. 1. ad 1. Vnde eiuſdem humanitatis mutatio non fuit de non eſſe ad eſſe creatum, aliàs in Chriſto Domino inueniretur duplex eſſe ſubſtantiale; cuius contrarium docet Sanctus Thomas infra q. 17. art. 2. ſed de non eſſe ad eſſe Diuinum, quod de nouo acquiſiuit: Et per hæc patet ad confirmationem.

S. Tho.

Ad quartum reſpondetur: Humanitatem immediate pendere à Verbo, & ſubſiſtere per ipſum eſſe perſonale Verbi, non eſt acquirere aliquem modum ſubſtantialem creatum, qui ſit formalis coniunctio illius cum Verbo; ſed eſt terminari immediate per ſubſiſtētiam Verbi. Vnde præter relationem vnionis inter extrema vnita, nihil reale oportet conſtituere, quo extrema formaliter coniungantur,

27 quia, vt dictum eſt, ſe ipſis vniūtur.

Ad impugnationem reſpōdetur, quòd quāuis humanitas poſſit ſubſiſtere ſeparata à Verbo, impoſſibile tamen eſt, humanitatem immediate terminatam per ſubſiſtētiam Verbi, ſubſiſtere per ſe à Verbo ſeparatam.

28 Ad quintum reſpondetur, negando antecedens: nam vnitas perſonæ Chriſti ſubſiſtentis in duabus naturis, humana ſcilicet & Diuina, non eſt formalis & actualis coniunctio humanitatis cum Verbo, vt tenentur fateri etiam auctores oppoſitæ ſententiæ. Et tamen ea poſita, impoſſibile eſt, humanam naturam ſubſiſtere à Verbo ſeparatam: Vnitas enim perſonæ compoſitæ Chriſti, neceſſario requirit, quòd humanitas ſubſiſtat in Verbo. Nam aliàs ſaluari non poteſt compoſitio eiuſdem perſonæ, quam, vt oſtenſum eſt art. 4. Sancti Doctores, & Concilia admittunt. 29

Ad ſextum reſpondetur, quòd tangit grauem difficultatem, de qua agitur ex profeſſo infra q. 75. art. 2. vtrum videlicet terminus immediatus tranſubſtantiationis ſit ipſa ſubſtantia corporis Chriſti ſecundum ſe, vel ſecundum aliquem modum ſubſtantialem: an vero terminus formalis & immediatus ſit exiſtentia eiuſdem corporis, vel continentia ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Prima ſententia dicit, corpus Chriſti terminare ſacramētalem conuerſionem, non quidem ſecundum ſubſtantiam, vel aliquem modum ſubſtantialem abſolutum, ſed quatenus ſit præſens ſpeciebus ſacramentalibus & ſub illis continetur. Sed hæc ſententia non videtur admittēda; nam iuxta illam, non videtur ſaluari cum proprietate, huiuſmodi conuerſionem eſſe ſubſtantialem. Cum enim actio ſpecificetur à termino ad quem, ſi terminus ad quem non eſt ſubſtantia, vel aliquid ſubſtantiale; impoſſibile eſt actionem eſſe ſubſtantialem.

Secunda ſententia aſſerit per oppoſitum extremum, tranſubſtātiationem eſſe actionem productiuam corporis Chriſti, quamuis de facto illud non producat, quia à parte rei erat præexiſtens, & ita terminatur immediate ad ſubſtantiam. Sed hæc ſententia mihi non probatur. Primo, nam tranſubſtantiatio præſupponit per ſe exiſtentiam realem corporis Chriſti ſub propria ſpecie, cum ſit conuerſio in rem præ- 30

exi-

Digitized by Google

exiſtentem : ergo non eſt productiua corporis Chriſti de nouo. Secundo, quia humanitas Chriſti concurrit efficienter ad huiuſmodi conuerſionem, tanquam inſtrumentum Diuinitati coniunctum; ergo neceſſe eſt, quòd præexiſtat ante conuerſionem. Tertio, Nam conuerſio Sacramentalis fit virtute verborũ: ſed Deus non tribuit verbis virtutem producendi de nouo in rerum natura corpus Chriſti, cùm huiuſmodi virtus numquam eſſet ad actum reducenda, & conſequenter eſſet fruſtra: ergo.

Dicendum eſt igitur, terminũ formalem, & immediatum eſſe ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti, ſecundum nouum modum, quatenus videlicet eſt fundamentum exiſtendi realiter ſub ſpeciebus ſacramentalibus, vt 3. p. cit. docent communiter Thomiſtæ. Hoc ſuppoſito, reſpondetur ad argumentum, negando conſequentiam; nam tranſubſtantiatio eſt actio conuerſiua totius ſubſtantiæ panis in totam ſubſtantiam corporis Chriſti; & ideo terminus ad quẽ, immediatus debet eſſe corpus Chriſti ſecundum aliquem modum ſubſtantialem, ratione cuius ſit proximum fundamentum exiſtendi ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Cum enim illa conuerſio ſit ſubſtantialis, vt dicit Concilium Tridentinum, oportet, vt terminus illius ſit aliquid ſubſtantiale. Cæterum incarnatio eſt actio vnitiua, quæ quidem immediate non terminatur ad humanitatem, ſed ad vnitatem perſonæ compoſitæ Chriſti, vt ſupra dictum eſt. Vnde non oportet, quòd per incarnationem, vel vnionem hypoſtaticam producatur aliquis modus ſubſtantialis diſtinctus ex natura rei ab humanitate; quia extrema per ſe ipſa vniuntur: ſed ſufficit, quòd humanitati communicetur ipſum eſſe perſonale Verbi, vt ex dictis conſtat.

Ad ſeptimum & octauum cum ſua confirmatione reſpondetur, quòd nullus modus ſubſtantialis nõ ſolum abſolutus, ſed nec etiam relatiuus producitur in humanitate Chriſti per incarnationem, vt ex ſu pradictis conſtat. Quòd ſi aliquis modus ſubſtantialis produceretur, deberet potius eſſe abſolutus, quã relatiuus, vt ex quarta concluſione colligitur.

Ad nonum dicitur, quòd humanitas in Chriſto ſubſiſtit, & exiſtit immediate per ſubſiſtentiam & exiſtentiam Verbi, vt diſp. 14. patebit. Vnde ſuperflue ponitur nouus ille modus ſubſtantialis creatus, vt humanitas ſubſiſtat, vel exiſtat in Verbo. 32

Ad confirmationem reſpondetur. In Chriſto natura humana ſuſtentatur, completur & terminatur immediate per ſubſiſtentiam Verbi abſque alio creato actu ſuppoſiti, vel modo ſubſtantiali naturæ humanæ ſuperaddito, vt dictũ eſt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum vnio Verbi incarnati ſit idem quòd aſſumptio.

1 Concluſio. Vnio non eſt idem, quòd aſſumptio, ſed tripliciter differunt. Primo, nam vnio importat relationem, aſſumptio verò actionem & paſſionem. Secundo, quia aſſumptio dicitur ſicut in fieri, vnio vero ſicut in facto eſſe. Tertio, quia aſſũptio importat ter-

minũ à quo & ad quē ipſius actionis: Eſt enim aſſumptio quaſi alicuius ad ſe ſumptio. Vnde natura humana dicitur aſſumpta, non autem Verbum, vel natura Diuina: vnio vero nihil horum importat.

Explicatio Articuli.

2 Circa iſtum articulum notandum primo, quòd aſſumptio importat terminum à quo, & terminum ad quem. Circa terminum ad quem, qui principaliter conſideratur in qualibet actione, ſolet diſputari: vtrum terminus ad quem aſſũptionis, ſit aliqua entitas abſoluta creata, reſultãs ex vi vnionis, & an huiuſmodi entitas ſit aſſumpta à Verbo. Sed hæc difficultas eſt fere eadem cum illa, quam articulo præcedenti, loquens de vnione, tractaui. Et quod ibi dictum eſt de termino ad quem ipſius vnionis, idem eſt proportionabiliter de termino aſſumptionis dicendum. Videatur M. Medina hoc in loco. Notandum ſecundo, quòd in Verbo Diuino reperitur ſubſiſtentia perſonalis & incommunicabilis, per quam conſtituitur in ratione perſonæ, quæ quidem ſubſiſtentia eſt relatiua, vt p. p. q. 30. art. 1. oſtenditur: & reperitur ſubſiſtentia abſoluta, per quam habet formaliter eſſe. Non enim ſunt in Deo conſtituendæ tres exiſtentiæ relatiuæ, vt Suarez contendit q. 1. Diſp. 11. ſect. 2. ſed vnica dumtaxat exiſtentia abſoluta, per quam formaliter exiſtunt omnes Diuinæ perſonæ, vt in ead. q. 30. art. 1. docent communiter Thomiſtæ. Notandum tertio, eſſe de fide, naturam humanam fuiſſe aſſumptam ad eſſe perſonale Verbi, ita videlicet vt humanitas in Chriſto Domino non per propriam ſubſiſtentiam creatam, ſed per ſubſiſtentiam increatam Verbi immediate & formaliter ſubſiſtat. Vtrum autem exiſtat per exiſtentiam Verbi an potius per propriam, & ſibi connaturalem, diſp. ſequenti videbitur.

DISPVTATIO XIIII.

Vtrum natura humana fuerit aſſumpta non ſolum ad ſubſiſtentiam, ſed etiam ad exiſtentiam increatam Verbi; an vero formaliter exiſtat per propriam exiſtentiam creatam.

SVNT circa hoc tres Doctorum ſententię. Prima contendit, humanitatē Chriſti formaliter & intrinſecè exiſtere per propriam exiſtentiam creatam, & ſibi connaturalem. Defendunt hanc ſententiam Scotus 3. d. 6. quæſt. 1. §. concedo. Albertus Magnus ead. diſt. art. 5. Palud. q. 3. Almain. q. 2. Vaſquez in hac 3. p. q. 17. ar. 1. diſp. 71. cap. 2. Suarez eadem q. 17. art. 2. Diſp. 36. ſect. 1. & 2. & addit, eſſe impoſſibile, humanitatem exiſtere in rerum natura per exiſtētiam increatam Dei aut Verbi Diuini; & putat hanc ſententiam eſſe Sancti Thomæ. 3 Suarez.

Probatur primo ex S. Doctore in diſputatis q. de vnione Verbi incarnati artic. 4. corp. vbi ait, quòd [Chriſtus eſt vnus ſimpliciter propter vnitatem ſuppoſiti, & duo ſecundum quid propter duas naturas.] Et ſolutionem ad 1. ait, [quòd eſſe humanæ naturæ, non eſt eſſe Diui-

Diuinæ.] quòd de eſſe exiſtentiæ intelligendum eſt. Et articulo 6. huius quæſtionis ſecundæ ait, humanitatem eſſe aſſumptam ad vnum eſſe, non vt eſt eſſe naturæ, ſicut corpus aſſumitur ad eſſe animę, ſed prout eſt hypoſtaſis vel perſonæ. Vbi aperte loquitur de eſſe exiſtentię naturæ: ſic enim p.p.q.76.art.1. docet, corpus aſſumi ad eſſe animæ. Accedit, quòd S. Thomas numquã docuit, humanitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam increatam Verbi, ſed ſolum aſſerit, aſſumptam fuiſſe ad eſſe perſonale Verbi.

4 Probatur ſecundò; nam in 7. Synodo actione 6. Tom. 3. collat. 8. quidam Epiphanius Epiſcopus in hoc diſtinguit naturam ab hypoſtaſi, quòd natura tantum dicit humanitatem exiſtentem; hypoſtaſis verò addit ſubſiſtentiam. Cum ergo in Chriſto ſit natura humana à Verbo realiter diſtincta; relinquitur, eam exiſtere formaliter per exiſtentiam diſtinctam ab exiſtẽtia increata Verbi. Item Damaſcenus lib. 3. fid. Orthod. cap. 3. ait, Verbum aſſumpſiſſe humanitatem [non priuatam exiſtentia.] ſentit ergo, illam habere propriam exiſtentiam creatam. Et cap. 11. & 12. ſubiungit, humanitatem habuiſſe exiſtentiam in verbo non per Verbum.

5 Tertio. Humanitas Chriſti, vt condiſtincta à Verbo, intelligitur eſſe quædam actualis entitas, quam ipſas tecum affert, & illam à Verbo non recipit, aliàs in Chriſto Domino eſſet confuſio naturarum, quod eſt contra Concilia & Patres. Ergo humanitas intelligitur eſſe exiſtens per propriam, & creatam exiſtentiam. Patet conſequentia; quia in conceptu intrinſeco entitatis actualis includitur formaliter exiſtentia.

Confirmatur primo. Humanitas, vt actualis entitas, ſupponitur aſſumptioni, vt patet ex Sancto Thoma infra q.4.art.2. & 3. dicente, id quod aſſumitur non eſſe terminum aſſumptionis, ſed præintelligi aſſumptioni: & q. 6. art. 4. ad 3. ait, carnem Chriſti prius natura eſſe ens, quàm ſit Verbo perſonaliter vnita: ergo humanitas non conſtituitur in eſſe actualis entitatis per ipſam aſſumptionem, & conſequenter nec per exiſtentiam increatam: ergo per propriam exiſtentiam creatam habet, quòd ſit actualis entitas.

Confirmatur ſecundò. Creatio animæ Chriſti, & vnio vel aſſumptio illius ad Verbum ſunt actiones realiter diſtinctæ; quarum prima, ſcilicet creatio, ordine naturæ præſupponitur ad aſſumptionem, ſicut creatio animæ præſupponitur ad eius vnionem cum corpore; ergo terminus immediatus creationis præſupponitur ordine naturæ ad ipſam aſſumptionem, & ad terminum illius. Sed per creationem natura accipit eſſe exiſtentiæ, cum creatio ſit mutatio de non eſſe ad eſſe: ergo anima Chriſti, & humanitas prius natura, quàm vniatur Verbo, habent, vel intelliguntur habere eſſe exiſtentiæ creatum: ergo formaliter exiſtũt per propriam exiſtentiam.

Quartò. Angelus ſola virtute naturali intuitiuè videt humanitatem Chriſti, & totam actualem entitatem illius: ergo videt intuitiuè id, quo humanitas intrinſece & formaliter conſtituitur in eſſe talis entitatis, Implicat enim intuitiue videre effectum formalem prima- 6

rium alicuius formæ, quin intuitiuè videatūr ipſa forma: ſed Angelus virtute naturali non poteſt intuitiuè videre humanitatem, vt exiſtentem per exiſtētiam Verbi, aliàs ſola virtute naturali cognoſceret intuitiuè, humanitatem eſſe ſubſtantialiter vnitam Deo, quod eſt contra ſupradicta: ergo ſignum eſt, humanitatē Chriſti conſtitui formaliter in eſſe actualis entitatis per exiſtentiam creatam, quam Angelus virtute naturali poteſt intueri. (Diſp. 1.)

7 Quinto. Eadem numero actualis entitas humanitatis, quæ nunc eſt vnita Verbo, poſſet in rerum natura conſeruari à Verbo ſeparata: vt ſi humanitas relinqueretur à Verbo: ergo in vtroque ſtatu conſtituitur formaliter in eſſe actualis entitatis per eumdem actum ſubſtantialem, ac per conſequens per eamdem numero exiſtētiam. Sed à Verbo ſeparata conſtitueretur in eſſe actualis entis per exiſtentiam creatam: ergo etiam vnita Verbo. Probatur conſequentia; nam effectus formalis non poteſt eſſe idem, quin forma, à qua procedit, ſit eadem.

8 Sexto. Humanitas Chriſti eſt ſingularis ſingularitate creata; ergo & exiſtens exiſtentia creata. Patet cōſequentia; nam exiſtentia pertinet intrinſece ad ſingularitatem. Antecedēs probatur. Verbum Diuinum aſſumpſit naturam ſingularem ſiue in atomo, vt dicit Damaſcenus lib. 3. cap. 11. ergo humanitas Chriſti prius intelligitur ſingularis, quàm intelligatur à Verbo aſſumpta: ſed in illo priori non potuit intelligi ſingularis ſingularitate increata Verbi: Ergo intelligitur ſingularis ſingularitate creata.

9 Septimo. Exiſtentia increata eſt quid abſolutū & eſſentiale in Deo, & per conſequens communis tribus perſonis; ergo ſi per aſſumptionem humanitas eſt vnita exiſtentiæ Diuinæ, ita vt per eam formaliter exiſtat, & non per exiſtentiam propriam; ſequitur, vnionem incarnationis fuiſſe factam in aliquo eſſentiali, & ita omnes tres perſonæ aſſumpſiſſent naturam humanam; quod repugnat fidei. Vel ſaltem eſſet concedendum, in myſterio incarnationis interuenire duas vniones ſubſtantiales. Alteram eſſentiæ humanitatis cum exiſtētia Dei abſoluta, & increata: Alteram humanitatis exiſtentis cū ſuppoſito Verbi, ſiue cum eius ſubſiſtentia relatiua, quod eſt magnum inconueniēs.

Octauo. Vt dicit Ariſtoteles 2. de anima cap. 4. n. 37. viuere in viuentibus eſt eſſe, quod de eſſe exiſtentiæ intelligendum eſt: tamdiu enim dicitur animal exiſtere, quamdiu viuere dicitur: è contra etiam, cum vitam amittit & deſinit viuere, dicitur nō exiſtere. Sed in Chriſto Domino eſt duplex viuere, & duplex vita, altera increata & Diuina, altera creata & humana; ergo humanitas Chriſti exiſtit formaliter per propriam exiſtentiam creatam. (Argum. M. Vaſquez diſ. 71. cap. 2. nu. 7.)

Nono, Exiſtere ſeu eſſe actu in rerum natura, ita eſt effectus formalis & intrinſecus exiſtentiæ, ſicut eſſe albū albedinis: ergo, ſicut nihil poteſt eſſe album, niſi ab albedine, intrinſecè ſibi inhærente, ita etiam non poteſt exiſtere aliquid niſi ab exiſtētia, ſibi intrinſecè inhærente: Sed exiſtentia increata non inhæret intrinſecè humanitati; ergo humanitas non poteſt exiſtere per illam.

Decimo. S. Thomas cum multis alijs Patribus docet, humanitatem ſeu animam aſſumptā fuiſſe à Deo media mente, hoc eſt, medio intellectu, (S.Tho. q. 6. art. 2.)

lectu,

lectu, quia per intellectum idonea facta eſt & præparata, vt ad opus redemptionis aſſumeretur. Nequit autẽ intelligi mens, aut intellectus inhærens ſubſtantiæ animæ; & ipſa eo modo præparans, niſi intelligatur exiſtere in anima. Exiſtere autem in anima non poteſt, niſi prius natura anima exiſtat, quia exiſtentia accidentium poſterior eſt ſecundum naturam exiſtentia ſubiecti, in quo ſunt: ergo prius quàm anima aſſumatur, & per illam tota humanitas, iam intelligitur exiſtens, non aliena exiſtentia: ſi enim hanc haberet, per vnionem illam haberet: per vnionem autem, quæ poſterior natura eſt, inhæſione mentis in anima, illã habere non potuit: ergo intelligitur exiſtens per propriam exiſtentiam.

10 Secunda ſententia, fatetur quidem, humanitatem Chriſti non habere de facto propriam exiſtẽtiam creatã, ſed immediate exiſtere per exiſtentiam Verbi. Addit tamen, de potẽtia abſoluta potuiſſe à Verbo aſſumi humanitatem exiſtentem ſua connaturali exiſtentia creata, ita vt ſolum haberet à Verbo ſubſiſtentiam. Hanc ſententiam ſequitur Aſturic. q. 7. de gratia Chriſti in 3. concluſione huius dubij pag. 919 & conuincitur ſequentibus argumentis; quorum primum eſt vndecimum in ordine.

Vndecimo. Humanitas eſt capax ſuſcipiendi immediate exiſtentiam creatam abſq; ſubſiſtentia creata, cum non ſit intrinſeca & formalis dependentia exiſtentiæ creatæ à ſubſiſtentia ſeu ſuppoſito creato, qualis reperitur inter viſionem & potẽtiam viſiuam. Viſio enim, cum ſit actus vitalis, importat formalẽ habitudinem ad potentiã viſiuam, à qua vitaliter elicitur: quę ratio non habet locũ in exiſtentia creata, reſpectu ſubſtantiæ: ergo Deus poterit cõmunicare humanitati exiſtentiam creatam abſque ſubſiſtentia creata ſeu creato ſuppoſito: ſed humanitas ſic exiſtens manet terminabilis & cõplebilis per ſubſiſtentiam perſonalem Verbi, atque ab eo aſſumptibilis: ergo per potentiã Dei abſolutam potuit aſſumi humanitas exiſtens propria exiſtẽtia.

Duodecimo. Optime intelligitur, poſſe Deũ communicare ſubſiſtentiam, & non exiſtentiam: ergo etiam poterit intelligi, quòd communicetur humanitati exiſtentia creata abſque ſubſiſtentia creata: & per conſequens poterit Deus communicare humanitati ſolam ſubſiſtẽtiam increatam Verbi, etiã ſi humanitas exiſtat per exiſtentiã creatam. Probatur antecedens: cõmunicatio ſubſiſtentiæ præcedit ordine naturæ communicationẽ exiſtentiæ; nam exiſtentia eſt vltimus terminus naturæ: ergo, cum prius non depẽdeat neceſſario à poſteriori ſaltem ſecundum abſolutam Dei potentiam, cõmode poſſumus intelligere, quòd Verbum Diuinũ communicet ſuam perſonalitatẽ naturę humanæ, non communicando illi exiſtentiam increatam: ac per conſequens poterit humanitas exiſtens per exiſtentiam creatam aſſumi ad eſſe perſonale Verbi.

Confirmatur. Nã in hoc nulla eſt implicatio contradictionis, cum nõ ſequantur duæ cõtradictoriæ veræ, vel falſæ: aut aliquid repugnans lumini naturæ: ergo per potentiam Dei fieri poteſt.

11 Tertia ſententia docet, humanitatem non ſolum exiſtere de facto per ſolam exiſtentiam Verbi, ſed etiam de potentia abſoluta non potuiſſe aſſumi à Verbo ad eſſe perſo-

nale, quin exiſtat etiam ipſa humanitas per exiſtentiam increatã Verbi. Et quoniã hæc ſententia eſt probabilior, & magis ad mentẽ S. Thomæ, ideo eſt à nobis explicanda, & defendenda.

12 Notandũ ergo primo. Exiſtentiã ſiue eſſe in rebus creatis realiter diſtingui ab eſſentia iuxta ſentẽtiam S. Tho. vt p. p. q. 3. art. 4. dub. 2. probat Bañes & Caiet. infra q. 4. art. 2. & de ente c. 5. q. 10. & Ferr. 2. contra gent. c. 52. Similiter etiã exiſtẽtia in rebus creatis realiter diſtinguitur à ſubſiſtentia, vt in eodẽ art. 2. probat Caiet. ſiue diſtinguatur formaliter, vt quidã Thomiſtæ arbitrantur, ſiue tanquàm res à re, vt allj Thomiſtæ ſentiunt. Et differentia conſiſtit in hoc, nam ſubſiſtentia eſt de intrinſeca ratione ſuppoſiti, & facit naturam ſubſtantialẽ capacem proximè ipſius exiſtẽtiæ, & immediate ſuſceptiuam illius. Exiſtentia autem eſt vltimus actus naturæ & recipitur immediate in ſuppoſito ſubſiſtente. Probat hoc Caiet. ex S. Tho. infra q. 17. art. 2. ad 1. dicente [Eſſe conſequitur naturã, non ſicut habentem eſſe, ſed qua aliquid eſt: perſonam autem ſiue hypoſtaſim ſicut habentem eſſe.] Quibus verbis clare docet, eſſe exiſtẽtiæ recipi immediate in ſuppoſito ſubſiſtẽte, & habere rationẽ vltimi actus reſpectu ſubſiſtẽtiæ ipſius ſuppoſiti.

13 Notandũ ſecundo, quòd vt patebit q. 4. art. 3. ſuppoſitum in ſuo cõceptu formali nõ includit intrinſecè, exiſtentiã, ſed ſolum extrinſecè; quia videlicet dicit ordinẽ ad illam tanquã ad vltimum actũ, vt notauit M. Bañ. 1. p. q. 3. art. 3. dub. 1. cõcl. 5.

14 Notandũ 3. quòd creatio animæ & productio totius humanitatis præſuppoſita fuit, vt in fieri, & in via, ãte ipſam aſſumptionẽ. Cæterũ in facto eſſe, & vt in termino, aſſumptio fuit prior ordine naturæ, quàm creatio animæ, & humanitatis productio. Itaq. prius intelligitur anima Chriſti creari, quàm aſſumi, nõ tamẽ intelligitur prius creata, quàm aſſumpta; ſed è conuerſo prius intelligitur aſſumpta, quàm creata. Hoc fundamentũ colligitur ex Leone Magno Epiſt. 11. ad Iuliũ Epiſcopum contra Euthichetẽ, vbi ait: [Natura quippe noſtra aſſumpta eſt, non vt prius creata aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.] Quibus verbis non obſcurè docet, quòd creatio ſeu productio humanitatis Chriſti conſiderata vt in termino, & in facto eſſe, præſupponit aſſumptionẽ, ita videlicet vt eſſe extra ſuas cauſas non habeat, niſi dependenter ab aſſumptione in facto eſſe, ſiue in termino illius.

Prima concluſio. Poſſibile fuit, naturã humanam aſſumptam à Verbo exiſtere immediate per exiſtentiã Verbi. Concluſio eſt contra Suarez, cã tamen docent à fortiori omnes Thomiſtę, & alij Doctores, quos allegabimus pro ſecunda concluſione. Probatur. Exiſtẽtia creata non eſt eſſentialis perfectio naturæ creatæ, ſed terminus complens ipſam naturam; ergo ſicut humanitas poteſt ſubſiſtere abſq; propria ſubſiſtentia, per ſolam ſubſiſtentiã Verbi, ita poterit exiſtere per ſolã exiſtentiã Verbi. Patet conſequentia, quia humanitas non magis dependet à propria exiſtẽtia, quàm à propria ſubſiſtentia. Probatur ſecundo, quia nulla eſt implicatio contradictionis in hoc, quòd humanitas exiſtat immediate per exiſtentiam Verbi: ergo. &c. 15

Secunda concluſio. Humanitas Chriſti de facto exiſtit immediate per exiſtentiã Verbi abſq; propria &

con-

connaturali exiſtentia. Concluſio eſt ſancti Thomæ, quā ſequuntur eius Diſcipuli, præſertim Capr. in 3. d. 6, Ferr. 4. cont. gent. cap. 35. circa finem. Caiet. & Medina intra q. 17. art. 2. Bañ. 1. p. quæſt. 3. ar. 4. dub. 1. concluſ. 1. Aſturic. vbi ſupra concl. 2. pag. 911. & in calce eiuſdem concluſionis addit, ſanctum Thomam, adeo aperte hanc ſententiā docuiſſe, vt cæcus ſit, qui eam non videt. Nam quæſt. 17. art. 2. docet, in Chriſto vnum tantum eſſe reperiri. Nec poteſt explicari de eſſe ſubſiſtentiæ: nam in ſolutione ad 1. docet, perſonam ſubſiſtentem eſſe immediatum ſuſceptiuum ipſius eſſe: vt patet ex eius verbis ſupra inductis. Loquitur ergo de eſſe exiſtentiæ, quod recipitur in ſuppoſito ſub ſiſtenti. Quod etiam conſtat ex his, quæ docet in 3. d. 6. q. 2. ar. 2.

16 Probatur ergo noſtra concluſio. Primo, ex Concilio 6. generali actione 11. in epiſtola Sophronij ab eodem Concilio approbata, vbi de Chriſti humanitate loquens, ſic ait: [In ipſo (ſcilicet Verbo,) & non in ſe habuit exiſtentiam.] Quibus verbis, quamuis contra errorem Neſtorij intendat concludere, humanitatem Chriſti non prius tempore extitiſſe in rerum natura, quā fuerit vnita Verbo: hoc tamen ex eo probat, quia humanitas Chriſti nullam habuit, nec habet propriam exiſtentiam; nec exiſtit in ſe ipſa, ſed in Verbo. Si autem humanitas Chriſti haberet propriam exiſtentiam creatam ſubſtantialem, per illam exiſtentiam verè, & propriè exiſteret in ſe ipſa, & non in Verbo: nam haberet ſubſtantialem exiſtentiam creatam realiter diſtinctam ab exiſtentia Verbi.

Confirmatur. Exiſtere in aliquo, eſt exiſtere per exiſtentiā illius, ſeu dependenter ab illo; hac enim ratione accidentia dicuntur exiſtere in alio, quia dependent ab exiſtentia ſubiecti: ergo, cum ſecundum verba Sophronij, humanitas non in ſe ipſa, ſed in Verbo exiſtat, relinquitur eam immediatè exiſtere per exiſtentiam Verbi.

Reſpondet Suarez vbi ſupra dicto ſecūdo, humanitatis Chriſti exiſtentiam habere potius rationem inexiſtentiæ, quàm exiſtentiæ ſimpliciter, quia dependet à ſubſiſtentia Verbi, per quam terminatur, & completur: & ideo dicitur exiſtere in Verbo, & non in ſe ipſa. Reſpōſio.

Sed contra. Nam exiſtentia ſubſtantialis non poteſt habere rationē inexiſtentiæ, tum quia inexiſtere eſt proprium accidentium, tum etiam quia exiſtētia terminari non poteſt, aut compleri per ſubſiſtentiā, cum ipſa exiſtentia ſit vltima actualitas, & vltimus terminus naturæ: nec poſſit habere potentialitatem ſubſtantialem, terminabilem, & actuabilem, per aliam quamcumque formam ſubſtantialem. 17 Impugnatio.

Confirmatur. Eſſe abſtractum actuale eſt perfectiſſimum prædicatum, ita vt ipſum eſſe excedat intelligere, & quamcumque aliam formam exiſtentem. Vnde & per ipſum eſſe maxime explicantur, quidditas, & eſſentia ipſius Dei, iuxta illud: [Ego ſum, qui ſum;] & [qui eſt, miſit me ad vos,] ergo eſt impoſſibile, quòd in ipſo eſſe inueniatur aliqua potentialitas ſubſtantialis, terminabilis per aliam quamcumque formam, vel actum ſubſtantialem. *Exod. 3*

Probatur ſecundo. Vnio humanitatis ad Verbum non eſt accidentalis, ſed verè, & propriè eſt ſubſtantialis, 18

tialis, vt dictum eſt: ergo in perſona Christi compoſita, quæ ex hac vnione reſultat, reperitur dumtaxat vnum eſſe ſubſtantiale. Probatur conſequentia, nam ex duobus entibus in actu non poteſt reſultare vnum per ſe. Et hac ratione ſanctus Thomas probat, in Chriſto non reperiri duplex eſſe, ſed vnum tãtum.

S. Tho. infra q. 17. art. 2.

Confirmatur. Nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd in Chriſto eſſet ſimpliciter duplex eſſe, ſcilicet eſſe creatum, & increatum, & conſequenter Chriſtus non eſſet vnus ſimpliciter, ſed duo: nam, cum ens, & vnum conuertantur, eo modo aliquid eſt vnum, quo eſt ens: ergo, ſi in Chriſto Domino eſt duplex eſſe ſubſtantiale, creatum ſcilicet & increatum, non eſſet ſimpliciter vnus, ſed duo: quod repugnat dictis Athanaſ. in ſymbolo fidei. [Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo, vnus eſt Chriſtus.]

Symb.

19 Probatur tertio. Nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd Beata Virgo non eſſet dicenda cum proprietate Dei genitrix, Deipara, vel Mater Dei, ſed ſolum Mater humanitatis Chriſti: conſequens eſt contra definitionem Concilij Epheſini 1. Can. 1. Tom. 1. quam adducit ſanctus Thomas infra: ergo, &c. Sequela probatur. Nam, vt fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ, tota Chriſti humanitas prius natura habuit exiſtentiam, quàm aſſumeretur: ergo, antequam Deus eſſet homo, intelligitur abſolutum, & completum totum officium B. Virginis concipientis, & generantis: ergo generatio illius verè non attingit ipſum Chriſtum Deum, & hominẽ, ſed ſolum illius humanitatem, cum propria exiſtentia: ergo non erit dicenda cum proprietate Mater Dei.

S. Tho. q. 35. art. 4. in corp.

Solutio. Reſpõdet Suarez, quòd, licet formalis terminus illius generationis ſit humanitas cum ſua exiſtentia creata, tamen vltimus terminus, qui generatur, non eſt humanitas, ſed hic homo, quia illa humanitas, & exiſtentia illius non in ſe fit, ſed in Verbo, & ideo Verbum dicitur generari, & naſci ex Virgine.

Impugnatio. Sed hæc ſolutio videtur petere principium: hoc enim contendimus, quòd, ſi generatio B. Virginis completa eſt, & terminata prius natura, quàm ſit hic homo Chriſtus ſubſiſtens in duabus naturis, impoſſibile ſit, vt B. Virgo dicatur cum proprietate Mater Dei.

20 Confirmatur. Creatio animæ rationalis non verè attingit totum compoſitum, ſcilicet hominem, quia licet anima producatur in corpore, tamen creatio intelligitur terminata, & completa, antequam intelligatur compoſitum productũ per generationem: ergo, ſi tota generatio Beatæ Virginis intelligitur completa, & terminata, antequam intelligatur, Deum eſſe hominem, non erit dicenda cum proprietate Mater Dei. Et augetur difficultas: nam Deum eſſe hominem eſt terminus aſſumptionis: ergo, ſi generatio non attingit realiter iſtũ terminum, ſed præſupponitur completa, & terminata ante aſſumptionem per exiſtentiam connaturalem humanitatis Verbi, ſequitur, B. Virginem non genuiſſe Deum, & hominem.

21 Probatur quarto, ex noſtro, tertio fundamento: nam vt dicit Leo Papa, natura humana non ſic aſſumpta eſt, vt prius creata poſt aſſumeretur: ergo non fuit prius in facto eſſe,

eſſe, humanitatem eſſe productam, ſed è conuerſo prius intelligitur eſſe aſſumptam, quàm productam, & genitam : ergo humanitas non fuit terminata,& completa per aliquam exiſtentiam creatam antecedentem ordine naturæ ipſam aſſumptionẽ : ergo nullam habuit propriam exiſtentiam creatam.

Solutio. Si dicatur,ex auctoritate Leonis ſolum haberi, humanitatem non prius tempore fuiſſe creatam, vel extitiſſe,quàm fuerit vnita Verbo, vt poſuit hæreſis Euthichetis, aduerſus quem loquebatur:

Impugnatio. Contra, quia,licet hoc principaliter intendat, nihilominus etiam ſignificare voluit, humanitatem Chriſti,& eius productionem non fuiſſe terminatam, & completam per exiſtentiam creatã, prius quàm aſſumeretur à Verbo. Hoc innuit illud Verbum [creata,] quod ſignificat actionem terminatam ſuo termino in facto eſſe.

Confirmatur, quia multo melius explicatur, & intelligitur myſteriũ Incarnationis, & Beatam Viginem verè genuiſſe Deum, & hominem, ſi aſſer.mus, humanitatem Chriſti non habere aliquam exiſtentiam præter exiſtentiam Verbi : ergo.

22 Probatur vltimo. Vt in prima concluſione oſtenſum eſt, humanitas Chriſti poteſt terminari per potentiam Dei abſolutam per exiſtentiam Verbi: ergo de facto terminata eſt,& completa per exiſtentiam illius. Probatur conſequentia:nam maior perfectio, & excellentia humanitatis eſt, quòd immediatè exiſtat per exiſtentiam Verbi, quàm ſi exiſteret per propriam,& connaturalem exiſtentiam : ſicut eſt maior perfectio illius, quòd ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi, quàm ſi ſubſiſteret per propriam : ea verò, quæ magis pertinet ad humanitatis Xp̃i perfectionem,competunt ei : ergo.

Confirmatur. Omnia, quæ Verbũ potuit ſupplere immediatè per ſeipſum, de facto ſuppleuit in humanitate : ſed potuit ſupplere non ſolum ſubſiſtentiam creatam, ſed etiam exiſtentiã humanitatis creatam : ergo de facto eam ſupplet : non ergo exiſtit humanitas Chriſti per exiſtentiam creatam ſibi connaturalem, ſed per ſolam exiſtentiam Verbi.

23 Tertia concluſio. Etiam per potentiam Dei abſolutam fieri non potuit, vt Verbum Diuinum aſſumeret humanitatem exiſtẽtem propria exiſtentia creata. Hanc cõcluſionem defendunt multi grauiſſimi Thomiſtæ : & probatur. Suppoſitum eſt vnicum, & immediatũ ſubiectum ſuſceptiuum exiſtentiæ, ſicut corpus affectum quantitate eſt vnicum, & immediatum ſubiectum ſuſceptiuum figuræ : ergo,vt humanitas recipiat exiſtentiam, & exiſtat, neceſſe eſt,vt prius ſubſiſtat perſonalitate propria,vel Diuina : ſed humanitas cum propria perſonalitate non eſt aſſumptibilis à Verbo,vt infra patebit : ergo,& humanitas exiſtens prius propria exiſtentia non erit aſſumptibilis à Verbo.

Solutio. Si dicatur, quòd Verbum poteſt communicare humanitati propriã ſubſiſtentiam, & permittere, quòd poſtea fluat exiſtentia creata ab humanitate,& ita humanitas inVerbo habebit exiſtentiam creatam, cum ſubſiſtentia Verbi abſque cunnaturali ſubſiſtentia:

Impugnatio. Contra. Nam exiſtentia creata non poteſt recipi in ipſo ſuppoſito Verbi, ſed ſolum in ſuppoſito creato:ergo exiſtẽtia humanitatis creata

ta non poteſt recipi niſi in ſuppoſito creato.

24 Reſpondet Aſturic. ſecundum potentiam Dei ordinariam, & debitum naturæ curſum, exiſtentiam nõ recipi niſi in ſuppoſito ſubſiſtente, quia, cum exiſtentia ſit omnium actuum perfectiſſimus, requirit ſubiectum completum, & perfectum, quale eſt ſuppoſitum, vt ſaluetur proportio inter ſubiectum, & formam: natura autem, quamdiu non eſt per ſubſiſtentiam terminata, manet incompleta, & habet ſtatum imperfectum: nihilominus iſte ordo mutari poteſt per Dei potentiam, quia ſolum ſumitur ex ratione debitæ proportionis inter ſubiectum, & formam.

25 Sed contra hanc ſolutionem eſt argumentum. Effectus formalis ſecundarius formæ conſeruari non poteſt ablato primario: non enim eſt factibile, quòd quantitas faciat ſubſtantiam corpoream extenſam in ordine ad locum, quin eam faciat extenſam in ordine ad ſe; licet è cõuerſo poſſit facere extenſam in ordine ad ſe, & non in ordine ad locũ, ſicut contingit in quantitate corporis Chriſti, vt eſt ſub Sacramento Euchariſtiæ: ſed ſubſiſtere eſt effectus primarius formæ ſubſtantialis; exiſtere autem ſecundarius, & vltimus: ergo impoſſibile eſt, quòd aliquid tribuat eſſe exiſtentię humanitati, non tribuendo illi eſſe ſubſiſtentiæ.

Probatur ſecundo. Vt fatetur Aſturic. vbi ſupra concluſ. 1. exiſtentia ex ſua propria ratione, ita eſt vltima actualitas, vt nullam habeat potentialitatem terminabilem, & actuabilem per ſuperiorem formã ſubſtantialem: & hac ratione probat, non dari in compoſito partiales exiſtentias, ſed materiam, & formam ſolum exiſtere per exiſtentiã totius: nam repugnat exiſtentiæ actuari per aliam formam, ſeu exiſtentiam: ergo ſimiliter repugnat, humanitatem Chriſti habere actualem exiſtentiam creatam terminabilem per ſubſiſtentiam Verbi, & ab eo aſſumptibilem.

AD primum ex factis à principio reſpondet M. Medina, & Aſturic. quòd ſanctus Thomas mutauit ſententiam 3. p. quęſ. 17. cit. 26

Reſpondetur ſecundo, ſanctum Thomam numquam conceſſiſſe duplicem exiſtentiam in Chriſto, alteram creatam, alteram increatã. Et cum ait, quòd Chriſtus eſt duo ſecundum quid propter duas naturas, explicari poteſt de eſſe eſſentiæ, quia natura humana ſecundum eſſentiam realiter diſtinguitur à natura Diuina: nec ad iſtam diſtinctionem ſequitur, quòd natura humana habeat in Chriſto diſtinctam exiſtentiam ab exiſtentia Verbi, ſicut non ſequitur, quòd habeat diſtinctam ſubſiſtentiam: ſed ſufficit, quòd eius productio, & generatio terminaretur ad propriam ſubſiſtẽtiam, & exiſtentiam creatam, niſi à ſubſiſtentia, & exiſtentia Verbi pręuenta fuiſſet.

Ad ſecundum reſpondetur. Cum Epiphanius ait, naturam humanam importare humanitatem exiſtentẽ, intelligitur, quòd importat humanitatem exiſtentem radicaliter, id eſt ex ſe ipſa potente exiſtere abſq; adminiculo exiſtentiæ alterius naturæ, quamuis de facto in Chriſto non habeat propriam exiſtentiam, quia præuenta fuit ab exiſtentia Verbi. 27

Ad primam auctoritatem Damaſceni dicendum, quòd, ſi aliquid 28

con-

concluderet, etiam probaret,& humanitatem in Chriſto habere propropriam ſubſiſtentiam,quia,vt ſupra dictum eſt, humanitas Chriſti non habet appetitum propriæ exiſtentiæ,ſicut nec ſubſiſtentiæ, eo ꝙ per ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Verbi totaliter eius expletur appetitus. Quando ergo inquit Damaſcenus,Verbum aſſumpſiſſe humanitatem,nec ſubſiſtentia,nec exiſtẽtia priuatam, non intellexit, eam habere creatam ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam. de fide enim eſt, humanitatem in Chriſto non habere propriam ſubſiſtentiam: ſed ſignificare voluit, humanitatem non habere in Chriſto naturalem appetitum ad propriam ſubſiſtentiam,vel exiſtentiam propter rationem factam,& conſequenter etiam non habere propriè loquẽdo priuationem illius. Si enim eſſet priuata propria exiſtentia, vel ſubſiſtentia, haberet appetitum illius: nam priuatio eſt cauſa appetitus. Ad alium locum ex cap. 11. & 12. reſpondetur, Damaſcenum docere quidem, humanitatem exiſtere in Verbo, ſed non ait, eam exiſtere non per Verbum. Hæc enim vltima verba non ſunt de contextu Damaſceni,ſed potius ex illo colligitur, humanitatem non habere aliam exiſtentiam, præter exiſtentiam Verbi. Ait enim c. 12. [Quorum ſimul & conceptio,& exiſtentia mirabili modo facta eſt. Cõceptio nimirum Verbi, carnis autem in ipſo Verbo exiſtentia.] Sentit ergo, humanitatem Chriſti non habere exiſtentiam in ſe ipſa, ſed in Verbo, ac per conſequens non exiſtere per creatam exiſtentiam, ſed per exiſtentiam Verbi.

29 Ad tertium reſpondetur, humanitatem in Chriſto ſecundum eſſentiam habere entitatem actualem condiſtinctam ab entitate actuali ipſius Verbi: nam eſſentia ſubſtantiæ eſt vera entitas actualis ad prædicamentum ſubſtantiæ pertinens. Exiſtentia enim actualis non eſt de intrinſeco cõceptu entitatis actualis,ſed ordo ad exiſtentiam tamquã ad terminum. Vnde ipſa exiſtentia actualis extrinſecè pertinet ad rationem actualis entitatis. Explicatur hæc ſolutio manifeſtiſſimo exẽplo: nam partes componentes aliquod totum ſubſtantiale, nempe materia, & forma,in illo priori naturæ, in quo cauſant compoſitum, habent veram actualitatem, ſeu veram entitatem actualem per ipſam eſſentialem rationem partium: & tamen in illo priori non intelliguntur actualiter exiſtere, ſed eſſe in via ad exiſtentiam, quia materia & forma intelliguntur cauſare, antequam intelligantur actu exiſtere, quod quidem non contingit in cauſa efficiente. hæc enim operatur,in quantum eſt actu: ita proportionabiliter dicendũ eſt in præſenti,quòd humanitas in illo priori, antequam intelligatur vnita Verbo, intelligitur eſſe quædam actualis entitas, & hoc habet per ſuam eſſentiam cum habitudine,&ordine ad exiſtentiam Verbi terminantis, & complentis naturam humanam. Sufficit enim, quòd in eodem inſtanti temporis habeat actualem exiſtentiam ipſius Verbi, ad hoc quòd in illo priori ſigno intelligatur, vt entitas actualis. Et præterea intelligitur,vt entitas actualis,quia ex vi creationis, aut productionis haberet in eodem inſtanti temporis propriam exiſtẽtiam, niſi præuenta fuiſſet ab exiſtentia Verbi. Per hæc patet ad primam confirmationem.

Ad

Digitized by Google

30 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur ex dictis in 3. notabili. Creatio animæ Chriſti in fieri præſupponitur ad aſſumptionem, ſed in facto eſſe, & vt in termino, aſſumptio ordine naturæ præcedit creationem animæ. Vnde per creationem per ſe loquendo accepit anima Chriſti quaſi in actu primo, & in radice eſſe exiſtentiæ creatæ, quia, niſi præuenta fuiſſet ab exiſtentia Verbi, virtute creationis, de facto habuiſſet propriam exiſtentiam. Et idem dicendum proportionabiliter de productione humanitatis Chriſti & eius generatione temporali.

31 Ad quartum reſpondetur, quòd auctores ſententiæ oppoſitæ etiam tenentur argumentum ſoluere, ſi procedat de ſubſiſtentia. Angelus enim virtute naturali certò cognoſcebat, illum hominem Chriſtū ſubſiſtere, & humanitatem illius: & tamen non cognoſcebat euidētér, per quam ſubſiſtentiam ſubſiſteret, alias cognouiſſet euidenter incarnationis myſterium. Reſpondetur ergo ad argumentum: Angelum euidēter cognouiſſe humanitatem Chriſti exiſtere extra ſuas cauſas, ſed tamen non cognoſcebat id à priori intuitiuè cognoſcendo in particulari, aut videndo exiſtentiā, per quam de facto exiſtebat, aut effectum formalem illius; ſed à poſteriori per effectus certo cognoſcebat eam exiſtere aliqua exiſtentia. Vnde non ſequitur habuiſſe exiſtentiam creatam. Sed de hoc argumēto iam diximus ſupra diſp. 1. ad 1. & 6. argumentum.

32 Ad quintum reſpondetur, quòd eadem numero eſſet humanitas, etiamſi à Verbo relinqueretur; quia vnitas naturæ ſubſtantiæ materialis non ſumitur intrinſece ab exiſtentia; cum eam non includat in ſuo conceptu formali, ſed ſumitur à materia ſignata quantitate, quæ ita eſt capax huius formæ, vt non alterius. Nec per hoc quòd humanitas relinqueretur à Verbo, corrumperetur de facto, quia locò exiſtentiæ increatæ, quam nunc habet, ſuccederet creata exiſtentia, per ſimplicem emanationem, virtute prioris actionis, qua creata eſt vel producta. Similiter etiam in vtroque caſu haberet eamdem entitatem actualem, quia vt ſupra dictum eſt, exiſtentia non eſt de conceptu, vel de intrinſeca ratione entitatis actualis eſſentiæ, ſed ordo ad exiſtentiam.

Ad ſextum negatur conſequentia, nam in ſingularitate creata nō includitur intrinſecè creata exiſtentia, ſed ordo ad illam quam haberet, niſi præueniretur à Diuina exiſtentia. 33

Ad ſeptimum dicendum, vnionē naturæ humanæ non eſſe factam immediate cum exiſtentia increata, ſed cum ſubſiſtentia & perſonalitate Verbi, quamuis ſecūdario & mediate etiam fuerit facta cum exiſtentia Verbi, quæ intrinſecè clauditur in ipſa Verbi perſona. Vnde ſolum Verbum eſt incarnatum, non autem Pater vel Spiritus Sanctus, & conſequenter tantum Verbum eſt homo. Incarnatio enim non attenditur ex termino mediato, ſed ex immediato. Nec ſequitur, eſſe conſtituendas duas ſubſtantiales vniones. Et ratio eſt, nam actiones non multiplicantur propter terminos ſecundarios, ſed vna & eadem actio per ſe primo attingit terminum primarium, & per ſe ſecundo attingit ſecundarium. Reſpondetur

ſecun-

ſecundo. Sicut eſſentia Diuina eſt prædicatum abſolutum, & commune toti Trinitati,& tamen ſecundũ quòd eſt in Patre, eſt principiũ quo generationis Verbi, non autem ſecundum quòd eſt in Filio; vel Spiritu Sancto: ita proportionabiliter, quãuis exiſtentia increata ſit prædicatum abſolutum & commune toti Trinitati: nihilominus vt eſt in Filio, terminat & complet vltimatè naturam humanam, & eam conſtituit formaliter extra ſuas cauſas: non autem prout eſt in Patre, vel Spiritu Sancto. Vnde non ſequitur, quòd Pater vel Spiritus Sanctus ſit homo.

Ad octauum argumentum reſpondetur, quòd viuere in viuentibus eſt eſſe exiſtentiæ cauſaliter, quia nimirum ab anima tribuente vitam cauſatur eſſe exiſtentiæ per ſe loquendo, & ſic eſt intelligendus Ariſtoteles, vt colligitur ex eius Verbis, ſic enim ait: [Cunctis viuentibus cauſam vt ſint, formam ipſam atque ſubſtantiam eſſe patet.] Dixi per ſe loquẽdo ſeruato ordine naturæ, quem cognouit Ariſtoteles: etenim in Chriſto anima rationalis de facto nullum cauſauit eſſe exiſtẽtiæ creatum, ſicut neque ſubſiſtentię, quia præuenta fuit ab alio nobiliori eſſe, videlicet ab eſſe increato exiſtentiæ & ſubſiſtẽtiæ Verbi, vt ſupra oſtenſum eſt. Secundo poteſt explicari auctoritas Ariſtotelis de eſſe eſſentiæ, quòd Chriſtus in quantum homo habet ab anima rationali tribuente illi vitam humanam, vt art. 5. dictum eſt.

35 Ad nonum reſpondetur, quòd, ſi aliquid probaret, etiam concluderet, quòd humanitas Chriſti non poſſet ſubſiſtere; niſi per ſubſiſtentiam creatam. Probatur hoc manifeſta ratione, quia ſicut exiſtere eſt effectus formalis exiſtentiæ, ita & ſubſiſtere eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ: ergo ſi exiſtere humanitatis Chriſti, non poteſt prouenire; niſi ab exiſtentia creata intrinſecè informante, ita nec ſubſiſtere: ſicut ergo ſubſiſtentia Verbi tribuit ſubſiſtere humanitati aſſumptæ abſque eo quòd intrinſecè eam informet, ita & exiſtentia Verbi poterit facere exiſtentem naturam humanam abſque eo, quòd intrinſecè eam informet. Hanc obiectionem præuidit Vaſquez, & vt illi ſatisfaciat, Vaſq. nu. 10. ſic reſpondet. Si ſubſiſtere capiatur pro eo, quòd eſt per ſe eſſe, quod quidem abſolutè ſubſiſtere eſt, ſicut humanitas non poteſt, niſi propria exiſtentia exiſtere, ſic etiam non poteſt ſubſiſtere, hoc eſt per ſe eſſe, niſi habeat in ſe modum proprium perſeitatis coniunctum propriæ exiſtentiæ: hic enim effectus eſſentialiter pendet à tali modo. Si vero ſubſiſtere accipiatur pro eo quòd eſt, eius eſſe terminari aliquo ſuppoſito, poteſt quidem in alieno ſubſiſtere, hoc eſt, in alieno eſſe, tunc tamen non dicitur abſolute ſubſiſtere, hoc eſt per ſe eſſe, ſed potius in alio eſſe, & ab alio terminari: & per alienum ſuppoſitum, vel in alieno ſuppoſito ſubſiſtere, idem eſt, quod in alio eſſe, non per ſe, neq; abſolute ſubſiſtere. At vero exiſtere ſemper eodem modo capitur pro eo, quòd eſt extra cauſas eſſe, cumque hic ſit effectus formalis exiſtentiæ, ſaltem noſtro modo intelligendi & intrinſecus rei, ſequitur, ſicut non poteſt aliquid eſſe album niſi ab albedine inhærente, ita etiam non poteſt exiſtere, niſi per exiſtentiam propriam ſibi intrinſecam, & inhærentem.

In

36 In hac tamen ſolutione multa dicuntur, quę admitti non poſſunt: etenim, ſi ad hoc quòd natura humana ſimpliciter dicatur ſubſiſtere, & eſſe per ſe, neceſſarium eſt, quòd habeat in ſe modum propriũ perſeitatis coniunctũ propriæ exiſtentiæ, vt affirmat hæc ſolutio, ſequitur quòd humanitas Chriſti abſolute & ſimpliciter non ſit ſubſiſtens, quia reuera in Chriſto non habet propriam ſubſiſtentiam, ſeu proprium modum perſeitatis, cum ſolum ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi, conſequens autem non poteſt admitti: ergo. Præterea, nam ſubſiſtere, ſeu eſſe per ſe proprie loquendo idem eſt, quod ſubſiſtere non in alio tanquam in ſubiecto, ergo ſubſiſtere in alio, tanquam in ſuppoſito, non aduerſatur rationi formali ſubſiſtendi per ſe, Ergo, licet humanitas Chriſti ſubſiſtat in extraneo ſuppoſito, ſcilicet in Verbo diuino, adhuc poteſt ſimpliciter dici ſubſiſtens, ſeu per ſe exiſtens. Adde, quòd de ratione ſubſtantiæ eſt quòd ſit ens per ſe, vt conſtat ex Ariſtotele in prædicamento ſubſtantiæ. Cum ergo humanitas Xpi ſit vere & proprie ſubſtantia, relinquitur, quòd abſolute & ſimpliciter ſit ens per ſe, ac per cõſequens ſubſiſtens. Relinquitur ergo, argumentum factum æque procedere de ſubſiſtẽtia, & exiſtentia. Igitur iuxta noſtram ſententiam reſpondetur ad argumentum, quòd effectus formalis non poteſt procedere à forma creata, niſi talis forma inhæreat vel informet ſubiectum quod denominat, eo quòd eſt forma finita & limitata, habens aliquam imperfectionem admixtam, ratione cuius non poteſt cauſare proprium effectum formalem, niſi inhærendo vel informando ſubiectũ, quod denominat. Cæterum ſubſiſtentia & exiſtentia Diuina, quia eſt infinita & limitata tribuit ſubſiſtere & exiſtere humanitati aſſumptę, demptis imperfectionibus & abſq; eo quòd inhæreat vel informet ipſam humanitatem, ſicut etiam eſſentia Diuina in ratione ſpeciei intelligibilis vnitur intellectui beati & conſtituit illum in actu comparatione viſionis beatificæ, abſq; eo quòd inhæreat ipſi intellectui, aut illum informet, vt 1. p. q. 12. docent omnes Thomiſtæ.

Ad decimum reſpondetur, quòd vt patebit q. 6. art. 2. anima Chriſti, dicitur fuiſſe aſſumpta medio intellectu, non quia intellectus prius fuerit exiſtens in anima, quàm aſſumeretur à verbo: ſed quoniam verbum diuinum aſſumpſit potentias vegetatiuas & ſenſitiuas mediante potentia intellectiua, ſecundum ordinem dignitatis & cauſalitatis, vt in eodem art. 2. dicetur latius. 37

Ad vndecimum negatur antecedens propter rationes adductas in tertia concluſione.

Ad duodecimũ reſpondetur negando conſequentiã, ſicut nõ ſequitur: Quantitas poteſt extendere ſubſtantiam in ordine ad ſe abſque eo quòd eam faciat extenſam in ordine ad locum, ergo è conuerſo poterit extendere ſubſtantiam in ordine ad locum abſque extenſione in ordine ad ſe. Antecedens enim eſt certum, vt patet in corpore Chriſti, quatenus exiſtit in Euchariſtia: conſequens autem communiter impoſſibile reputatur. Ratio diſcriminis eſt, nam effectus ſecundarius formæ intrinſecè præſupponit effectum primarium, & ab 38

eo

eo dependet: Primarius autem non præſupponit ſecundarium, nec ab eo intrinſecè dependet, quia prius non dependet à poſteriori.

39 Ad confirmationem reſpondetur. Si in humanitate Chriſti ponatur exiſtentia creata aſſumpta à Verbo, ſequuntur duæ contradictoriæ veræ, quia talis exiſtentia eſſet vltima actualitas, & non eſſet vltima actualitas. Affirmatiua enim præſupponitur ex ipſa definitione exiſtentiæ ſupra explicata. Negatiua autem probatur, nam in tali caſu exiſtentia creata humanitatis terminaretur & compleretur per ſubſiſtentiam Verbi: ergo non eſſet vltima actualitas naturæ. Item etiam ſequeretur, quòd per exiſtentiam creatã humanitas exiſteret in ſe ipſa, & non exiſteret in ſe ipſa, ſed in alio, ſcilicet in Verbo; quod eſt impoſſibile.

Alia difficultas ſolet in hoc articulo tractari, videlicet quis ſit terminus à quo, & ſubiectum aſſumptionis, ſed hanc ita dilucide pertractat M. Medina, vt nihil ad eius doctrinam ſuperaddere oporteat.

ARTICVLVS IX.

Vtrum vnio duarum naturarum in Chriſto ſit maxima vnionum.

PRima concluſio. Ex parte eius, in quo extrema vniũtur, vnio duarum naturarum in Chriſto eſt maxima vnionum, quia coniunguntur in vnitatem perſonæ increatæ ipſius verbi: Verbum autem diuinum eſt infinitum: ergo.

Secunda concluſio. Ex parte eorum quæ vniuntur, hæc non eſt maxima vnionum, quia vnitas trium perſonarum in eſſentia eſt maior: eo quòd quælibet perſona Diuina eſt idem realiter cum eſſentia, non autem quælibet natura exiſtens in perſona Chriſti identificatur realiter cum ipſa perſona.

ARTICVLVS X.

Vtrum vnio duarum naturarum in Chriſto ſit facta per gratiam.

PRima concluſio. Si gratia accipiatur pro gratuita Dei voluntate, huiuſmodi vnio facta eſt per gratiam, quia facta fuit ſine præcedentibus meritis per gratuitam Dei voluntatem.

Secunda concluſio. Si nomine gratiæ intelligatur gratia habitualis, vnio duarum naturarum in Chriſto non fuit facta per gratiam. Probatur, quia licet ad operationem ſupernaturalem, ſiue ad eius perfectionem requiratur, quòd potentia ſit perfecta per habitum, tamen vt eleuetur ad eſſe ſuppoſiti Diuini, nullus prærequiritur, nec præintelligi poteſt habitus, immò nec diſpoſitio: quia ante ipſum eſſe non intelligitur aliquid, in quo talis habitus, vel diſpoſitio præcedat. Sed humana natura per vnionem hypoſtaticam eleuatur & trahitur ad ipſum eſſe perſonale Verbi Diuini: ergo talis vnio duarum naturarum in Chiſto non fuit facta per gratiam habitualem.

Notandum, quòd prima concluſio huius articuli communiter recipitur ab omnibus Theologis, de qua agendum erit ex profeſſo articulo ſequenti. 1

gruum erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.

DISPVTATIO XV.

Vtrum de facto humanitas, vel anima Christi meruerit de condigno, vel ſaltem de congruo vnionem hypoſtaticam cum Verbo.

4 Suarez diſp. 10. ſect. 3. PRIMA ſententia eſt, quam refert M. Suarez, quòd videlicet Chriſti anima ſeu humanitas de cōdigno vel de congruo meruit aſſumptionem ſuam. Sed ipſe in dicto ſecundo contrariam ſententiam defendit, aſſerit tamen, ex locis ſcripturæ non ſatis colligi poſſe, animam Chriſti vel eius humanitatem non meruiſſe ſuā aſſumptionem, ſed ſolum deduci ex ſcriptura probabili argumento. Et paulo inferius referens quædam loca Sancti Auguſtini, in quibus videtur docere, id eſſe de fide, ea in alium ſenſum interpretatur. Pro eadem ſententia arguitur.

Primo. Anima Chriſti & eius humanitas, prius natura quàm vniretur Verbo, habuit propriam exiſtentiam creatam: ergo ante aſſumptionem in illo priori naturæ potuit operari actionem liberam informatam gratia & charitate; ergo per talem operationem potuit mereri ſuam vnionem hypoſtaticam cum verbo. Patet conſequentia, nam ad operationem non eſt intrinſecè neceſſarium, vt procedat à ſuppoſito, ſed ſufficit, quòd procedat à natura ſingulari & exiſtente. Ariſt. enim. 1. meth. cap. 1. non dixit, actiones eſſe ſuppoſitorum, ſed ſingularium: ergo de facto meruit ſuam vnionem hypoſtaticam cum Verbo. Probatur iſta conſequentia. Nam, cum habere vnionem hypoſtaticam ex proprijs meritis ſit perfectius, quàm eam ſine meritis obtinere: ſi per potentiam abſolutam potuit humanitas Chriſti ſuam vnionem cum Verbo promereri, abſque eo, quòd pro aliquo inſtanti temporis ea caruerit, tribui debet huiuſmodi perfectio & dignitas eidem humanitati Chriſti.

Secundo. Angelus per proprium actum ſupernaturalem in eodem inſtanti temporis, in quo creatus eſt, ſe ipſum diſpoſuit proxime ad gratiam habitualem, quam à principio ſuæ creationis accepit, vt 1. p. docet Sanctus Thomas. Similiter etiam primus homo in primo inſtanti ſuæ creationis ſeipſum diſpoſuit vltimate ad gratiam in qua fuit conditus, vt docet idem Sanctus Doctor prima parte quæſt. 95. art. 1. ad 5. Ergo ſimiliter humanitas Chriſti per actum ſupernaturalem liberi arbitrij ſe diſpoſuit ad gratiam vnionis conſequendam: huiuſmodi enim diſpoſitio non oportet, vt tempore præcedat formam, ad quam diſponit, ſed ſufficit, ſi antecedat ordine naturæ in genere cauſæ materialis. Sed omnis diſpoſitio vltima à ſubiecto grato procedens, eſt de congruo meritoria illius boni, ad quod eſt diſpoſitio: ergo humanitas Chriſti ſaltem de congruo meruit ſuam vnionem hypoſtaticam.

5 S. Tho. 1. p. quæſ. 62. art. 2. ad 3. & art. 3.

Confirmatur. Non eſt de ratione meriti, quòd tempore antecedat ipſum præmium, ſed ſufficit prioritas naturæ ex parte ipſius meriti, vt patet in eo, qui per actum charitatis intenſum vt octo, mereatur augu-

augumẽtum habitus, vbi in eodem inſtanti temporis eſt meritum & præmium: quia tale meritum ſolum ordine naturæ antecedit illud præmium: ergo per actum charitatis ſolum ordine naturæ antecedentem vnionem hypoſtaticam, potuit humanitas Chriſti eam mereri.

6 Tertio. Non habetur expreſſum in ſacris litteris vel Concilijs, humanitatem Chriſti non meruiſſe vnionem ſuam cum Verbo, neque ex illis colligitur per euidentem conſequentiam, ſed ſolum per probabilem: ergo oppoſitum poterit probabiliter ſuſtineri. Antecedens probatur: nam omnia loca ſcripturæ, ex quibus habetur, incarnationem Verbi fuiſſe donum gratuitũ, & non ex præcedentibus meritis collatum, poſſunt abſque erroris periculo in eo ſenſu explicari, vt excludantur noſtra merita præcedentia, non autem merita humanitatis Chriſti. Id enim videtur inſinnare Apoſtolus ad Titum. 3. cum ait: [Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei non ex operib⁹ iuſtitiæ quæ fecimus nos.] quibus verbis ſolum excludit merita noſtra: ergo non cogimur aſſerere, incarnationem fuiſſe factam ſine vllis meritis humanitatis Chriſti, ordine dumtaxat naturæ, vnionem hypoſtaticam antecedentibus. Tit. 3.

7 Secunda ſententia eſt Medinæ dub. 1. huius articuli, vbi ait, eſſe certum ſecundum fidem, Chriſtum non meruiſſe vnionem hypoſtaticam, & idem videtur ſentire de eius humanitate, quamuis loquatur de merito de condigno. Pro huius difficultatis reſolutione ſit

PRima concluſio. Si loquamur de merito de condigno, certiſſimum eſt, humanitatem Chriſti nõ meruiſſe per bona opera, etiam ordine naturæ dumtaxat antecedentia, vnionem hypoſtaticam cum Verbo. Et oppoſita ſententia eſt periculoſa in fide, & valde proxima errori.

Probatur primo teſtimonijs Sacræ ſcripturæ, quæ in præſenti refert Medina, in quibus myſterium incarnationis appellatur ſimpliciter gratia, & donum gratuitum. Vnde & vnio hypoſtatica appellatur gratia vnionis. nec poſſunt explicari, ita vt ſolum excludantur merita noſtra, non autem humanitatis Chriſti: nam gratia magis directè excludit merita eius cui confertur, quàm merita alterius, vt patet in gratia quæ nobis confertur. Ideo enim dicitur gratia, quia datur abſque meritis noſtris, licèt conferatur nobis propter merita Chriſti.

Confirmatur. Vnio hypoſtatica reſpectu humanitatis Chriſti fuit vera gratia & maxima quæ illi conferri potuit: ergo donata eſt illi abſque vllis ſuis præcedentibus meritis. Probatur conſequentia; nam vt arguit Apoſtolus Rom. 11. [Si ex operibus, iam gratia non eſt gratia.] & in Pſ. 8. iuxta interpretationem ad Hæbr. 2. dicitur de Chriſto, in quantum homo: [Quid eſt homo, quòd memores eius: minuiſti eum paulo minus ab Angelis, &c.] Quibus verbis non obſcurè ſignificatur, humanitatem Chriſti abſque eius meritis exaltatam fuiſſe, & aſſumptam ad eſſe perſonale Verbi. Item etiam: nã prædeſtinatio Chriſti, de qua loquitur Apoſtol. Rom. 1. [Qui prædeſtinatus eſt filius Dei,] facta fuit ante omnia merita præuiſa eiuſdem humanitatis, aliàs non fuiſſet omnino gratuita, & 8 Rom. 11. Pſal. 8. Hæbr. 2. Rom. 1.

con-

conſequenter etiam prædeſtinatio noſtra, cuius eſt exemplar Chriſti prædeſtinatio, non eſſet gratuita; quod tamen nullatenus poteſt concedi. Sequela probatur: nam vnio hypoſtatica eſt obiectum prædeſtinationis Chriſti, in quantum eſt homo. Etenim per ipſam prædeſtinationem ordinata fuit humanitas ad ipſum eſſe perſonale Verbi, & hoc fuit ſummum & maximum beneficium eidem humanitati præparatum à Deo: ergo ſi vnio hypoſtatica humanitatis Chriſti facta fuit ex præcedentibus meritis illius, ſequitur, quòd prædeſtinatio Chriſti fuerit ex præcedentibus meritis.

9 S.Aug. Secundo probatur auctoritate Sancti Auguſtini, qui noſtram concluſionem tanquam ex ſacris litteris deductam ſæpiſſime docet, ſed præſertim lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. vbi ait: [Eſt etiã præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ, ipſe Saluator, ipſe mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus; qui vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparuit? Reſpondeatur quæſo. Ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus Filius Dei vnigenitus eſſet, vnde hoc meruit? quod eius bonum qualecumque præceſſit? quid egit ante? quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret?] Et lib. de correct. & gratia cap. 11. expreſſe docet, Deum animam rationalem, carnemque hominis ſuſcepiſſe, nullis iuſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis. Iuſtitię ſuę, inquit, vt excludat non ſolum merita noſtra; ſed etiam merita ipſius Chriſti, vel humanitatis eius. Et ſtatim ſubdit hæc verba: [Neq; enim quiſquam tanta rei huius & fidei cæcus eſt ignorantia.]

Reſpondet Suarez, Auguſtinum ſolum loqui contra Photinum & alios, aſſerentes, Chriſtum prius extitiſſe purum hominem iuſtum, & ſuis bonis operibus meruiſſe vnionem ſpecialem cum Deo. Sed hæc ſolutio non euacuat vim argumenti: nam Sanctus Auguſtinus locis inductis principaliter intendit Pelagianorum hæreſim impugnare, aſſerentium gratiam ſecundum merita noſtra dari, & vt hanc hæreſim impugnet, deducit argumentum ex prædeſtinatione Chriſti, inquantum eſt homo, & ex gratia vnionis hypoſtaticæ, quæ humanitati Chriſti fuit collata nullis eius præcedentibus meritis. Neq; enim contra Photinum agit principaliter, vt conſtat ex cap. 15. citato de prædeſt. Sãctorum. Nam paulo poſt verba inducta ſubdit: [Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundum vniuſcuiuſque menſuram ſe per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicũque Chriſtianus: qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo Spiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo Spiritu factum eſt, vt nullum haberet ille peccatum. Hæc ſe Deus eſſe facturum profecto præſciuit. Ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit, quam negare quis poteſt rectè intelligentium eloquia veritatis?] Non ergo principaliter contra Photinum, ſed contra hæreſim Pelagianam, Sanctus Auguſtinus libro de prædeſtinatione Sanctorum

Suarez. 10

Digitized by Google

ctorum & de correptione & gratia conſcripſit, quamuis obiter in locis inductis hæreſim etiam impugnet Photini. Secundo reſpondetur, quòd dato & non conceſſo, quòd principaliter intendèret errorem Photini damnare, nihilominus Sanctus Auguſtinus ex eo probat, humanitatem non fuiſſe aſſumptam ex meritis, quia non prius tempore extitit, quàm fuerit aſſumpta: ergo iuxta ſententiam Auguſtini, impoſſibile eſt, humanitatem Chriſti meruiſſe de condigno ſuam vnionem cum Verbo, niſi prius tempore, quàm vniretur, extitiſſet in rerum natura: ſed ſecundum fidem catholicam humanitas Chriſti non prius tempore extitit in ſe ipſa, quàm in Verbo: ergo, &c.

11 Nec ſufficit reſpondere, ſententiam Auguſtini non eſſe per ſe ſufficientem ad faciendam concluſionem de fide: nam ex principijs S. Auguſtini, quæ negari non poſſunt, per formalem conſequentiam infertur noſtra concluſio: nec oppoſita debet probabilis reputari. Accedit ad hoc, quòd S. Auguſtinus ibi probat noſtram concluſionem; quia ſumma gratia, ſcilicet gratia vnionis, & prædeſtinatio Chriſti non fuit ex præcedentibus meritis humanitatis eius, aliàs gratia illa ſumma non eſſet gratia, quia, vt Rom. 11. arguit Apoſt. [ſi ex operibus, iam gratia non eſt gratia.] Hæc autem argumentatio eſt efficaciſſima; ergo. Denique probatur concluſio rationibus adducendis pro ſequenti concluſione.

12 SEcunda concluſio. Etiam de congruo non meruit humanitas Chriſti vnionem ſuam hypoſtaticã cum Verbo. Hæc concluſio non eſt ita certa, ſicut præcedens; eſt tamen valde conformis ſacris litteris, & oppoſita, eſt improbabilis, & ſacris ſcripturis parum conſentanea. Probatur rationibus factis pro concluſione præcedenti. Præterea probatur. Humanitas Chriſti non meruit etiam de congruo ſuam prædeſtinationem, aliàs prædeſtinatio eius non fuiſſet omnino gratuita; ergo non meruit de congruo vnionem hypoſtaticam.

Secundo. Omnis operatio etiam de congruo meritoria alicuius præmij, neceſſariò præſupponit de facto eſſe in cauſa efficiente, quidquid ſit de potentia abſoluta; nam cauſa efficiens non operatur, niſi in quantum eſt actu; ſed humanitas Chriſti non habuit eſſe ſubſiſtentiæ vel exiſtentiæ prius natura, quàm vniretur Verbo, vt ſupra dictum eſt; ergo nullam habuit actionem meritoriam etiam de congruo ſuæ vnionis cum Verbo.

Confirmatur. Nã de facto, vt cauſa efficiens operetur, debet habere non ſolũ exiſtentiam, ſed etiã ſubſiſtentiã: quia operationes ſunt ſuppoſitorũ, vt ait Damaſcen. lib. 3. fid. Ortho. c. 15 Et aſſumitur hæc propoſitio in ſua diſputatione à Ioanne Theologo in Conc. Flor. ſeſſ. 18. & habetur ex Ariſt. lib. 1. de anima, c. 4. textu. 64. eſtque expreſſa S. Thomæ infra. q. 19. ar. 1. ad 3. & ad 4. ſed ſecundum fidem Catholicã, humanitas Chriſti prius natura, quàm vniretur Verbo, nullam habuit ſubſiſtentiam, cum ſolum ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi: ergo.

AD primũ argumentum in oppoſitũ reſpõdetur ex dictis, 13 humanitatẽ Chriſti nullam habere exiſtentiam creatam, vt ſupradictum eſt. Dicitur ſecundo. Dato, & non conceſſo, humanitatem Chriſti

in

in priori naturæ extitiſſe per exiſtentiam creatam; nullam tamen actionem meritoriam potuit producere, antequam ſubſiſteret per ſubſiſtentiam Verbi. Primo, quia ante vnionem hypoſtaticam nulla præceſſit gratia habitualis vel actualis in humanitate Chriſti, ſine qua actio non eſt meritoria. Gratia enim habitualis ex vnione hypoſtatica quaſi per ſimplicem reſultantiam fuit ſubſequuta, vt in articulo vltimo huius quæſt. docet S. Thomas. Secundo. Nam actiones ſunt ſuppoſitorum & non formarum etiam exiſtentium, niſi vt quo: Ariſt. enim vbi ſupra pro eodem ſumpſit naturam ſingularem & ſuppoſitum. Vnde, cum humanitas ante vnionem hypoſtaticam non fuerit in aliquo ſuppoſito, principium effectiuum operationis meritoriæ eſſe non potuit.

Ariſt.

14 Ad ſecundum, quod magis vrget, eſt inter Thomiſtas duplex modus dicendi. Primus eſt Capr. 2. d. 4. qu. 1. quòd ſcilicet Angelis collata eſt gratia in primo inſtanti ſuæ creationis per modum naturæ abſq; media diſpoſitione liberi arbitrij. Idem docet Sotus, de gratia collata primo parenti. Et iuxta hanc ſententiam dicendum eſt à fortiori, in humanitate Chriſti nullum præceſſiſſe actum liberi arbitrij, quo ſe ad vnionem hypoſtaticam præpararet, vel eam de congruo meruerit. Secundus modus dicendi eſt Caiet. & Ferr. Aſſerunt hi auctores, Angelis fuiſſe gratiam collatam media diſpoſitione liberi arbitrij, à Deo excitati & moti auxilio ſpeciali, per quam ſe ad gratiã præparauerunt. Idem dicunt de primo parente. Et eſt ſententia expreſſa S. Thomæ 2. d. 29. q. vnica. art. 2.

Sot. lib. 1. de nat. & gratia c. 5.

Caiet. 22 q. 24. art. 3. ad 3. Ferrar. 3. cont. gẽt. c. 110.

vbi ait, quòd homo in primo inſtãti ſuæ creationis ad Deum conuerſus, gratiam conſequutus eſt. Secundum hanc ſententiam, quæ eſt multo probabilior, reſpondetur, quòd nõ eſt eadem ratio de humanitate Chriſti, reſpectu gratię vnionis. Nam ante huiuſmodi gratiam nullum intelligitur eſſe ſubſiſtentię vel exiſtentiæ in humanitate Chriſti: & ideo nullam potuit habere diſpoſitionẽ liberam, quæ ipſam antecederet vnionem, etiam ordine naturæ, vel qua ſe ad vnionẽ hypoſtaticam præpararet. Cæterum in Angelis, & in primo parente ante gratiam iuſtificantem præceſſit eſſe in priori naturæ. Vnde per auxilium Diuinum potuerunt actu libero ſe ad gratiam ſuſcipiendam præparare. Sed tamen huiuſmodi diſpoſitio & præparatio non erat meritoria etiam de congruo iuſtificantis gratiæ; nam Sanctus Thomas 1. 2. q. 114. art. 6. ſolum concedit, quòd merito congrui poſſit quis alteri mereri primam gratiã, non autem ſibi. Ratio eſt; nam omne meritum etiam congrui fundatur in dignitate perſonæ & in gratia habituali, vt ex profeſſo oſtenditur in 1. 2. q. 109. art. 6. & qu. 114. art. 2. & 4. S.Tho.

Et ſi quis inquirat, an ſaltem Chriſtus, vel eius humanitas per actum liberum ſe diſpoſuerit ad gratiam habitualem conſequendã; quidam Thomiſtæ partem defendunt affirmatiuam, ea moti ratione, quia ante gratiam habitualem habuit eſſe perſonale Verbi, & per conſequens potuit habere liberam actionem, qua ſe ad gratiam iuſtificantem præpararet, ſicut Angeli, & primus parens. Reſpondent alij, inter quos eſt Bañ. p. p. qu. 62. 15

36 art. 3. di b. 2. ad 4. quòd gratia habitualis ſequebatur in Chriſto ex hypoſtatica vnione quaſi per ſimplicem reſultantiam, & ideo collata fuit per modum naturæ abſque præcedete diſpoſitione libera; quia naturalia non præſupponunt liberã diſpoſitionem. Hæc autem non habẽt locum in Angelis neque in primo Parente. Sed hæc ſententia eſt contra Sanctum Thomam infra q. 34. art. 3. vbi probat ex profeſſo, quòd Chriſto Domino in primo inſtanti data eſt gratia, mediante diſpoſitione liberi arbitrij, ſicut confertur adultis: quia huiuſmodi ſanctificatio eſt perfectior, quàm ſanctificatio puerorum, quæ fit abſque propria diſpoſitione liberi arbitrij, ſicut eſt perfectior actus, quàm habitus. Et ex hoc principio concludit, Chriſtum in primo inſtanti ſuæ conceptionis meruiſſe. Ad rationem Magiſtri Baij. reſpondetur, gratiam habitualem reſultaſſe in anima Chriſti ex gratia vnionis per modum naturæ, quo ad aliqua, non tamen quo ad omnia, ſicut reſultat paſſio ex ſubiecto, vt infra patebit. (S. Tho.)

36 Ad confirmationem ſecundi argumenti reſpondetur, quòd ratio, propter quam negamus, humanitem Chriſti meruiſſe vnionem hypoſtaticam, non eſt, quia meritum & premium numquam poſſunt eſſe ſimul tempore: ſed quia ante vnionem hypoſtaticam, nullum habuit eſſe, vel operationem liberam, vt ſupra dictum eſt. Et præterea, quia vnio hypoſtatica non potuit eſſe principium effectiuum meriti, & terminus eiuſdem meriti, vt diſputatione ſequenti manifeſtum fiet.

Ad tertium reſpondetur, ex locis ſcripturæ, niſi in alienum ſenſum retorqueantur, non ſolum per probabilem conſequentiam, ſed argumento efficaci, noſtram deduci concluſionem, vt ex ſupra dictis conſtat.

DISPVTATIO XVI.

Vtrum ſaltem de potentia abſoluta Chriſtus vnionem hypoſtaticam ſuæ humanitatis cum Verbo promereri potuerit.

1 NOTANDVM eſt, quòd, ſi humanitas Chriſti prius tempore, quàm à Verbo aſſumeretur, habuiſſet propriũ ſuppoſitum, quod de potentia Dei abſoluta fuiſſe poſſibile omnes fatentur; tunc de potentia eadẽ abſoluta per opera informata gratia & charitate, potuiſſet vnionem ſuam hypoſtaticam cum Verbo mereri, ſi Deus, illis operibus huiuſmodi mercedem & præmium promiſiſſet: quia in hoc nulla apparet contradictionis implicatio. Punctus ergo difficultatis eſt; ſuppoſito quòd humanitas Chriſti nõ fuit producta prius tempore, quàm vniretur Verbo, ſicut de facto contigiſſe docet fides Catholica: vtrũ per opera antecedentia in priori naturæ, vel ſubſequentia ipſam incarnationem, potuerit Chriſtus Dominus vnionem ſuæ humanitatis cum Verbo promereri. Partem affirmatiuam valde probabilem eſſe reputat M. Suarez vbi ſupra, ſectione 4. & eam ſequitur & probat ſequentibus argumentis. Suarez.

Primo,

Primò; nam de facto data eſt gratia antiquis Patribus propter merita Chriſti, nondum exercita, 2 ſed tantum præuiſa: ergo ad rationem meriti nõ eſt intrinſece neceſſarium, quòd in re ipſa antecedat præmium; ſed ſufficit, quòd ſit meritum præuiſum à præmiante ante ipſum præmium: ergò potuit Chriſtus per opera bona ſubſequentia ipſam incarnationẽ, eam mereri.

Secundo. Non implicat contradictionem, velle Deum ita conferre humanitati gratiam vnionis, vt nõ omnino abſolutè eam donet, ſed quaſi ſub conditione, & dependenter à futuris operibus, & in prẽmiũ eorum, atque adeo, vt, licet tempore vel natura antecedat vnio hypoſtatica, non ſit per modum gratiæ gratis datæ, ſed per modum anticipatæ ſolutionis: vt ſi Rex tribuat militi arma, & equum in ſtipẽdium futuri laboris & militiæ, & quaſi in præmium meritorũ eodem equo, & armis futurorũ: ergo ſimiliter, &c.

3 Confirmatur: nam argumenta, quæ adducuntur pro contraria ſententia, non eam demonſtrant: ſed in his quæſtionibus, quæ pertinent ad potentiam Dei abſolutam, vt non exiſtimetur aliquid eſſe impoſſibile, ſufficit, quòd impoſſibilitas non probetur euidenter: ego, &c.

Tertio, Poſtquam Deus prædeſtinauit, & præuidit Chriſtum habiturum infinita merita, potuit non exequi incarnationẽ Verbi, niſi intuitu illorum meritorũ, quia Deus liberè operatur, & poteſt, prout vult ſua dona conferre; ergo merita Chriſti præuiſa potuerunt eſſe cauſa incarnationis, quo ad eius exercitium, & exequutionem.

Cõfirmatur. Ex eiſdem meritis, eodem modo prẽuiſis, parauit Deus viam incarnationi exequendæ, & & dedit gratiã Beatæ Virgini, qua eſſet dignè Mater Verbi incarnati: ergo ex illis meritis potuit ipſa incarnatio Verbi exequutioni mandari.

Oppoſitã ſententiam tenẽt communiter Thomiſtæ, quam ego reputo veriſſimam: ſiue loquamur de merito congrui, ſiue condigno. Et Sanctus Thomas in prima concluſione non obſcurè loquitur etiam de potentia Dei abſoluta. Et quidem quòd per opera antecedentia in priori naturæ non potuerit Chriſtus mereri ſuam incarnationem; ſatis conſtat ex dictis, diſputatione præcedenti. Quòd autem eam mereri non potuerit per opera ſubſequentia, probatur. 4

Primo. Nam ipſa incarnatio, ſiue vnio hypoſtatica humanitatis cũ Verbo eſt principiũ primum, & radicale effectiuum omnium meritorum Chriſti. Nam, vt ſupra dicebamus, quælibet operatio meritoria neceſſario præſupponit eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ ſuppoſiti operantis; ergo implicat, quòd ſit terminus meriti ipſius Chriſti. Probatur conſequentia; nam impoſſibile eſt, quòd idem reſpectu eiuſdem ſit primum principium effectiuum meriti, & terminus meriti: aliàs enim idem reſpectu eiuſdem eſſet ſimpliciter prius & poſterius, quod ſic oſtenditur. Nam principium effectiuum eſt ſimpliciter prius ſuo effectu. Cum ergo perſona compoſita Chriſti, reſultans ex vnione hypoſtatica, ſit cauſa efficiens operationis ſuæ meritoriæ, relinquitur, quòd ſit prius ſubſiſtens in duabus naturis, quàm ſit eius meritũ. Rurſus, meritum eſt ſimpliciter prius quàm præmiũ: nam eſt via ad præmium

minum; via autem antecedit terminum abſolute loquendo. Ergo, ſi Chriſtus meruiſſet vnionem hypoſtaticam ſuæ humanitatis cum Verbo, idem eſſet ſimpliciter prius & poſterius reſpectu eiuſdem. Confirmatur. Nam, vt docet Sanctus Thomas, prima gratia non poteſt cadere ſub merito hominis, habentis illam; quia eſt primum principium effectiuum meriti in nobis; & ita non poteſt eſſe terminus eiuſdem meriti: ſed gratia vnionis fuit in Chriſto prima gratia ſimpliciter, & primum principium effectiuum merendi, antecedens ſimpliciter meritum Chriſti: ergo, &c.

1.2.q.114 art.5.

5 Secundo probatur. Si Chriſtus per bona opera ſubſequentia incarnationem, potuit eamdem de condigno mereri; ſequitur, quòd de facto eam meruerit: conſequens eſt contra omnes Thomiſtas, & contra auctores oppoſitæ ſententiæ: ergo, &c. Sequela probatur. Omnis excellentia, & dignitas, quæ potuit communicari humanitati Chriſti, de facto fuit ei communicata: ſed habere aliquid ex merito de condigno, eſt nobilius, & excellẽtius, quā id habere ſine proprio merito, vt docet Sanctus Thomas infra, & aſſignat rationẽ. Nam qui habet aliquid per meritum, habet illud quodam modo per ſeipſum; qui autem ſine merito, habet illud per aliud. Nobilius eſt autem aliquid habere per ſe ipſum, quā habere per aliud: ergo ſi humanitas Chriſti, vel ipſe Chriſtus per opera ſequentia incarnationem, potuit de condigno eam mereri; ſequitur, quòd de facto meruerit illam. Confirmatur: nam ex eadem ſententia ſimiliter ſequeretur, Chriſtum per opera ſequentia incarnationem meruiſſe de facto eſſentialem beatitudinem ſuæ animę, quam quidem habuit ab inſtãti ſuæ conceptionis: quod tamen infra manifeſtum fiet eſſe falſum.

quęſt.59. art.3. in

6 AD primũ negatur vltima conſequentia. Ratio diſcriminis eſt; nã gratia collata antiquis Patribus ante incarnationem Verbi, non pendebat ex meritis Chriſti in genere cauſæ efficientis, ſed finalis, quatenus videlicet Deus, reſpiciens ad merita Chriſti futura; quem vt finem reſpiciebat lex antiqua, ſecũdum illud Rom. 10. [finis legis Chriſtus in ſalutem omni credenti] Patribus antiquis gratiã conferebat. Cauſa autem finalis cauſat, ſecundũ quod eſt in apprehenſione intellectus, antequam ſit in re. Cæterum ſi Chriſtus Dominus meruiſſet ſuã incarnationem, neceſſarium eſſet, vt ipſa incarnatio, & Chriſtus ſubſiſtens in duabus naturis, eſſet principium effectiuum meriti ipſius incarnationis; & ideo incarnatio nõ potuit eſſe terminus eiuſdem meriti. Implicat enim, quòd idem ſit principium effectiuũ meriti, & terminus meriti. vt docet S.Tho.

1.1.q.119 art.5.&7.

7 Ad ſecundũ negatur antecedens, & ad exemplum inductũ de Rege, dante arma militi propter merita futura, reſpondetur, ꝙ in illo exemplo meritum militis, ſeu bonus vſus armorum, vel equi, non dependet efficienter ab ipſis armis, vel equo, anticipata ſolutione collatis, in prȩmium futurorum laborum; ſed procedit à virtute propria, & induſtria ipſius militis. Vnde non repugnat, quòd anticipata ſolutio data poſſit eſſe præmium meriti futuri, & terminus illius. Cæterum gratia vnionis eſt primum principium effectiuũ cuiuſcunque meriti Chriſti Domini, & ideo nõ potuit eſſe terminus

nus

Digitized by Google

nus eiuſdem meriti, aut præmium illius. Propter hanc rationem Sanctus Thomas docet, eſſe impoſſibile, quòd merita ſequentia effectum prædeſtinationis, ſint ratio prædeſtinationis, vel meritum illius; quia id, quod eſt ex gratia, eſt prædeſtinationis effectus. Implicat autem, quòd idem reſpectu eiuſdem in eodem genere cauſæ, ſimul ſit cauſa & effectus. Et ad exemplum de Rege reſpondet ibidem Sanctus Thomas per diſcrimen aſſignatum.

1. p q. 23. arc. 5. in corp.

Ad confirmationem patet ex dictis, qualiter rationes adductæ pro noſtra ſententia oſtendant, fuiſſe impoſſibile, Chriſtum Dominum per opera ſequẽtia incarnationem, eam de condigno meruiſſe.

8 Ad tertium reſpondetur, Deum quidẽ liberè operari, & prout vult ſua dona conferre; ſed tamen, ſuppoſito quòd ſemel ordinauit & voluit, vt gratia vnionis eſſet in Chriſto primum principium effectiuum meriti, antecedens ſaltem ordine naturæ quodcunque meritum illius, non erat compoſſibile ſeu factibile, quòd gratia vnionis eſſet terminus eiuſdem meriti, aut præmiũ illius.

DISPVTATIO XVII.

Vtrum Sancti, præcedentes tempore incarnationem Chriſti, eam de congruo meruerint.

1 PARS negatiua probatur primo. Illi nõ meruerũt de condigno ſuam prædeſtinationem, nec primam gratiam habitualem: ergo nec incarnationem Chriſti. Patet conſequentia: nam Chriſtus & eius incarnatio fuit cauſa prædeſtinationis, & primæ gratiæ habitualis non ſolum Sãctorum Patrum, ſed etiam omnium hominum, qui ſunt ab eo redempti. Ergo ſi antiqui Patres meruerunt de congruo incarnationem, meruerunt etiam effectus, qui ex illa ſunt ſequuti. Cum ergo prædeſtinatio antiquorum Patrum, & gratia illis collata, fuerit effectus prædeſtinationis Chriſti, & incarnationis Verbi; ſequitur, quòd meruerint ſuam prædeſtinationem & gratiam, ſi de congruo meruerunt Chriſti incarnationem.

Confirmatur. Prima gratia habitualis, quę nobis cõfertur, nõ cadit ſub noſtro merito etiã de congruo; q̃a in nobis gratia habitualis eſt primũ principiũ merendi; ſed ſimiliter Verbi incarnatio fuit primũ principium, in quo fundabatur, & radicabatur omne meritum Sanctorum Patrum; nam à Chriſto habuerunt efficaciam & virtutem merendi: ergo ipſa incarnatio nõ potuit cadere ſub merito de cõgruo, reſpectu antiquorum Patrum, vel cuiuſcunque alterius hominis. 2

Secundo arguitur. Patres antiqui non meruerunt de cõdigno incarnationem, vt fatentur communiter Theologi: ergo nec de cõgruo. Patet conſequentia; nam eorũ merita procedebant à gratia habituali, & conſequẽter erant ordinis ſupernaturalis, ſicut eſt incarnatio; ergo habebant condignitatem eiuſdẽ ordinis cum illa: ergo ſi meruerunt incarnationẽ merito congrui, potuerunt eam mereri de cõdigno; nam ad cõdignitatem meriti ſufficit, quòd ſit eiuſdẽ ordinis cũ præmio, & procedat à ſubiecto grato.

Tertio. Incarnatio fuit beneficiũ 3

omni-

omnino gratuitum, vt Scriptura teſtatur: ergo fuit collatum mundo abſque vllis Sanctorum præcedentibus meritis etiam de congruo: quod enim redditur propter merita præcedentia, non donatur omnino gratis, etiamſi merita ſint de congruo, vt patet ex Apoſt. Rom. 11. [Si ex operibus iam gratia non eſt gratia.] Rom. 11.

Quarto. Vel Patres antiqui meruerunt incarnationem Verbi, quo ad ſubſtantiam ipſius incarnationis, vel quo ad eius accelerationē, ſiue quo ad aliquas circumſtantias vel effectus illius: nullum horum dici poteſt: ergo, &c. Minor probatur, quo ad primam partem, quia non meruerunt Chriſti prædeſtinationem; ergo neque incarnationem Verbi, quo ad ſubſtantiam. Quòd autem eam non meruerint, quo ad circumſtātias temporum, &c. probatur. Nam ſequeretur, quòd decretum efficax, quo Deus ſtatuit mittere in mundum filium ſuum, fuerit dependens ex præſcientia meritorum antiquorum Patrum, ac per conſequens exequutio illius decreti eſſet dependens ex eiſdem meritis, quod tamen videtur incōueniens. Probatur hoc manifeſtè. Nā ex vi illius decreti, vt antecedit merita præuiſa Sanctorum Patrū, non fuit determinatum tempus ipſius incarnationis: nam hæc determinatio ponitur dependēs ex meritis Sanctorum Patrum: ergo ex vi eiuſdem decreti, non fuiſſet mandata exequutioni ipſa incarnatio. Non enim potuit exequutioni mandari, niſi in determinato tempore, & cum determinatis circumſtātijs.

Si dicatur, ante præuiſa merita fuiſſe etiam tempus incarnationis determinatum, ſed poſtea propter merita Sanctorum Patrum fuit acceleratum huiuſmodi tempus; Contra: nam ſequeretur, quòd Diuinum conſilium atque decretum, quo ante præuiſa merita Sanctorum Patrum erat diſpoſitum tempus incarnationis, fuiſſet mutatum poſt eadem merita præuiſa: quod eſt impoſſibile, nam hoc eſſet ponere in Deo mutationem.

Quinto. Homo per opera mere naturalia, non poteſt mereri etiam de congruo gratiam, vel quòd citius vocetur ad fidem, quàm aliàs vocaretur; quia opera naturæ ſunt inferioris ordinis ad gratiam; ſed etiam totus ordo gratiæ creatæ eſt inferior, quàm ordo gratiæ increatæ, ſiue vnionis hypoſtaticæ: nam in infinitum diſtat ab illa; ergo nullum opus iuſti procedens à gratia habituali, potuit mereri etiam de congruo vnionem Verbi hypoſtaticam, vel eius accelerationem. In contrarium eſt tertia concluſio Sancti Thomæ.

In hac difficultate ſunt tres opiniones potiſſimæ. Prima docet, antiquos Patres, & omnes iuſtos, qui anteceſſerunt Verbi incarnationē, meruiſſe quidem eamdem incarnationem, quo ad eius accelerationē, non autem quo ad eius ſubſtantiā. Et loquuntur de merito congrui. Ita Gabr. Bonauentura, & Marſil. Hæc tamen ſententia non videtur admittenda; eam enim efficaciter impugnat quartum argumentum ſuperius propoſitum cum ſua confirmatione. Gabr. 3. d. 1. q. 1. S. Bo. eadem diſt. q. 2. a. 2. Marſ. 3. qu. 5.

Secunda ſententia aſſerit, antiquos Patres meruiſſe non ſolum accelerationem incarnationis, ſed etiam eius ſubſtantiam: non quidem abſolute & ſimpliciter, ſed quo ad aliquem eius effectum, videlicet

delicet quo ad apertionẽ ianuæ Regni cæleſtis, non autem quantum ad eius primum effectũ, qui fuit remiſſio culpæ, & iuſtificatio. Hanc ſententiam docet etiam Sãctus Bonauentura, vbi ſupra, & Alexander Alenſ. & addit Bonauẽtura, Patres antiquos meruiſſe de cõdigno apertionem ianuæ Regni cæleſtis, ſiue incarnationẽ, quo ad iſtum effectũ.

Alex 3.p q 9.mẽb. 3.

Fundamẽtum potiſſimum huius ſententiæ eſt; nam gratia habitualis Sanctorum Patrum & eorum iuſtificatio fuit effectus incarnationis neceſſario pręſuppoſitus ante quodcunque meritum ipſorum Patrum, cum ſine gratia iuſtificante meritum conſiſtere non poſſit: ergo Patres antiqui non meruerũt, nec mereri potuerũt incarnationem Chriſti, quo ad hũc effectum, qui eſt eorum iuſtificatio. Apertio autem ianuæ cæleſtis non anteceſſit merita Sanctorũ Patrum, ſed multo tempore fuit poſterior: ergo illi per opera procedentia à gratia, mereri potuerunt de condigno incarnationem, quo ad iſtum effectum.

7 Sed hæc ſententia alijs Doctoribus non probatur, & contra illam arguitur, Primo. Nam mereri de condigno apertionem ianuæ cæleſtis, quæ clauſa fuerat per peccatum, pertinet ſolũ ad illum, in quo eſt gratia capitis: nam huiuſmodi effectus eſt bonum vniuerſale & cõmune toti generi humano. Ergo nullus alius præter Chriſtũ, qui eſt caput Eccleſiæ, potuit mereri pręſertim de condigno, apertionem ianuæ cæleſtis: non ergo meruerũt Patres antiqui incarnationem, quo ad iſtum effectum. Secundo. Apertio ianuæ regni cæleſtis eſt vnum opus ex potiſſimis noſtræ redemptionis, quod ſubinde ſubſequutum eſt ex paſſione & morte Chriſti, vt docet Sanctus Thomas infra q. 49 art. 5. Sed redemptio generis humani facta eſt per ſolum Chriſtum, abſque alterius hominis conſortio, iuxta illud Eſa. 63. [Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.] Vnde ad Corinth. ſcribens. ait Apoſtolus. [Nũquid Paulus pro vobis crucifixus eſt:] Similiter etiam redemptio generis humani facta eſt per Chriſtũ, abſque pręcedentibus meritis Sanctorũ Patrũ: ergo.

S. Tho. *Eſa.63.* 1.Cor. 1.

8 Tertia ſententia eſt Sancti Thomæ in hoc art. & in 3. d. 4. quæſt. 3. art. 1. ad 2. & 4. & in 3. ad Anibaldum ead. d. 4. q. vnica art. 4. Quibus in locis aperte docet, Patres antiquos meruiſſe de congruo incarnationem, & quo ad ſubſtantiam, & quo ad eius accelerationẽ. Ita enim loquitur ad Anibaldum. Sequuntur hanc ſententiam omnes Thomiſtæ præſertim Aſturic. q. 5. de Chriſti gratia pag. 482. M. Sotus lib. 2. de iuſtitia & iure q. 1. art. 3. concl. 3. & à nobis eſt explicãda & defendẽda.

9 Notandum primo ex Sancti Thomæ, & omnium Thomiſtarum ſententia, quòd ad meritum de condigno quatuor requiruntur cõditiones. Ptima eſt, quòd ille, qui meretur, ſit in gratia. Secunda, quòd actus meritorius formaliter, vel virtualiter fiat propter Deum ſumme dilectum. Tertia, quòd ex inclinatione & directione ipſius gratiæ, & charitatis ordinetur per ſe ad conſequendum illud bonum, quod cadit ſub merito. Nec ſufficit, quòd per accidens ex intentione operantis, ad id dirigatur. Quarta, quòd adſit diuina promiſſio, & pactum, reddendi illud præmium pro actu meritorio; quia meritum de condigno nõ fundatur in ſolo valore operis,

S.Tho. 1. 2.q. 114. ar.1. & 3

ris, quem habet ex gratia, ſed etiã in promiſſione Diuina, vt docet Caiet. 1. 2. quæſt. 114. art. 1. & ibi Sanctus Thomas ad 3. argumẽtum: & ratio huius eſt; nam cum meritum de condigno pertineat ad iuſtitiã, & Deus nihil debeat alicui; oportet, quòd adſit diuina promiſſio, vt ipſe Deus cõſtituat ſeipsũ debitorẽ.

Ex hoc ſequitur, quòd merito de condigno debeatur præmium ex iuſtitia ſaltẽ imperfecta, iuxta illud, quod ait Apoſtolus: [Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.] Cæterum ad meritum de congruo non requiruntur omnes iſtæ conditiones, ſed ſufficit prima & ſecunda, & quòd ex libertate operãtis actus ordinetur ad conſequendum illud bonum, quod cadit ſub merito de congruo. *2. Tim. 4.*

10 Notandum ſecundo, quòd meritum de condigno eſt propriè, & ſimpliciter meritum; meritum autem congrui non eſt propriè meritum, ſed largo modo, vt ait Sanctus Thomas 3. d. 4. q. 3. art. 1. fin. c. ſecundum quod omnis præparatio ad aliquid habendum, dicitur meritum congrui. Ex his colligitur duplex differentia inter meritum congrui, & meritum de condigno. Prima eſt; nam meritum de congruo nullam inducit obligationem ex iuſtitia etiam imperfecta, ſed tantum dicit debitum amicabile ſecũdum leges amicitiæ: meritum autem de condigno inducit debitum ex iuſtitia ſaltem imperfecta. Secũda differentia eſt; nam meritum de condigno infallibiliter acceptatur à Deo, & niſi mortificetur per peccatum ſemper conſequetur ſuum effectũ. Hoc autem non competit merito congrui, quia lex amicitiæ non eſt ita ſtricti iuris, ſicut lex iuſtitiæ: nec exigit neceſſario lex amicitiæ, quòd amicus in omnibus morem gerat amico, & impleat eius voluntatem, vel ei concedat quicquid petierit. *S. Tho.*

Notandũ tertio, quòd congruitas eſt duplex. Altera quæ tantũ ſe tenet ex parte Dei, & miſericordiæ ipſius, & de hac congruitate loquitur Sãctus Thomas, dum ait: [Videtur congruũ, vt homini operanti ex libero arbitrio ſecundum ſuam virtutem, Deus recõpenſet ſecundum excellẽtiam ſuæ virtutis.] Ibi enim ex parte operãtis nulla eſt congruitas, vel meritum de congruo. Alia eſt congruitas, quam facit lex amicitiæ, & hæc non ſolum ſe tenet ex parte Dei miſericorditer acceptantis, ſed etiam ex parte hominis iuſti operantis. Et ideo eius operatio dicitur mereri de congruo illud bonum, ad quod obtinendum ex intentione operãtis formali, vel virtuali ordinatur: & ſecundũ iſtum modum omnes iuſti & Patres antiqui ſuis bonis operibus, & orationibus meruerunt de cõgruo incarnationem Verbi, & eius accelerationem. 11 *1. 2. q. 114. art. 3. in corp.*

12 His ſuppoſitis, probatur concluſio. Ad meritum cõgrui ſufficit ex parte merentis, quòd opus procedat à gratia & charitate, atque ex intẽtione ſaltẽ implicita ordinetur ad conſequendum illud bonũ, quod cadit ſub merito; ex parte autẽ ipſius præmij ſatis eſt, quòd nõ ſit primum principium effectiuum meriti eiuſdem, antecedens ipſum meritum: ſed omnes iuſti, præſertim Sancti Patres, qui tempore anteceſſerunt aduentũ Chriſti, erãnt in gratia, & charitate, & ordinabant explicitè vel implicitè ſua bona opera, præſertim orationes & lacrymas ad obtinendã incarnationẽ Verbi: omnes enim habuerunt fidem ſaltẽ implicitam vnius mediatoris & Sal-

Saluatoris Chriſti. Similiter incarnatio, vt exhibita in re, fuit poſterior, tempore, meritis Sanctorũ Patrum, & ſub hac ratione nõ fuit cauſa efficiens eiuſdem meriti: nam cauſa efficiens præſupponit exiſtentiam in re; quia vnumquodque operatur in quantum eſt actu: ergo potuit incarnatio eſſe terminus de congruo eiuſdem meriti.

13 Confirmatur. Meritum de congruo fundatur in legibus amicitiæ, ſecundum quas congruum eſt, vt amicus amicum exaudiat, quando petit quæ iuſta ſunt, præſertim ſi ad propriam libertatem & ſalutem expediant: ſed Sancti Patres erant Dei amici, & inſtanter petebant, vt filium ſuũ ad liberandum genus humanum à captiuitate peccati, mitteret in carne mortali; ergo congruum erat, vt propter eorum orationes & merita Verbum carnem humanam aſſumeret, & veniret. Id

Pſal. 11. quod inſinuaſſe videtur Pſal. 11. cũ dicit: [Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in ſa-

Eſa. 19. lutari, &c.] Et Eſaiæ 19. [Clamabũt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.] ergo.

14 AD primum in oppoſitũ negatur conſequẽtia. Nã prædeſtinatio & gratia habitualis antiquorum Patrum anteceſſit omne meritum eorum, & erat principium effectiuum eiuſdem meriti. Vnde non potuit eſſe terminus ſeu præmium illius. Cæterum incarnatio Chriſti, vt temporali exequutioni mandata, fuit poſterior merito Sanctorum Patrum, & ſub hac ratione non erat principium effectiuum eiuſdem meriti. Et ideo potuit de cõgruo eſſe terminus & præmium illius. Et per hæc reſpondetur ad confirmationem.

Ad ſecundum negatur conſequentia; nam plura requiruntur ad meritum de condigno, quàm ad meritum de congruo. Requiritur enim Diuina promiſſio, & quod ex inclinatione ipſius gratiæ & charitatis meritum ordinetur ad conſequendum illud bonum, quod cadit ſub merito de condigno, vt dictum eſt. Sed contra iſtam ſolutionem eſt argumentum. Sequitur, quòd ſaltem de potentia Dei abſoluta Sancti antiqui potuerint de condigno mereri incarnationem Verbi. Nam Deus potuit in præmium meriti eorum promittere incarnationem.

Reſpondet Medina, concedendo 15
intentum argumenti, neque id reputat inconueniens. Reſpondetur ſecundo, & melius, negando ſequelam, ſi ſermo fiat de merito de condigno condignitate intrinſeca ipſius operis meritorij. Ratio eſt; nã, cum incarnatio Verbi ſit bonum ſimpliciter infinitum, meritum autem puræ creaturæ, etiam vt procedit à gratia habituali, ſit ſimpliciter finitum, non poteſt habere intrinſecam condignitatem cum tanto præmio: ſed condignitas deſumeretur extrinſecè ex ipſa promiſſione Diuina. Vnde in tali caſu meritũ eſſet conditio neceſſario prærequiſita ex parte merentis ad conſequendum illud præmium; non autem eſſet proprie de condigno, condignitate intrinſeca ipſi operi.

Ad tertium dicendum. Cum 16
meritum de congruo ſuperius explicatum non exeat leges amicitiæ & gratiæ, ſed in illis fundetur, nullam inducit obligationem iuſtitiæ. Vnde non obſtat, quo minus incarnatio

natio Verbi fuerit donum Dei ſummè gratuitũ, eo vel maximè, quoniam omne meritum Sanctorum Patrum efficaciam habuit ex futura incarnatione Verbi à Deo præcognita, & in ſua prædeſtinatione diſpoſita.

Ad quartum reſpondetur, Patres antiquos meruiſſe de congruo exequutionem incarnationis quo ad ſubſtantiam, & quo ad eius accelerationem. Neque ex hoc ſequitur, quod meruerint Chriſti prædeſtinationem: nam prędeſtinatio Chriſti præceſſit in præſcientia & diſpoſitione Diuina omne meritum Sanctorum Patrum, ſicut Sanctus Stephanus meruit de congruo, vt Paulus vocaretur ad fidem & conuerteretur, iuxta illud, quod dicit Auguſtinus: [Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum Apoſtolum nõ habuiſſet.] Et tamẽ Stephanus non meruit etiam de congruo prædeſtinationem Pauli.

17 Ad aliam impugnationem, quæ magis vrget, reſpondetur, Deum ante præuiſa merita Sanctorum Patrum ſuo æterno conſilio diſpoſuiſſe futuram incarnationem Verbi, cum omnibus circumſtantijs loci & temporis, quod inſinuaſſe videtur Apoſtolus ad Galat. 4. cum ait. [Vbi venit plenitudo temporis (id eſt quando impletum eſt tempus à Deo ſtatutum,) miſit Deus filium ſuum.] Sed in exequutione voluit, vt Sãcti Patres ad eamdem incarnationem recipiendam præpararentur meritis, orationibus & lachrimis, atque ardẽti deſiderio aduentus Domini: & hæc præparatio in gratia & charitate fundata, fuit meritum congrui incarnationis, & accelerationis eiuſdem, quatenus videlicet congruum erat, ne incarnatio lõgiori tempore tardaretur.

Contra hanc ſolutionem obijcitur. Eodem modo philoſophandum eſt de meritis reſpectu exequutionis, ſeu donationis rei quæ fit in tempore, & de meritis prædeſtinationis æternæ; quia idem ordo quẽ res ſeruant in tempore ſecundum cauſam, & cauſatum, ſeruari debet in ipſa præſcientia, & prædeſtinatione Dei: ergo, ſi Patres antiqui meruerunt de congruo exequutionem incarnationis Verbi, etiam meruerunt eius prædeſtinationem; & ſimiliter è conuerſo, ſi non meruerunt de congruo prædeſtinationem incarnationis Verbi, etiam non meruerunt realem eius exequutionem. 18

Hoc argumentum arbitratur M. Vaſquez eſſe efficaciſſimum, ad quod tamen facile reſpondetur, negando antecedens: etenim vt in libro de auxilijs diſput. 37. & 110. latiſſime oſtendi, Deus ante præuiſa merita prædeſtinauit in intentione efficaciter homines ad gloriam, & tamen in exequutione nulli adulto confertur gloria abſque præcedentibus meritis gratiæ: quam ſententiam eſſe expreſſam S. Auguſtini in libro noſtro de auxilijs diſp. citata probaui, vbi etiam alia multa, quæ ad maiorem explicationẽ, & confirmationem huius ſolutionis conducunt, videri poterunt. M. Vaſq. 1. p diſp. 14 cap. 6 & ſeq.

Sed contra. Huiuſmodi meritum videtur impertinenter conſtitui: nam etiam ſublato tali merito, adhuc facta fuiſſet incarnatio tempore per Diuinum conſilium ſtatuto. Reſpondetur. Sicut contingit, Regem firmato animo apud ſe ſtatuiſſe condonare vitam homini ad mortem iuſtè damnato, nihilominus vt honorabiles faciat ſuos amicos, 19

micos,

micos, diſpoſuit, vt illam gratiam inſtanter ab ipſo petant, & ad eorum petitionem, quod diſpoſuerat, exequitur: ita proportionabiliter in præſenti Deus diſpoſuit per orationes Sanctorum Patrum incarnationem Verbi, ſuo æterno conſilio diſpoſitam, exequutioni mandare, vt ipſum genus humanum in antiquis Patribus honoraret. Nec eſt inconueniens, ipſam exequutionem incarnationis tali tempore duplici titulo fuiſſe factam, ſcilicet propter decretum Dei æternum, quod fuit cauſa efficiens incarnationis; & propter merita de cōgruo Sanctorū, per quæ Mundus ad recipiendā incarnationē fuit diſpoſitus: quod etiam cedit in dignitatem & honorem ipſius incarnationis.

3 Ad confirmationem reſpondetur, Sanctos antiquos non in eo ſenſu meruiſſe anticipationem & accelerationem incarnationis, quaſi anticipata fuerit propter eorū merita hora incarnandi à Deo præfinita; ſed quia Deus diſpoſuit exequutioni mādare incarnationis myſterium tali tempore non ſolum propter efficaciam Diuini decreti, quod fuit cauſa efficiens incarnationis; ſed etiam propter antiquorum Patrum orationes & merita de congruo, quibus meruerunt, ne incarnationis beneficium vltra tēpus à Deo præfinitum differetur.

20 Ad quintum reſpondetur, Operibus naturę nō ex eo capite dumtaxat repugnat eſſe meritoria de congruo primæ gratiæ, quia ſunt inferioris ordinis, ſed etiam quia non procedunt à ſubiecto grato; gratia enim habitualis præſupponitur ad omne meritum etiam de congruo, vt ſupra dictum eſt. Merita autem Sanctorum Patrum procedebant à ſubiecto grato: vnde, licet diſtarent in infinitum ab vnione hypoſtatica, potuerunt eam de congruo promereri. Reſpondetur ſecundo. Quamuis merita Sanctorum Patrum eſſent alterius ordinis ab vnione hypoſtatica, quatenus merita erant quid creatum & finitum; vnio autem hypoſtatica ex parte ſubſiſtentiæ Diuinæ, quæ cōmunicata eſt naturæ humanæ, erat quid infinitum; vtrumque tamen pertinet ad ordinē ſupernaturalem gratiæ: & ex hac parte merita Sanctorum habuerunt aliquā proportionem cum beneficio incarnationis; quam tamen non habent opera naturæ cum gratia; & ideo potuit ſaluari meritum de congruo in operibus Sanctorum Patrum reſpectu incarnationis: non autem in operibus naturæ reſpectu gratiæ.

Ex his, quæ dicta ſunt in hac diſputatione, patet, quid ſit dicēdum ad illam difficultatem: Vtrum B. Virgo meruerit de condigno, an ſolum de congruo, quòd eſſet Mater Dei. Quidam Theologi dicunt eam de condigno id meruiſſe. Ita Gabr. in 3.d.4.q.1.art.3.dub.3. Almainus q.1.dubio 3. Maior.q. 4. & Abulen. Paradoxa 1. cap.34.& 38. 21

Sed contraria ſententia eſt adeo certa, vt oppoſita parum aut nihil probabilitatis habeat. Immo M. Medina dub.2. huius art. concluſ. 3. eā reputat ſcripturis ſacris parū conſentaneā: & probatur eiſdem rationibus, quibus oſtēſum eſt, antiquos Patres non meruiſſe, nec mereri potuiſſe de condigno, ſed ſolum de congruo incarnationem Verbi.

Præterea. B. Virgo non meruit de condigno, ſed ſolum de congruo, quòd Verbum Diuinum naſceretur temporaliter ex ea, vel eſſet eius fi-

Digitized by Google

lius; aliàs meruiſſet de condigno incarnationem Verbi, quæ includitur neceſſario in filiatione temporali, vel in natiuitate, qua ex Virgine natus eſt. Ergo non meruit de condigno eſſe Mater Verbi incarnati. Idem quippe eſt mereri de condigno eſſe matrem Dei, ac mereri de condigno, vt Deus ex illa naſcatur, & ſit eius filius. Verum eſt, quòd merita de cógruo B. Virginis, quibus meruit eſſe Mater Dei & ipsā Verbi incarnationem, fuerunt multo excellentiora, quàm omnia merita Sanctorum Patrum, ſed nō exceſſerūt limites meriti de cōgruo.

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia vnionis fuerit Chriſti naturalis.

1 PRima concluſio. Gratia vnionis & habitualis non fuit Chriſto naturalis, quaſi cauſata ex principijs naturæ humanæ in Chriſto; aliàs conueniret omnibus hominibus, vt dicit Sanctus Thomas in ſolutione ad 3.

Secunda concluſio. Vtraque gratia dicitur Chriſto naturalis. Primo, quia à natura Diuina Chriſti Domini prouenit in naturam eius humanam. Secundo, quia à natiuitate vtramque gratiam habuit eius humanitas.

Explicatio Articuli.

NOtandum, gratiam habitualem non habuiſſe in Chriſto proprie loquẽdo rationem propriæ paſſionis, reſpectu gratiæ vnionis; quia propria paſſio eadem actione producitur cum ſubiecto, vel principio, à quo dimanat: gratia autem habitualis non fuit producta etiam ſecundario per eamdem actionẽ, qua Verbum Diuinum fuit vnitum ſubſtantialiter humanitati; ſed per aliam actionem, qua Chriſti humanitas fuit formaliter iuſtificata, mediante propria diſpoſitione liberi arbitrij, vt ſupra dictum eſt.

2 Dubium tamen eſt: Vtrum gratia vnionis vel habitualis dicatur Chriſto naturalis abſolutè & ſine addito. Videtur, quòd non: nam Auguſtinus in Enchir. cap. 40. ait: [in humanæ naturæ ſuſceptione fit quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis, qua nullum poſſit admittere peccatum.] Quem locum adducit Sanctus Thomas in argumento, ſed contra. Et idem S. Thomas in corpore articuli dicit; [Vtraque gratia poteſt dici naturalis, quaſi proueniens in naturam humanam Chriſti, cauſante Diuina natura ipſius. Illa autem dictio [quodammodo] & [quaſi,] eſt dictio diminuẽs: Ergo gratia vnionis vel habitualis non debet dici ſimpliciter Chriſto naturalis, ſed cum addito, & ſecundum quid. Dubium.

Secundo arguitur. Angelis & primo Parenti data eſt gratia à natiuitate, hoc eſt à primo inſtanti creationis, vt ſæpè docet S. Thomas: & tamen gratia non fuit illis naturalis; ergo, ex eo quòd gratia vnionis & habitualis cōpetat Chriſto à natiuitate, non rectè infert Sanctus Thomas, eſſe illi naturalẽ. S. Thom.

Confirmatur. Si Adam non peccaſſet, gratia conueniret eius filijs à natiuitate ex vi natiuitatis, ſicut modo illis communicatur peccatum originale cum natura per generationem: propter quòd Apoſtolus

lus ait: [Eramus natura filij iræ,] id eſt à natiuitate: & ſapiētiæ 12.] [Naturalis malitia eorum.] & tamen in illo caſu gratia non eſſet naturalis ſimpliciter filijs Adæ, ſed ſecundum quid ; ergo ſimiliter, quamuis gratia competat Chriſto à natiuitate ex vi natiuitatis, non erit ſimpliciter illi naturalis.

Reſpondetur tamen, quòd ſimpliciter & abſolutè vtraque gratia dicenda eſt naturalis Chriſto Domino, propter rationes Sancti Thomæ. Præterea: nam vtraque gratia competit Chriſto à principio intrinſeco actiuo, ſcilicet virtute naturæ Diuinæ, quæ intrinſecè competit Chriſto Domino: ergo eſt ſimpliciter illi naturalis. Probatur conſequentia; quia naturale dicitur, quod eſt à principio intrinſeco.

Ad primum argumētum reſpondetur. Illa dictio, quemadmodum, vel, quaſi, non eſt dictio diminuens aut diminutiua, ſed explicatiua, & appoſita eſt à Sancto Auguſtino ad ſignificandum, gratiam competere Chriſto Domino naturaliter virtute naturæ Diuinæ, non autem ex principijs naturæ humanæ. Et eodem modo reſpōdetur ad auctoritatem Sancti Thomæ: Nam etiam in Scriptura ſacra illa dictio, quaſi, accipitur in multis locis explicatiuè & non diminutiuè, ſicut Ioan. 1.

Ioan. 1. [Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.]

4 Ad ſecundum reſpondetur. Gratiam datam fuiſſe Angelis, & primo Parenti cum natura concomitanter, ſed nō ex vi natiuitatis, ſicut Chriſto, cui virtute principij intrinſeci actiui, id eſt naturæ Diuinæ, vtraque gratia competebat.

Ad confirmationem, reſpondetur, quòd, vt docet S. Thomas, naturale dicitur dupliciter, ſcilicet cauſatum ex principijs naturæ, & quaſi propagatum cum natura: & iſto ſecundo modo peccatum originale eſt malum naturale, non autem primo modo, vt prima ſecundæ quæſtione 81. art. 2. docet S. Doctor; & idem dicit proportionabiliter de iuſtitia originali, ſi Adam non peccaſſet, vt patet 1. p. q. 100. art. 1. in corpore & ad 2. vbi etiam docet, quòd [non fuiſſet propter hoc gratia naturalis filijs Adæ: quia non fuiſſet transfuſa per virtutem ſeminis; ſed fuiſſet collata homini ſtatim, cum habuiſſet animam rationalem, ſicut etiam ſtatim cum corpus eſt diſpoſitū, infunditur à Deo anima rationalis, quæ tamen non eſt ex traduce.] Cæterum vtraque gratia competit Chriſto Domino à Natiuitate ex virtute principij actiui ipſius natiuitatis, ſcilicet ex virtute Spiritus Sancti, de quo Chriſtus Dominus conceptus eſt: & ideo gratia vnionis & habitualis eſt illi ſimpliciter naturalis. Id quod ſignificaſſe videtur Gabriel Angelus, cum loquens ad Beatam Virginem, dixit: [Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.] Et ideo gratia eſt ſimpliciter naturalis Chriſto Domino, non autem eſſet naturalis filijs Adæ, ſi in ſtatu innocentiæ geniti fuiſſent; quia neque à principio intrinſeco deriuaretur ad illos, neque ex principio actiuo generationis, quod eſt ſemen; ſed ex lege extrinſeca & pacto Diuino. S. Tho. 1. p. 1. 100. ar. 1.

QVAESTIO III.

De modo vnionis ex parte perſonæ aſſumentis.

1 QVONIAM perfecta intelligentia eorum, quæ in hac quæſtione, & ſequētibus docet S. Thomas circa modum, quo perſona Diuina naturam humanam aſſumpſit, vel aſſumere poteſt, depēdet ex cognitione ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ, quæ reperitur in Diuinis: ſolent à multis plures in præſenti quæſtiones pertractari. Prima eſt, Vtrum re vera in Deo ſit vnum eſſe exiſtentiæ abſolutum & eſſentiale. Secunda, Vtrum ſit in Deo triplex eſſe exiſtentiæ relatiuum. Tertia, Vtrum ſit in Deo aliqua ſubſiſtentia abſoluta & eſſentialis. Quarta, Vtrum ſint in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, ſeu perſonales. Sed hæc omnia pertinent ad primam partem, & de illis Deo auxiliāte agēmus ex profeſſo in tractatu de Trinitate, quem diu elaboratum, quàm citius in lucem omittemus, vbi ſpecialiter oſtēdemus, eſſe quidem in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas, & perſonales, & vnam dumtaxat abſolutam, per quam formaliter exiſtunt omnes tres perſonæ: nec eſſe admittendas, vt quidam ſentiunt, tres exiſtentias relatiuas, ſicut nec tres æternitates relatiuas, ſi æternitas accipiatur ſubſtantiuè.

Suarez.

ARTICVLVS I.

Vtrum perſonæ Diuinæ conueniat aſſumere naturam creatam.

PRima concluſio. Proprijſſime competit perſonæ Diuinæ aſſumere naturam creatam. Probatur: Aſſumere eſt ad ſe ſumere; Vnde aſſumens debet eſſe principium & terminus aſſumptionis. Sed perſona Diuina eſt principiū aſſumptionis, quoniam actiones ſunt ſuppoſitorum: item etiam eſt terminus aſſumptionis; nam vnio facta eſt in perſona, vt ſupra dictum eſt: ergo. 2

Secunda concluſio. Proprium eſt Diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, quòd fiat in ea concurſus duarum naturarum ſecundum ſubſtantiam. Hanc concluſionem conſtituit Sanctus Thomas in ſolutione ad ſecundum, & patebit diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO XVIII.

Vtrum, ſaltem de potentia Dei abſoluta, poſſit ſuppoſitum creatum ſuam, propriam & alienam naturā terminare ſubſtantialiter.

HVIVS difficultatis partem affirmatiuā tenet Gabr. 3. Sententiarum diſt. prima q. 2. ar. 3. dub. 5. Ioan. Maior. q. 5. Hocan. qu. 1. dub. vlt. ad 13. Almainus q. 2. dub. vlt. Scotus q. 4. quamuis oppoſitam ſententiā reputet etiam probabilem.

Probatur 1. Nam id nō implicat contradictionem ex parte ſuppoſiti crea-

ti creati; nam reſpectu Dei habet potentiam obedientialem ad omnia, quæ Deus voluerit per illud operari. Nec etiam id repugnat ex parte naturæ, quæ debet aſſumi & terminari; quia natura humana de facto terminatur in Chriſto per alienam perſonalitatem: poterit ergo terminari per alienam perſonalitatem creatam.

Secundo. Vt ſuppoſitum creatum terminet propriam naturam, ſufficit virtus finita. Sit ergo virtus iſta, vt quatuor: ergo ad ſuſtentandam propriam, & alienam naturam, ſufficiet virtus duplicata, nempe virtus vt octo: ſed hanc poteſt Deus cõmunicare ſuppoſito creato; ergo.

Tertio. Cum perſonalitas creata ſit entitas diſtincta à ſua propria natura, poteſt conſeruari à Deo, ſeparata ab eadem natura: ergo poterit Deus ponere illam perſonalitatem in aliena natura, v.g. perſonalitatem, quæ flueret ex humanitate Chriſti, niſi impediretur à Verbi perſonalitate, ponendo in natura Ioannis, atque impediendo ibi perſonalitatem ipſius Ioannis: ergo poterit ſuppoſitum creatum terminare alienam naturam.

2 Oppoſita ſententia videtur expreſſa S.Thomæ in 2. concluſ. huius articuli, quam tenet Durandus in 3.diſt. 1.q.5. Palud.q.1. art.2. Soto, 4.d.9.q.2.art.2. Caietan. & omnes Thomiſtæ, & eam ſequitur M.Suarez diſp.13.ſect.4. M. Vaſquez diſp. 25.cap.3.& 4. ſed tamen in aſſignãdo eius potiſſimam rationem, non omnes conueniunt. Suarez diſp.13. citata §.[Quocirca,] inquit, quòd ſi perſonalitas creata, ſit entitas realiter à natura diſtincta, vt res à re, nulla poteſt ratio inueniri, quæ hanc ſententiam perſuadeat, nimirum ſuppoſitum creatum etiam de potẽtia abſoluta non poſſe ſuam naturam & alienam terminare, & conuincitur tertio argumento. Cæterum ſuppoſito, perſonalitatem eſſe ſolum modum naturæ; hæc eſt, inquit, ſufficiens ratio, quia ſcilicet modus vnius rei ab illa realiter indiſtinctus, non poteſt niſi rem illã, cum qua identificatur, modificare, ſicut figura impoſſibile eſt, vt aliam quantitatem afficiat ſeu terminet præter illam, cum qua identificatur. Nec velocitas poteſt afficere niſi illum motum, cuius eſt modus, & à quo eſt realiter indiſtinctus. Sed hæc ratio, quia multum probat, nihil probat. Ex illa enim ſequeretur, quòd perſona Diuina nõ poſſet terminare alienam naturam. Nam perſonalitas Diuina magis identificatur cum natura Diuina, quàm perſonalitas creata cum natura propria & creata. Ergo ſi ex ratione idẽtificationis realis ſuppoſiti & naturæ cogimur dicere, ſuppoſitum creatum non poſſe per abſolutam Dei potentiam terminare ſuam propriam, & etiam alienam naturam, ſequitur, neque id poſſe Diuinum ſuppoſitum.

Reſpondet M.Suarez, quòd perſonalitas Diuina non ſolum eſt noſtro modo intelligendi modus naturæ: ſed etiam eſt per ſe ipſam perfectiſſima res & actus purus, & ideo poteſt terminare alienam naturam. Hæc tamen ſolutio videtur inſufficiens: nam iuxta illam recurrere oportet ad infinitatem ſuppoſiti, quæ requiritur, vt terminet naturam alienam, & non ad identitatem vel diuerſitatem illius reſpectu naturæ: ergo, quòd ſuppoſitum diſtinguatur vel non diſtinguatur realiter à natura, imperti- 3

nenter ſe habet ad hoc, quòd poſſit, vel non poſſit alienam naturã terminare. Alij verò Theologi alias adducunt rationes, quibus omiſſis, ratio potiſſima eſt, quam inſinuat Sanctus Thomas hic, & conſiſtit in hoc. Nam ſi perſona creata terminaret alienam naturã, neceſſe eſſet, vt concurreret ad eius terminationem, vt cauſa principalis, & non tamquam purum inſtrumentum Dei: ſed impoſſibile eſt per omnem potentiam, vt perſona creata, vt cauſa principalis, terminet alienã naturam: ergo, &c. Maior probatur & explicatur: nam perſonalitatem aliquam terminare alienam naturam, nihil aliud eſt, quàm communicare illi eſſe perſonale propriũ: ergo, ſi perſona creata terminaret alienam naturam, communicaret illi ſuum proprium eſſe perſonale, ac per conſequens eam terminaret & ſuſtentaret, vt cauſa principalis. Quoniam concurrere ad aliquid, vt cauſa principalis, eſt concurrere per propriam virtutem, ſiue per propriam formam, & proprium eſſe. Cauſa enim inſtrumentalis ſolum operatur per motionem principalis agentis. Minor autẽ (quòd ſcilicet perſona creata non poſſit terminare alienam naturam, vt cauſa principalis) probatur. Nam ſicut ad facienda miracula eſt neceſſaria in cauſa principali virtus infinita, quia miracula excedunt omnem facultatem potentiæ creatæ; ita etiam ad terminandam alienã naturam, vt cauſa principalis, neceſſaria eſt virtus infinita in ipſa perſona terminante; quoniam hoc etiam ſuperat omnem facultatem naturæ creatæ: ſed non poteſt communicari virtus infinita perſonæ creatæ, ita vt ſit forma propria illius; ergo impoſſibile eſt, quòd illi communicetur, vt alienam terminet naturam, tamquam cauſa principalis.

6 Confirmatur. Vnio perſonalis & hypoſtatica non fit mediante aliquo accidente, cum ſit vnio ſubſtantialis, vt ſupra dictum eſt: ergo ſi perſona creata terminaret alienam naturam, terminaret illam immediate per proprium eſſe ſuum perſonale, & non mediante aliquo accidente etiam ſupernaturali, atque adeo non terminaret vt inſtrumentum Diuinæ virtutis, eleuatum per motionem ſupernaturalem, ſed vt cauſa principalis, per proprium eſſe & per propriam formam, ſicut omnis cauſa principalis operatur. Et propterea Sanctus Thomas in ſecunda concluſ. aſſeruit, proprium eſſe Diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, quòd fiat in ea concurſus plurium naturarum ſecundum ſubſtantiam: vbi ad infinitatem Diuinæ perſonæ, & non ad identitatem illius cum natura Diuina recurrit, vel ad diuerſitatem, vt probet, quòd perſona Diuina poſſit alienam terminare naturam.

7 Probatur denique. Effectus tribuitur potius cauſæ principali, quàm inſtrumentali; quoniam inſtrumentum non operatur niſi in virtute principalis agentis, & per motionem illius: ergo ſi ſuppoſitũ creatum terminaret alienam naturam, vt cauſa inſtrumentals, Deus eſſet, qui principaliter terminaret illam naturam, & non ſuppoſitum creatum, ac per conſequens illa vnio hypoſtatica fieret cum ipſo Deo. Cum ergo non poſſit ſuppoſitum creatum, vt cauſa principalis, alienam naturam terminare, vt oſten-

oſtenſum eſt, relinquitur, quòd nullo modo poſſit eam terminare etiã de potentia abſoluta, quia non relinquitur alia via, qua id poſſit facere, niſi faciat vt inſtrumentũ, vel tanquam cauſa principalis.

Ex his patet ſolutio ad primum, & ad ſecundum argumentum. Ad tertium reſpondetur, quòd ſiue perſonalitas creata diſtinguatur entitatiuè à propria natura, ſiue non, terminare non poteſt naturam extraneam propter rationem iam aſſignatam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Diuinæ naturæ conueniat aſſumere.

1 Prima concluſio eſt affirmatiua. Probatur; quia virtute naturæ Diuinæ aſſumptio facta eſt.

Secunda concluſio. Eſſe terminũ aſſumptionis non conuenit per ſe primo naturæ Diuinæ ſecundùm ſeipſam, ſed ratione perſonæ.

Tertia concluſio. Secundario poteſt dici, quòd etiam natura Diuina aſſumpſit naturam humanam ad ſui perſonam.

Circa primam concluſionem, notandum eſt, omnes Theologos in hoc cõuenire, quòd vt cauſa principalis, ſolus Deus poteſt eſſe principium effectiuum vnionis hypoſtaticę humanitatis cum Verbo: quod etiam manifeſtè oſtendunt rationes inductæ articulo præcedenti. Præterea; nam illa vnio excedit totam facultatem naturæ non ſolum creatæ, ſed etiam creabilis: ergo nõ poteſt dari aliqua pura creatura, quæ, vt cauſa principalis, attingat effectiue propria virtute vnionem hypoſtaticam.

DISPVTATIO XIX.

Vtrum per modum inſtrumenti potuerit aliqua creatura de potentia abſoluta eamdem vnionem hypoſtaticam efficere.

PARTEM affirmatiuam tenet M. Suarez Diſp. 10. ſect. 1. §. Quocirca. Et 2
addit non ſolum id eſſe poſſibile, ſed etiam de facto B. Virginem effectiuè attigiſſe inſtrumentaliter ipſam vnionem hypoſtaticam humanitatis ad Verbum, & [eſſe pium & probabile] id dicere.

Probatur primo. Deus de facto aſſumit creaturas, vt inſtrumẽtum ad alios effectus ſupernaturales, vt ad tranſubſtantiationem, ad quam concurrit ſacerdos, vt cauſa efficiens inſtrumentalis, & ſimiliter ad iuſtificationem & productionem gratiæ, quæ virtute ſacramentorum confertur. Ergo etiam poterit creaturam, vt inſtrumentum, aſſumere ad vnionem hypoſtaticã, ſi quidem ex parte facti nulla eſt repugnantia.

Secundo probat, quòd de facto 3
B. Virgo fuerit inſtrumentum effectiuum eiuſdem vnionis. Nam de potentia abſoluta potuit hæc dignitas cõmunicari B. Virg. ſed ad dignitatẽ maiorem & excellentiã illius pertinet, quòd de facto fuerit ei communicata: & ſimiliter id fuit expediens, vt verius & proprius concepiſſet & peperiſſet verum Deum. Si enim effectiuè, etiam inſtrumentaliter non habuit aliquem influxum, quo attingeret vnionem hypoſtaticam, propter quam verè affir-

Digitized by Google

affirmamus, quòd Deus ſit homo, & quòd homo ſit Deus, dici non poſſet Beata Virgo cum omni proprietate Mater Dei, vel concepiſſe Deum, ſed Mater humanitatis, ac per conſequens effectiuè ſolum attigiſſet humanitatem.

Confirmatur primo. Deus ſolet vti ſuis creaturis, vt inſtrumentis, quando commode fieri poteſt, & præcipuè quando inſtrumentum eſt tam accommodatum & quaſi propinquum effectui intento: pertinet enim hoc ad ſuauem Dei prouidentiam, & maiorem manifeſtationem omnipotentiæ Diuinæ: ergo, &c.

Confirmatur ſecundo. Nam hæc ſententia eſt valde conſentanea dictis ſanctorum. Nam Ambroſ. epiſtola 82. ſic ait: [Per hominem caro eiecta eſt de Paradiſo, & per Virginem iuncta eſt Deo.] Et oratione de obitu Theodoſij ait: [Beata Virgo fecit, vt inter homines Deus videretur.] & Sanctus Bernardus homilia 4. ſuper Miſſus eſt, docet B. Virginem fuiſſe, quæ benè fermentauit tria illa ſata Euangelica, quia videlicet carnem animæ & diuinitati coniunxit. Et Iſichius, qui habetur in Bibliotheca Sanctorum Patrum, Virginem vocat inſtrumentum incarnationis eius, qui omnia produxit. Hæc tamen ſententia alijs Theologis non placet, nec videtur doctrinæ S. Thomæ conſentanea. Vnde pro reſolutione huius difficultatis ſit

4 PRima concluſio. De facto nulla creatura fuit cauſa effectiua, etiam inſtrumentalis, vnionis hypoſtaticæ humanitatis cum Verbo, ſed ſolus Deus immediatè fuit cauſa efficiens huius vnionis. Itaque nullus Angelus, nullus homo, nec etiam Beata Virgo fuit de facto cauſa effectiua inſtrumentalis eiuſdem vnionis. Et quidem quòd attinet ad Angelos, & homines, concluſio eſt ita certa, vt ipſe Suarez fateatur, eſſe temerarium & erroneum oppoſitum aſſerere. Probatur. Nam Lucæ 1. cum Beata Virgo *Lucę 1.* interrogaſſet: [Quomodo fiet iſtud?] Reſpõdit Angelus: [Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi.] Quibus Verbis ſignificauit, ſola virtute actiua Spiritus Sancti Corpus Chriſti eſſe formandum, & vnionem hypoſtaticam efficiendam. Et Hier. 31. dicitur de incarnatione Verbi: [Creauit Dominus nouum ſuper *Hier. 31.* terram: Fœmina circumdabit virum.] vbi nomine creationis explicuit Verbi incarnationem, quia ſicut ad creandum nullum aſſumitur vel aſſumi poteſt inſtrumentum à Deo, vt cum Sancto Thoma docent omnes Thomiſtæ prima parte quæſt. 45. art. 5. ita Deus ad vnionem hypoſtaticam efficiendam, nullum prorſus inſtrumentum aſſumpſit. Et Lucæ 2. dixerunt Paſto- *Lucę 2.* res: [Videamus hoc Verbum, quod factum eſt, quod fecit Dominus.] Et Eſa. 9. [Zelus Domini exerci- *Eſai 9.* tuum faciet hoc, Verbum miſit Dominus in Iacob.] Et ſimiliter in alijs locis Scripturæ ſolum tribuitur Deo, vt cauſæ efficienti vnio hypoſtatica humanitatis cum Verbo, neque ex aliquo loco Scripturæ colligitur, Deum vſum fuiſſe aliquo inſtrumento ad eamdem vnionem hypoſtaticam efficiẽdam: ergo abſque fundamento id aſſeritur. Denique probatur. Vt docet Sanctus Thomas infra quæſt. 31. artic. 5. & qu. 32. art. 4. in corp. in ipſa Chriſti cõceptione B. Virgo nihil

nihil actiuè operata eſt, ſed ſolum materiã miniſtrauit, quamuis prius actiuè præparauerit materiã, vt eſſet apta conceptioni: ergo multo minus operata eſt aliquid actiuè; quo efficienter attingeret hypoſtaticam vnionem.

SEcunda concluſio. Nulla perſona creata potuit eſſe principiũ inſtrumentale effectiuum vnionis hypoſtaticæ naturæ humanæ cum Verbo. Hanc concluſionem multo probabiliorem reputo, quàm oppoſitam, & probatur. Primo; quia nulla creatura potuit attingere etiam inſtrumẽtaliter ipſum eſſe perſonale Verbi: ergo non potuit eleuari, vt eſſet inſtrumentum vnionis Verbi cum natura humana. Patet conſequentia; nam cauſa inſtrumentalis verè attingit effectum principalis agentis. Antecedens probatur. Eſſe perſonale Verbi eſt infinitum, & ab eo dependet omnis ratio cauſalitatis, quæ poteſt creaturæ competere: ergo nulla creaturea poteſt effectiuè etiam inſtrumentaliter illud attingere, non ſolum producendo ipſum Verbum, ſed etiam effectiuè illud vniẽdo naturæ humanæ: nam etiã ſub hac ratione Verbum Diuinum eſt infinitum, cum naturæ humanæ eſſe infinitum cõmunicet.

Confirmatur. Inter inſtrumentum, & id, ad quod eleuatur, debet eſſe proportio: hac enim ratione probat Sanctus Thomas vbi ſupra, creaturam non poſſe eleuari, vt inſtrumentum ad creandum, quia inter creaturã & ipſum nihil, ex quo per creationem fit aliqnid, nulla eſt proportio: ſed etiam inter creaturam, & eſſe perſoale Verbi nulla eſt proportio, cum diſtent in infinitum: ergo, &c.

6 Probatur ſecundo. Creatura non poteſt aſſumi, vt inſtrumentum, niſi ſupponatur aliquod ſubiectum exiſtens, circa quod operetur, vt docet Sanctus Thomas p.p.q.45. ad legata, ſed vnioni hypoſtaticę nullum ſupponitur ſubiectum exiſtẽs, circa quod poſſit creatura operari. ergo. Minor probatur. hoc ſubiectũ eſſe non poteſt ſuppoſitum Verbi Diuini, quia repugnat illi eſſe ſubiectum mutationis: nec etiam ipſa natura humana, quæ vnitur Verbo: nam ante vnionem hypoſtaticam nullum porſus habuit eſſe ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ, vt Diſp.14. oſtenſum eſt: ergo, &c.

AD primum in oppoſitum negatur conſequentia; nam ex ſcripturis, Concilijs & Patribus, & communi Scholaſticorum ſentẽtia, habemus ad tranſubſtantiationem concurrere inſtrumentaliter perſonam creatam, ſcilicet Sacerdotem conſecrantem, & abſoluentem, & ſimiliter ipſa ſacramenta nouæ legis, quæ efficiunt, quod ſingnificãt; hoc autem nõ habet locum in præſenti, ſed potius ex ſcripturis colligitur oppoſitum. 7

Ad ſecundum reſpondetur, quòd illa dignitas non potuit puræ creaturæ communicari. Inſuper ad excellẽtiam vnionis hypoſtaticæ pertinebat, vt ſola Dei virtute abſque conſortio medij inſtrumenti fieret incarnatio. Ad impugnationẽ reſpondetur, optimè ſaluari, & facile intelligi poſſe, Beatam Virginem eſſe Matrem Dei, & cum omni proprietate verum Deum concepiſſe, abſque eo quòd efficienter attigerit vnionem hypoſtaticam humanitatis cum Verbo, ſicut verè concepit Chriſtum, & peperit, eo quòd præparauit materiam, & eam miniſtrauit, vt virtute actiua Spiritus 8

San-

Sancti formaretur corpus Chriſti, quem poſtea edidit ex vtero. Ratio huius eſt, quam Diſputatio 14. inſinuabamus: nam munus B.Virginis, quòd in conceptione Chriſti exercuit, non fuit terminatum & completum in facto eſſe non ſolum prius tempore, ſed nec etiam prius natura, quàm Verbum Diuinum vniretur naturæ humanæ; nam ipſa generatio tẽporalis Chriſti per ſubſiſtentiam & exiſtentiam Diuinam Verbi terminata eſt & completa,& non per aliquam ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam creatam. Et propterea B.Virgo dicitur cũ omni proprieta-
S. Aug. te Mater Dei. Vnde Sanctus Auguſtinus lib. de fide ad Petrum c. 18. inquit: [firmiſſimè tene,& nullatenus dubites,carnem Chriſti nõ fuiſſe conceptã in vtero Virginis,priuſquam ſuſciperetur à Verbo.] Vide Sanctum Thomã infra q. 31. art.5. & q.32. art.4. & quæſt. 33. art. 3. Ex his patet ſolutio ad primã confirmationem.

9 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, verba Ambroſ. explicanda eſſe in hoc ſenſu, quòd ſcilicet per Virginem caro iuncta eſt Deo,non efficienter attingendo hypoſtaticam vnionem, ſed præparando materiam & miniſtrando, vt dictum eſt. Sic etiam eſt intelligẽdus Bernardus, in quo nullum verbum reperitur, quod ſignificet B.Virginem efficienter vnionem hypoſtaticam attigiſſe. Et in eodem ſenſu verba Iſichij accipienda ſunt. Sed
Obiectio contra tertiam concluſionẽ huius articuli ſe offert argumentum. Ea, quæ competunt Diuinæ naturæ,cõmunia ſunt tribus perſonis: ſed terminare naturam humanam,non eſt quid cõmune tribus perſonis, aliàs Pater eſſet homo, & ſimiliter Spiritus Sãctus: ergo nullo modo cõpetit Diuinæ naturæ terminare naturam humanã, vel eam aſſumere.

Solutio. Reſpondetur ex Sancto Thoma art. 4.huius q. ad 2. & 3.Ea, quæ per ſe primo conueniunt Diuinæ naturæ, communia ſunt tribus perſonis, ſicut creare mundum,& hominem iuſtificare: quæ autem ſecundario conueniunt naturæ Diuinæ, quia videlicet illi competunt ratione alicuius perſonæ,non oportet eſſe cõmunia.Et quia naturæ Diuinæ cõpetit ſecundario terminare naturã humanam ratione perſonæ Verbi, quæ per ſe primo vniuit ſibi naturã humanam, eam terminando; ideo non ſequitur, quòd tribus perſonis conueniat eamdem naturam terminare, vel quòd Pater, vel Spiritus Sanctus ſit homo, vt diſputatione ſequenti manifeſtum fiet.

DISPVTATIO XX.

Vtrum in humanitate Chriſti ratione myſterij incarnationis ſit Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam.

VT titulus quæſtionis manifeſtus fiat,& id, in quo diſſenſio eſt inter Doctores, intelligatur,notandum, omnes Theologos in hoc conuenire, quòd ſola perſona filij ſit incarnata; Pater autem & Spiritus Sanctus non fuerint incarnati. Habetur hæc veritas definita in Cõcilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio,& refertur cap. firmiter de ſumma Trinitate & fide Catholica, Et in Concilio To-

Toletano 6. dicitur: [Solus filius ſuſcepit humanitatē in ſingularitate perſonæ, non in vnitate Diuinæ naturæ, ideſt, in eo, quod proprium eſt filij, non quod commune eſt Trinitati.] Conueniunt etiam omnes Catholici, quòd Pater & Spiritus Sāctus ſint etiam in humanitate Chriſti, ratione immenſitatis, quam habent per eſſentiam ſuam; nam ratione huius immenſitatis, omnes tres perſonæ Diuinæ ſunt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiā, & potentiam, vt 1. p. q. 8. art. 1. & 3. docet Sanctus Thomas. Diſſenſio tamen eſt inter illos, vtrum non ſolum ratione immenſitatis Pater & Filius ſint in humanitate Chriſti, ſed etiam ratione myſterij incarnationis: ita nimirū, vt ſi per impoſſibile Deus non eſſet in omnibus rebus per immenſitatem, adhuc tamen Pater & Spiritus Sāctus eſſent in humanitate Chriſti, ratione myſterij incarnationis. Quidam partem defendunt affirmatiuam, quam probant.

M. Vaſq. diſp. 28. cap. 2. M. Cabrera 3. p. q. 3. art. 1. diſput. 3.

PRimo auctoritate Sanctorum Patrum, qui id expreſſe docere videntur. Etenim S. Ambroſius explicans illud 2. ad Corinthios 5. [Quoniam Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi,] id intelligit de patre, vt Deus, qui dicitur fuiſſe in Chriſto; quod etiam probat ex illo. Ioannis 14. [Quoniam pater in me eſt, & ego in patre, Pater (inquiens) per id intelligitur eſſe in filio, quòd vna eorū ſit ſubſtantia.] ex quo ſic cōcludit: [Recte igitur dicitur; Deus erat in Chriſto, hoc eſt pater in filio, mundum reconcilians ſibi.] vbi quòd pater ſit in Chriſto, non refertur ad immenſitatem, ſed ad vnitatem eſſentiæ, ratione cuius pater dicitur eſſe in Chriſto. Item etiam S. Auguſtinus, in ſermonibus de tempore ſermone Dominicæ 3. aduentus inquit: [Cū ergo vna ſit Deitas, vna ſit diuinitas, impleuit quidem carnē Chriſti & pater & Spiritus Sanctus.] q̄ probat ex illo Ioā. 16. [Non ſum ſolus, ſed pater mecū eſt, &c.] & Lucæ 4. [Ieſus autem plenus Spiritu Sācto regreſſus eſt à Iordane.] Ex quibus verbis concludit: [Ecce ſic ſolus Ieſus Chriſtus ſuſcepit carnē, & tamen pater et Spiritus Sanctus non defuit maieſtate: ſicut cęlum & terram impleuit pater, impleuit & Spiritus Sanctus: carnem Chriſti deſerere nō potuerunt, quando in Deitatis vnitate manſerunt.] Pro eadem ſententia refertur Baſilius Epiſt. 43. vbi id probat exemplo catenę, cuius vnum annulū quis apprehendens, hoc ipſo ſimul & alterū inſertū attrahit. Chryſoſtomus homilia ſuper caput quintum, 2. ad Corinthios. Cirillus epiſt. ad Valerianū, quæ habetur in 6. tomo Concilij Epheſini cap. 17. & lib. 2. in Io. c. 3. & lib. aduerſus Antromorphitas cap. 18. quod ibi probat ex illo Ioan. 14. [Non credis, quia ego in patre, & pater in me eſt?]

Secundo arguunt ratione. Licet perſonæ Diuinæ non eſſent vbique per immenſitatem; ratione tamen myſterij incarnationis, non poſſet Verbum non eſſe in humanitate quam aſſumpſit. Porro autem cum Verbo non poſſet nō eſſe diuinitas, quę à Verbo ipſo ex natura rei non diſtinguitur; cum Diuinitate autē non poſſent non eſſe aliæ perſonæ, quia ex natura rei à Diuinitate nō diſtinguūtur, ratione cuius vna perſona dicitur eſſe in alia, & è contra. Ergo pater & Spiritus Sāctus ſunt in humanitate Chriſti, ratione

my-

myſterij incarnationis.

Tertio. Pater & Spiritus Sanctus ſunt in ſacramento Euchariſtiæ nō ſolum ratione immenſitatis, ſed etiam per concomitantiam ratione ſacramenti, vt docent graues Theologi: ergo etiam in humanitate Chriſti extra ſacramētum ſunt per concomitantiam Pater & Spiritus Sanctus.

Cab. lec. 42. in ca. lit P. Vigueri⁹ in ſumma c. 16 §. 3. verſ. 4. Lanſpergius tractatu de Euchariſtia. Suarez diſp. 51 de Euchariſtia, ſect. 6. in fine.

Oppoſitam ſententiam defendūt multi alij, ſed præſertim Hugo de ſancto Caro in ſpeculo Eccleſiæ §. [poſt hæc igitur incipit ſexta pars;] quam ſequuntur doctiores Thomiſtæ, qui cenſent, Patrem & Spiritum Sanctum non eſſe in Sacramento Euchariſtiæ per concomitantiam, ratione ipſius myſterij, ſeu conuerſionis panis in corpus Chriſti. Et idem conſequenter dicere tenentur de myſterio incarnationis, quòd nimirum Pater & Spiritus Sanctus non ſunt in humanitate Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ eiuſdem humanitatis cum Verbo. Et hæc ſententia eſt S. Thomæ, & multo probabilior ac magis conformis Concilio Tridentino, ideo à nobis explicanda eſt & defendenda: ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd vt 1. p. q. 42. art. 5. docet S. Thomas, in Diuinis Pater eſt in filio, & è conuerſo: tum ſecundum eſſentiam, quia eadem prorſus eſſentia Diuina, quę eſt in Patre, eſt etiam in filio: tùm ſecundum relationem, quia vnum relatiuum eſt in altero ſecundū intellectū: tum etiam ſecundum originē, quia proceſſio Verbi intelligibilis eſt immanēs, & id, ꝙ de verbo dr̄, in verbo continetur. Vnde naturali quadam connexione Pater eſt in Filio, & Filius eſt in Patre. In præſenti autem non loquimur de ijs modis, quo vna perſona diuina eſt in alia, ſed de modo ſacramentali, quo virtute conſacrationis aliquid eſt in ſacramento Euchareſtiæ ſub ſpeciebus panis, ſiue ſit immediate & per ſe, ex vi verborum, ſiue per realem concomitantiam & connexionem cū termino primario tranſubſtationis: & eadem difficultas procedit de myſterio incarnationis. Vt autem ex myſterio Euchariſtiæ ad myſterium vnionis hypoſtaticæ explicandum procedamus, ſit

Prima concluſio. Pater, & Spiritus Sanctus non ſunt ſacramentaliter ſub ſpeciebus panis in Euchariſtia virtute cōſecrationis, ex vi verborum vel per concomitantiam. Et quidem, quòd non ſint ibi ex vi verborū, ab omnibus conceditur. Quòd vero nec per concomitantiam, videtur expreſſa ſententia S. Thomæ infra q. 79. art. 7. ad 3. & probatur primo. Nam Cōcilium Tridentinum ſeſſione 13. cap. 3. enumerat ſigillatim ea, quæ ſunt per connexionem & concomitantiam in ſacramento Euchariſtiæ; & tamen non enumerat inter hæc Patrem vel Spiritum Sanctum. Ergo Pater, & Spiritus ſanctus non ſunt reuera per concomitantiam in Euchariſtia.

Confirmatur. Sacr. Conc. eodem cap. docet, in ſacramento Euchariſtiæ eſſe diuinitatem [propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem.] & S. Thom. 1. Cor. 11. lect. 6. inquit: [Eſt aliquid in hoc ſacramento ex reali concomitantia, ſicut Diuinitas eſt in hoc ſacramento propter indiſſolubilem vnionem ipſius ad corpus Chriſti, licet nullo modo ſubſtantia panis in Diuinitatem conuertatur.] Sed Pater & Spiritus

San-

ctus non habent vnionem hypoſtaticā cum corpore & anima, vel cum humanitate Chriſti: ergo ſecundū mentem Concilij, & S. Thom. Pater & Spiritus Sanctus nō ſunt per cōcomitantiam ſub ſacramento Euchariſtiæ.

Secundo probatur, quia ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd in Euchariſtia verè manducemus & ſacrificemus Patrem, & Spiritum Sanctum. Probatur; nam ſacrificamus & māducamus etiam id, quod eſt in Euchariſtia ſub ſpeciebus ſacramentalibus per concomitantiā. Reſpondet Gabriel, negando conſequentiam: nam ſolum ſacrificamus & manducamus id, quod eſt immediatè per concomitantiam. Pater autem & Spiritus Ssnctus nō ſunt immediate per concomitantiā in Euchariſtia, ſed mediate, quatenus ſunt in filio, qui immediate eſt per cōcomitantiam in Euchariſtia. Eamdem ſolutionem adhibet M. Suarez: contra quam tamen eſt argumentum. Nam Diuinitas non eſt immediate per concomitātiam in Euchariſtia, ſed mediate quatenus eſt noſtro modo intelligēdi forma Verbi, & tamen ſacrificatur De' in Euchariſtia & ſumitur: ergo ſi Pater & Spiritus Sanctus ſunt in Euchariſtia per eamdem concomitantiam, ſequitur, quòd ſacrificemus & māducemus patrem & Spiritum Sanctum; licet ſint ibi mediate per concomitantiam.

Confirmatur hoc ex Diuo Thoma, infra quæſt. 79. art. 7. ad tertium, vbi ait, quòd [in hoſtia conſecrata non ſit, niſi totus Chriſtus,] ſed Pater, & Spiritus Sanctus non ſunt totus Chriſtus, nec pertinent ad perſonam Chriſti, cum ſecundū ſuppoſitum ab eo diſtinguantur: ergo reuera Pater & Spiritus Sanctus nō ſunt ex vi conſecrationis etiam per cōcomitantiam in Euchariſtia.

Secunda Concluſio. Pater & Spiritus Sanctus, quantum eſt ex vi myſterij incarnationis, non ſunt in humanitate Chriſti ſpeciali modo. Probatur rationibus factis pro concluſione præcedenti. Vt enim fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ, eadē ratio eſt, quantum ad hoc, de myſterio incarnationis, quæ de ſacramēto Euchariſtiæ. Sicut ergo in myſterio Euchariſtiæ Pater & Spiritus Sanctus non terminant etiam mediate Sacramētalem conuerſionem, nec ſunt ſub ſpeciebus ſacramentalibus, per realem concomitantiam, ita etiam non terminant mediate vel immediate naturam humanam: ac per conſequens non ſunt in illa ſpeciali modo ex vi myſterij incarnationis. Confirmatur. Pater & Spiritus Sanctus non eſt incarnatus etiam mediate: ergo non eſt ſpeciali modo in humanitate Chriſti ex vi incarnationis. quod enim ſpeciali modo eſt in humanitate Chriſti virtute incarnationis, vere eſt incarnatum, ſaltem mediate; hac enim ratione Deus vere dicitur incarnatus, quoniam ſecūdario terminauit incarnationem, vt diſputatione 21. patebit.

Ad primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, Sanctos Patres ſupra inductos ſolum voluiſſe docere, quòd pater ſit in filio, ſecundum quod eſt Deus, propter naturalem connexionem & identitatem, quam habent cum natura Diuina, & propter alias rationes ſupra aſſignatas ex Sancto Thoma: id quod aperte colligitur ex verbis in argumento inductis, & ex locis ſcripturæ, quæ adducunt

in

in confirmationem ſuæ doctrinæ. Et per hæc patet ſolutio ad 2. ad 3. argumentum: negatur enim antecedens iuxta ea, quæ in prima concluſione dicta ſunt.

ARTICVLVS III.

Vtrum, abſtracta perſonalitate per intellectum, natura Diuina poſſit aſſumere naturam humanã.

1 Concluſio eſt. Abſtractis perſonalitatibus per intellectum, poſſumus intelligere, quòd natura Diuina aſſumat humanã. Probatur. Abſtractis perſonalitatibus, adhuc remanet in natura Diuina omnipotẽtia, per quam facta eſt incarnatio: ergo.

Expoſitio Articuli.

2 Pro intelligentia concluſionis ſupponendum eſt primo, in Diuinis præter tres ſubſiſtentias relatiuas ſeu perſonales, inueniri quãdam ſubſiſtentiã abſolutã, & eſſentialem, tribus perſonis cõmunem, & ſola ratione ratiocinata à ſubſiſtentijs perſonalibus diſtinctam, vt p. p. in tract. d. Trinit. oſtenditur, de quo vid. Ban. ibid. q. 40. art. 4. dub. 2. cõcluſ. 2. & 3. Ratione huius ſubſiſtentiæ abſolutæ potuit Deus, abſtracta per intellectum perſonalitate relatiua, naturam humanam ſua potẽtia abſoluta aſſumere, & terminare.

Notandũ ſecundo, quòd in Deo non debet confundi exiſtentia cum ſubſiſtentia perſonali, vt optime probat Caiet. p. p. q. 28. art. 2. Ratio eſt; nam exiſtentia in Deo eſt perfectio abſoluta, per quam formaliter & immediate exiſtunt tres perſonæ: ſubſiſtentia autem perſonalis eſt formaliter relatiua: vnde in diuinis præter ſubſiſtentiam eſſentialem, ſunt tres ſubſiſtẽtiæ relatiuæ conſtitutiuæ Diuinarum perſonarum, vt eadem p. p. oſtendemus; ergo ſubſiſtentia & exiſtentia non debent inter ſe confundi:

3 Et ſi fiat argumentum: nam, vt docet Sanctus Thomas infra q. 7. art. 2. exiſtentia non pertinet immediatè ad naturam, tanquam ad id, quod habet eſſe; ſed immediatè pertinet ad ſuppoſitũ; ergo exiſtentia Diuina non eſt aliqua perfectio eſſentialis, immediatè pertinens ad naturam Diuinam, ſed perfectio relatiua pertinens ad perſonam: ac per conſequens ſicut in Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ & tres perſonæ, ita erunt cõſtituendæ tres exiſtentiæ relatiuæ. Obiectio

Reſpondetur, de exiſtentia aliter loquendum eſſe in Deo, aliter in creaturis: nam exiſtere eſt de eſſentia Dei; immo id, per quod in ſcripturis formaliter explicatur quidditas naturæ Diuinæ, eſt ipſum eſſe per eſſentiã, vt patet ex illo Exodi 3. [qui eſt miſit me ad vos.] In creaturis autem exiſtere non pertinet ad eſſẽtiam, ſed eſt aliquid ei ſuperadditum, quia non habet eſſe per eſſentiam, ſed per participationem. Vnde exiſtentia in Deo immediatè pertinet ad naturam Diuinam, & perſonæ exiſtũt formaliter per exiſtentiam Diuinæ naturæ: nam cum ſit infinita ſimpliciter, ſufficit, vt per illam exiſtat natura & perſona. In creaturis autem exiſtentia non reſpicit immediatè naturã, ſed perſonam ſubſiſtentem, eo quòd natura ſubſiſtens eſt proprium & immediatum ſuſceptiuum exiſtẽtiæ creatæ. Solutio

tæ. Vnde & ipſa exiſtentia eſt vltima actualitas & naturæ, & ſuppoſiti. Vnde Sanctus Thomas loco adducto loquitur de exiſtentijs, quæ competunt creaturis, vt ex ipſo cõtextu colligitur.

4 His ſuppoſitis, arguitur contra concluſionem S. Thomæ, vt magis explicetur. Primo, Deus, vt præintelligitur tribus perſonis, nõ eſt incõmunicabiliter ſubſiſtẽs: ergo ſub hac ratione nõ poteſt terminare naturã humanam, vel eam aſſumere. Probatur conſequentia: nã terminans naturam humanã debet eſſe perſona, cum omnis homo ſit perſona humana, & conſequenter debet eſſe ſubſiſtens incõmunicabiliter, quia, vt ait Boet. in lib. de duabus naturis, & S. Tho. p. p. q. 29. ar. 1. [Perſona eſt rationalis naturę ĩdiuidua ſubſtãtia.]

Cõfirmatur. Aſſumens naturã humanã dicitur mitti, ſed Diuina natura non poteſt mitti: nam, vt docet S. Thomas p. p. q. 43. art. 4. miſſio in ſua ratione importat proceſſionem ab alio, & ideo Patri non competit mitti, quia nõ eſt ab alio. Cum ergo natura Diuina nõ procedat, nec poſſit ab alio procedere; relinquitur, eã mitti non poſſe, ac per conſequens nec humanam naturam aſſumere.

5 Secũdo. Natura Diuina, vt præintelligitur tribus perſonis, non poteſt aſſumere naturã humanam ad vnionem beatificam, quia, vt p. p. q. 12. oſtenditur, impoſſibile eſt, quòd eſſentia Diuina terminet viſionem beatificam abſque perſonis, vel vna perſona ſine alia: ergo ſimiliter natura Diuina, vt præintelligitur tribus perſonis, non poterit aſſumere naturam humanam ad vnionem hypoſtaticã. Vnio enim hypoſtatica multo perfectior eſt, quã beatifica.

Tertio. Impoſſibile eſt, quòd natura diuina aliquid operetur ad extra, quin id operẽtur oẽs tres perſonæ; quia operari ad extra per ſe primo competit naturæ Diuinæ: quæ autem ſic conueniunt naturæ Diuinæ, communia ſunt tribus perſonis: ergo ſimiliter erit impoſſibile, quòd natura Diuina immediatè aſſumat naturam humanã, quin eam aſſumant omnes tres perſonæ: ergo abſtractis per intellectũ perſonalitatibus, natura Diuina non poteſt aſſumere naturam humanam.

Ad primũ reſpondetur, quòd ad terminãdam naturam ſufficit, quòd terminans intelligatur per ſe ſubſiſtere, ſiue intelligatur ſubſiſtere incõmunicabiliter, ſiue cõmunicabiliter. Nã eo ipſo, quòd per ſe ſubſiſtit, habet, vnde poſſit tribuere ſubſiſtentiam naturæ, quam complet, nec requiritur, quòd ſubſiſtens ſit perſona incommunicabilis.

Ad locum Boetij reſpondetur, illũ loqui de perſona cõpleta, & vltimatè terminata. Ad confirmationẽ reſpondetur cum S. Thoma 3. d. 5. q. 2. art. 3. ad 3. [quòd miſſio non eſt de neceſſitate incarnationis ſimpliciter, ſed de neceſſitate incarnationis filij, vel Spiritus Sãcti, ſi incarnatus fuiſſet; tunc. n. Spiritus Sanctus etiã diceretur miſſus. Pater. n. potuit incarnari, qui tamen nõ põt mitti, vt ait Magiſter ſent. in 3. d. 1.]

Ad ſecundum reſpondetur, quòd etiam natura Diuina, & omnia, quę formaliter ſunt in Deo, ſub eadẽ ratione beatificant animã, ſcilicet ſub vna ſimpliciſſima ratione ſummi veri, aut ſummi boni. Vnde viſio beatifica non poteſt immediate terminari ad hunc Deum, ſiue ad naturam ſubſiſtentem, quin immediatè, & p ſe primo terminetur ad omnes pſonas, & ad ea, quę formaliter ſunt

Digitized by Google

ſunt in Deo, vt p.p. q. 12. oſtēditur. Quòd ſi Deus aſſumeret naturam humanam, vt prçintelligitur tribus perſonis, terminaret eamdem naturam immediatè per ſubſiſtentiā abſolutam, & eſſentialem. Perſonæ autem Diuinæ ſolū terminare poſſunt naturam alienam per ſubſiſtentiam relatiuā, ſicut de facto Verbū terminat naturam humanā, immediatè per ſubſiſtentiā relatiuā filij. Vnde, ex eo quòd Diuina natura vniret ſibi hypoſtaticè naturā humanā in ſubſiſtētia abſoluta, nō ſequitur, quòd immediatè fieret vnio in tali caſu cū tribus perſonis, ſed ſolum ſequitur, quòd mediatè vel immediatè natura humana eſſet vnita tribus perſonis.

Sed contra. Si in Deo eſſet vna tantum perſona Diuina, implicaret contradictionem, quòd natura humana vniretur immediatè naturæ Diuinæ, quin etiam eſſet immediatè vnita Diuinæ perſonæ: ergo & modo. Reſpondetur negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt; nam in illo caſu hic Deus eſſet perſona completa, quia eſſet ſubſiſtens incommunicabiliter: modo autem quamuis Deus ſit per ſe ſubſiſtens ex ſua ratione formali, non tamen eſt ſubſiſtens incommunicabiliter, eo quòd in Diuinis incommunicabilitas competit perſonis propter relationes oppoſitas: Vnde non eſt ſimile.

Ad tertium reſpondetur per ea, quæ dicta ſunt ad ſecundum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum vna perſona Diuina poſſit ſine alia naturam humanam aſſumere.

PRima concluſio. Aſſumptio ex parte principij effectiui, cōmunis eſt tribus perſonis. Probatur: nam actus aſſumentis procedit ex Diuina virtute, quæ cōmunis eſt tribus perſonis: ergo id, quod eſt actionis in aſſumptione, non poteſt conuenire vni tantum perſonæ. 1

Secunda concluſio. Ex parte termini ita conuenit vni perſonæ, ſcilicet Verbo aſſumere naturam humanam: quod non competit alijs perſonis. Probatur: nam terminus aſſumptionis eſt perſona, quæ per proprietatem relatiuam terminat & complet naturam humanam; ſed proprietas perſonalis relatiua non eſt communis tribus perſonis; ergo.

DISPVTATIO XXI.

Vtrum de facto primo & per ſe Verbum terminet naturam humanam per aliquid abſolutum, & eſſentiale, an per aliquid relatiuum & perſonale.

PRIMA ſententia eſt Durandi in 3. Sent. diſt. 1. quæſt. 2. & diſt. 5. q. 1. n. 9. vbi docet, quòd verbum Diuinum terminat immediatè naturam humanam per aliquid abſolutum, & eſſentiale, ſcilicet per ſubſiſtentiam eſſentialem, quæ communis eſt tribus perſonis. Fundamentum potiſſimum eius eſt. Nam Verbum debet terminare naturam humanam per aliquam ſubſiſtentiam, vt omnes Theologi fatentur; ſed in 2

Diui-

Digitized by Google

Diuinis nulla reperitur ſubſiſtentia relatiua perſonalis, ſed ſolum vnica ſubſiſtentia eſſentialis, & abſoluta, quæ communis eſt tribus perſonis: ergo per illam Verbum terminat immediatè naturam humanam.

Minorem huius argumenti probat Durandus ex Auguſtin. 7. de Trinit. vbi docet, [Deum ad ſe ſubſiſtere.] id eſt abſolutè, & non relatiuè.

3 Hanc ſententiam Durandi omnes Thomiſtæ cenſent eſſe pluſquam falſam; nam ex illa ſequeretur per euidentem conſequentiam, quòd Pater, & Spiritus ſanctus eſſet homo, quod eſt contra fidem. Sequela probatur: nam omnia prædicata eſſentialia & abſoluta æqualiter conueniunt tribus perſonis: ergo ea, quæ competunt Deo immediatè ratione alicuius abſoluti, æqualiter dicuntur de tribus perſonis: ergo ſi Verbum Diuinum immediatè terminat naturam humanam & formaliter per ſubſiſtentiam abſolutam communem tribus perſonis, ſequitur, quòd æqualiter omnes tres perſonæ terminent naturam humanam. Et ita Pater eſſet homo, & Spiritus ſanctus eadem proprietate & ratione, qua Filius eſſet homo.

4 Hoc argumentum conatur ſoluere Durandus diſt. 1. quæſt. 4. nu. 6. ait enim, quòd, ſi natura humana vniretur cum Diuina in eodem ſuppoſito relato, quantum ad exiſtentiam, abſque eo quòd vniretur quantum ad proprietatem relatiuam, in tali caſu [eſſet verum dicere, Deus eſt homo, non tamen ſequitur, ergo Pater, vel Filius, vel Spiritus ſanctus, niſi cum hac reduplicatione, ſcilicet in quantum Deus, quod poſſet concedi dummodo ſanè intelligeretur.] Vnde etiam videtur cōcedere, quòd modo de facto Pater & Spiritus ſanctus, in quantum Deus, ſit homo, licet abſolutè, & ſimpliciter ſolus Filius ſit homo. Hæc tamen ſolutio facile impugnatur. Nam hæc conſequentia eſt formalis, Pater, in quantum Deus eſt homo; ergo Pater eſt homo. Conſequens autem repugnat Fidei, vt fatetur Durandus; ergo. Maior probatur. Quodcumque prædicatum reale, & abſolutum, dictum immediatè de eſſentia Diuina in concreto, ſcilicet de Deo, verè & ſimpliciter dicitur de quocumque ſuppoſito illius: ergo, quod prædicatur de aliqua perſona Diuina, in quantum eſt Deus, ſeu ratione Diuinæ naturæ, prædicatur ſimpliciter de eadem perſona, & de alijs perſonis Diuinis. Nam illa dictio, in quantum Deus, non eſt dictio diminuens, ratione cuius, prædicatum competat ſubiecto ſecundum quid, non autem ſimpliciter. Vnde quia creare mundum conuenit tribus perſonis ratione eſſentiæ, nimirum in quantum Deus: ideo abſolute prædicatur de tribus perſonis.

Confirmatur. Quod conuenit realiter Petro, in quantum eſt homo, ſimpliciter, & abſolutè conuenit Petro. Vnde iſta conſequentia eſt bona: Petrus, in quantum homo, eſt rationalis; ergo Petrus eſt ſimpliciter rationalis: ergo ſimiliter, quod conuenit Patri, in quantum Deus, conuenit ſimpliciter Patri, & ita hęc conſequentia eſt bona: Pater, in quantum Deus, eſt homo; ergo Pater eſt homo.

5 Secunda ſententia eſt Capreoli in 3. diſtinct. 1. articulo 1. concluſ. 4. vbi ait, rationem terminandi naturam humanam fuiſſe proprietatem Verbi, & art. 3. in fin. ad argumenta Durandi diſtinguit de ſubſiſtentia & exiſtentia, & ait, humanitatem ſecundum ſubſiſtentiam formaliter & immediatè terminari perſonalitate Verbi, ſed, quo ad exiſtentiam, terminari formaliter per exiſtentiam eſſentialem, quæ eſt in Verbo. Hanc ſententiam ſequuntur Thomiſtæ, qui ſentiunt, in Diuinis nullam eſſe exiſtentiam relatiuam, ſed vnicam dumtaxat abſolutam & eſſentialem, per quam formaliter exiſtit eſſentia Diuina, & omnes tres perſonæ.

6 Hanc ſententiam Capreoli, Magiſter Suarez Diſputat. 12. ſect. 2. eamdem eſſe cenſet cum ſententia Durandi, & ſolo nomine ab ea differre: quia Durandus vocat dependentiam in ſubſiſtendo; Capreolus autem & alij Thomiſtæ eam vocant dependentiam in exiſtendo. Idem iudicium fert Magiſter Vaſquez Diſputat. 26. cap. 2. de ſententia Capreoli, Franciſci à Victoria, & Magiſtri Soto, affirmans, eam non longè abeſſe à ſententia Durandi. Sed eorum impugnatio manifeſtè oſtendit, irrationabiliter ſententiam Capreoli, & Thomiſtarum confundi cum ſententia Durandi, ac ſi ſolo nomine ab ea differret, cum euidenter conſtet, ſubſiſtentiam & exiſtentiam non ſignificare idem formaliter, neque ad inuicem confundi. Aliàs enim ſententia, quæ aſſerit, humanitatem exiſtere in Chriſto formaliter & immediatè per exiſtentiam creatam, ſolo nomine differret à ſententia hæreticorum, qui ponunt, eamdem humanitatem ſubſiſtere in Chriſto per ſubſiſtentiam creatam: quod tamen Suarez & Vaſquez non admittunt, cum ſentiant, humanitatem exiſtere in Chriſto per exiſtentiam creatam, vt Diſputatione 14. dictum eſt, & aſſerant cum Catholicis, eamdem humanitatem non ſubſiſtere per ſubſiſtentiam creatam; ſed per ſolam increatam ſubſiſtentiam Verbi.

Suarez.

Notandum itaque pro huius difficultatis explicatione, quòd in terminante immediatè naturam humanam, poſſumus diſtinguere ipſum terminans, vt quod, & terminans formaliter vt quo, & conditionem neceſſario prærequiſitm, vt terminet.

Prima concluſio. Terminans immediatè, & per ſe primo naturam humanam, vt quod, eſt ſolum verbum Diuinum. Itaque nec natura Diuina terminat immediatè naturam humanam, neque aliquod prædicatum abſolutum; ſed ſolus Filius. Concluſio eſt ſancti Thomæ art. 1. & 2. huius quæſtionis. Et probatur ex Concilio Toletano 6. & 11. in principio, vbi dicitur: [Solus Filius aſſumpſit humanitatem in eo, quod proprium eſt Filij, non quod commune eſt Trinitati.] Secundo. Solus Filius factus eſt homo, vt Fides docet; ergo Filius ſolus, vt quod, terminat per ſe primo naturam humanam. Probatur conſequentia. Nam Filius ea ratione dicitur homo, quia terminat humanitatem immediate: ergo, ſi ſolus Filius eſt homo, ille ſolus per ſe primo terminat, vt quod, humanitatem. Hanc etiam conclu- 7

cluſionem oſtendunt argumenta facta contra ſententiam Durandi.

8 Secunda concluſio. Id, quo per ſe primo & formaliter Verbum terminat humanitatem, eſt perſonalitas propria, ſeu proprietas eius relatiua, per quam conſtituitur in eſſe Filij. Concluſio eſt ſancti Thomæ, quam etiam defendit Scotus in tertio diſtinctione 1. quæſt. quinta, art. 1. Bonauentura, & alij plures Doctores eadem diſtinctione. Et probatur rationibus factis contra Durandum. Nam Verbum non terminat formaliter & immediatè naturam humanam per ſubſiſtentiam abſolutam, vel per aliquid commune toti Trinitati: ergo eam terminat per ſubſiſtentiam relatiuam.

Secundo. Verbum, aſſumendo humanitatem, communicauit illi per ſe primo & immediatè propriam perſonalitatem relatiuam; ita vt humanitas formaliter & immediatè ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi: ergo Verbum per propriam perſonalitatem terminat formaliter naturam humanam: ergo eadem perſonalitas eſt terminans, vt quo.

9 Tertia concluſio. Infinitas perſonæ Verbi eſt conditio, ſeu aliquid neceſſario prærequiſitum, vt Verbum terminet naturam humanam. Hanc concluſionem intendit docere ſanctus Thomas hic articulo primo in corp. cum ait, [proprium eſſe Diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, quòd in ea fiat concurſus plurium naturarum ſecundum ſubſiſtentiam.] Probatur: nam, vt Diſputatio. 17. oſtendimus, ſuppoſitum creatum, etiam de potentia abſoluta, non poteſt alienam ſuſtentare naturam, quia ad ſuſtentandas plures naturas requiritur virtus infinita: ergo infinitas eſt aliquid neceſſariò prærequiſitum in Verbo, vt terminet naturam humanam. Præterea: nam infinitas Verbi non poteſt eſſe immediata & formalis ratio terminandi, alias Verbum immediate terminaret aſſumptam naturam humanam per aliquid abſolutum, cum infinitas ſit prædicatum abſolutum, ſiue eſſentiale, & non relatiuum. Cum ergo infinitas prærequiratur ad ſuſtentandam alienam naturam, ſequitur, quòd ſit conditio neceſſariò prærequiſita, & præſuppoſita.

Quarta concluſio. Verbum Diuinum ita immediatè terminat naturam humanam, tribuendo illi propriam ſubſiſtentiam relatiuam, vt ſecundario tribuat eidem naturæ humanæ exiſtentiam increatam, & abſolutam, qua formaliter exiſtit ipſum Verbum. 10 Hæc concluſio eſt contra Suarez, & Vaſquez, qui arbitrantur, humanitatem in Chriſto exiſtere formaliter per exiſtentiam creatam. quorum ſententia Diſputatio. 14. ex profeſſo eſt impugnata. Noſtram tamen concluſionem intendit docere Capreol. vbi ſupra, imo & S.Thom. art. 2. Ait enim, quòd [eſſe terminum aſſumptionis conuenit naturæ Diuinæ ratione perſonæ; & ideo ſecundario poteſt concedi, quòd etiam natura Diuina aſſumpſit naturam ad ſui perſonam.] Et ſtatim ſubdit, poſſe concedi, naturam Diuinam ſecundario eſſe incarnatam, non quia ſit in carnem conuerſa, ſed quia (ſecundario) naturam carnis aſſumpſit.

11 Præterea probatur. Vt Diſput. 14. oſtenſum eſt, humanitas in Chriſto exiſtit immediatè & formaliter per exiſtentiam increatam, ſed non exiſtit per exiſtentiam relatiuam; nam in Diuinis non dantur tres exiſtentiæ relatiuæ, ſed vnica dumtaxat abſoluta, per quam omnia, quæ formaliter ſunt in Deo, exiſtunt immediatè, vt prima parte, tractatu de Trinitate oſtenditur: ergo humanitas in Chriſto exiſtit formaliter per exiſtentiam abſolutam, qua Verbum exiſtit: ergo Verbum per eamdem exiſtentiam terminat ſecundario naturam humanam. Probatur iſta conſequentia: nam per illud terminat ſecundario, quod ſecundario communicat, ſicut per illud terminat primario, quod per ſe primo communicat.

12 Denique probatur. Concilium Trident. ſeſſ. 13. decreto de Sacramento Euchariſtiæ cap. 3. docet, poſt conſecrationem Diuinitatem eſſe vi naturalis concomitantiæ ſub ſpeciebus ſacramentalibus, propter admirabilem eius cum corpore & anima Chriſti hypoſtaticam vnionem: ergo ſecundum doctrinam Concilij neceſſe eſt dicere, vnionem hypoſtaticam factam fuiſſe ſecundario in aliquo abſoluto, ſcilicet in Deitate; ac per conſequens in exiſtentia Diuina, ſiue in eſſe abſoluto, quod per ſe primo competit Deo.

Obiect. 13 Sed contra hanc concluſionem eſt argumentum, quo Suarez conuincitur. Si vnio hypoſtatica facta eſt in aliquo abſoluto mediatè, vel immediatè, ſcilicet in exiſtentia Diuina, vitari non poſſet, quin ratione talis vnionis Pater haberet ſubſtantiale vinculum & nexum cum carne, & ita dicendum eſſet, quòd Pater aliquo modo ſit incarnatus ſaltem ſecundario, & per concomitantiam. Et idem eſſet dicendum de Spiritu ſancto. Probatur hoc: nam Diuinitas ſecundario eſt incarnata, id eſt, carni hypoſtatice vnita, quia realiter & ſubſtantialiter eſt in Filio: qui per ſe primo eſt incarnatus. Dicitur enim Ioan. 14. [Ego in Patre, & Pater in me eſt.] *Ioa. 14.* Quem locum explicans ſanctus Thomas par. prima, quæſt. 42. art. 5. in corpore ait, quòd ſecundum eſſentiam, relationem, & originem, Pater eſt in Filio, & Filius eſt in Patre: ergo, &c.

Confirmatur & augetur difficultas huius argumenti. Pater & Spiritus ſanctus ſecundario & per concomitantiam ſunt Sacramentaliter in SS. Euchariſtia; quia Diuinitas, cum qua realiter Pater & Spiritus ſanctus identificantur, eſt per concomitantiam ſub ſpeciebus ſacramentalibus: ergo eadem ratione Pater per concomitantiam eſt incarnatus, quia identificatur realiter cum eſſentia, & exiſtentia Diuina, quæ ſecundario eſt carni realiter & hypoſtaticè vnita.

Reſpondetur ad argumentum, Patrem & Spiritum ſanctũ non eſſe etiã per concomitantiam incarnatum; nec eſt eadem ratio de Diuinitate, aut exiſtentia Diuina: nam Deitas, & exiſtentia Diuina eſt idẽ realiter cũ perſonalitate Verbi, & pertinet intrinſecè ad eius ſuppoſitum: ita vt ſecundum ſuppoſitum non diſtinguantur, eo quòd eſſentia, & exiſtentia Diuina pertinent Solutio. 14

tinent

tinent ad idem ſuppoſitum Verbi. Et præterea vnio hypoſtatica humanitatis, quæ per ſe primo facta eſt in perſonalitate Verbi, ſeu eius ſuppoſito, terminatur ſecundario per exiſtentiam Diuinam, ſeu per Deitatem; & ideo humanitas realiter vnita eſt naturæ Diuinæ in ſuppoſito Verbi, quamuis ſecundario. Cæterum Pater & Spiritus ſanctus non eſt idem ſecundum ſuppoſitum, vel ſecundum perſonam cum perſona Verbi, quæ per ſe primo vnita eſt hypoſtaticè naturæ humanæ; & ideo etiam ſecundario aut per concomitantiam, non eſt incarnatus Pater, ſeu carni ſubſtantialiter vnitus: & idem dicendum eſt de Spiritu ſancto.

15 Ad confirmationem Gabr. ſuper Can. Miſſæ lib. 42. reſpondet, Patrem & Spiritum ſanctum poſt conſecrationem eſſe per concomitantiam ſub ſpeciebus Sacramentalibus, non quidem immediatè, ſicut eſt Diuinitas, ſed mediatè, ſcilicet mediante eſſentia Diuina, cum qua identificantur realiter. Idem tenent alij Theologi diſput. 20. allegati. Sed tamen oppoſita ſententia eſt probabilior, & magis ad mentem Concilij Trident. & S. Thom. vt in eadem diſputatione viſum eſt, & iuxta hanc ſententiam facilis eſt ſolutio confirmationis propoſitæ. Dicimus enim, quòd, ſicut Pater & Spiritus ſanctus non eſt ſacramentaliter per concomitantiam in Sacramento Euchariſtiæ; ita non eſt incarnatus etiam per concomitantiam, vel ſecundario. Aliud argumentum proponit Suarez contra ſententiam Capreoli, & Thomiſtarum, quòd tamen iam adductum eſt à nobis, & ſolutum Diſput. 13. ad 7.

16 *Obiectio* Sed eſt aliud argumentum. Pater eſt in Filio aliqua ratione ſpeciali, ſecundum quam non eſt in alijs rebus: ergo aliqua ratione ſpeciali eſt in Sacramento Euchariſtiæ, ſecundum quam non eſt in alijs rebus: ergo ſecundum illam rationem erit ſacramentaliter, ſaltem ſecundario aut per concomitantiam, ſub ſpeciebus conſecratis, ac per conſequens etiam ſecundario eſt incarnatus.

Solutio. Reſpondetur, Patrem eſſe in Filio per identitatem eſſentiæ, & tamquam principium in ſuo principiato ſibi coæterno, & vt relatiuum in conceptu ſui correlatiui, vt prima par. quæſt. 42. cir. docet ſanctus Thomas. In alijs autem rebus non eſt ſic, quia eſſentia Diuina, quæ in Patre eſt, realiter diſtinguitur ab eſſentia aliarum rerum, neque ad creaturas refertur relatione reali. Sed tamen hoc non ſufficit, vt Pater dicatur eſſe ſacramentaliter per concomitantiam in Euchariſtia. Neceſſario enim requiritur, vt id, quod per concomitantiam realem eſt ibi, conſtituat realiter vnum ſecundum ſuppoſitum aut ſubiectum cum termino primario Sacramentalis conuerſionis, ſicut anima rationalis, accidentia, Diuinitas, & Verbum ſunt in Chriſto vnum ſecundum ſuppoſitum; ſed de hoc Diſput. 20. plura dicta ſunt.

17 Ex his facilè reſpondetur ad argumentum factum pro ſententia Durand. Dicimus enim, in Diuinis non tantum eſſe vnam ſubſiſten-

Digitized by Google

tiam abſolutam, ſed etiam tres ſubſiſtentias relatiuas, vt ſupra dictum eſt, & patebit amplius in tractatu de Trinitate: vnde non ſequitur, vnionem hypoſtaticam factam fuiſſe immediatè in ſubſiſtentia abſoluta.

18 Sed pro eadem ſententia Durandi eſt argumentum difficile. Eſſentia Diuina, vt eſt in Patre, eſt ratio ſeu principium quo, generandi Filium, non autem Paternitas; ergo ſimiliter ſubſiſtentia eſſentialis, vt eſt in Verbo, erit ratio immediata terminandi naturam humanam, & non filiatio, ſeu ſubſiſtentia perſonalis. Probatur conſequentia: nam ſicut ſubſiſtentia eſſentialis ſecundum ſe eſt communis tribus perſonis; ita eſſentia Diuina communis eſt tribus perſonis; ergo ſicut hoc non obſtante eſſentia Diuina, vt eſt in Patre, eſt principium formale quo, generationis Verbi, & non vt eſt in Filio Dei; ita ſimiliter ſubſiſtentia eſſentialis, vt eſt in Filio, erit principium formale quo, ſeu ratio terminandi naturam humanam, & non vt eſt in Patre, vel Spiritu ſancto, ac per conſequens per ſubſiſtentiam eſſentialem, Verbum terminat immediatè naturam humanam, & non per proprietatem relatiuam.

19 Reſpondetur, negando conſequentiam. Primo, quia Pater per generationem æternam non communicat Filio ſuam proprietatem, ſeu ſubſiſtentiam perſonalem, ſcilicet Paternitatem: Filius autem per aſſumptionem humanæ naturæ, communicat illi per ſe primo & immediatè ſuam ſubſiſtentiam perſonalem. Vnde Pater in Diuinis generat Filium, ita vt eſſentia Diuina, quam communicat Filio, ſit principium formale quo, generationis. In aſſumptione autem humanæ naturæ oportet, quòd ipſa ſubſiſtentia Verbi, quæ per ſe primo communicatur humanæ naturæ, ſit immediata & formalis ratio terminandi eamdem naturam. Secundo. Quia generare eſt agere; cuius ſubinde principium formale quo, eſt eſſentia Diuina, quatenus eſt in Patre generante. Cæterum terminare naturam humanam non eſt formaliter agere. Vnde non oportet, quòd eſſentia Diuina, vel ſubſiſtentia eſſentialis ſit id, quo formaliter & per ſe primo Verbum terminat naturam humanam.

ARTICVLVS V.

Vtrum quælibet perſona Diuina potuerit humanam naturam aſſumere.

Onclusio eſt affirmatiua. Probatur. Aſſumptio duo importat, ſcilicet ipſum actum aſſumentis, ſeu principium illius, quod eſt virtus Diuina; & terminum aſſumptionis, qui eſt perſona vel hypoſtaſis. Sed in qualibet perſona Trinitatis, hęc duo inueniuntur, ratione quorum poſſint eſſe principium effectiuum, & terminus aſſumptionis: ergo quælibet perſona Diuina poteſt re vera naturam humanam aſſumere. 1

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrū plures perſonæ Diuinæ poſsint aſſumere vnam numero naturam.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur: nam tres perſonæ ſubſiſtunt in natura Diuina, ergo etiā poſſunt ſubſiſtere in vna natura humana. Secundo: nam potentia Dei, per quam facta eſt aſſumptio naturæ humanæ, eſt infinita, & communis tribus perſonis; ſimiliter etiam & perſona Diuina eſt infinita: ergo non limitatur, vt ſolum poſſit vna perſona naturam humanam aſſumere.

Vtrum autem in caſu, quòd tres perſonæ Diuinæ aſſumpſiſſent eamdem numero naturam humanam, eſſent omnes tres perſonæ vnus homo ſimpliciter, an plures; explicatur ſufficienter à M. Medina. In alijs duobus articulis huius quæſtionis habet Sāctus Thomas duas concluſiones.

Artic. 7. Prima concluſio in articulo ſeptimo. Vna perſona Diuina poteſt aſſumere duas naturas humanas. Probatur. Id non repugnat ex parte principij effectiui aſſumptionis; quia virtus aſſumentis eſt infinita, neque ex parte termini, quia perſonalitas Diuina etiam eſt infinita: ergo.

Artic. 8. Secunda concluſio in articulo 8. Magis conueniens fuit, quòd perſona filij aſſumeret humanam naturam, quàm alia perſona Diuina. Rationes huius conuenientiæ aſſignātur à Sancto Doctore in corpore articuli, circa quas eſt videndus M. Medina, & alij expoſitores S. Tho.

QVAESTIO IV.

De modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum natura humana fuerit magis aſſumptibilis à filio Dei, quàm aliqua alia natura.

Concluſio. Sola natura humana fuit aſſumptibilis ſecū dum congruentiā ad vnionem hypoſtaticā. Probatur: nam hæc congruentia attenditur ex duobus, ſcilicet ſecundum dignitatem naturæ humanæ; quia eſt intellectualis, & ſecundum eius neceſſitatem: nam propter peccatum originale, cui ſubiacebat, indigebat Redemptore. Hæc autem duæ rationes ſolum concurrunt in natura humana: ergo, &c. 1

DISPVTATIO XXII.

Vtrum qualibet alia creatura habeat potentiam obedientialem ad vnionem hypoſtaticam, ita vt per omnipotentiam Dei poſsit aſſumi à Verbo, vel ab alia perſona Diuina.

NOTANDVM. Hanc difficultatem ſpecialiter procedere de natura Angelica, de natura irrationali, vel inſenſi- 2

ſenſibili, de partibus phyſicis naturæ, ſiue ſint eſſentiales, vt materia & forma; ſiue integrales, vt caput, manus, &c. Ac denique de accidentibus, & de his omnibus eſt ſuo ordine diſputandum.

3 Prima ſententia eſt aſſerentium, naturam Angelicam non eſſe aſſumptibilem. Hanc tenet Magnus Albertus in 3. d. 2. q. 2. Potiſſimum eius fundamentum eſt; nam in Angelicis nō diſtinguitur realiter ſuppoſitum & natura, vt docet S. Thomas 4. cōtra gēt. c. 55. ad 4. vbi vniuerſaliter ait, quòd in ſeparatis à materia, non diſtinguitur ſuppoſitum, & natura. Ergo natura Angelica non eſt aſſumptibilis, quin aſſumatur eius ſuppoſitum. Cum autem ſuppoſitum etiam de potentia abſoluta non poſſit aſſumi, relinquitur, naturam Angelicam non poſſe aſſumi.

4 Secunda ſententia docet, naturam irrationalem, & conſequenter naturam inſenſibilem, vt lapidem, non poſſe vniri Deo hypoſtaticè. Sequuntur hanc ſententiam Henr. quol. 13. q. 5. Picus Mirandul. in ſua Apolog. q. 4.

Probatur primo. Nulla natura irrationalis aut inſenſibilis poteſt eleuari ad operationem ſupernaturalem, vt ad diligendum Deum ſuper omnia, vel ad viſionem beatificam: ergo neque adeſſe ſupernaturale. Probatur conſequentia; nam operatio ſequitur ad eſſe, cum ipſum eſſe ſit propter operationem.

Secundo. Creatura irrationalis vt equus, vel lapis, eſt omnino incapax ſubſiſtentiæ perſonalis, ſeu perſonalitatis: repugnat enim illis eſſe perſonam, eo quòd perſona ſecundum Boet. in lib. de duabus naturis eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: ergo non poſſunt vniri perſonaliter Verbo. Conſequentia probatur. Nam ſi vnirentur illi perſonaliter, ſubſiſterent formaliter per Verbi perſonalitatem; & ita equus eſſet perſona, & lapis eſſet perſona.

Tertia ſententia affirmat, materiam primam ſeparatam ab omni forma ſubſtantiali, vniri poſſe Deo hypoſtaticè. Ita M. Suarez diſp. 14. ſect. 3. dicto. 1. & pro hac ſententia ſunt argumenta, quorum primum eſt tertium in ordine. 5

Tertio arguitur. Materia prima poteſt conſeruari à Deo abſque omni forma ſubſtantiali: nam id nō implicat contradictionem, cum materia prima ſecundum ſe habeat proprium actum entitatiuum, & partialem exiſtentiam, quam neceſſe eſt ponere in ipſa materia prima, vt poſſit eſſe ſubiectum tranſmutationum formarum: ergo materia prima ſic exiſtens poterit vniri Deo hypoſtaticè.

Confirmatur. Anima rationalis ſeparata à materia, eſt aſſumptibilis; quia eſt ſubſiſtens, licet per modum partis: ergo & materia prima ſeparata à forma ſubſtantiali, erit aſſumptibilis; quia etiam eſt ſubſiſtens partiali ſubſiſtentia.

Quarto. Deus poteſt ſibi hypoſtaticè vnire materiam primam, exiſtentem in toto compoſito, actu informatam forma ſubſtātiali, abſque eo quòd immediatè aſſumat ipſam formam, aut totum compoſitum: ergo materia prima etiam eſt aſſumptibilis ſecundum ſe, ſine forma. Antecedens probatur. Materia prima eſt realiter diſtincta à forma ſubſtantiali, & à toto compoſito: ergo poterit immediatè vniri Deo hypoſtaticè abſque eo quòd immediatè

diatè illi vniatur forma vel totum compoſitum,in quo eſt.

6 Quarta ſententia eſt aſſerētium, accidentia non poſſe Deo vniri hypoſtaticè. Eam defendunt Baſolis in 3.d.2.q.1.Palatius q.1. Eam quoque reputat probabilem Suarez diſput.14.citata ſect.4. Eamdem docuit inter Thomiſtas M. Mantius de corpore Chriſti Primariæ Cathed. Theologiæ Salmanticę moderator eximius. Et pro ea ſunt argumenta, quorum primum eſt quintum in ordine.

Quinto arguitur. Accidens non poteſt vniri hypoſtaticè ſubſiſtentiæ Verbi Diuini, cum repugnet accidenti per ſe ſubſiſtere; ſubſiſtentia enim ex ſua intrinſeca ratione eſt ſubſtantialis; forma autem accidentalis eſt omnino incapax ſubſiſtentię ſubſtantialis,& cōſequenter etiam erit incapax ſubſtantialis vnionis in eadem ſubſiſtentia perſonali. Nec poteſt etiam vniri hypoſtaticè exiſtentiæ Diuinæ, quia huiuſmodi vnionis modus omni naturæ creatæ repugnat tàm accidentali,quàm ſubſtantiali,cum id, quod aſſumitur,debeat neceſſario propriâ exiſtentia præexiſtere: ergo, &c.

7 Confirmatur. Accidens non poteſt alicui vniri ad conſtituendum vnum per ſe, & multo minus ad conſtituendam vnam perſonam,ſed vnio hypoſtatica naturæ creatæ tātum poteſt eſſe per modum vnius ſubſtantiæ vel perſonæ, eo quòd terminus vnionis hypoſtaticæ eſt perſona ſubſiſtens in duabus naturis, videlicet in natura propria, & in natura aſſumpta: ergo,&c.

Confirmatur ſecundo. Subſtantia non poteſt poni in alio vel illi vniri per modum inhærentis; quia hic modus exiſtendi eſt proprius formæ accidentalis: ergo ſimiliter natura accidentis non poterit vniri verbo Diuino. aut alteri perſonæ per modum ſubſiſtentis; quia hic modus eſt proprius ſubſtantiæ: ergo non poterit trahi ad eſſe ſubſtantiale Verbi Diuini, ac per conſequens neque illi vniri hypoſtatice.

Sexto arguitur arg. M. Mantij. 8 Sequeretur ex oppoſita ſententia, quòd daretur accidens exiſtēs nullius intenſionis: nam intenſio non competit formæ accidentali, niſi ſecundum quòd inhæret ſubiecto. Implicat autem, quòd forma accidentalis inhæreat Verbo Diuino, aut ipſi Deo, quia tunc Deus mutaretur, & eſſet formaliter albus. Conſequens autem implicat contradictionem; nam eſſe intenſum vel remiſſum competit intrinſecè formæ accidentali exiſtenti in rerum natura.

Confirmatur primo. Accidens ſpirituale non poteſt corpori vniri: ergo neque accidens corporale poterit vniri ſpiritui. Deus autem eſt ſpiritus, vt dicitur Ioan. 4. ergo, &c. *Ioan.4*

Confirmatur ſecundo. Omnino repugnat, quòd accidens ſit ſubſtātia; ergo repugnat, quòd habeat eſſe ſubſtantiale,ac per conſequens non poterit vniri ſubſtantialiter, ſeu hypoſtaticè Verbo Diuino. Pro reſolutione huius difficultatis ſit

PRima concluſio. Natura Angelica per potentiam Dei abſolutam poteſt Verbo Diuino vniri hypoſtaticè. Concluſio eſt communis Doctorum ſententia in tertio d. 2. pro cuius explicatione ſciēdum,quòd hæc vnio fieri poteſt dupliciter. Primo, ſi Deus de nouo 9

pro-

produceret aliquam naturam An-
gelicam abſque propria perſonali-
tate,& eam ſibi vniret hypoſtatice:
& in hoc ſenſu concluſio eſt expreſ
ſa Sancti Thomæ, art. 1. huius quæ-
ſtionis ad 3.& 4. Contra gent.c.55.
ad 3. & 4. Et ratio id ſuadet. Nam
Deus produxit naturam humanam
Chriſti abſque propria perſonalita
te,& eadē humanitas vnita eſt Ver
bo hypoſtaticè, vt fides docet:ergo
ſimiliter poteſt Deus producere na
turam Angelicam abſque propria
perſonalitate, & eam ſibi vnire hy-
poſtaticè; non enim eſt minor Dei
omnipotentia reſpectu Angeli,quā
reſpectu hominis. Secundo modo
poſſet fieri,ſi Deus ſua omnipoten-
tia deſtrueret perſonalitatem Ga-
brielis,& loco illius ſubrogaret per
ſonalitatem Verbi; ita vt per eam
terminaretur immediatè: quod qui
dem nullam implicare videtur cō-
tradictionem. Probatur ergo vni-
uerſaliter concluſio. In Angelis eſt
ſufficiens diſtinctio inter ſuppoſitū
& naturam, ratione cuius poſſit na
tura Angelica vniri Verbo hypoſta
ticè,abſque eo quòd illi vniatur hy
poſtaticè perſona Angeli, vel eius
ſuppoſitum, vt patebit in ſolutione
ad fundamentum primæ ſententiæ:
ergo.

10 Secunda concluſio. Per poten-
tiam Dei abſolutā poteſt quæ-
libet ſubſtantia completa etiam in-
ſenſibilis vniri Verbo hypoſtaticè.
Concluſio eſt Sancti Thomæ, quam
docet Capr.Palud. Durand.Scot. &
communiter Theologi d. 2. citata,
& omnes Thomiſtæ. Probatur pri-
mò:nā de facto cadauer inſenſibile
fuit in triduo vnitum hypoſtaticè
Verbo Diuino:ergo nullā implicat
cōtradictionē, quòd creatura inſen
ſibilis,vt lapis,vel alia ſubſtantia
corporea vniatur Verbo hypoſtati
cè. Secundo.Id nō repugnat ex par
te perſonæ aſſumentis, quia perſo-
na Verbi tàm in cauſando,quàm in
terminando alienam naturā, eſt in-
finitæ virtutis, vt quæſt.præcedenti
art.7. docet Sanctus Thomas. Nec
etiam repugnat ex parte naturę in-
ſenſibilis,nam omnis ſubſtātia crea
ta capax eſt ſubſiſtentiæ & exiſten-
tiæ Diuinæ,cum habeat potentiam
obedientialem in ordine ad Deum
reſpectu vnionis hypoſtaticæ, ſicut
eam habet natura humana:ergo ſi-
cut natura humana de facto ſubſi-
ſtit immediatè per ſubſiſtentiam
Verbi, ita de potentia abſoluta om
nis ſubſtantia corporea,& inſenſibi
lis poteſt immediatè ſubſiſtere per
ſubſiſtentiam Verbi, ac per conſe-
quēs poterit illi vniri hypoſtaticè.

Tertia concluſio. Materia pri- 11
ma ſine forma ſubſtantiali per
nullam potentiam poteſt Deo vniri
hypoſtaticè. Concluſio eſt contra
Auctores 3. ſententiæ, eam tamen
defendūt conſequēter omnes Theo
logi,qui ſentiunt, implicare cōtra-
dictionem, materiam primam actu
exiſtere in rerū natura ſine forma.
Hi ſunt Sanctus Thomas p. p. q.
66.ar.1.in corpore,vbi ait:[Dicere
materiam primā pręcedere ſine for
ma, eſt dicere ens actu ſine actu; ꝙ
implicat cōtradictionē.] Eamdem
ſententiam docet S. Bonauētura in
2.d.12.q.2.ar.2.Durād.Scot. Gabr.
Greg.d.ead.quam etiam inter anti-
quos philoſophos tenuerūt Auicen
na lib.2.ſuę Meth.cap.5.& Auerr.1.
phyſ. tex.56.Et quoniā noſtra con-
cluſio ex hoc fundamento potiſſime
pendet,propterea hinc eſt probāda.
Probatur primo ratione S. Thomę. 12
Forma ex ſua intrinſeca ratione eſt
actus,vt 5.& 7.Metaph.docet Ariſt.

Ergo

Ergo ſi materia prima eſt actu in rerum natura ſine forma, materia prima erit actu ſine actu; quod implicat contradictionem. Secundo. Impoſſibile eſt, quòd detur aliquid creatũ exiſtens & non ſit ſub aliqua determinata ſpecie: ſed nihil ponĩt in ſpecie determinata niſi ꝑ formã, quia ſpecies ſumĩt à forma, à qua eſt eſſentia, & quidditas ſpeciei: ergo.
13 Tertio. Impoſſibile eſt, quantitatem dari abſque omni figura, aliàs quantitas illa eſſet illimitata & infinita, cum figura ſit terminus quãtitatis ſecundum trinã dimenſionẽ, & conſequenter daretur corpus infinitũ, quod eſt impoſſibile: ergo implicat cõtradictionẽ, materiam primã dari in rerum natura ſine forma: nam etiã forma limitat materiã primã. Quarto probatur ratione deſumpta ex Flandria 8. Metaph. q. 10. art. 2. Materia prima ſine forma non poteſt habere eſſe ſubſtantiale, nec accidẽtale: ergo impoſſibile eſt, vt materia prima exiſtat ſeparata ab omni forma. Antecedẽs, quo ad primã partem probatur. Impoſſibile eſt, ꝙ detur eſſe accidentale ſine forma accidentali, vt album ſine albedine; nam effectus formalis formæ à Deo ſuppleri nõ poteſt: ergo impoſſibile eſt, quòd detur eſſe ſubſtantiale ſiue forma ſubſtantiali. Patet conſequentia: nã etiam eſſe ſubſtantiale dependet à forma ſubſtantiali in genere cauſæ formalis, ſicut eſſe animatũ depẽdet formaliter ab anima. Vnde fieri nõ poteſt, vt detur corpus animatũ ſine anima informãte: ergo implicat, materiã primam habere eſſe ſubſtantiale ſine formã ſubſtantiali.
14 Quòd autem non poſſit habere eſſe accidentale ſine forma ſubſtantiali, probatur. Materia prima ordine quodam eſt in potentia ad eſſe ſubſtãtiale & accidentale, & per prius eſt in potentia ad eſſe ſubſtantiale, quàm ad accidentale, ſicut ſubſtantia corporea ordine quodam eſt in potentia, vt per quantitatem extendatur in ordine ad ſe, & in ordine ad locum: ſed impoſſibile eſt, quòd ſubſtantia corporea per quantitatem fiat extenſa in ordine ad locũ, quin prius ſaltem natura fiat extenſa in ordine ad ſe, eo quòd effectus formalis ſecundarius intrinſecè dependet à primario, & illum præſupponit: vnde effectus primarius dari poteſt ſine ſecundario, vt patet in quantitate corporis Chriſti, quatenus eſt in Euchariſtia; quæ quidem quãtitas extendit corpus Chriſti in ordine ad ſe, & non in ordine ad locum: ſecundarius autem effectus dari non poteſt ſine primario: ergo ſimiliter materia prima non poteſt ſuſcipere eſſe accidentale, quin prius recipiat eſſe ſubſtantiale.

Quinto probatur. Materia prima ſecluſa forma ſubſtãtiali ſecundum ſuam eſſentiam, eſt pura potentia: ergo implicat, quòd ſine forma ſit actu. Vide Caiet. de ente c. 5. q. 8. Ex his deducitur noſtra cõcluſio; nam perſonalitas Verbi non poteſt per ſe ipſam ſupplere rationem cauſæ formalis, tribuẽdo eſſe ſpecificum, & determinatum materiæ primæ: nam huiuſmodi cauſa formalis intrinſecè includit imperfectionem, cum debeat eſſe pars compoſiti: ergo Deus nõ poteſt ſibi hypoſtaticè vnire materiam primã, ſeparatam ab omni forma ſubſtantiali. 15

QVarta concluſio. Deus poteſt cõſeruare formã ſubſtantialẽ, eãq; ſibi vnire hypoſtaticè. Concluſio eſt cõmunis Theologorũ, & probatur. Nam cũ forma ex ſua natura ſit 16

ſit actus, non implicat, quòd exiſtat ſine materia: ergo nõ implicat, quòd hypoſtaticè vniatur exiſtentiæ Diuinæ, & formaliter per illam exiſtat, ſicut anima Chriſti ſeparata à corpore exiſtebat in triduo. Et eadem ratione poteſt Deus vniri hypoſtaticè partibus integralibus compoſiti, vt capiti: ſed tunc Deus non diceretur caput, ſed vnitus capiti, ſicut Verbum Diuinum in triduo non erat anima rationalis, ſed vnitus animæ rationali.

17 QVinta concluſio. Non implicat, accidentia vniri Deo hypoſtaticè, ita vt immediatè & formaliter exiſtant per exiſtentiam increatam. Hanc concluſionem defendunt Gabr. Marſil. & Almain. in 3. d. 2. cit. M. Medina & Greg. de Valentia in hoc articulo, & multi Thomiſtæ. Probatur. Deus de facto conſeruat in ſacramento Euchariſtiæ quantitatem panis ſine ſubiecto: ergo non implicat, quòd producat quantitatem ſine ſubſtantia & propria inexiſtentia, & faciat eã formaliter exiſtere per exiſtentiam Diuinam, ac per conſequens poterit quantitas eidem exiſtentiæ vniri hypoſtaticè. Probatur conſequẽtia: nam ſubſiſtentia Verbi, quia eſt infinitæ virtutis & continet eminenter omnem ſubſiſtentiam creatam, poteſt immediatè terminare & de facto terminat naturam humanam, communicando illi propriam perſonalitatem: ergo ſimiliter exiſtẽtia Diuina, cum contineat eminenter omnem exiſtentiam, & inexiſtentiam creatam, poterit immediatè ſupplere inexiſtentiã accidentis, & dependentiam quam habet à ſubſtantia creata, & illud immediatè terminare, ita vt accidens immediatè & formaliter exiſtat per exiſtentiam Diuinam.

Confirmatur. Suſtentare immediate naturam alienam per modum ſuppoſiti & termini, nullam intrinſecè includit imperfectionẽ, ſed potius dicit maximam perfectionem: ergo non repugnat Deo immediatè ſuſtentare naturam accidẽtis per modum ſuppoſiti, & termini, ſed ſolum per modum ſubiecti; quia in hoc modo ſuſtentandi includitur imperfectio, & potentialitas. 18

M. Suar. Reſpondet M. Suarez, quòd modus ſuſtentandi per modum ſuppoſiti & hypoſtaſis eſt quid perfectũ, ſed excedit naturam accidentis im perfectam; quia eſt incapax illius, eo quòd accidens nõ eſt capax ſubſtantialis vnionis, cum non ſit capax ſubſiſtentiæ. Sed contra eſt argumentum ad hominem: nam ſubſtantia irrationalis & inſenſibilis eſt omnino incapax perſonalitatis, & tamen poteſt vniri Deo hypoſtaticè, vt fatetur Suarez: ergo, quamuis accidens ſit incapax ſubſiſtentiæ, poterit immediatè vniri Deo hypoſtaticè in exiſtentia increata: nam accidens non eſt incapax exiſtentiæ. Confirmatur. Ad hypoſtaticam vnionem non eſt neceſſarium, quòd accidens immediatè vniatur ſubſiſtentiæ perſonali alicuius perſonæ Diuinæ: nam vnio hypoſtatica poteſt fieri in aliquo abſoluto, ſcilicet in exiſtentia communi tribus perſonis: ſed natura accidentis ſecundum potentiam obedientialem eſt capax, vt immediate terminetur per exiſtentiam Diuinam, & formaliter exiſtat per eamdem exiſtentiã, abſque exiſtentia ſibi connaturali: ergo, &c.

AD fundamentum primæ ſententiæ, quidam reſpondent, quòd

quòd dato, & non conceſſo, ſuppoſitum & naturam in Angelis ſola ratione ratiocinata diſtingui; adhuc poſſet Deus naturam Angelicam aſſumere, non aſſumendo eius ſuppoſitum, ſicut de facto propter eamdem diſtinctionem, quæ reperitur inter naturam Diuinam & perſonam Verbi, fatemur, quòd vnio hypoſtatica humanitatis facta eſt immediatè in perſona Verbi, & nõ in natura Diuina. Hæc tamen ſolutio multis eſt inuoluta difficultatibus: nam ex illa ſequeretur, vt, eo ipſo quòd vnio hypoſtatica fieret immediatè ex parte naturæ, ita vt natura Angeli vniatur perſonæ Verbi, deberet etiam vniri ſecundario perſonæ Verbi ſuppoſitum ipſius Angeli; quod eſt impoſſibile. Probatur ſequela: nam vnio humanitatis non poteſt fieri immediatè in perſona Verbi, quin ſecundario fiat in natura Diuina, quia natura & ſuppoſitum ſola ratione diſtinguerentur in Angelicis: implicaret contradictionem, quòd Verbum Diuinum vniretur immediatè naturæ Angelicæ, quin mediate & ſecundario vniatur eius ſuppoſito. Aliter ergo reſpondetur, ſuppoſitum etiam in Angelicis diſtingui realiter à natura. Nec Sanctus Thomas docet oppoſitum. Cum enim ait, in Angelicis ſeu in creaturis ſeparatis à materia non differre ſuppoſitum, & naturam, accipit ſuppoſitum pro indiuiduo naturæ, & ſolum intendit docere, naturam Angelicam ſe ipſa eſſe ſingularem & indiuiduam; quia non habet materiam, per quam indiuiduetur. Vnde neceſſarium eſt, quòd ſe ipſa ſit indiuidua. Suppoſitum autẽ ſeu perſona præter principia indiuiduationis & ſingularitatis, dicit ſubſiſtentiam, ratione cuius etiam in Angelicis ſuppoſitum diſtinguitur realiter à natura, vt inferius patebit. Vnde poteſt optimè Deus naturam Angeli aſſumere, non aſſumendo eius perſonam vel ſuppoſitum.

20 Ad primum argumentum ſecundæ ſententiæ, negatur conſequentia: ad probationem reſpondetur, quòd operatio non ſequitur immediatè ad eſſe, ſed mediante forma, quæ eſt principium quo, operationis, & quia in natura irrationali vel inſenſibili non reperitur forma intellectiua vel volitiua, quæ poſſit eleuari ad viſionem beatificam, vel aliam huiuſmodi operationem ſupernaturalem: ideo quamuis poſſit eleuari ad eſſe hypoſtaticum Verbi Diuini, non poteſt eleuari ad operationem ſupernaturalem: poterit tamen eleuari, vt inſtrumentaliter producat effectum ſupernaturalem, ſicut eleuãtur ſacramenta ad iuſtificandum hominem, & cauſandam gratiam habitualem.

21 Ad ſecundum reſpondetur. Si Verbum Diuinum aſſumeret naturam lapidis, haberet tantum vnam rationem perſonæ, ſcilicet perſonæ Diuinæ; quia ſecundum quòd ſubſiſteret in natura lapidis, non eſſet perſona, ſed ſuppoſitum; & ita in tali caſu haberet duplicem rationem ſuppoſiti.

Ad tertium reſpondetur, negando antecedens, vt patet ex rationibus deductis pro quinta concluſione. Ad probationem reſpondetur, materiam primam ſecundum ſe habere actum entitatiuum metaphyſicum, quatenus videlicet ſuo modo habet definitionem, ſed eius definitio & eſſentia partialis eſt eſ-

ſe

ſe puram potentiam: vnde non habet ex ſe, vnde poſſit exiſtere abſq; omni forma. Nec requiritur, quòd materia prima habeat ſecundum ſe partialem exiſtentiam, vt ſubſtare poſſit transmutationi formarũ: ad hoc enim ſufficit, quòd in inſtanti generationis habeat eſſe per formam compoſiti, quod generatur, & tempore immediatè præcedenti habuerit eſſe per formã compoſiti, quod corrumpitur. Ad cuius
22 euidentiam notãdum, quòd vt obſeruat Caiet. infra q. 35. art. 1. materia prima non eſt ſubiectum denominationis, reſpectu ipſius generationis: nõ enim generatur materia, ſed totum compoſitum. Nec etiam eſt ſubiectum immediatum inhæſionis, vt oſtendit Bañes. lib. 1. de Gener. q. 11. Cuius ratio eſt, quia nullum accidens poteſt immediatè ſubiectari in materia prima. Generatio autem, formaliter loquendo, accidens eſt. Præterea, quia generatio ſumpta pro transmutatione ſubſtantiali non ſubiectatur in materia prima, exiſtente ſub forma compoſiti, quod corrumpitur; quia in inſtanti generationis, non eſt forma corrupti, cum deſinat eſſe per primum non eſſe: ergo neceſſe eſt, quòd ſubiectetur in materia exiſtente ſub forma geniti, cũ non detur medium inſtans, in quo materia prima ſub neutra forma ſubſtantiali exiſtat. Eſt autem differentia inter materiam primam, quæ dicitur ſubiectum generationis, & compoſitum ſubſtantiale, quod eſt ſubiectum mutationum accidentalium. Nam materia prima dicitur ſubiectum, circa quod exercetur generatio. Cæterum totum compoſitum dicitur ſubiectũ inhæſionis, reſpectu formæ, quæ per alios motus producitur, v. g. reſpectu albedinis, quæ producitur per alterationem. Itaq; terminus quo, generationis, ſcilicet forma ſubſtãtialis ſolum petit & exigit materiã primam, quam immediatè informet, terminus autem quo, reliquorum motuum, vt albedo & calor, neceſſario præſupponit ſubiectum in actu ſubſtantiali; eo quòd tribuit illi eſſe accidentale, & non ſubſtantiale. Et hac ratione materia prima ſubſtare dicitur transmutationi formarum, quia ipſa eſt, quæ immediatè recipit vnam formam ſubſtantialem poſt aliam.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd forma rationalis, cum ſit actus per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentia partiali & imperfecta, naturaliter conſeruatur ſeparata à materia: ſimiliter etiam quælibet alia forma ſubſtantialis, cum ſit etiam actus, poteſt per Dei potentiam conſeruari ſine materia, ac per conſequẽs ſecundum ſe eſt capax vnionis hypoſtaticæ, vt ex ſupradictis conſtat. Cæterum materia prima eſt ſecundum ſe pura potentia, vnde conſeruari non poteſt abſque forma ſubſtantiali, aut vniri Deo hypoſtaticè. 23

Ad quartum reſpondetur. Cum materia prima non habeat aliud eſſe, niſi quod participat à forma, impoſſibile eſt, vt aſſumatur à Deo immediatè, niſi etiam aſſumatur forma, à qua habet eſſe, vel compoſitum, cuius eſt materia.

Ad quintum reſpondetur. Licet repugnet accidenti per ſe ſubſiſtere virtute naturali; non tamen repugnat illi, abſolutè loquendo, exiſtere immediatè & formaliter per alienam exiſtentiam, quæ ſit ſubſtantia, & terminari per illam, quã- 24

do

do illa exiſtentia ſubſtantialis continet eminenter omnem exiſtentiam & inexiſtentiam creatam, ſicut continet exiſtentia Diuina. Vnde in eadem exiſtentia poteſt natura accidentis vniri Deo hypoſtatice: & in tali caſu Deus nec eſſet albus neque albedo, ſed ſolum diceretur hypoſtatice vnitus albedini, ſicut diceretur vnitus capiti, ſi ſolum caput aſſumeret.

25 Ad primam confirmationem reſpondetur. Si accidens hypoſtaticè vniretur exiſtētiæ Diuinę, Deus, vt ſubſiſtit in natura accidentis, ſiue vt terminat eamdem naturam, non eſſet perſona, ſicut etiam non eſſet perſona, quatenus vnitus naturæ lapidis, vel equi, ſi talem naturam aſſumeret, vt ſupra dictum eſt. Nihilominus ſecundum quòd terminat naturam accidentis, & ſupplet dependentiam, quam accidens naturaliter habet à propria exiſtentia, & à ſubſiſtentia creata, cui naturaliter inhæret; diceretur Deus in tali caſu ſuppoſitum accidentis. Neque in hoc inuoluitur aliqua implicatio contradictionis, vt ex dictis conſtat.

Ad ſecundam confirmationem negatur conſequentia: nam ſubſtantia in ſua intrinſeca ratione excludit exiſtentiam in alio, tanquam in ſubiecto inhæſionis. Cæterum natura accidentis ex ſua intrinſeca ratione non importat, neque includit negationem exiſtentiæ in alio, tamquam in ſuppoſito, immediate terminante eamdem naturam accidentis, & ſupplente propriam inexiſtentiam: vnde non eſt ſimile.

26 Ad ſextum reſpondetur, intenſionem vel remiſſionem actualē nō eſſe de eſſentia accidentis, ſicut nec inhærentia actualis. Vnde, ſicut dari poteſt per Dei omnipotentiam, & de facto datur quantitas ſeparata ab omni ſubiecto: ita etiam dari poteſt aliquod accidens, quod nullam habeat intenſionem vel remiſſionem actualem. Vnde ſi accidens vniretur Deo hypoſtatice, nullam haberet actualem intenſionem vel remiſſionem, nec diceretur actu intenſum vel remiſſum, ſed ſolum aptitudine. Nam intenſio actualis vel remiſſio competit accidenti, quatenus actu inhæret ſubiecto, & denominat illud quale.

Ad primam confirmationem reſpondetur. Si ſermo fiat de vnione per inhærentiam ſiue inhæſionem actualem, ſicut accidens ſpirituale non poteſt corpori vniri, ita nec accidens corporale ſpiritui. Cæterum, ſi loquamur de vnione hypoſtatica; accidens etiam corporale poteſt vniri ſpiritui increato, ſcilicet Deo: ſed non poteſt vniri corpori, quia non datur nec eſt dabile corpus, quod in terminando naturam, ſit virtutis infinitæ, ratione cuius poſſit ſupplere inexiſtentiam accidentis, ſicut Deus illam ſupplere poteſt.

Ad ſecundam confirmationem 27
reſpondetur. Licet repugnet accidenti eſſe ſubſtantiam, non tamen repugnat illi terminari immediate & exiſtere per exiſtentiā increatam ſubſtantiæ, tanquam per exiſtentiā extraneam & ſupernaturaliter cōmunicatam. Et ſi fiat argumentū: Obiectio
nam ratione vnionis hypoſtaticæ cum humanitate Deus verè dicitur homo: ergo, ſi Deus vniret ſibi albedinem, ratione eiuſdem vnionis, Deus eſſet albedo vel albus; quod tamen repugnat; Reſpondetur, quòd Solutio
ſi vtraque forma ſignificetur in abſtracto, Deus non eſſet albedo, ſi eā

ſibi

ſibi vniret hypoſtaticè: ſicut etiam modo Deus vel Chriſtus non eſt humanitas: ſed vnitus humanitati. Si autem ſignificetur in concreto, eſt differentia inter vtramque naturam. Nam albedo cum ſit accidẽs, vt denominet ſuppoſitum album, neceſſario requiritur; vt illi inhæreat. Cæterum humanitas, quia eſt ſubſtãtia, ſatis eſt, quòd terminetur immediate per ſuppoſitum Verbi, vt denominet ipſum hominem. Sed
Obiectio contra: nam etiam anima eſt ſubſtantia, & tamen in triduo Verbum non erat anima aut animatum, ſed vnitum animæ: ergo ſolutio nulla.
Solutio. Reſpondetur. Licet anima ſit ſubſtãtia, eſt tamen ſubſtantia incompleta, cum ſit pars humanæ naturæ: Pars autem non prædicatur de toto, quia diſtinguuntur, ſicut includens & incluſum. Vnde hæc propoſitio eſt falſa: Petrus eſt ſua materia, Petrus eſt ſua forma. Et propterea in triduo Verbum Diuinum non erat anima vel corpus, ſed vnitum animæ & corpori, aut habens animam, & corpus, vt docet Sanctus Thomas infra q. 50. art. 3. ad 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit perſonam.

1 Concluſio eſt negatiua. Probatur. Illud, quod aſſumitur, oportet præintelligi aſſumptioni, ſicut illud, quod mouetur localiter, præintelligitur ipſi motui: ſed perſona non præintelligitur in humana natura aſſumptioni, ſed magis ſe habet vt terminus aſſumptionis, vt quæſtione præcedenti art. 1. & 2. dictum eſt. Si enim præintelligeretur, vel oporteret, quòd corrumperetur, & ſic fruſtra eſſet aſſumpta, vel quòd remaneret poſt vnionem, & ſic eſſent duæ perſonæ; vna aſſumens, & alia aſſumpta; quod eſt erroneum: ergo.

ARTICVLVS III.

Vtrum perſona Diuina aſſumpſerit hominem.

Concluſio eſt negatiua, ſi propriè loquamur, & oppoſita eſt erronea: nã aliàs eſſent in Chriſto duæ perſonæ ſeu hypoſtaſes. Etenim homo ſignificat naturam humanam, vt eſt in ſuppoſito: ergo ſi Filius Dei aſſumpſit hominem, ſequitur, quòd ſit in Chriſto propriũ ſuppoſitum humanum; & ſic eſſent in illo duo ſuppoſita realiter diſtincta. 2

Expoſitio Articuli.

Pro explicatione eorum, quę in his duobus articulis docet S. Thomas, & vt melius intelligatur id, quod fides Catholica docet in hoc myſterio, ſcilicet Verbum Diuinum aſſumpſiſſe naturam humanam, & non perſonalitatem ipſius, quatuor per ordinem ſunt examinanda. Primo, quomodo ſuppoſitum & natura in rebus creatis diſtinguantur. Secundo, in quo genere cauſæ ſuppoſitum vel perſona ſit effectus naturæ. Tertio, vtrum per potentiam Dei abſolutam poſſit aliqua ſubſtantia vel natura creata exiſtere à parte rei abſque perſonalitate propria vel aliena. Quarto, vtrum natura ſemel terminata per propriam perſonalitatem potuerit aſſumi.

DI-

DISPVTATIO XXIII.

Vtrum ſuppoſitum & natura in rebus creatis realiter diſtinguãtur, & quid addat ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem.

3 AGITVR ex profeſſo de hac difficultate p.p.q.3. ar. 3. quam Bãnes. ibi diffuſe pertractat, & Caiet. in præſenti, & ideo eſt breuiter diſſoluenda. Prima ſententia eſt aſſerentium ſuppoſitum à natura ſingulari realiter non diſtingui, nec addere aliquid reale ſuper illam.

Probatur primo auctoritate Sancti Thomæ p.p.cit.vbi ait, quòd [In formis per ſe ſubſiſtentibus non differt ſuppoſitum & natura.] & ex hoc infert, quòd cum Deus non ſit compoſitus ex materia & forma, oportet, vt Deus ſit ſua Deitas. Hæc autem ratio nihil cõcluderet, ſi in ſubſtantijs creatis non habentibus materiam, ſuppoſitum realiter diſtingueretur à natura: ergo ſaltem in his ſubſtantijs nõ diſtinguitur. Item etiam art.2. huius q.ait, quòd naturæ aſſumptæ à Verbo nõ deeſt aliquid, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat; ſed ſecundum fidem Catholicam deeſt perſonalitas creata; nam, vt ſupra dictum eſt, humanitas in Chriſto ſolum ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi: ergo perſonalitas creata non eſt aliquid pertinens ad perfectionem humanæ naturæ: ergo nihil intrinſecum addit ſupra eamdem naturã.

4 Secundo arguitur. Perſonalitas humanæ naturæ nõ poteſt etiam de potentia Dei abſoluta conſeruari abſque humana natura: ergo nõ diſtinguitur realiter ab illa. Patet cõſequentia: nam duas res diſtinctas poteſt Deus adinuicem ſeparare & conſeruare vnam ſine altera.

Tertio. Omnis entitas poſitiua poteſt aſſumi à Deo, cum poſſit etiã naturam accidentis ſibi vnire hypoſtaticè, vt dictum eſt; ſed perſonalitas creata non poteſt aſſumi: ergo formaliter non importat entitatem poſitiuam naturæ ſuperadditam ac per conſequens non diſtinguitur realiter ab illa.

Quarto. Natura tribuit ſuppoſito eſſe tàm ſubſiſtentiæ, quàm exiſtentiæ: ergo ſubſiſtentia includitur intrinſecè in ipſa natura ſingulari, & eſt de cõceptu illius: non ergo diſtinguitur realiter ab illa. Probatur conſequentia; quia rationale nõ diſtinguitur realiter ab homine, & ſimiliter animal, ſed ſolũ ratione ratiocinata; quia includitur in ipſa eſſentia, & cõceptu adæquato hominis: ergo ſi ſubſiſtentia includitur intrinſecè in natura ſingulari, non diſtinguitur realiter ab illa.

Cõfirmatur. Eo ipſo, quòd aliqua natura creata eſt ſingularis, vndecunque habeat ſingularitatem ſiue à materia & cõditionibus materialibus, ſiue à ſe ipſa abſq; aliqua realitate ſuperaddita eſt per ſe ſubſiſtens, ac per conſequẽs ſuppoſitum vel perſona: ergo non oportet ponere aliquod ſuperadditum, quod ſit conſtitutiuum ſuppoſiti; nam eſſet multiplicare entitates abſque vlla neceſſitate. 5

Confirmatur ſecundo, argumento Scoti 3. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 3. Suppoſitum tantum addit ſuper naturam ſingularem negationem dependentiæ actualis, & aptitudina-

lis ab alia perſona vel ſuppoſito: per hanc enim duplicem negationem ſufficienter conſtituitur natura ſingularis in ratione ſuppoſiti,ſicut vnum cõſtituitur per negationem diuiſionis.Sed negatio non eſt aliquid poſitiuum: ergo ſuppoſitum, vel perſona non addit ſuper naturam ſingularem aliquid poſitiuum.

6 Secunda ſententia eſt M. Sot. in primo Phyſ. quòd ſuppoſitum & natura diſtinguuntur realiter,nõ quidem tanquam res à re, ſed vt res & modus rei, ſicut relatio diſtinguitur à ſuo fundamento. Eamdem ſententiam docuit Victoria, & M. Mantius, pro qua ſunt argumenta, quorum primum eſt quintum in ordine.

Quinto arguitur.Perſonalitas eſt terminus quidam realis & ſubſtantialis immediate cõplens & terminans naturam ſubſtantialem: ergo ſolum diſtinguitur à natura,tanquã res & modus rei; aliàs in quolibet ſuppoſito eſſent plures entitates ſubſtantiales,& totales;quod videtur inconueniens.

Vltimo. Per huiuſmodi diſtinctionem ſufficienter ſaluatur,quòd Verbum Diuinũ aſſumpſerit naturam humanam, & non perſonã vel ſuppoſitũ;ergo ex his, quæ fides docet circa myſterium incarnationis, non cogimur dicere,naturã & ſuppoſitũ diſtingui, tanquam res à re. Ad has duas ſententias reducuntur aliæ plures, quas in præſenti adducit Caiet. & Medina, de quibus etiam agendum erit infra.

7 Tertia ſentẽtia eſt Caietani p. p. q.3.art.3.& art.2. huius q. quam etiam defendunt Medina, & magis communiter Thomiſtæ, quòd ſcilicet natura & ſuppoſitum diſtinguatur, tanquam res à re. Et quoniam hæc ſententia eſt multo probabilior, & magis ad mentẽ S.Thomæ,iuxta quam melius intelliguntur & explicantur, quæ circa myſterium incarnationis docet fides Catholica; ideo eſt explicanda, & à nobis defendenda.

Notandum itaque primo, quòd perſonalitas, ſeu ratio ſuppoſiti eſt terminus quidam ſubſtantialis & realis naturæ, per quem ipſa natura eſt immediate capax exiſtentiæ. In hoc fundamento conueniũt omnes Thomiſtæ, de quo vide Ferr. 4. contra gent. cap. 43. Itaque antequam intelligatur vel recipiatur exiſtentia in natura ſubſtantiali, intelligitur quædam proprietas, formaliter conſtituens naturam ſubſtãtialem in ratione ſubiecti, quòd, ipſius exiſtentiæ: et ratione eiuſdem proprietatis, ſicut natura ſubſtantialis ſubſtat exiſtentiæ, ita etiam ſubſtat accidẽtibus, ſiue proprijs, ſiue communibus; quæ quidem ſubſiſtentia non eſt ita intrinſeca naturæ, vt pertineat ad rationem eſſentialem ipſius naturæ, ſed eſt terminus intrinſecus naturæ conſtituens illam formaliter in ratione ſuppoſiti vel perſonæ. Probatur hoc fundamentum: nam quælibet ſubſtantia creata habet terminum completiuum ſibi propriũ & connaturalem: ſed hic terminus non poteſt eſſe exiſtentia, cum exiſtentia ſolum ſit intrinſeca Deo, ac de quidditate illius, creaturis autem conueniat per participationem; ergo præter exiſtentiam, quæ reperitur in ſuppoſito creato, conſtituendum eſt aliquid ſubſtantiale, quod ſit terminus completiuus, & connaturalis ipſius naturæ creatæ: hoc autem eſt ſubſiſten-

ſiſtentia, ſeu perſonalitas, quæ eſt medium quoddam inter naturam & exiſtentiam: ergo.

9 Notandum ſecũdo, quòd, quamuis perſonalitas & ſubſiſtentia rationalis naturæ ſint eadem res, tamen tàm perſonalitas, quàm ſubſiſtentia realiter diſtinguũtur ab exiſtentia. Probatur ex Sancto Thoma infra q. 17. art. 2. ad 1. vbi ait: [quòd eſſe conſequitur ad perſonam, ſicut ad habentem eſſe.] Sentit ergo, ipſum eſſe exiſtentiæ realiter diſtingui à perſonalitate. Et quodlib. 2. art. 4. ad 2. inquit, quòd eſſe non eſt de intrinſecâ ratione ſuppoſiti vel perſonæ: ſed perſonalitas, ſeu ſubſiſtẽtia eſt de intrinſeca ratione perſonæ, cum ſit formale conſtitutiuum illius: ergo.

Pręterea: nam ſubſiſtentia perſonalis eſt incõmunicabilis; exiſtentia autem ſubſtantialis non eſt, per ſe loquẽdo, incommunicabilis, cum in Diuinis ſit vnica exiſtentia communis tribus perſonis. Præterea, nã aliàs ſequeretur, quòd hæc propoſitio: Petrus eſt, vel Petrus exiſtit, eſſet æternæ veritatis, ac per conſequens Petrus eſſet ab æterno; quod tamen concedi non poteſt. Sequela probatur: nam hæc propoſitio, Petrus eſt perſona humana, eſt æternę veritatis; ſicut iſta: Petrus eſt homo; quia prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, & ita verbum, eſt, abſoluitur à tempore: ergo ſi exiſtentia eſt idem formaliter, quod ſubſiſtentia, ſicut iſta propoſitio: Petrus eſt perſona humana, eſt æternæ veritatis: ita ſimiliter iſta: Petrus exiſtit in natura humana, erit æternæ veritatis. Denique probatur: nam exiſtentia ſiue exiſtere eſt ſolum de intrinſeca ratione Dei; ſubſiſtere autem eſt etiam de intrinſeca ratione ſubſtantiæ creatæ, cum cadat in eius definitione. eſt enim ſubſtantia ens per ſe: ergo.

Notandũ tertio, quòd ſubſiſtentia eſt intrinſeca ſuppoſito, exiſtentia autem eſt extrinſeca & connotata ab eodem ſuppoſito. Ratio huius eſt: nam ſubſiſtentia eſt conſtitutiua ſuppoſiti; exiſtentia autem non eſt conſtitutiua ſuppoſiti, ſed quid receptum in ipſo ſuppoſito vel perſona: ergo ſubſiſtentia eſt intrinſeca ſuppoſito vel perſonæ creatæ; exiſtentia autem erit illi extrinſeca, & ab eodem ſuppoſito connotata, quatenus videlicet ſubſiſtentia facit ſubſtantiam creatam capacem exiſtentiæ. His ſuppoſitis, ſit 10

PRima concluſio. In omnibus ſubſtantijs creatis ſuppoſitum & natura diſtinguuntur, tanquam includens & incluſum. Probatur, quia ſuppoſitum includit naturam, & aliquid ſuperadditum naturæ, ſcilicet perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam: ergo, &c. Conſequentia probatur: nam compoſitum diſtinguitur à forma principali, tanquam includens & incluſum; quia compoſitum includit materiam, quam non includit forma: ergo ſimiliter, &c. 11

SEcunda concluſio. Hæc diſtinctio ſuppoſiti à natura eſt realis, tamquam rei à re. Tenent hanc concluſionem Ferr: & Caiet. & Medina, vbi ſupra. Pro cuius explicatione notandum, aliqua diſtingui poſſe tanquam res à re dupliciter. Primò, quia ſunt duo per ſe ſubſiſtentia & ab inuicem ſeparata, ſicut Petrus & Paulus: & hoc modo certum eſt, ſuppoſitum & naturam non diſtingui, 12

tanquam res à re. Secundo, quia vnum dicit aliquam entitatem, quam non dicit aliud, etiam ſi ab inuicem non ſeparentur, ſed in eodem ſuppoſito exiſtant: & ſic diſtinguuntur materia & forma, & ſimiliter compoſitum à qualibet eius parte. Materia enim neque eſt forma, neque eadem entitas, quæ eſt forma: & compoſitum non eſt materia, nec eadem entitas cum materia: & huius generis eſt diſtinctio realis, quæ reperitur inter ſuppoſitum & naturam.

13 Probatur concluſio. Primo ex S. Tho. art. 2. huius quæſt. in corpore vbi ait, [quòd ſi perſona præintelligeretur aſſumptioni, oporteret, quòd corrumperetur.] Et art. 1. ad 3. inquit, [quòd Angelus præexiſtens non poſſet in vnitatem Diuinæ perſonæ aſſumi, niſi eius perſonalitas deſtrueretur.] Sentit ergo, perſonalitatem eſſe rem diſtinctam à natura; aliàs enim corrumpi non poſſet, quia corrumpi non eſt niſi entium, non enim moritur niſi viuens.

Probatur ſecundo. Diſtinctio, tanquam includens & incluſum, nō eſt ſolū diſtinctio formalis, ſed realis, tanquam res à re, modo ſuperius explicato: ſed natura & ſuppoſitum diſtinguuntur realiter, tāquam includens & incluſum, vt ſupra dictum eſt: ergo.

Probatur tertio: quia iuxta hanc ſententiam melius intelligitur & ſaluatur, quod fides docet, ſcilicet Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam & non perſonam. Etenim iuxta oppoſitam ſententiam concedendum eſſet, Verbum Diuinum aſſumpſiſſe totam entitatem realem perſonæ creatæ, quam natura humana habet in Petro. Et ſimiliter eſſet concedendum, quòd Verbum Diuinum aſſumpſit perſonam creatam entitatiuè; quod tamen non videtur admittendum. Probatur: nam Verbum diuinum aſſumpſit naturam humanam: ergo ſi natura humana eſt entitatiuè, & realiter idem cum proprio ſuppoſito; ſequitur, quòd aſſumpſerit entitatiue proprium ſuppoſitum humanum.

Notandum tamen, quòd, licet iuxta oppoſitam ſententiam dicendum eſſet, naturam & ſuppoſitum proprium diſtingui ſolum formaliter, & non ſicut res à re; in omniū tamen ſententia aſſerendum eſt, ſuppoſitum alienum ſiue extraneū non ſolum formaliter, ſed etiam entitatiuè diſtingui à natura, quam terminat: & ita diſtinguitur tanquàm res à re ſuppoſitum Verbi, à natura humana, quam terminat. 14

AD primum reſpondetur, quòd, quia perſonalitas Verbi, quæ eminenter continet omnem perſonalitatem creatam, ſupplet vices propriæ perſonalitatis naturæ humanæ, ideo ſanctus Thomas ait, Naturæ humanæ in Chriſto nihil deeſſe, quod ad eius perfectionem pertineat; deeſſet autem, ſi terminata non fuiſſet perſonalitate Verbi, vel propria. 15

Ad alium locum ex prima parte adductum, iam ſupra à nobis reſponſum eſt, quòd nomine ſuppoſiti intelligit S. Thomas in illo loco naturam ſingularem.

Ad ſecundum argumentum patebit Diſput. 25. Nunc autem dicimus, non eſſe vniuerſaliter verum, quòd duæ res diſtinctæ poſſint ſeparatæ conſeruari: nam materia prima realiter diſtincta eſt à forma ſubſtantiali, & tamen ſine illa

con-

conſeruari non poteſt, vt Diſputatione præcedenti, concluſione 3. dictum eſt.

Ad tertium reſpondetur, omnem entitatem, quæ pertinet ad naturã, vna excepta materia prima ſine forma, poſſe à Deo aſſumi; non autem quæ pertinet ad perſonam vel ſuppoſitum, tanquam conſtitutiuum illius, quia ſuppoſitum eſt in aſſumptibile, vt inferius patebit.

Ad quartum reſpondetur, naturam tribuere ſuppoſito eſſe vt quo. Ad hoc autem, quòd tribuat eſſe vt quo, non eſt neceſſarium, vt ipſa natura immediate per ſe ipſam vel ſecundum propriam rationem formalem, ſit per ſe ſubſiſtens, ſed ſufficit, quòd per eam, vel in ea aliquid ſubſiſtat: ſicut albedo tribuit ſubiecto eſſe album, cum tamen albedo non ſit alba, ſed id, quo ſubiectum eſt album.

17 Ad primam confirmationem negatur antecedens, vt ex ſupra dictis conſtat.

Ad ſecundam reſpondetur. Negatio dependentiæ ab alia perſona vel ſuppoſito eſt quid conſequens rationem formalem conſtitutiuam perſonæ vel ſuppoſiti: non autem eſt formale conſtitutiuum perſonæ. Aliàs enim ſuppoſitum vel perſona quælibet Sanctiſſimæ Trinitatis conſtitueretur formaliter per negationem huius dependentiæ. Vnde ratio perſonæ, vel ſuppoſiti conſiſtit formaliter in illa entitate poſitiua, ad quam conſequitur prędicta negatio dependentiæ; ſicut negatio albedinis non eſt ratio formalis nigredinis, ſed talis negatio eſt quid conſequens ad naturam nigredinis. Et idem contingit in omnibus alijs ſpeciebus, in quibus, eo ipſo quòd aliquid conſtituitur in tali ſpecie determinata, ſequitur, quòd de eodem negetur ſpecies oppoſita. Et ſimiliter dicendum ad exemplum inductum de veritate.

Ad quintum neganda eſt conſe- 18
quentia. Ad probationem reſpondetur, rationem cõſtitutiuam ſuppoſiti nõ eſſe ſubſtantiam completam directè conſtitutã in prædicamento ſubſtantiæ, ſed reductiue; ſicut punctus, qui eſt terminus lineæ, pertinet ad prædicamentum quantitatis. Vnde non ſequitur, quòd in eodem ſuppoſito ſint duæ ſubſtantiæ completæ.

Ad ſextum reſpondetur, ſolum conuincere, ſalua fide ſuſtineri poſſe, naturam & perſonam ſolum diſtingui formaliter. Nihilominus, vt ex dictis conſtat, multo melius ſaluantur, quæ fides docet circa hoc myſterium, ſi aſſeramus, ſuppoſitum & naturam in rebus creatis diſtingui realiter, ſicut res à re.

DISPVTATIO XXIV.

In quo genere cauſa ſuppoſitum vel perſona ſit effectus naturæ.

NOTANDVM eſt, omnes in hoc conuenire, quòd perſonalitas ſit effectus naturæ, ſed inter eos non conſtat, in quo genere cauſæ ſit eius effectus. 1

Prima ſententia docet, quòd in genere cauſæ materialis. Hanc ſe-

 quitur

quitur Medina. Fundamentum potiſſimum eius eſt; quia natura eſt proximum & immediatum ſubiectum ſuſceptiuum perſonalitatis: ergo in genere cauſæ materialis eſt cauſa perſonalitatis. Conſequentia probatur: nam ſubiectum eſt cauſa materialis formæ, quæ in eo recipitur: idem ſentit Vaſquez Diſput. 34. cap. 4.

2 Secunda ſententia eſt aſſerentium, naturam in eo genere cauſæ concurrere ad productionem propriæ perſonalitatis, in quo producit proprias paſſiones: & pro hac ſententia eſt

Secundum argumentum. Perſonalitas eſt prima paſſio & immediatior naturæ, ad quam conſequuntur omnes aliæ paſſiones pertinentes ad compoſitum, cum aliæ paſſiones præſupponant naturam terminatam: ergo perſonalitas ſequitur ad naturam per modum propriæ paſſionis.

Tertio. Si Verbum Diuinum relinqueret humanitatem, ſtatim per ſimplicem emanationem abſque aliqua noua actione ſe explicaret in perſonalitatem propriã: ergo perſonalitas ſequitur ad naturam ad modum propriæ paſſionis.

3 TErtia ſententia, quam ego veram reputo, eſt, naturam concurrere ad cauſandam propriam perſonalitatem in duplici genere cauſæ, ſcilicet in genere cauſæ materialis, quatenus recipit ipſam ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem, & in genere cauſæ formalis, non quidem ſicut eſſentia cauſat paſſiones; nam perſonalitas non eſt propria paſſio naturæ, ſed ſicut forma cauſat effectum formalem ſecundarium. Et quidem, quòd non concurrat ſolum in genere cauſæ materialis, probatur euidenter. Nam omnes Theologi fatentur, quòd ſi Verbum dimitteret humanitatem, ipſa humanitas abſque noua actione alterius cauſæ explicaret ſe in perſonalitatem propriam: ergo impoſſibile eſt, quòd humanitas concurrat ſolum in genere cauſæ materialis ad eamdem perſonalitatem cauſandam. Probatur conſequentia; nam cauſa materialis non poteſt ſe ipſam explicare in aliquem effectum, aut enim producere abſque adiutorio alterius cauſæ, ſicut materia prima non cauſat formam in genere cauſæ materialis, eam recipiendo, niſi per actionem alterius cauſæ producatur. Quòd autem perſonalitas non ſit propria paſſio per ſimplicem emanationem, fluens ex natura, probatur. Propria paſſio confert naturæ nouum eſſe, quamuis accidentale, ſicut riſibilitas confert naturæ humanæ, quòd ſit riſibilis, & ita præſupponit naturam iam completam in eſſe ſubſtantiali, & reſultat ab illa, tanquam effectus diſtinctus, non pertinens ad ſubſtantiam naturæ, vel ad complementum eius ſubſtantiale. Sed perſonalitas non tribuit naturæ aliquod nouum eſſe, ſed terminat & complet intrinſecè ipſum eſſe ſubſtantiale naturæ, & ita reducitur ad eamdem ſpeciem, in qua natura ipſa, quam complet, collocatur: ergo perſonalitas eſſe non poteſt propria paſſio naturæ. Reſtat ergo, vt perſonalitas ſequatur ad naturam, tanquam effectus eius formalis ſecundarius. 4
Etenim effectus primarius naturæ, ſeu formæ ſubſtantialis, eſt dare eſſe eſſentiæ compoſito, & iſte effectus eſt inſeparabilis à natura.

Secun-

Secundarius autem effectus eſt ipſa perſonalitas, per quam formaliter compoſitum ſubſiſtit, & huiuſmodi effectus ſeparabilis eſt à natura. Nam in Chriſto reperitur vera natura humana cum effectu ſuo primario, in quo tamen non habet effectum ſecundarium, ſcilicet perſonalitatem propriam; quia præuenta fuit à Verbi perſonalitate.

5 Ad primum argumentum in oppoſitum reſpondetur, naturam eſſe cauſam ſubſiſtentiæ in genere cauſæ materialis & formalis, vt dictum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur, perſonalitatem non eſſe propriam paſſionem naturæ, ſed eius terminum ſubſtantialem, vt patet ex dictis.

Ad tertium reſpondetur. Si Verbum relinqueret humanitatem, ſtatim abſque noua actione, ipſa humanitas ſe explicaret in perſonalitatem propriam & exiſtentiam per ſimplicem reſultantiam, non quidem ad modum propriæ paſſionis, ſed tanquam effectus eius ſecundarius. Vt autem iſto modo dimanet à natura, non requiritur, quòd interueniat aliqua noua actio, ſeu productio ipſius ſubſiſtentiæ vel exiſtentiæ; ſed ſufficit, quòd præceſſerit generatio naturæ humanæ, & creatio animæ rationalis, quæ, niſi præueniretur à ſubſiſtentia Verbi, cauſaret ſubſiſtentiam & exiſtentiam creatam, tanquam terminum, & complementum naturæ, eo quòd ipſa generatio ad hoc tendebat, ſcilicet ad producendam naturam cum ſuo complemento tam intrinſeco, quã extrinſeco. Vnde in caſu, quo humanitas relinqueretur à Verbo, ſubſiſtentia, & exiſtentia creata, quæ emanaret ab ipſa natura humana, eſſet effectus illius actionis antiquæ, per quam producta fuit eadem humanitas, ſicut motus grauis deorſum, qui ſequitur, ablato impedimento, eſt effectus ſecundarius generationis antiquæ, qua in ſuo eſſe productum fuit.

DISPVTATIO XXV.

Vtrum per potentiam Dei abſolutam poſſit aliqua ſubſtantia creata exiſtere in rerum natura, abſque omni ſubſiſtentia propria, vel aliena.

PRIMA ſententia docet, ſubſtantiam creatam poſſe à Deo immediatè conſeruari per ſolam manutenentiam, vel aſſiſtentiam abſque omni ſubſiſtentia & exiſtentia propria, vel aliena. Hanc ſequuntur illi Theologi, qui arbitrantur, ex eo diabolum ſolis viribus naturę non cognouiſſe euidenter myſterium incarnationis: quia exiſtimabat, humanitatem Chriſti potuiſſe à Deo conſeruari per extrinſecam manutenentiam abſque omni ſubſiſtentia, vel exiſtentia propria vel aliena. Hæc tamen ſententia manifeſtam inuoluit contradictionem: eſt enim impoſſibile, dari effectum primarium abſque forma: ſed exiſtere eſt effectus formalis primarius exiſtentiæ, ſicut eſſe album eſt effectus primarius albedinis: ergo ſicut eſt impoſſibile, album dari ſine albedine; ita etiam erit impoſſibile, dari aliquam ſubſtantiam ſubſiſten- 1

tem, vel exiſtentem in rerum natura abſque omni ſubſiſtentia, vel exiſtentia propria, vel aliena.

2 Secunda ſententia eſt, ſubſtantiam creatam denudatam omni perſonalitate non poſſe recipere exiſtentiam ſubſtantialem, aut per eam formaliter exiſtere. Hanc ſequuntur Magiſter Suarez in ſua Metaphyſica diſputatio. 34. ſect. 6. num. 21. & ſeqq. Fonſeca 5. Metaphyſ. cap. 8. quæſt. 6. ad 4. Scoti, & eam probabiliorem reputat M. Cabrera art. 2. huius quæſt. Diſput. 6. num. 10. Probatur primo. Iuxta ſententiam ſancti Thomæ ſubiectum immediatè ſuſceptiuum exiſtentiæ eſt natura ſubſiſtens: ergo impoſſibile eſt, quòd ſubſtantia creata exiſtat, niſi ſubſiſtat. Patet conſequentia; nam inter actum & propriam potentiam, ſeu ſubiectum eſt formalis & intrinſeca dependentia, ratione cuius implicat, actum recipi, niſi in ſua potentia vel ſubiecto. Ideo enim albedo non poteſt recipi in Angelo, quia Angelus non eſt eius ſubiectum.

Confirmatur. Intellectus creatus, niſi eleuetur per lumen gloriæ, non poteſt recipere eſſentiam Diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis; quia intellectus creatus in ordine ad viſionem beatificam ſine lumine gloriæ, non habet rationem potentiæ proximæ. Item etiam ſpecies viſibilis non poteſt recipi in auditu, quia non eſt potentia ſuſceptiua ſpeciei viſibilis: ergo ſimiliter exiſtentia non poteſt recipi, niſi in natura ſubſiſtente; quia natura ſubſiſtens eſt proprium ſubiectum immediate ſuſceptiuum exiſtentiæ.

3 Secundo. Exiſtentia eſt terminus naturæ extrinſecus, ſubſiſtentia eſt vltimus terminus illius intrinſecus; ſed terminus extrinſecus neceſſario præſupponit intrinſecum: ergo exiſtentia naturæ neceſſario præſupponit eius ſubſiſtentiam; non ergo poteſt eſſe ſine illa.

Tertio. Sicut ſecunda paſſio dimanat à natura, mediante prima, vt voluntas dimanat ab anima medio intellectu; ita etiam exiſtentia procedit à natura mediante ſubſiſtentia: ſed implicat contradictionem, dari in anima voluntatem ſine intellectu; cum impoſſibile ſit, dari actum voluntatis ſine actu intellectus; quia nihil eſt volitum, quin præcognitum: ergo etiam erit impoſſibile, dari in aliqua natura ſubſtantiali exiſtentiam ſine ſubſiſtentia. Hæc argumenta faciunt hanc ſententiam ſatis probabilem.

Tertia ſententia eſt Caietani in 4
hac quæſt. artic. 2. ad 4. Scoti, vbi fatetur, ſe [nullam videre impoſſibilitatis rationem, quare non poſſit Deus naturam abſque omni perſonalitate conſeruare, cum actu tamen eſſendi miraculoſe, conſequente abſque perſonalitate, quæ eſt proprium illius ſubiectum ſecundum naturæ ordinem, cui tamen Diuina potentia non eſt alligata.] Hæc ſententia nobis videtur probabilior: ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, id, quod præſupponitur ex parte ſubiecti, vt aliquis actus in eo recipiatur, eſſe in duplici differentia. Aliquando enim id, quod præſupponitur, eſt forma conſtitutiua ſubiecti in ratione ſubiecti ſuſceptiui talis actus, ſicut forma ſubſtantialis conſtituit materiam primam

mam

Digitized by Google

mam ſubiectum capax, & ſuſceptiuum actus accidentalis: & ſimiliter quantitas reddit ſubſtantiam proximè ſuſceptiuam accidentiũ corporalium per actualem inhærentiã. Et idem eſt proportionabiliter in potentia viſiua, quæ à propria forma habet, quòd ſit ſubiectum ſuſceptiuum ſpeciei viſibilis. Et tunc actus, qui recipitur in ſubiecto, habet intrinſecam dependentiam ab illa forma, per quam ſubiectum fit capax, vel ſuſceptiuum talis actus. Aliquando verò id, quod præſupponitur ex parte ſubiecti, non eſt forma conſtitutiua illius in ratione ſubiecti ſuſceptiui, ſed completiuũ aut conditio requiſita ſecundum ordinẽ naturæ, ſicut præuiæ diſpoſitiones requirũtur, vt forma ignis recipiatur in materia ligni. Et tunc per potentiam Dei abſolutam bene poteſt aliquis actus recipi in ſubiecto, abſque eo quòd ex parte illius præſupponitur. Ratio huius eſt; nã

5 Deus non poteſt ſupplere vices cauſæ formalis, poteſt autem ſupplere per ſe ipſum immediatè terminum completiuum naturæ, ſicut de facto ſupplet Verbum Diuinum per incarnationem, terminum completiuum naturæ humanæ, & ſimiliter poteſt ſupplere conditionem prærequiſitam ex parte materiæ ad introductionem formæ. Quia ergo perſonalitas non eſt forma conſtitutiua naturæ ſubſtantialis, ſed ſolum eſt terminus completiuus illius, & conditio prærequiſita ſecundum ordinem naturalem, vt actus ſubſtantialis exiſtentiæ recipiatur in ipſa natura, ideo per potentiam Dei abſolutã fieri poteſt, vt natura ſubſtãtialis omni ſubſiſtentia denudata recipiat immediatè actũ exiſtẽtiæ, & per illũ formaliter exiſtat.

Ex his patet ad 1. & 2. argumentũ cũ ſua confirmatione. 6

Si quis obijciat. Subſtantia eſt per ſe ſubſiſtens, vt patet ex eius definitione, tradita ab Ariſtotele in prædicamento ſubſtantiæ, dicente: Subſtantia eſt ens per ſe: ergo implicat dari ſubſtantiam, quæ non ſit ens per ſe: ac per conſequens per ſe ſubſiſtens: non ergo poterit recipi exiſtentia in natura ſubſtãtiali abſque ſubſiſtentia. Reſpondetur, quòd de ratione intrinſeca ſubſtantiæ eſt ens per ſe actu vel aptitudine, ſicut de ratione accidẽtis eſt eſſe in alio per inhærentiam actualem vel aptitudinalem. Vnde, ſicut per Diuinam potentiam datur accidens à parte rei, abſque eo quòd inhæreat actu ſubſtantiæ; ita etiam dari poteſt ſubſtantia, quæ actu non habeat ſubſiſtentiam, ſed ſolam exiſtentiam ſubſtantialem cum aptitudine ad ſubſiſtentiam, quam ex natura ſua poteſt habere. Obiecti. Solutio.

Ad tertium reſpondetur, intellectum & voluntatem eſſe proprias paſſiones animæ, ſeu creaturæ intellectualis, ordine quodam conſequentes, ita vt voluntas intrinſecè dependeat ab intellectu, ſicut actus voluntatis dependet ab actu intellectus: ſubſiſtentia autem & exiſtentia non ſunt propriæ paſſiones naturæ ſubſtantialis, neque habent inter ſe intrinſecum ordinem & dependentiam, vt dictum eſt. Vnde non eſt ſimile. 7

DISPVTATIO XXVI.

Vtrum natura ſemel completa & terminata per propriam perſonalitatem, ſit aſſumptibilis à Verbo.

1 Doctores omnes conueniũt, perſonam vel ſuppoſitum eſſe inaſſumptibile. Quia de ratione ſuppoſiti eſt ſubſiſtere incommunicabiliter, & ex conſequenti habet intrinſecè, quòd non ſubſiſtat in alio, tanquam in ſuppoſito. Vnde ſi aſſumeretur, eſſet per ſe ſubſiſtens incommunicabiliter, & non eſſet per ſe ſubſiſtens, & ſimiliter eſſet in alio, & non eſſet in alio. Difficultas ergo eſt, vtrum natura humana terminata propria ſubſiſtentia, poſſet aſſumi à Verbo abſque eo quòd aſſumeretur perſonalitas præexiſtens. Pars affirmatiua ꝓbatur aliquibus argumẽtis.

Primo. Natura humana terminata per alienam perſonalitatem, ſcilicet per perſonalitatem Verbi, poteſt aſſumi à Patre & Spiritu Sancto; quia vt quæſt. præcedenti docuit Sanctus Thomas, omnes tres perſonæ Trinitatis potuerunt eamdem numero naturam aſſumere: ergo terminata propria perſonalitate, potuit aſſumi à Verbo, non aſſumpta perſonalitate.

Confirmatur. Quia non repugnat, eamdẽ numero naturã ſimul eſſe in duobus ſuppoſitis alienis: ergo nec in duobus ſuppoſitis, quorum alterum ſit proprium, alterum alienũ. 2

Secundo. Eadem numero natura Diuina terminata perſonalitate Patris, rurſus terminatur perſonalitate Filij & Spiritus Sancti, abſque eo quòd vna perſona Diuina terminetur per aliã: ergo ſimiliter natura humana, terminata perſona propria, potuit terminari perſonalitate Verbi, abſque eo quòd perſonalitas Verbi terminaret perſonalitatem humanam.

Contrariam ſententiam docent communiter Theologi in 3. d. 1. Durandus q. 3. n. 16. quam etiam defendit Caiet. ſupra q. 3. art. 6. §. ad cuius euidentiam. Sed tamen in aſſignanda ratione non omnes conueniunt. M. Suarez diſp. 14. ſect. 1. plures refert rationes, pręſertim ex Caietano, & eas impugnat, & tandem vltimam ipſe conſtituit, quæ maxime illi placet: quia videlicet propria & creata ſubſiſtentia eſt ſolum quidam modus intrinſecus per ſe exiſtendi; hic autem modus habet formalem & immediatã repugnantiã cum illo modo vnionis, quem habet natura aſſumpta in alio ſuppoſito; quia eſſe per ſe & in alio, ſũt modi ita repugnantes, vt vnus intrinſecè includat negationem alterius. 3 4

Hæc tamen ratio nihil videtur cõcludere. Primo, quia perſonalitas propria non eſt ſolũ modus naturę, ſed res ab ea diſtincta, vt ſupra oſtendimus. Secundo: nam ex eo ꝙ perſonalitas propria ſit modus naturæ, quam terminat, ſequitur tantum, quòd non poſſit terminare alienam naturam, ſed ſolum propriam, quia modus rei non poteſt modificare, niſi rem illam, cuius eſt modus proprius: non autem ſequitur,

Digitized by Google

tur, quòd natura terminata per illum modũ proprium, non poſſit terminari à perſona Diuina, quæ realiter & formaliter identificatur cũ Diuina natura. Tertio. Quia natura ſemel terminata non eſt ita ens per ſe, vt repugnet illi eſſe in alio, tanquam in ſuppoſito, ſed ſolum repugnat ei eſſe in alio, tanquam in ſubiecto inhæſionis. Aliàs natura humana terminata pſonalitate Verbi, non poſſet aſſumi à Patre vel Spiritu Sancto: ergo ex parte ſuppoſiti, quod eſt inaſſumptibile, petenda eſt ratio, propter quam natura ſemel terminata propria perſonalitate, non poſſit aſſumi, niſi eadem perſonalitate deſtructa.

Dicendum eſt ergo cum Caietano, quòd, quando ſuppoſitum terminans naturam, eſt proprium, & ei connaturale, impoſſibile eſt, naturam aſſumi, quin aſſumatur eius ſuppoſitum, niſi deſtruatur, propter naturalem connexionem, quã habet cum natura, quia illud ſuppoſitum eſt terminus intrinſecus & proprius naturæ, ab ea per ſimplicem emanationem, tanquam formalis effectus eius ſecundarius dimanans, vt diſputatione præcedenti dictum eſt. Cum ergo ſuppoſitum ſit inaſſumptibile, fieri non poteſt, vt natura terminata propria perſonalitate, aſſumatur, eadem perſonalitate manente. Cæterum quando ſuppoſitum terminans naturam, eſt extraneum, poteſt aſſumi natura per illud ſuppoſitum terminata, abſq; eo quòd ſuppoſitum ipſum aſſumatur, eo quòd non habet naturalem & intrinſecam connexionem cum natura aſſumpta, nec ſequitur ad illam

6 tanquam formalis effectus ſecundarius.

Poteſt hæc ratio magis explicari, exemplo deſumpto ex hoc myſterio incarnationis. Nam ex eo quòd natura Diuina habet neceſſariam connexionem cum perſonalitate Verbi, eo ipſo quòd Verbum Diuinum naturam humanam aſſũpſit, & eam per ſe primo terminauit, ex conſequenti etiam natura Diuina ſecundario aſſumpſit humanam in perſona Verbi: ergo proportionabiliter propter connexionem naturalem, quam perſonalitas propria habet cum ſua natura, quam terminat, fieri non potuit vt natura, eadem perſonalitate terminata, aſſumeretur, quin ſaltem ſecundario aſſumatur ipſa perſona, niſi deſtruatur. 7

Impugnatio Mag Suarez.

Hanc rationem Caietani impugnat Magiſter Suarez, quia, cum perſonalitas propria ſit res vel modus rei diſtinctus à natura, nihil videtur repugnare, humanitatem aſſumi, quę eſt capax aſſumptionis, manente perſonalitate propria non aſſumpta, quia eſt incapax talis aſſumptionis: ſicut natura humana vnita hypoſtaticè vni perſonæ Diuinæ, poteſt aſſumi ab alia, non aſſumpto illo modo vnionis, in priori perſona producto per aſſumptionem; quia ille modus eſt inaſſumptibilis: & licet ſit in ipſa natura aſſumpta, ab illa tamen diſtinguitur ex natura rei.

Hæc tamen impugnatio in noſtra ſententia nullam prorſus habere videtur apparentiam; iam enim ſupra oſtendimus, per vnionem hypoſtaticam nullum modum ſubſtantialem creatum produci in ipſa natura aſſumpta, ſed immediate fuiſſe vnitam Verbo Diuino, abſque illo modo ſubſtantiali.

Eam-

Eamdem rationem Caietani impugnat Vaſquez alio argumento; quia perſonalitas diuina eſt intrinſeca diuinæ naturæ, & ab ea indiſtincta; & tamen natura diuina terminata perſona Patris, poteſt perſona Filij, & S. S. terminari; abſque eo quòd vna perſona terminetur ab alia: ergo ſimiliter, quamuis perſonalitas propria ſit intrinſeca naturæ, poterit natura ſemel terminata propria perſonalitate aſſumi à Patre, vel Filio, non aſſumpta propria perſonalitate. Reſpõdetur negando conſequentiam. Ratio diſcriminis aſſignabitur in ſolutione ad ſecundum.

Alia ratio ſolet aſſignari, propter quam natura creata nõ poteſt propria & aliena perſonalitate ſubſiſtere: quia nimirum hoc ipſo quòd propria perſonalitate ſubſiſteret, per ſe eſſet: natura autem, quæ eſt per ſe, non eſt in alio neque vt in toto, neque vt in ſubiecto, neque vt in ſuppoſito: ergo ſimul non poteſt eſſe per ſe & in alieno ſuppoſito. Hanc aſſignat Vaſquez, & coincidit cum ſecunda ratione Caietani, quam ipſe impugnat.

9 EX his patet ſolutio ad primũ argumentum & eius confirmationem.

Ad ſecundum reſpondetur, naturam Diuinam propter ſuam infinitatem habere, quòd eadem omnino indiuiſa manens, ſit in tribus perſonis realiter diſtinctis per relationes oppoſitas. Cæterum natura humana eadem numero eſſe non poteſt in pluribus ſuppoſitis proprijs, vel in vno proprio, & altero extraneo propter rationem ſuperius adductam; quia multiplicatur ad multiplicationem ſuppoſiti. Vnde non eſt ſimile. Sed eſt argumentum.

Obiectio 10 Perſonalitas Patris eſt magis intrinſece connexa cum natura Diuina, quàm perſonalitas Petri cum eius natura, ſed hac connexione non obſtante, Pater communicauit filio naturam Diuinam, non autem Paternitatem, quia eſt incommunicabilis: ergo ſimiliter non obſtante naturali connexione, quam habet perſonalitas propria cum ſua natura, potuit Verbum aſſumere naturam terminatam propria perſonalitate, non aſſumendo ipſam perſonalitatem, quia eſt inaſſumptibilis.

Solutio. 11 Reſpondeo negando conſequentiã propter rationem aſſignatam, quia natura Diuina propter ſuam infinitatem naturaliter & ex æquo eſt in tribus perſonis per oppoſitas relationes diſtinctis. Neque ad intra reperitur aſſumptio naturæ, ſed cõmunicatio. Nam ad aſſumptionẽ, de qua in præſenti ſit ſermo, requiritur, quòd perſona aſſumens præexiſtat aſſumptioni, ſicut perſona Verbi, quæ aſſumpſit naturam humanam, prius habuit eſſe, quàm terminaret naturam humanam. Vnde ex myſterio Trinitatis, nullum poteſt deſumi efficax argumentum contra noſtram ſententiam, & ex alia parte eſt à poſteriori argumentum non inualidum, ad probãdum, naturam humanam terminatam propria perſonalitate, non eſſe aſſumptibilem: nam aliàs de facto Verbum aſſumpſiſſet naturam humanam terminatam propria perſonalitate, non aſſumendo ipſam perſonalitatem. Etenim, ſi propria perſonalitas, & ſubſiſtentia naturæ humanæ non impediebat vnionem eius hypoſtaticam cum Verbo, videtur fuiſſe conueniens perfectioni humanitatis Chriſti, quòd non ſolum ſubſiſteret per ſubſiſtentiam

Ver-

Verbi, ſed etiam per propriam, ſi talis ſubſiſtentia eſt compoſſibilis in eadem natura cum ſubſiſtentia verbi. Cum ergo ſecundum fidem Catholicam Verbum aſſumpſerit naturam, & non perſonam, & de facto natura humana ſolum ſubſiſtat per Verbi perſonalitatem, ſignum eſt, non fuiſſe poſſibile, humanitatem propria perſonalitate terminatam aſſumi à Verbo Diuino.

DISPVTATIO XXVII.

Circa ſolutionem ad 2. & 3. Art. 2.

Vtrum humanitas iam terminata in Chriſto perſonalitate Verbi habeat naturalem inclinationem & appetitum ad propriam perſonalitatem.

1 Vaſquez diſp 34. c. 2. QVIDAM partẽ defendunt affirmatiuam, quam probant; quia inclinatio, & appetitus naturalis non elicitus alicuius potentiæ ad ſuum actum per modum deſiderij eſt ipſamet potentia, quatenus poteſt talem actum habere, & non habet: at qui humana natura, quantũuis conſequuta fuerit altiorem actum, nempe Diuinam perſonalitatem, ſemper manet cum potentia natiua, vt habeat propriam: ergo interim dũ illam non habet, etiam ſi habeat aliam, quantumuis perfectiorem, comparabitur cum propria per modum appetentis, & deſiderantis illã.

Confirmat hoc, exemplo mate-
2 riæ primæ: licet enim informetur anima rationali, quæ eſt forma omnium perfectiſſima, continens eminentiori modo perfectionem omnium aliarum formarum: nihilominus appetit naturaliter alias formas, non alia ratione, niſi quia habet potentiam, vt illas habeat: & dum eſt ſub anima rationali, eis priuata eſt: ergo eadem ratione humanitas, dum eſt in perſonalitate Verbi, habet naturalem appetitum ad propriam, licet perſonalitas Diuina, quam habet, ſit perfectiſſima, quia reuera priuata eſt perſonalitate propria, & ſibi connaturali.

Oppoſitam ſententiam defendit Caietan. infra quæſt. 4. art. 2. ad primũ dubium, vbi docet, quòd, licet humanitas Chriſti ſecundum ſe cõſiderata, habeat naturalem inclinationẽ ad perſonalitatem propriã, & eam appetat: ſi tamen conſideretur, vt iam terminata perſonalitate Verbi, non amplius appetit propriam. Hanc ſententiam defendunt communiter Thomiſtæ, & eſt multo probabilior, vt diſp. 2. n. 4. cepimus adnotare, & probatur.

Primo: nam alias humanitas in Chriſto maneret perpetuo fruſtrata ſuo naturali appetitu, & inclinatione, & ita cõtra naturalem ſuam inclinationem ſubſiſteret in Verbo. Vnde etiam ſequeretur, quòd violenter in eo ſubſiſteret; ſicut lapis violenter detinetur ſurſum, quoniam, dum eſt ibi, priuatur ſuo loco, quem naturaliter appetit. Violentum enim, vt conſtat ex Ariſtotele eſt, cuius principiũ eſt extra, paſſo non conferente vim, ideſt reſiſtente per actualem inclinationem. Si ergo humanitas in Chriſto habet naturalem appetitum, & inclinationem ad propriam perſonalitatem, qua priuatur per Verbi perſonalitatem, ſequitur; quòd ſtatus eius ſit violentus.

Reſpon-

pria perſonalitate. Cum ergo vtráque ſimul terminari non poſſit, relinquitur, quòd ſemel terminata perſonalitate Verbi, iam non amplius appetat propriam. Reſpondet
Solutio.
5 M. Vaſquez, Maiorẽ aſſumptam ſolũ verificari in appetitu elicito, non autem in appetitu nõ elicito, & aſſignat rationem diſcriminis: nam appetitus elicitus oritur ex cognitione: vnde variata cognitione, variatur deſiderium, & ceſſante cognitione, ceſſat: & ideo adepta re perfectiori, cum qua eſt incompoſſibilis poſſeſſio rei minus perfectæ, ceſſat appetitus illius; quoniam in præſentia maioris boni non apprehenditur vt conueniens minus bonum. Vnde illud minus bonum, non amplius excitat appetitum. Cæterum appetitus naturalis non elicitus alicuius potentiæ, non fundatur in cognitione, vel apprehenſione boni, quod appetitur; ſed eſt ipſamet potentia, quatenus poteſt talem actum habere, & non habet: nam ex priuatione illius intelligitur, & nominatur à nobis per modum appetentis, & deſiderantis. Cum ergo humanitas Chriſti, quantumuis conſideretur, vt terminata infinita perſonalitate Verbi, ſemper maneat cum potentia natiua, vt habeat propriam, qua priuatur: relinquitur, quòd ex tali priuatione oriatur in ipſa pontentia naturalis inclinatio, ſeu naturalis appetitus perſonalitatis propriæ. Sed contra iſtam ſolutionem vrget argumentum Caietani, quia, licet humanitas Chriſti ſecundum ſe conſiderata, vt carens propria perſonalitate, & Diuina, inclinetur naturaliter ad propriã; tamen carens propria perſonalitate, & terminata ac ſatiata aliena, non inclinatur amplius ad propriã, eo quòd quidquid perfectionis cõſequeretur per propriã perſonalitatem, poſſidet iam eminẽtiori modo; cum terminata eſt perſonalitate Verbi. Apetitus ergo naturalis nõ elicitus oritur ex potẽtia, quatenus poteſt proprium actum habere, & non habet, nec alium perfectiorem, quo eius capacitas, & inclinatio naturalis expleatur, & ſatietur:

Impugnatio.

6 Per hæc manet ſolutum argumentum factum à principio. Ad confirmationem dicitur, quòd anima rationalis in hac vita continet eminẽtiori modo perfectiones omnium formarum in eſſendo, non tamen quantum ad modum informandi; quoniã amiſſibiliter actuat materiam; & quia materia amitteret eſſe, niſi conſeruaretur per aliã ſuperuenientem formam; ideo appetit illam, nec ſatiatur eius appetitus naturalis per animam rationalem. Cæterum perſonalitas Verbi, vtpote infinita, non ſolum in eſſendo, ſed etiam in terminando, continet eminentiſſimo modo omnem perfectionẽ perſonalitatis propriç; quoniam indiſſolubiliter terminat naturam humanam, & ideo ſatiat, & explet omnem appetitum naturalem perſonalitatis propriæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei debuerit aſſumere humanã Naturam, abſtractam ab omnibus indiuiduis.

Concluſio eſt negatiua. Probatur primo, quia nulla datur talis natura communis; niſi per operationem intellectus: ſecundo; nam eſt

eſt cõtra rationem formæ communis, quòd ſit in perſona, ad quam terminatur vnio: quia natura ſubſiſtens in perſona eſt indiuidua: tertio, quia non haberet Chriſtus, niſi operationes communes, ac per conſequens non potuiſſet per illas aliquid mereri.

ARTICVLVS V.

Vtrum Filius Dei naturam humanam aſſumere debuerit in omnibus indiuiduis.

Conclusio. Non fuit conueniens, quòd humana natura in omnibus ſuis ſuppoſitis à Verbo aſſumeretur. Hanc concluſionem probat ſanctus Doctor quatuor argumentis. Primo, quia tolleretur multitudo ſuppoſitorum humanæ naturæ, quæ eſt ei connaturalis. Secundo, quia hoc derogaret dignitati Filij Dei incarnati, quoniam tunc non eſſet primogenitus in multis fratribus: eſſent enim in eo caſu omnes homines æqualis dignitatis. Tertio, quia vnum ſuppoſitum Diuinum eſt incarnatum: ergo conueniens fuit, vt vnam ſolam naturam humanam aſſumeret. Quarto, quia ſalus generis humani potuit ſufficientiſſimè per aſſumptionem vnius humanæ naturæ reparari: ergo ſuperflua eſſet aſſumptio omnium naturarum ſpeciei humanæ. Hanc rationem aſſignat ſanctus Doctor in ſolutione ad tertium.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum conueniens fuerit, quòd Filius Dei humanam naturam aſſumeret ex ſtirpe Adæ.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur primo, quia id fuit conueniens, vt ille ſatisfaceret, qui peccauit. Secundo, nam hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli naſcitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio, quia per hoc Dei potentia magis oſtenditur, dum de natura corrupta & infirma aſſumpſit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem eſt promotum.

QVAESTIO V.

De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Dei Filius debuerit aſſumere verum Corpus.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur primo. Conueniens fuit, Filium Dei aſſumere humanam naturam, vt quæſt. 1. art. 1. dictum eſt: ergo & verum corpus, ſine quo non ſaluatur veritas naturæ humanæ. Secundo, quia ſi corpus phantaſticum aſſumpſiſſet, non ſuſtinuiſſet pro hominibus veram mortem: & conſequenter non fuiſſet operatus ve-

ram

Digitized by Google

ram hominis ſalutem. Tertio, nam cum perſona aſſumens ſit ipſa veritas, non decuit, vt in eius opere aliqua fictio eſſet.

ARTICVLVS II.

Vtrum Dei Filius debuerit aſſumere corpus terrenum, ſcilicet carnem & ſanguinem.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur primo. Si corpus eius fuiſſet cæleſte, vt poſuit Valentinus, non ſaluaretur in Chriſto veritas naturæ humanæ, quæ neceſſario requirit determinatam materiam, ſcilicet carnes, & oſſa, &c. Secundo, quia hoc etiam derogaret veritati eorum, quæ Chriſtus in corpore geſſit: non enim verè eſuriſſet Chriſtus, nec ſitiſſet, nec etiã paſſionem, & mortem ſuſtinuiſſet. Hæc enim corpori cæleſti competere non poſſunt, cum ſit impaſſibile, & incorruptibile, vt probat Philoſophus 7. Metaphyſ. textu 39.

Expoſitio vtriuſque Articuli.

1 Pro explicatione vtriuſque Articuli notandum, ab antiquiſſimo tempore hæreticos quamplurimos veritatem incarnationis Dominicæ, quæ fundamentum eſt ſalutis generis humani, acriter impugnaſſe. Etenim poſt natum Chriſtum anno 80. Saturninus aſſeruit, Saluatorem in phantaſmate [, ſeu putatiuè & vmbraliter, verum hominem, nec carnem hominis veram, nec animam ſuſcepiſſe, vt refert Irenæus; Epiphanius, & Theo-
2 doretus de Saturnino. Poſtmodum vero anno 140. Valentinus aſſeruit, [Chriſtum carnem de cælo detuliſſe, nec quidquam de Beatiſſima Virgine accepiſſe, ſed per eã tranſiuiſſe, ſicut aqua per riuulum aut canalem illabitur.] Ita refert S. Auguſtinus lib. de hæreſibus ad Quoduultdeum & Theodoretus de Valentino. Paucis poſt annis Marcion & Cerdon, vt refert idem Auguſtinus, aſſeruerunt, Chriſtum in hominibus forma ſine carne putatiuè, & vmbraliter natum, & paſſum fuiſſe, ea moti ratione, quòd natura, Virginem parere non ſine-
ret. Appelles anno 160. ſomnia- 3
uit, Chriſtum ipſo deſcenſu aeream ſibi carnem contexuiſſe, eamdemq; in aſcenſu ſingulis elementis reddidiſſe: ita refert Epiphanius de illius hæreſi & Auguſtinus, vbi ſupra. Manichæi verò eodem anno tenuerunt, Filium ex Dei ſubſtantia parte aliqua deductum, apparuiſſe in carne, cum humani nihil haberet, crucem quoque, paſſionẽ, & mortem viſionem tantum fuiſſe. Refert, & impugnat hanc hæreſim ſanctus Hilarius lib. 6. de Trinitate, Hieronymus ad cap. 14. Matthæi. & Leo Papa Serm. de feſto Epipha-
nius. Apollinaris anno 380. dixit, 4
Chriſtum ſuſcepiſſe carnem ſine anima, vt refert Auguſtinus hæreſi 55. & Vincentius Lirinenſis in ſuo libello contra hæreſes: ac per conſequens putauit, veram carnem humanam non aſſumpſiſſe, quæ abſque anima conſtare non poteſt. Priſcillianiſtæ anno 440. vt refert Leo Papa epiſtola 93. cap. 4. Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt, ſed per quamdam illuſionem natum apparuiſſe, ſequentes dogma Cerdonis & Marcionis. Armenij anno 600. vt refert Euthymius in Panoplia

parte 2.tit.20.dixerunt, Chriſtum ſuſcepiſſe corpus non eiuſdem eſſentiæ, cuius ſunt noſtra corpora, ſed incorruptibile, & cæleſte, quod & videre & comedere, & bibere videatur, & alijs muneribus humanis fungi, cum tamen nihil horũ faciat. Pręterea dicunt, carnẽ in Diuinitatem eſſe conuerſam, & eiuſdem factã eſſentię, cuius eſt ipſa diuinitas.

5 Noui Manichæi, vt refert Nicolaus Eymericus, par.2. director. Inquiſitorum, q.13. circa annum Dñi 1180. aſſeruerunt, Chriſtum non habuiſſe verũ corpus, nec verã carnem, ſicut habent cæteri homines, nec verè fuiſſe paſſum, & mortuũ in cruce, nec verè reſurrexiſſe à mortuis, nec verè aſcendiſſe ad cælũ in corpore, & carne humana; ſed omnia in ſimilitudine facta fuiſſe. Poſtea anno 1200. eundẽ errorem ſequuti ſunt Albanenſes, aſſerẽtes, ꝙ Filius Dei Chriſtus non aſſumpſit naturã humanam in veritate, ſed ſimilem in B.Virgine, quòd non verè comedit, nec verè bibit, nec verè paſſus eſt, nec verè mortuus, nec verè reſurrexit, ſed putatiuè. Ita refert S. Antoninus 3.par. Summæ tit.11. c.7.§.5. denique Anabaptiſtæ, vt refert Cochleus de erroribus Anabaptiſtarũ anno 1530. dixerũt, Chriſtũ non habuiſſe veram carnẽ ex Maria aſſumptam, nec fuiſſe verũ hominẽ, ſed habuiſſe corpus phãtaſticũ, nec verè, ſed tantũ per phãtaſma mortuũ eſſe. Vnde vt refert Caniſius lib.1.de corruptelis Verbi Dei prope Heidelbergã anno 1571. publicè facta eſt Anabaptiſtis poteſtas diſputãdi illam quæſtionem, an Chriſtus ex Virgine carnem aſſumpſerit, an aliunde.

6 Contra omnes iſtos hæreticos ſtatuitur vnica concluſio. Secundum Fidem Catholicã aſſerendum eſt, Verbum diuinum carnem veram humanã aſſumpſiſſe, non autem phantaſticam, ſed eiuſdẽ eſſentię cum carne reliquorum hominũ. Probatur hæc concluſio. Primo ex ſacris litteris, præſertim ex illo Io. 1.[Et Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis.] Ex quo teſtimonio probãt, noſtrã concluſionẽ eſſe de Fide SS. Patres quamplurimi tã Græci, quã Latini. Inter Gręcos S. Ignatius epiſt.ad Trallianos, vbi inter alia inquit: [Verè aſſumpſit corpus; Verbum enim caro factum eſt, & vixit inter homines ſine peccato. Quis enim ex vobis arguet me de peccato? Verè edit ac bibit, crucifixus, & mortuus eſt ſub Pontio Pilato, vere, inquam, non hominum opinione crucifixus & mortuus eſt, &c.] Et in epiſt.ad Smyrnẽſes: [Affixus eſt cruci pro nobis in vera carne, ex qua & nos ſumus, per diuinam, beatamq; paſſionẽ eius, &c. Omnia hæc paſſus eſt propter nos, & vere paſſus eſt, nõ opinione, ſicut & vere reſurrexit, &c.] Eodẽ teſtimonio vtitur ad idẽ probãdum inter Latinos Nouatianus, qui anno 7 Domini 240. claruit. Is enim lib.de Trin.cap.10.ſic loquitur: [Ait Ioãnes, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt merito corpus noſtrũ in illo fuerit, quoniam quidem noſtrã carnem ſermo ſuſcepit. Et ſanguis idcirco, de manibus, ac pedibus, atque ipſo latere demanauit, vt noſtri conſors corporis probaretur, dũ occaſus noſtri legibus moritur. Qui dum in eadem ſubſtãtia corporis reſuſcitatus ipſius corporis vulneribus cõprobatur, etiã reſurrectionis noſtræ leges in ſua carne monſtrauit, qui corpus, quod ex nobis habuit, in ſua reſurrectione

ne reſtituit.] S.Thom.4.cont.gent. cap.29.vbi Manicheorum errorem impugnans ex loco præallegato Ioan.1.ait:[Cum carnis ſimilitudo, caro non ſit; neque ſimilitudo ambulationis,ambulatio,& in cæteris ſimilibus, mentitur Scriptura, dicens:[Verbum caro factum eſt,] ſi ſolum phantaſtica caro fuit, mentitur etiam dicens, Ieſum Chriſtũ ambulaſſe, comediſſe, mortuum fuiſſe, & ſepultum, ſi hæc in ſola phantaſtica apparitione contigerunt.]

8 Secundus locus habetur Ioa.20. [Palpate, & videte, quòd ſpiritus carnem, & oſſa non habet.] Quibus verbis Chriſtus Dominus aſſũptæ carnis humanæ veritatẽ comprobauit, vt oſtendunt Hippolytus epiſt. ad quandam Reginam, Ioan. Chryſoſt.homil.de Ioanne Baptiſta: [Qui intrauit, inquit, per oſtia clauſa, non erat phantaſma, non erat ſpiritus, vere corpus erat. Quid enim dicit: Reſpicite, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, quæ me habere videtis. Habebat carnes,habebat oſſa, & clauſa erant oſtia.]

9 Tertius locus eſt Ioan. 6. [Niſi manducaueritis carnẽ Filij hominis,& biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitã in vobis.] Caro autem & ſanguis partes ſunt,hetereogeneæ veri corporis humani, ex quo teſtimonio Caſſiodor. ad Pſal. 33. ſic cõcludit:[Caro Chriſti,quæ licet ex humana natura ſumpta ſit, non tamen eam, vt vnius hominis ex nobis exiſtimare debemus,peccati alicuius contagione pollutã; ſed adorabilem,ſalutiferam,viuificatricem, quæ peccata dimittit propter Verbum,cui adunata eſt.]

10 Quartus locus habetur Lucæ 1. [Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum, &c.] Quem locum expendens Petrus Chriſologus, ait:[Propter reuerentiam dixiſſe ſuffecerat,Cõcipies: quod exaggerat in vtero; quid eſt?vt conceptus eſſet veritas, non figura,vt partus eſſet proprietas,non imago, vt ſicut de Deo vero, verus Deus natus eſt, ſic de vero conceptu veritas humani corporis naſceretur.In ortu Chriſti humani corporis iniuria ſublata eſt, nõ natura;nec eſt creatura deleta, ſed culpa dãnata. Eſt ergo hæreſis, quæ Chriſtũ aereum corpus aſſumpſiſſe mentitur,nec habuiſſe carnẽ, ſed hominem ſimulaſſe confingit.] Idẽ obſeruat Theophylact. ad cap. 1.Lucę,& Arnobius iunior,qui anno Domini 440.claruit:[Natus,inquit,non aereus,ſed corporeus; nõ in phantaſia, ſed carnem, oſſa,ſanguinem,ſenſum, & animã geſtans: paſſus crucem ſecundum Scripturas,vere mortuus eſt,vere ſepultus, vere à mortuis tertia die reſurrexit.Hoc tamen in eo eſt mortuum, quod mori potuit.] Et Iſidorus Hiſpalenſis lib. de doctrina, & Fide Eccleſiaſticorum dogmatũ cap. 2. [Natus eſt,inquit,Dei Filius ex homine,non per hominem, id eſt,non ex viri coitu,ſicut Ebion dicit; ſed virginem carnem,ex Virginis corpore trahens, non de cælo ſecum afferens, ſicut Marcion, & Eutyches affirmant; nec in phantaſia, id eſt, abſque carne, ſicut Valentinianus dicit; neque phantaſtice,id eſt, putatiue imaginatum,ſed corpus verum.

Petrus Chryſol. ſerm.14.

Arnob.in conflictu de Deo trino & vno.

Quintus locus habetur Iſaiæ 7. 11
[Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, &, vt oſtenderet Filiũ

Dei veram carnem humanam ex B. Virgine aſſumpſiſſe; ſubdit cap. 11. [Egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcēdet.] Quem locum explicans S. Bernardus lib. 5.de Conſiderat. cap. 1.ait: [Alieni ſunt à nobis, qui Chriſti à nobis carnem alienare conantur; nouam creatam in Virgine, & non de Virgine ſumptam impiè aſſerentes. Pulchrè propheticus ſpiritus longe ante occurrit huic ſententiæ,immò blaſphemiæ impiorum: [Egredietur,inquiens, virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.]Dixiſſe poterat, & flos de virga; ſed maluit de radice, vt vnde virgam, inde florem deduxiſſe originem demonſtraret. Inde igitur ſumpta caro, vnde Virgo, nec noua in Virgine,quæ prodijt ex radice.]

12 Secundo probatur auctoritate ſanctorum Patrum tam Eccleſiæ Græcæ, quam Latinæ. Inter Græcos nāque,præter Ignatiū,& Chryſoſtom.allegatos ſupra,Irenæus lib. 5.cap.7.[Vani ſunt,ait,qui putatiuè dicunt,eum apparuiſſe:nō enim putatiuè hæc, ſed in ſubſtantia veritatis fiebant. Origenes lib. 1. de principijs: [Chriſtus corpus aſſūpſit noſtro corpori ſimile, eo ſolo differens, quòd natum ex Virgine de Spiritu ſancto eſt. Et quoniam Ieſus Chriſtus natus,& paſſus eſt in veritate, & non per imaginem, cōmuni hac morte verè mortuus eſt; verè etiam à mortuis reſurrexit, & poſt reſurrectionem cum diſcipulis ſuis conuerſatus, aſſumptus eſt.] Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 4. de generatione filij: [Crede, quòd hic vnigenitus Dei Filius propter peccata noſtra de cælo deſcendit in terram, & earundem affectionum cum nobis aſſumpſit humanitatem, & natus eſt ex Maria Virgine & Spiritu ſancto: non opinione, non phantaſia,humanitatem aſſumpſit,ſed in veritate: non tanquàm per canalem tranſiens per Virginem, ſed verè incarnatus ex ipſa,lacte nutritus verè, vereq; comedens,ſicut & nos: ſi enim phantaſma erat illa incarnatio,phantaſma & ſalus.] Idem catecheſi 13. probat, crucem, paſſionem,& mortem Chriſti Domini fuiſſe veram, & realē, non fictitiam, & imaginariam. Eandem concluſionem docēt Epiph. hæreſi 20. Cyrillus Alexandrinus de recta in Deum Fide ad Theodoſium,Nicephorus,Calixtus
lib. 1.Eccleſiaſt. hiſt. cap.23. Inter 13
Latinos Tertull. lib.de carne Chriſti cap.1. & 5. Hilarius lib. 10. de Trinit. Hieron. ad cap.14. Matth. Proſper ſent.64. Fulg. lib.de Fide ad Petrum cap.2. Petrus Lombard. lib.3. ſent. diſt.2. S.Thomas in hoc art. S.Bonauent.par.4.breuiloquij, cap.3.& 8. & alij,quorum teſtimonia refert Iodocus Coccius in Theſauro Catholico lib. 2. de Chriſto Saluatore art.1. & Petrus Creſpecius in Summa Catholicæ Fidei, verbo,Chriſtus incarnatus.

Tertio probatur ex definitione 14
Conciliorū;etenim in Cōcilio Bracharenſe cap.2. definitur: [Si quis Chriſtū in vera hominis natura eſſe non credit, ſicut Cerdon,Marcion, Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.]& in Conc. Later.ſub Martino Papa cōſult.5. c.2. [Si quis ſecundū Patres Sanctos nō confitetur propriè, & verè ipſum vnum ſanctæ, & conſubſtantialis,& venerandæ Trinitatis Deum Verbū è cælo deſcendiſſe, & incarnatum ex Spiritu ſancto,ex Maria ſemper Virgine, & hominem factum,crucifixum

Digitized by Google

cifixum carne, propter nos ſponte paſſum, ſepultumque; & reſurrexiſſe tertia die, & aſcendiſſe in cælos; atque ſedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum paterna gloria, cum aſſumpta ab eo intellectualiter animata carne iudicare viuos, & mortuos; ſit condemnatus.] Præterea probatur tribus rationibus Theologicis, quas pro eadem veritate adducit S. Thomas in corpore huius articuli. Argumenta, quibus hæretici hanc veritatem impugnant, Diſput. 2. adducta ſunt, & ſoluta.

DISPVTATIO XXVIII.

Vtrum ſanguis Chriſti fuerit vnitus Verbo diuino hypoſtaticè.

PRo huius explicatione notandum eſt cum Ca-
15 ietano infra q. 54. art. 2. & 1. p. q. 119. ar. 1. quòd ſanguis eſt duplex, alter perfectus, & plenè decoctus, alter nutrimentalis, qui non habet perfectam rationem ſanguinis. Quæ quidem diſtinctio, (licet Vaſquez diſput. 36. cap. 5. nu. 20. cõtra dicat) habet magnum fundamentum in S. Thoma quodlib. 5. art. 5. in corp. vbi diſtinguit Chriſti ſanguinem nutrimentalem, qui ad veritatem naturæ humanæ non pertinet, à ſanguine perfecto, qui pertinet ad veritatem naturæ humanæ. Concluſio ergo S. Thomæ intellecta de ſanguine perfecto, eſt ita certa, vt eam negare ſit erroneum in Fide; etenim in Extrauaganti Vnigenitus de Pœnitentijs, & remiſſionibus, quæ eſt Clementis ſexti, videtur definita ſub his verbis: [Qui in ara Crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamẽ propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſufficiat; ſed velut quoddam profluuium noſcitur effudiſſe.] Vbi illa Verba, propter vnionẽ ad Verbum, planè referuntur ad ſanguinẽ, & non ad ſolam humanitatem: & ſenſus eſt, guttam ſanguinis effuſi in paſſione Dominica, ſufficere pro redemptione, & ſalute totius generis humani; quia nimirum vnitus erat Verbo hypoſtaticè. Vnde & in ſacris litteris redemptio generis humani tribuitur ſanguini Chriſti Domini in paſſione effuſi, vt patet Lucæ 22. [Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.] Ad Epheſ. 1. [In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.] & 1. Petri 1. [Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati.] Quæ teſtimonia, & alia ſimilia ſignificãt, ſanguinem effuſum fuiſſe infiniti valoris, non ſolũ moraliter, & in genere meriti, ſeu ex parte actionis offerentis; (nam ſecundum hanc rationem præcisè, quælibet actio Chriſti fuit infinitè meritoria, & ſatisfactoria, vt ſupra dictum eſt) ſed etiam ex parte rei oblatę, quia videlicet ſanguis oblatus erat Verbo hypoſtaticè vnitus. Diſp. 4.
Confirmatur hoc ex Conc. Triden. 16
ſeſſ. 13. cap. 3. de Sacramento Euchariſtiæ, ex quo habetur, quòd in Sacramento Euchariſtię eſt diuinitas per realẽ concomitantiam: ergo diuinitas eſt vnita ſanguini hypoſtaticè. De alijs autem humoribus vt flegma bile, &c. ſatis probabile eſt, vnitos fuiſſe hypoſtaticè Verbo diuino, ſicut eſt probabile eoſdem humores informari anima rationali in homine, ſecundum gradum vegetatiuum.

Digitized by Google

Primũ argumẽtũ. Sed contra hanc doctrinam eſt argumentum. Si ſanguis eſt hypoſtaticè vnitus diuinitati, ergo etiã ſeparatus in triduo manſit vnitus diuinitati. Probatur conſequentia: quia anima Chriſti Domini in triduo manſit vnita hypoſtaticè diuinitati, & ſimiliter corpus; quoniam à principio fuerunt illi hypoſtaticè vnita: ergo idem dicendum erit de
17 ſanguine. Conſequens autem videtur falſum; quia ſancti Doctores, & Scholaſtici ſolum docent, animam ſeparatã, & corpus relictum in ſepulcro manſiſſe vnita ſubſtantialiter, & hypoſtaticè diuinitati: ergo.

Secundũ. Secundo. Filius Dei quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; vt habet axioma Theologorum vulgatũ ex S. Damaſceno deſumptum; ſed dimiſit ſanguinem: ergo non fuit aſſumptus, aut vnitus Verbo hypoſtaticè. Minor probatur. Vt refert Syluester in roſa aurea, tract. 3. q. 31. Pius II. definiuit, quòd multæ particulæ ſanguinis Chriſti reſeruantur apud nos, quas tamen conſtat non eſſe vnitas Verbo hypoſtaticè, alias aliquid Verbo incarnato hypoſtaticè vnitum, non fuiſſet aſſumptum in cælum, ſed in propria ſpecie maneret nobiſcum in terris.

Tertium. Tertio. Probabilis opinio eſt plurium philoſophorum, quòd ſanguis non informetur in homine anima rationali, ac per conſequens etiam eſt probabile, quòd non ſit pars integralis naturæ humanæ: ergo probabile eſt, quòd non ſit aſſumptus à Verbo, aut illi hypoſtaticè vnitus.
18 Probatur conſequentia. Verbum ſolum aſſumpſit partes eſſentiales naturæ humanæ, & integrales, quæ informantur anima rationali, alias aſſumpſiſſet vngues, capillos, & ſimilia, quod non eſt admittendum.

Ad primum. Ad primum argumentũ reſpondetur. Sanguis Chriſti perfectus, & bene decoctus, etiam ſeparatus à corpore in triduo manſit vnitus diuinitati. Et ad impugnationem dicendum, quòd ſancti Doctores, aſſerẽdo, corpus Chriſti in triduo mortis manſiſſe vnitum diuinitati; dictum idipſum putarunt de ſanguine, quia pertinet ad veritatem humanæ naturæ, & ad integritatem corporis humani. Vnde ſicut brachium, ſi fuiſſet in triduo abſciſſum à corpore Chriſti, adhuc maneret in tali caſu diuinitati vnitum; ita id ipſum ſentiendum eſt de ſanguine perfecto à corpore ſeparato.

Ad ſecundum. Ad ſecundum negatur minor, 19 ſi intelligatur de ſanguine perfecto. ad probationem reſpondetur, dictum illud Pij Secundi verificari de ſanguine nutrimentali, qui, vt dictum eſt, non fuit hypoſtaticè diuinitati vnitus; nam ſanguis perfectus fuit in reſurrectione totus reaſſumptus, vt conſtat ex S. Tho. infra, q. 54. art. 2. ad 3. & quodlib. 5. art. 5. Secundo reſpondetur, quòd, vt dicit S. Thomas locis modo allegatis, ſanguis ille, qui in quibuſdã Eccleſijs pro reliquijs cõſeruatur, non fluxit de latere Chriſti, ſed miraculoſè dicitur effluxiſſe de quadam imagine Chriſti percuſſa.

Ad tertium. Ad tertium reſpondetur, opinionem illam nõ eſſe probandam, quæ aſſerit, ſanguinem in homine anima rationali non informari: nam oppoſitum conſtat ex Ariſt. lib. 2. de partibus animalium cap. 2. qui inter partes animalis enumerat ſanguinem: & lib. 3. de hiſtoria animalium cap. 19. [Sanguis, inquit, quamdiu vita ſeruatur, ſemper viuus animatur, & feruet.] & S. Thom. locis citatis expreſſe docet, quòd ſanguis per-

pertinet ad veritatem humanæ naturæ,quod vtique non eſſet verum, ſi ſanguis non informaretur anima rationali.

ARTICVLVS III.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit animam.

1 Concluſio affirmatiua eſt de fide,habetur ex Matthæi 26. [Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.] & Ioan. 10. [Poteſtatem habeo ponendi animam meam.] Ratione probatur. Anima pertinet ad ſpeciem humanæ naturæ; caro enim,& cæteræ partes hominum per animam ſpeciem ſortiuntur; ſed Filius Dei aſſumpſit veram naturam humanam, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo & animam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei aſſumere debuerit intellectum.

2 Concluſio eſt affirmatiua,habetur ex Iſaiæ 52. [Ecce intelliget puer meus.] vt probat Auguſtinus lib. de Fide ad Petrum cap. 14. Præterea probatur. Si Chriſtus animam ſine mente habuiſſet, talis anima non fuiſſet capax gratiæ,nec potuiſſet mereri. Secundo ſequeretur, non habuiſſe carnem humanam,ſed beſtialem,vt arguit Auguſtinus lib. octuaginta trium quæſt. q. 80. Quia per ſolam mentem anima noſtra differt ab anima beſtiali.

Circa duos præcedentes articulos nulla eſt ſpecialis difficultas: videantur Caiet.Magiſter Medina, & alij expoſitores S. Thomæ.

QVAESTIO VI.

De modo aſſumptionis quantum ad ordinem.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit carnem mediante anima.

Prima concluſio. Secundum ordinē temporis Filius Dei nō aſſumpſit carnem mediante anima. Probatur, quia Filius Dei non aſſumpſit prius tempore animam, quàm carnem, ſed totam naturam humanam in eodem inſtanti vniuit ſibi.

Secunda concluſio. Secundum ordinē dignitatis poteſt dici, quòd Filius Dei vniuit ſibi carnem mediante anima; quoniam anima ſecundum dignitatem inuenitur media inter Deum,& carnem.

Tertia concluſio. Secundum ordinem cauſalitatis ipſa anima eſt aliqualiter cauſa carnis vniendæ filio Dei. Probatur; quia, vt dictum eſt q.4.art.1.caro humana præ cæteris eſt aſſumptibilis: ſed quòd ſit caro humana, habet per ordinem ad animam rationalem,cui vnitur: ergo caro non eſſet aſſumptibilis, niſi mediante anima.

In ſolutione ad ſecundum docet S.Thomas, quòd corpus vicinius eſt ſuppoſito proprio, quàm anima: ad cuius intelligentiam aduertere oportet, quòd, cum ſubſiſtentia pertineat ad ſuppoſitum, & naturam indiuidualem conſequa- 4

tur, dupliciter poteſt comparari ad naturam. Primo, tanquam ad potentiam, quam complet, non quidem informando, ſed terminando, vt ſupra dictum eſt. Secundo, tanquam ad formam, quatenus eſt eius effectus formalis ſecundarius, & completiuus effectus formalis primarij. Si ergo primo modo cõſideretur ſubſiſtentia, immediatius pertinet ad corpus, quod habet rationem materię, quàm ad animam, eo quòd indiuiduatio ſumitur à materia, & ſubſiſtentia immediatè terminat naturam indiuidualem, & iuxta hanc conſiderationem, intelligendus eſt ſanctus Thom. in præallegata ſolutione ad ſecundum. Si autem ſubſiſtentia conſideretur ſecundo modo, immediatius reſpicit animam, quàm corpus; quoniam eſt effectus ſecundarius animæ. Vtrum autem anima fuerit medium, quod, aſſumptionis corporis, an medium, quo, art. 3. & 5. explicandum erit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit animam mediante ſpiritu.

1 Concluſio eſt affirmatiua. Probatur primo, quia partes inferiores animæ non ſunt congruè aſſumptibiles, niſi mediante intellectu, per quem homo eſt capax Dei. Secundo, quia ſpiritus, ſiue intellectus inter cæteras partes animæ eſt ſuperior, ac dignior, & Deo ſimilior, & ideo Damaſcenus lib. 3. Orthodoxæ Fidei, cap. 6. Vnitum eſt, inquit, carni per medium intellectum Verbum Dei: ergo.

Dubitari poteſt quid in hoc 2
articulo intelligat S. Thomas nomine animæ, & ſpiritus, vel mentis. Magiſter Medina exiſtimat, nomine animæ intellexiſſe ſubſtantiam ipſius animæ, quatenus tribuit gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum: nomine autem ſpiritus, intellexiſſe eandem ſubſtantiam animæ, ſecundum quòd tribuit formaliter eſſe rationale, ſeu intellectiuum: & ſenſum ſancti Doctoris eſſe, quòd Filius Dei aſſumpſerit animam, quatenus tribuit gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum mediante ſeipſa, vt tribuit formaliter gradum intellectiuum. Hæc tamen explicatio non videtur ad mentem ſancti Thomæ: nam in ſolutione ad tertium huius articuli, vbi id explicãs, ait:
[Quòd anima (inter quam, & Dei 3
Verbum ponitur medium intellectus) non accipitur pro eſſentia animæ, quæ eſt omnibus potentijs communis, ſed pro potentijs inferioribus, quæ ſunt omni animæ communes.] Vnde dicendum eſt cum Caietano, ſanctum Thomam per animam intellexiſſe potentiam vegetatiuam, & ſenſitiuam, & per ſpiritum potentiam intellectiuam, & ſenſus illius eſt, quòd Verbum diuinum aſſumpſit potentias vegetatiuas, & ſenſitiuas, mediante potentia intellectiua ſecundum ordinem dignitatis, & cauſalitatis. Probatur hoc. Ordo cauſalitatis poſtulat diſtinctionem realem inter extrema, ſed inter ſubſtantiam animæ, quatenus tribuit gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum, & ſeipſam, vt tribuit gradum intellectiuum, non eſt diſtinctio realis: ergo anima, vt dat eſſe intellectiuum, non eſt medium ſecun-

eundum ordinem cauſalitatis, quo eadem anima, vt dat eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, ſit aſſumptibilis, vel aſſumatur à Verbo: non ergo eſt intelligendus ſanctus Thomas iuxta priorem, ſed iuxta poſteriorem ſenſum.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima à Dei Filio prius fuerit aſſumpta, quàm caro.

CONcluſio eſt negatiua, loquendo de prioritate temporis. Probatur, quia, ſi ponatur quòd fuerit prius tempore creata, & poſtea Verbo vnita, ſequeretur, quòd anima illa aliquando habuiſſet propriã ſubſiſtentiam ſine Verbo, & ſic non fuiſſet à Verbo aſſumpta, vel non eſſet facta vnio ſecundum ſubſiſtentiam, vel corrupta fuiſſet ſubſiſtentia animæ præexiſtens; quod eſt inconueniens. Si autem ponatur, quòd anima illa fuerit à principio Verbo vnita, & poſtmodum in vtero Virginis incarnata, ſequeretur, animam Chriſti non eſſe eiuſdem rationis cum animabus noſtris, quæ ſimul creantur, dum corporibus infunduntur.

DISPVTATIO XXIX.

Vtrum anima rationalis ſubſiſtat vt quod.

1 VT plenius intelligantur ea, quæ in hoc articulo, & reliquis huius quæſtionis docet ſanctus Thomas circa ordinem aſſumptionis inter partes humanitatis, & humanitatem ipſam, à Verbo aſſumptam, explicare oportet in primis, nam anima rationalis, dum eſt corpori vnita, habeat in nobis propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, vt quod: an vero ſolum ſubſiſtat, vt quo: ſed quoniam hæc difficultas habet proprium locum prima par. quæſt. 75. art. 2. & quæſt. 90. art. 2. & ibi pertractatur à Thomiſtis, ideo nunc eſt breuiter attingenda. Caietanus in hoc articulo, vt explicet rationem ſancti Thomæ, duo dicit. Dicit primo, animam rationalem, dum eſt in corpore mortali, ſubſiſtere, vt quo, non autem, vt quod, ſeparatam autem à corpore, ſubſiſtere vt quod incompletum, & tamquam ſemiperſonam. Addit tamen, quòd poſt reſurrectionem anima reuerſa ad corpus, retinebit eãdem ſubſiſtentiam, vt quod. Dicit ſecundo. Anima rationalis in ſtatu reſurrectionis non indiuiduatur à corpore, ſed potius indiuiduat ipſum corpus. Hoc dictum prius docuit Durandus in 4. diſt. 44. quæſt. 1.

Primum dictum Caiet.

Secundũ.

PRobat primum dictum Caiet. Anima, dum eſt in corpore, ſubſiſtit per hypoſtaſim, ſiue per ſubſiſtentiam totius: ergo non ſubſiſtit, vt quod, per ſubſiſtentiã propriam, aliàs ſimul haberet duplicem ſubſiſtentiam, vt quod. 2

Secundo. Anima, dum eſt in corpore corruptibili, non eſt ſemiperſona, ſed ſeminatura; quia eſt actu pars naturæ completæ: ergo non terminatur immediate per propriã ſubſiſtentiam incompletam, ſed per ſubſiſtentiam completam totius compoſiti: ergo non ſubſiſtit, vt quod, ſed ſolum, vt quo.

Tertio arguitur in fauorem huius

ius

ius ſententiæ. Si quãdo anima creatur in corpore, acquireret per creationem propriam ſubſiſtẽtiam, qua ſubſiſteret, vt quod, ſequeretur, quod anima Chriſti etiam ſubſiſteret per propriam ſubſiſtentiam diſtinctã à ſubſiſtentia totius ſuppoſiti. Conſequens non eſt admittendum: ergo. Maior probatur; nam anima Chriſti creata eſt in corpore: ergo ſi ex vi creationis acquirit anima propriam ſubſiſtentiam, per quam terminetur,& habeat eſſe independenter à corpore, ſequitur, quòd etiam id conueniat animę Chriſti. Minor autem probatur. Anima Chriſti non ſubſiſtit per aliquam ſubſiſtẽtiam creatam,ſed per ſolam ſubſiſtentiam Verbi, vt ſupradictum eſt: ergo non acquiſiuit per creationem aliquam ſubſiſtentiam creatam,qua ſubſiſteret, vt quod, aliàs debuiſſet corrũpi illa ſubſiſtentia creata, vt hypoſtaticè vniretur Verbo;quod eſt inconueniens, vt in hoc articulo dicit Sanctus Thomas.

Quarto, probatur ſecundum dictum,argumento Caietani. In multis hominibus tota materia corporis diuina virtute ſupplebitur,nimirum in illis, qui per multas generationes carnibus dumtaxat humanis nutriti ſunt: ergo in illis anima non indiuiduabitur à corpore; ſed potius indiuiduabit ipſum corpus; aliàs enim eadem anima indiuiduaretur ex diuerſis materijs.

Hæc ſententia Caietani, quantũ ad id, quod aſſerit, animam ſeparatam ſubſiſtere, vt quod, & tanquam perſonam incõpletam, communiter recipitur. Cæterum illa differentia, quam conſtituit inter animam exiſtẽtem in corpore mortali, & poſt reſurrectionem in corpore immortali, multis Thomiſtis non placet. Vnde pro reſolutione huius difficultatis ſupponẽda ſunt, quæ diximus, diſp. 14. vbi oſtenſum eſt contra aliquos Theologos, animam Chriſti, & eius humanitatem non habere propriam exiſtentiam; ſed formaliter exiſtere per exiſtentiam Verbi, quo ſuppoſito, ſit

PRima concluſio. Anima rationalis, etiã dũ informat corpus corruptibile,eſt id,quod ſubſiſtit, & id, quo totũ compoſitum ſubſiſtit. Probatur ex Sancto Thoma. 1.p.q. 76. art. 1. ad 5. vbi ait, [quòd anima illud eſſe, in quo ſubſiſtit, communicat materiæ corporali,ex qua & anima intellectiua fit vnum, ita quòd illud eſſe,quod eſt totius compoſiti, eſt etiã ipſius animæ, Quod non accidit in alijs formis, quæ nõ ſunt ſubſiſtẽtes,& propter hoc anima humana remanet in ſuo eſſe,deſtructo corpore, nõ autem aliæ formæ.] Propter hæc verba S. Thomæ Caiet. in eodem articulo primo docet, animam rationalem etiam in corpore mortali ſubſiſtere,vt quod. Idem docet clarius.S. Doctor in quæſtione de ſpiritualibus creaturis, art. 2. ad 3. vbi ſic ait. [Habet anima eſſe ſubſiſtens,in quantum eſſe ſuum non dependet à corpore,vt potè ſupra materiam corporalem eleuatum, & tamen ad huius eſſe cõmunionem recipit corpus, vt ſic ſit vnum eſſe animæ, & corporis; quod eſt eſſe hominis.] & in 1. ſentent.diſtinct.8.q.5. art. 2. ad ſecundum, inquit, [quòd anima ſine dubio habet in ſe eſſe perfectum, quamuis hoc eſſe non reſultet ex partibus componentibus quidditatem ipſius, nec per coniunctionem corporis efficitur ibi aliquod aliud eſſe, immo hoc ipſum eſſe, quod

eſt

Digitized by Google

eſt animæ per ſe, fit eſſe coniuncti; eſſe enim coniuncti, non eſt niſi eſſe ipſius formæ; ſed verum eſt, quòd aliæ formæ materiales propter earum imperfectionem, non ſunt per illud eſſe, ſed ſunt tantum principia eſſendi.] Quibus verbis non obſcure ſignificat, quòd, ſi anima intellectiua, dum eſt in corpore, ſolum ſubſiſteret, vt quo, nulla eſſet differentia, quantum ad hoc, inter illam, & aliàs formas ſubſtantiales; nam etiam aliæ formæ ſubſiſtunt, vt quo, in materia, & in toto compoſito.

6 Præterea probatur ratione. Anima rationalis fit per creationem: ergo per illam accipit eſſe ſubſiſtentiæ, & non per generationem: ſed per hoc, quod vnitur corpori non amittit illud eſſe; aliàs fruſtra produceretur à Deo per creationē: ergo: &c. Præterea. Iuxta noſtram concluſionem multo melius explicatur incorruptibilitas animæ, & myſteriū incarnationis, in quo anima Chriſti terminatur immediate per ſubſiſtentiam Verbi independenter à tota humanitate: ergo.

Secunda cōcluſio. Anima rationalis etiā in ſtatu reſurrectionis, nō indiuiduat corpus, ſed indiuiduatur à corpore. Concluſio eſt Magiſtri Soto in 4. diſt. 44 q. vnica art. 1. & videtur expreſſa ſentētia Diui Thomæ in primo ſentēt. diſt. 8. q. 5. art. 2. ad 6. vbi ait, [quod anima nō indiuiduatur niſi ex corpore, & ex hoc infert, quòd impoſſibilis eſt error ponentiū, animas prius creatas, & poſtea incorporatas; quia nō efficiuntur plures, niſi ſecundum quòd infundūtur pluribus corporibus] & prbatur. Indiuiduatio ſumitur à materia: vnde S. Thomas q. 2. de potentia art. 4. in fine corporis, & quæſt. 3. art. 10. in corp. & de ſpiritualibus creaturis art. 1. ad nonū, & 19. argumentum docet expreſsè, quòd materia eſt principium diſtinctionis ſecundum numerum in eadem ſpecie: ergo neceſſe eſt, in omni ſtatu ea, quæ ſolo numero diſtinguuntur; per materiam diſtingui, ſeu per habitudinem ad materiam. Confirmatur: nam aliàs ſequeretur, duas animas rationales in ſtatu reſurrectionis per ſeipſas diſtingui, ac per conſequens diſtinguerentur ſpecie: nam diſtinctio, quæ ſumitur à forma, eſt ſpecifica.

AD primum argumentum pro ſententia Caietani reſpondetur, animam rationalem, dum eſt in corpore, non habere duplex eſſe ſubſtantiale; ſed vnum tantum: quia illud eſſe ſubſtantiale, quod accepit per creationem, communicat toti humanitati, vt locis præallegatis docet Sanctus Thomas. Vnde in myſterio incarnationis in exequutione prius natura Verbum Diuinum communicauit ſuam ſubſiſtētiam animæ rationali, & mediante anima communicauit eamdem ſubſiſtentiam toti humanitati, vt patebit infra. 7

Ad ſecundum argumentum reſpondetur. Anima rationalis, dum manet in corpore, & eſt ſeminatura, & eſt ſemiperſona, vt ex præmiſſis conſtat. 8

Ad tertium negatur ſequela: ad probationem dicendum. Anima rationalis per creationem acquirit, vt quod, eſſe creatum in completum, niſi præueniatur ab eſſe increato. Verbum autem Diuinū aſſumendo animam rationalem, præuenit illud eſſe creatū, terminādo animā rationalem, & tribuendo illi eſſe diuinū, vt iam dictum eſt in ſuperioribus, & pa-

& patebit amplius diſp. ſeq. vnde non ſequitur, quòd anima Chriſti habeat exiſtentiam, aut ſubſiſtentiam creatam. Ex quo ſequitur, quòd ſi anima Chriſti relinqueretur à Verbo, acquireret ſtatim propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam virtute actionis diuinæ, qua fuit in inſtanti incarnationis creata.

Ad quartum argumentum reſpondet ex profeſſo S. Thomas 4. contra gentes cap. 81. ad 5. [quòd ſi homo ille non ſolis carnibus humanis eſt paſtus, ſed etiã alijs cibis, reſurgere poterit tantum de alio, quod ei aduenit materialiter, quod erit neceſſarium ad debitam quantitatem corporis reſtaurandam. Si vero ſolis humanis carnibus ſit paſtus, reſurget in eo, quod à generãtibus traxit, & quod defuerit, ſupplebitur omnipotentia creatoris. Quòd ſi parentes ex ſolis humanis carnibus paſti fuerint, vt ſic, & eorum ſemen, quod eſt ſuperfluum alimenti ex carnibus alienis generatum ſit, reſurget quidem ſemen in eo, qui eſt natus ex ſemine, loco cuius ei, cuius carnes comeſtæ ſunt, ſupplebitur aliunde: hoc enim in reſurrectione ſeruabitur: quòd ſi aliquid materialiter fuit in pluribus hominibus, reſurget in eo, ad cuius perfectionem magis pertinebat. Vnde, ſi fuit in vno, vt radicale ſemen, ex quo eſt generatus, in alio vero, ſicut ſuperueniens nutrimentum, reſurget in eo, qui eſt generatus ex hoc, ſicut ex ſemine: ſi vero in vno fuit, vt pertinens ad perfectionem indiuidui, in alio autem, vt deputatum ad perfectionẽ ſpeciei, reſurget in eo, ad quẽ pertinebat ſecundum perfectionem indiuidui; vnde ſemen reſurget in genito, & non in generante; & coſta Adæ reſurget in Eua, non in Adam, in quo fuit ſicut in naturæ principio: ſi autem ſecundum eundem perfectionis modum fuit in vtroque, reſurget in eo, in quo primitus fuit.]

ARTICVLVS IV.

Vtrum caro Chriſti fuerit prius à Verbo aſſumpta, quàm anima vnita.

Concluſio eſt negatiua: quia caro non debuit antea aſſumi quàm eſſet caro humana: ſed quòd ſit caro humana, habet ab anima rationali: ergo &c.

ARTICVLVS V.

Vtrum tota humana natura ſit aſſumpta mediantibus partibus.

Prima concluſio. Secundum ordinem intentionis tota humanitas fuit prius natura vnita Verbo, quàm partes. Probatur; quia vnio totius humanitatis fuit magis principaliter intenta ex parte agentis, quàm vnio partium: aſſumpſit enim corpus, & animam propter ordinem, quem habent ad humanam naturam: ergo.

Secunda concluſio. Via exequutionis ex parte materiæ prius natura fuerunt aſſumptæ partes humanitatis, anima videlicet, & corpus, quàm tota humanitas. Probatur: nam ex parte materiæ prius eſt incompletum quàm completum: partes autẽ humanitatis ſunt quid incompletum, humanitas autem eſt quid completum: ergo &c.

DI-

DISPVTATIO XXX.

Vtrum ordine exequutionis prius natura fuerint à Verbo aſſumpta partes humanitatis, quàm tota humanitas.

1 PRIMA ſententia eſt Caietani, quòd ſcilicet perſonalitas, & exiſtentia Verbi prius natura fuerit communicata partibus, quàm toti humanitati. Ratio potiſſima illius eſt. Nã ordo reſolutionis contrarius eſt ordini compoſitionis: ſed per mortem Chriſti humanitas illius prius eſt reſoluta per ſeparationem animæ à corpore: anima autem, & corpus in triduo ſecundum Fidem Catholicam, manſerũt vnita Verbo Diuino; quod enim ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit: ergo in exequutione Verbum Diuinum prius eſt vnitum partibus humanæ naturæ, quàm toti humanitati; aliàs enim fuiſſet nouum miraculum, quòd reſoluta Chriſti humanitate, partes eius, ſcilicet anima, & corpus, manerent Verbo Diuino hypoſtaticè vnitæ. Confirmatur. Si in exequutione partes humanæ naturæ non fuiſſent prius vnitæ Verbo Diuino, quàm tota humanitas, ſequeretur, quòd exiſterent vel ſubſiſterent per exiſtentiam Verbi dependenter à tota humanitate, quantum eſt ex vi aſſumptionis factæ à principio in vtero Virginis, ac per conſequens in triduo non fuiſſent Verbo vnitæ hypoſtaticè, niſi interueniret noua aſſumptio: quod tamen eſt ponere nouum miraculum. Probatur hoc. Partes humanitatis Chriſti ex vi primæ aſſumptionis non habebant eſſe, vt quod, ſed dumtaxat, vt quo. In triduo autem habebãt eſſe diuinum, vt quod; ergo ratione noui miraculi, vel nouæ aſſumptionis.

Secundo arguitur. Humanitas Chriſti, & partes humanitatis eius eodem modo habent eſſe in Chriſto poſt reſurrectionẽ, & ante mortem; quia Chriſtus eodem modo eſt homo, & idem homo, nunc, & ante; ſed poſtquam reſurrexit, partes habent eſſe diuinum, vt quod; etenim in triduo anima & corpus ſubſiſtebãt, vt quod, per eſſe diuinum; aliàs amiſiſſent per reſurrectionem eſſe Diuinum, quo in triduo ſubſiſtebãt vt quod: ergo via exequutionis prius fuerunt aſſumptæ, vt quod, partes humanitatis, quàm tota humanitas. 2

Confirmatur. In inſtanti reſurrectionis Dominicæ, in quo tota humanitas fuit vnita Verbo Diuino, partes fuerunt medium, vt quod: ergo ſimiliter cum à principio fuit humanitas in vtero Virginis vnita hypoſtaticè Verbo Diuino, partes fuerunt medium, quod, eiuſdem vnionis: ergo in exequutione prius fuerunt aſſumptæ, quàm tota humanitas.

Secunda ſententia eſt Magiſtri Medinæ, aſſerentis, partes quidem humanæ naturæ non fuiſſe medium quod, aſſumptionis, ſed medium quo, quatenus videlicet, prius natura, quàm humanitas aſſumeretur a Verbo, partes eiuſdem humanitatis componebant, & cauſabant totum. Verumtamen in exequutione nõn prius natura habuerunt ſubſiſtentiam Verbi, quàm tota humanitas, ſed potius è conuerſo. Pro qua ſententia eſt

Ter-

Tertium argumẽtum. S. Thomas in hoc articulo docet, quòd tota natura humana fuit ſimpliciter aſſumpta prius, quàm partes eius: ſi autem prius natura partes ſubſiſterent ſubſiſtentia Verbi, quàm totum, partes fuiſſent ſimpliciter loquendo prius aſſumptæ, quàm tota natura humana: ergo.

Cõfirmatur, quia S. Thomas eodem modo loquitur in articulo de vtraque parte naturæ humanæ, neque aſſignat aliquam differentiam inter animam & corpus, quo ad ordinem vnionis reſpectu totius: ſed corpus, quod eſt altera pars compoſiti, non prius natura exiſtit, aut ſubſiſtit, quàm ſubſiſtat totum; ſed in ſua ſubſiſtentia dependet à ſubſiſtentia totius: ergo ſicut corpus non fuit prius natura vt quod, aſſumptum à Verbo, quàm tota humanitas; ita etiam anima non fuit prius aſſumpta, quàm tota humanitas.

4 Quarto arguitur. Perſonalitas Verbi cum ſit completa, & perfectiſſima, non poteſt alicui tribuere niſi ſubſiſtentiam, & exiſtẽtiam completam: ſed anima, & corpus ſecundum ſe conſiderata in illo priori, antequam totum ſubſiſtat, non eſt capax ſubſiſtentiæ completæ: nam parti communicari non poteſt ſubſiſtentia completa, cum non habeat eſſentiam completam: ergo partes non fuerunt prius aſſumptę, vt quod, ſed tantum vt quo. Inter has duas ſententias media via procedendum eſt cum alijs Thomiſtis, pro cuius explicatione ſit

5 PRima Concluſio. Anima Chriſti ſecundum ordinem exequutionis prius natura fuit aſſumpta à Verbo; quàm tota humanitas, ita videlicet, vt ipſa anima prius natura ſubſiſteret, vt quod, per ſubſiſtentiam verbi, quàm tota humanitas.

SEcunda concluſio. Corpus ordine exequutionis non fuit prius aſſumptum vt quod, quàm tota humanitas; ſed ſolum, vt quo. Itaque non fuit illi prius in ſigno rationis communicata ſubſiſtentia Verbi, aut eius exiſtentia, quàm toti humanitati. In prima concluſione conſentio cum Caietano. In ſecunda vero cum Magiſtro Medina. Probatur ſimul vtraque concluſio. In aſſumptione humanitatis Verbum diuinum ſeruauit, quãtum fieri potuit, ordinem, qui in generatione hominis ſeruatur, quia non ſunt in hoc myſterio multiplicanda abſque neceſſitate miracula: ſed in generatione hominis, anima rationalis, quæ à Deo creatur in corpore, prius natura ſubſiſtit, & exiſtit, vt quod, quàm ſubſiſtat totum compoſitum, vt ſupra oſtenſum eſt; corpus autem non prius ſubſiſtit, vt quod, quàm totum compoſitum; ergo idem ordo quo ad exequutionẽ ſeruatus eſt in aſſumptione humanitatis, ac per conſequens anima rationalis prius natura habuit ſubſiſtentiam Verbi, quàm tota humanitas, non autem corpus. 5

Confirmatur. Si anima rationalis Chriſti non habuit prius natura ſubſiſtentiam Verbi, quàm tota humanitas, ſequitur, quòd non fuerit producta per creationem, ſed per generationem totius; conſequens autem non poteſt admitti: ergo. Sequela probatur. Sicut res ſe habet ad eſſe, ita & ad fieri: ergo ſi anima rationalis Chriſti non habet eſſe, vt quod, aut ſubſiſtere, ſed ſolum vt quo, ſequitur, quòd non fuerit producta per ſpecialẽ actionem, 6

nem, ſcilicet per creationem, ſed comproducta per generationem ad productionem totius. Ergo neceſſe eſt dicere, quòd, ſicut anima rationalis in nobis prius natura habet, vt quod, propriam ſubſiſtentiam partialem productam per creationem, antequam ſubſiſtat totum compoſitum; ita anima Chriſti ſecundum ordinem exequutionis prius fuit terminata per ſubſiſtentiam Verbi, quàm fuerit tota humanitas terminata: etenim Verbum Diuinum, aſſumendo humanitatem, eodem ordine ſuppleuit ſubſiſtentiam propriam animæ rationalis, & totius humanitatis, quo in nobis anima ipſa per creationẽ, & humanitas per generationem acquirunt eſſe ſubſiſtentiæ propriæ.

7 Dubium graue. Ratio dubitandi. Hinc autem conſurgit non mediocris difficultas, vtrum anima Chriſti fuerit prius creata, quàm aſſumpta. Ratio dubitandi eſt: nam creatio cum ſit vera actio, eſſe non poteſt, neque intelligi abſque proprio termino: terminus autem productus per creationem eſt eſſe creatum, quia creatio eſt productio entis ex nihilo: ergo ſi anima Chriſti prius natura fuit creata, quàm aſſumpta, ſequitur, quòd prius habuerit eſſe & ſubſiſtere creatum, quàm aſſumeretur à Verbo; quod eſt inconueniens; aliàs enim oportuiſſet, quòd illud eſſe creatum corrumperetur, vt anima aſſumeretur à Verbo. In oppoſitum autem eſt argumentum: nam aſſumere eſt aliquid ad ſe ſumere, vt ſupra dicit Sanctus Thomas. q. 3. art. 1. Ergo prius intelligitur, quòd anima rationalis habeat eſſe per creationem, quàm per aſſumptionem: ergo prius fuit creata quàm aſſumpta. Confirmatur. Inter aſſumptionem, & creationem animæ Chriſti fuit aliquis ordo prioris, & poſterioris ſecundum ordinem rationis: ſed non fuit prius aſſumpta, quàm creata; ergo fuit prius creata, quàm aſſumpta, ſed proprius terminus creationis eſt eſſentia rei ſub actu exiſtendi: ergo in illo priori rationis, in quo anima Chriſti intelligitur creata, debet intelligi ſub actu exiſtendi, vel ſubſiſtendi creato.

8 Hanc difficultatem attingere cepi diſp. 13. & 14. ad cuius reſolutionem aduertere oportet, creationem animæ Chriſti poſſe dupliciter conſiderari. Primo in fieri, ſecundo in facto eſſe, ſiue in termino, quatenus videlicet intelligitur perfectè completa, & terminata. Dicendum eſt ergo, quòd creatio animæ Chriſti in fieri præintelligitur, & præſupponitur ad aſſumptionẽ, non autem in facto eſſe, ſiue in termino; quin potius è conuerſo aſſumptio in ſuo termino præintelligitur creationi in facto eſſe. Vnde hæc propoſitio abſolute eſt falſa: Anima Chriſti prius fuit creata, quàm aſſumpta; hæc autem eſt vera: anima Chriſti prius fuit aſſumpta, quàm fuerit creata. Cæterum ſi creatio accipiatur in fieri, hæc proprie eſt concedenda: anima Chriſti prius creatur; quàm aſſumatur; quoniam ad eius veritatem non requiritur, quòd ante aſſumptionẽ anima prius habuerit actum exiſtentiæ; ſed ſufficit, quòd quantum eſt ex vi creationis, anima illa haberet actum proprium exiſtentiæ creatæ, niſi præuenta fuiſſet ab exiſtentia Verbi ſibi communicata per aſſumptionem. Quia tamen exiſtentia illa creata impedita fuit, & præuenta a ſubſiſtentia Verbi ſibi communicata per aſſumptionem; ideo

ideo creatio animæ non fuit terminata, & completa, per ſubſiſtētiam creatam, ſed per diuinam ſubſiſtentiam. Neque eſt inconueniens, quòd ex duabus actionibus in diuerſo genere cauſæ, vna ſit prior altera in fieri, poſterior autem in termino, ſiue in facto eſſe. Habemus exemplum manifeſtum in intellectione, & dictione, quæ ſunt duæ actiones intellectus formaliter diuerſæ, & tamen intellectio pro vt eſt in fieri, præſupponitur ad dictionem: cæterũ ex parte termini dictio ſeu productio Verbi præſupponitur ad intellectionem, eo quòd intellectio fit in Verbo producto, tanquam in obiecto, & termino intrinſeco, vt docent communiter Thomiſtæ. 1. p. q.27. Vnde S.Thom.1.p.q.34.art.1. ad 3. ait, [quòd ideo intellectus producit Verbum lapidis,] quoniã intelligit lapidē: & ratio huius eſt, quia eſſe prius natura, prout accipitur in præſenti idem ſignificat, quod eſſe prius cauſalitate; quia ergo creatio animæ Chriſti in fieri eſt quodammodo cauſa aſſumptionis in genere cauſæ materialis, eo quòd, vt ſupra dictum eſt, aſſumptio eſt alicuius ad ſe ſumptio: vnde res aſſumenda in genere cauſæ materialis debet præſupponi ſaltem in fieri ad aſſumptionem: aſſumptio autem ex parte termini eſt prior creatione animæ; quaſi in genere cauſæ formalis: nam creatio animæ Chriſti non conſequuta eſt ſuum terminum, ſcilicet exiſtentiam vel ſubſiſtentiam, niſi dependenter ab aſſumptione, per quam communicata eſt illi ſubſiſtentia Verbi. Vnde creatio animæ terminata fuit, & completa per ſubſiſtentiam Verbi; terminus autem reducitur ad cauſam formalem: vnde in genere materialis cauſæ creatio in fieri fuit prior aſſumptione: cæterum aſſumptio in genere cauſæ formalis, vel quaſi formalis fuit prior creatione animæ in facto eſſe.

Et per hæc patet ſolutio ad argumenta facta pro vtraque parte dubitationis propoſitæ. Ad primam rationem dubitandi reſpondetur ſolum concludere, animam Chriſti non prius fuiſſe creatam, in facto eſſe, quam aſſumptam. Ad aliam rationem in oppoſitum reſpondetur, quòd vt anima rationalis aſſumatur a Verbo, ſufficit, vt ante aſſumptionem intelligatur creari in fieri. Ad confirmationem iam patet ex dictis, qualis ſit ordo prioris & poſterioris, qui inter creationem animæ, & eius aſſumptionem reperitur. *Ad rationem dubitandi.*

10 AD primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, non eſſe neceſſarium, quòd ordo reſolutionis ſit contrarius ordini compoſitionis, niſi in compoſitis, conſtantibus ex pluribus entibus in actu, ſicut eſt domus. Cæterum quando compoſitum, ſeu totum conſtat ex pluribus entibus in potentia, non ſeruatur ex neceſſitate talis ordo, vt patet in continuo. Etenim partes continui poſt diuiſionem manent exiſtentes in actu, & tamen ſecundum ordinem compoſitionis nunquam habuerunt eſſe prius, quàm totum. Quia ergo humanitas, ſeu homo non conſtat ex pluribus in actu, ſed in potentia; ideo non oportet, quòd ordo compoſitionis ſit ordini reſolutionis contrarius. Vnde ex eo, quòd corpus Chriſti in triduo manſerit vnitum Verbo hypoſtaticè, ſicut & anima, ita vt eſſet quid ſubſiſtens per ſubſiſtentiam eiuſdem Verbi; non ſequi-

ſequitur, quòd à principio fuerit prius aſſumptum, quàm humanitas: & ratio huius eſt, quoniam in fieri aſſumptio corporis fuit dependens ab aſſumptione humanitatis; tamen in facto eſſe poſt vnionem factã, vnio hypoſtatica corporis cũ Verbo, non fuit dependens ab vnione totius humanitatis; quia videlicet Deus ita voluit exequutioni mandare incarnationis myſterium, vt Verbum Diuinum etiam in triduo mortis nunquam dimitteret partes ſubſtantiales naturæ huma-
11 næ, quas ſemel aſſumpſit. Habet hæc ſolutio magnum fundamentum in Sancto Thoma art. 1. huius quæſtionis ad tertium, vbi ait, [quòd nihil prohibet aliquid eſſe cauſam alicuius, quantum ad aptitudinem, & congruitatem, quo tamen remoto, illud non tollitur; quia & ſi fieri alicuius dependet ex aliquo, poſtquam tamen eſt in facto eſſe ab eo non dependet, ſicut ſi inter aliquos amicitia cauſatur aliquo mediante; eo recedentẽ, adhuc amicitia remanet: & ſi aliqua in matrimoniũ ducitur propter pulchritudinem (quæ facit congruitatem in muliere ad copulam coniugalem;) tamen pulchritudine ceſſante adhuc durat copula coniugalis, & ſimiliter ſeparata anima remanet vnio Verbi ad carnem.] Ad id, quod obijcitur de nouitate miraculi, reſpondetur, quòd ſicut partes continui abſque vllo miraculo per diuiſionem fiunt exiſtentes in actu, quæ ante diuiſionẽ ſolum exiſtebant in potentia ſine in toto; ita non fuit nouum miraculum, quòd Verbum Diuinum manſerit in triduo hypoſtaticè vnitum cadaueri; ſed fuit effectus conſequutus ex priori miraculo, quo Verbum caro factum eſt. Et per hæc reſpondetur ad confirmationem, quòd animæ rationali communicata fuit per aſſumptionem ſubſiſtentia Verbi prius natura, quã eſſet vnita humanitati: corpus autem, quamuis in fieri fuerit aſſumptum dependenter ab aſſumptione totius humanitatis; tamen in facto eſſe ſuppoſita vnione facta à principio, vnio hypoſtatica Verbi cum corpore non fuit dependens ex vnione cum tota humanitate, vt dictum eſt. Ad confir.

12 Ad ſecundum argumentum reſpondetur. Corpus Chriſti poſt reſurrectionẽ nõ exiſtit, vt quod, per eſſe diuinum; quoniam exiſtit dependenter à tota humanitate, cuius eſt pars actu, ſicut exiſtebat ante mortem; & ratio huius eſt, quoniam exiſtentia Verbi manſit vnita hypoſtaticè corpori Chriſti poſt reſurrectionem, quatenus denuo fuit informatum animæ rationali, & factum pars actu naturæ humanæ; corpus enim, dum eſt animæ vnitum, non vendicat ſibi propriam exiſtentiam, aut ſubſiſtentiam partialem. quia non producitur per nouam actionem, ſicut producitur anima; ſed per eamdem, qua generatur, vel producitur totum compoſitum. Nec ex hoc ſequitur, per reſurrectionem aliquid amiſiſſe corpus Chriſti; quin potius nobiliori modo habuit eſſe: nam in triduo erat mortuum, & poſt reſurrectionem eſt corpus viuum, ſubſiſtens eadem ſubſiſtentia diuina, qua tota humanitas ſubſiſtit: ſed in triduo erat ſubſiſtens, tanquam pars in potentia totius humanitatis: poſt reſurrectionem autem ſubſiſtit ſolum, tanquam pars actu eiuſdem humanitatis.

Melius eſt autem corpori eſſe actu partem humanitatis, quàm ſolum in potentia, & conſequenter melius eſt illi ſubſiſtere vt quo, in toto, quàm ſubſiſtere, vt quod, ſeparatum à toto compoſito.

13 Ad tertium argumētum factum pro ſententia Magiſtri Medinæ, fatemur quidem, Sanctum Thomam docuiſſe, vtramque partem humanitatis ſecundum ordinem exequutionis fuiſſe prius aſſumptam, quàm totam humanitatem. Vtrum autem vtraque pars fuerit prius aſſumpta vt quo, vel vt quod, aut ſolum altera; non determinat ibidem Sanctus Doctor, ſed illud ſupponit ex ordine, quem natura ſeruat in hominis generatione, cui aſſumptio humanitatis, & partium eius debuit aſſimilari, quantum fieri potuit. Ideo autem Sanctus Thomas docet abſolutè, totam humanitatem fuiſſe prius aſſumptam, quàm eius partes, quia partes aſſumptæ ſunt propter totum, ad quod ordinantur, tanquam ad finem principaliter intentum. Et per hæc

Ad cōfirmationē. reſpondetur ad confirmationem, quòd non eſt eadem ratio de corpore, & de anima; quoniam anima creatur à Deo per actionem ſpecialem diſtinctam à generatione, vel productione totius, non autem corpus, vt ex præmiſſis patet. Ideo, quando generatur homo, datur animæ ſubſiſtentia independens à ſubſiſtentia totius humanitatis, non autem corpori, vt ſupra explicatum eſt.

14 Ad quartum argumentum reſpondetur. Si aliquid probaret contra noſtram ſententiam, etiam concluderet, animam Chriſti à corpore in triduo ſeparatam non terminari per ſubſiſtentiam Verbi Diuini: nam anima tunc erat ſemiperſona, ſeu perſona incompleta: vnde idem argumentum ſoluere tenentur auctores ſententiæ contrariæ. Reſpondetur ergo, quòd perſonalitas Verbi potuit terminare animam per modum ſemiperſonalitatis; accommodando ſe naturæ ipſius animæ, quæ non erat capax perſonalitatis completæ. Neque hoc ponit aliquam imperfectionem in Verbo Diuino terminante, ſed tota imperfectio tenet ſe ex parte animæ, ſicut ſupradictum eſt de accidentibus, quibus non communicaretur perſonalitas Verbi in ratione perſonalitatis, ſi vniretur illis hypoſtaticè, ſed ſolum in ratione hypoſtaſis, eo quòd ipſa accidentia non ſunt perſonalitatis capacia: perſonalitas enim non reperitur, niſi in rationali natura, vt patet ex eius definitione; quia perſonalitas eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.

ARTICVLVS VI.

Vtrum humana natura ſit aſſumpta mediante gratia.

CONcluſio eſt negatiua. Probatur; quia non fuit aſſumpta mediante gratia vnionis, hæc enim eſt ipſum eſſe perſonale Verbi gratis communicatum naturæ humanæ: quod cum ſit terminus aſſumptionis non potuit eſſe medium ad illam. Nec etiam fuit aſſumpta mediante gratia habituali: hæc enim eſt effectus quidam conſequens vnionem hypoſtaticam: ergo, &c.

De materia huius articuli egit ſupe-

rius Sanctus Thomas, quæſt. 2. art. 10. & ex his, quæ in eodem art. notauimus, manent ſatis probata, quæ in præſenti docet Sanctus Thomas.

QVAESTIO VII.

De gratia Chriſti, prout eſt quidam ſingularis homo.

ARTICVLVS I.

Vtrum in anima Chriſti fuerit aliqua gratia habitualis.

1 CONCLVSIO. Neceſſe eſt ponere in Chriſto gratiam habitualem inhærentem animæ illius. Probatur: quia eius anima propinquior fuit fonti gratiæ, vtpote Deo hypoſtaticè vnita. Secundo, quia vt anima Chriſti attingeret Deum per operationes ſupernaturales cognitionis, & amoris, neceſſe fuit eleuari per gratiam. Tertio: nam ex anima Chriſti, & eius humanitate redundat gratia in alios ſecundum illud Ioannis primo [De plenitudine eius omnes accepimus :] ergo neceſſe fuit, quòd in anima Chriſti eſſet gratia habitualis.

Expoſitio Articuli.

2 PRo intelligentia eorum, quæ de gratia Chriſti dicit Sanctus Thomas, ſupponenda ſunt ea omnia, quæ de gratia in communi diſputari ſolent 1. 2. quæſt. 110. & 111. Notandum itaque primo, quòd gratia habitualis ad duo inter alia ponitur in anima. Primo, & principaliter, vt anima per gratiam habeat eſſe ſupernaturale, & efficiatur iuſta formaliter, & grata, ac Diuinæ conſors naturæ, iuxta id, quod ait Petrus Apoſtolus. [Magna, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt Diuinæ eſſemus conſortes naturæ.] Secundo, vt ex illa redundent charitas, & alij habitus infuſi, per quos intellectus, & voluntas eleuentur, vt elicere poſſint actiones ſupernaturales fini ſupernaturali proportionatas: & conſequenter meritorias vitæ æternæ, & ſatisfactorias. Gratia enim habitualis non datur immediatè ad operari, ſed ad eſſe: operatur autem per alios habitus, qui eam conſequuntur, ſicut anima operatur per potentias. Vnde quamuis gratia habitualis ſit forma accidentalis; participat tamen aliquam perfectionem formæ ſubſtantialis, quatenus videlicet pertinet immediatè ad eſſentiam animæ, tanquam ad ſubiectum, eam immediatè perficiens: & ad modum paſſionis ex ea ſubſequuntur habitus infuſi operatiui. 2. Pet. 1.

3 Notandum ſecundo, eſſe certum ſecundum fidem, in Chriſto præter gratiam vnionis eſſe de facto gratiam infuſam, quæ ſit aliquid creatum immediatè inhærens animæ. Nam id ex pluribus locis Scripturæ, & Conciliorum, quæ in principio huius articuli refert Medina, euidenter colligitur: & ita aſſerunt omnes Doctores in 3. d. 13. Vnum tantum argumentum difficile ſe offert contra hanc doctrinam. Sicut filiatio adoptiua, quæ eſt per gratiam, eſt quædam participatio filiationis naturalis; ita gratia ipſa habitualis eſt quæ- Obiectio

Digitized by Google

dam participatio gratiæ vnionis, ſeu bonitatis infinitæ, quæ naturaliter eſt in perſona Chriſti. Sed in Chriſto, quia erat filius Dei naturalis, non ponitur filiatio adoptiua, vt docet Sanctus Thomas infra quæſt. 23. art. 4. ergo ſimiliter, quia in Chriſto eſt gratia vnionis, & bonitas per eſſentiam, non debet poni gratia habitualis, quæ facit bonum per participationem.

4 Confirmatur. Ad gratiam habitualem ſequitur filiatio adoptiua; per gratiam enim efficimur Dei filij, & conſequenter per adoptionem ſumus hæredes vitæ æternæ, dicitur enim Roman. 8. [Si autem filij, & hæredes.] Et ad Galat. 4. [Miſit Deus filium ſuum, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus.] Ergo ſi in Chriſto eſſe non potuit filiatio adoptiua, neque gratia habitualis eſſet in eo.

Solutio. Reſpondetur, negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, quam aſſignat Sanctus Thomas in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. ad primum. Nam filiatio refertur per ſe primo ad perſonam, & immediatè competit illi. Et propterea in Chriſto non poteſt eſſe niſi vnica filiatio naturalis, quia in illo eſt vnica perſona Diuina, quæ extranea reſpectu Diuinæ gloriæ eſſe non poteſt: vnde repugnat illi filiatio adoptiua, vt infra quæſt. 23. art. 4. docet Sanctus Doctor. Et propter eamdem rationem infra quæſt. 35. art. 5. etiam docet, in Chriſto eſſe vnicam dumtaxat relationem realem filiationis, quæ refertur ad Patrem, in quantum filius Dei naturalis; nam ad matrem ſolum refertur relatione rationis, eo quòd nulla relatio realis potuit Chriſto ex tempore aduenire ratione ſuppoſiti, vel perſonæ. Gratia autem habitualis eſt immediata perfectio naturæ, cum ſubiectum proprium illius, & immediatum ſit anima rationalis, quæ etiam in Chriſto eſt pars humanæ naturæ. Et quoniam in Chriſto reperitur duplex natura, humana ſcilicet & Diuina: ideo, quamuis gratia importet aliquid non naturaliter inhærens, poteſt nihilominus ratione humanæ naturæ conuenire Chriſto.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd filiatio adoptiua ſequitur ad gratiam habitualem, quando ſuppoſitum eſt capax filiationis adoptiuæ, ſicut ſunt omnia ſuppoſita creata intellectualis naturæ; ſuppoſitum autem Chriſti, cum ſit increatum, cui per naturam competit gloriam habere, & omnia bona Patris, incapax eſt omnino, vt per gratiam habitualem conſtituatur filius adoptiuus. 5

Notanda eſt ſecunda ratio Sancti Thomæ, qua in corpore articuli probat, in Chriſto eſſe gratiam habitualem, ſcilicet propter nobilitatem animæ illius, cuius operationes oportebat propinquiſſimè attingere ipſum Deum per cognitionem, & amorem, ad quod neceſſe eſt eleuari rationalem creaturam per gratiam, & alia dona ſupernaturalia, circa quod eſt 6

DI-

DISPVTATIO XXXI.

Vtrum de potentia Dei abſoluta potuerint humanæ operationes Chriſti eſſe ſupernaturales, & meritoria ſupernaturalis præmij ſine gratia habituali, & alijs habitibus infuſis.

7 PRIMA ſententia eſt, gratiam habitualem, & alia dona ſupernaturalia, in quibus etiam includitur auxilium actuale ſupernaturalis ordinis, ſolum eſſe neceſſaria ſecundum ſuauem Dei diſpoſitionem, vt humanæ operationes Chriſti eſſent ſupernaturales,& meritoriæ ſupernaturalium bonorum, ac per conſequens de potentia abſoluta eaſdem operationes eſſe potuiſſe meritorias, ſicut modo ſunt, etiam ſi animaChriſti nullum prorſus haberet donum gratiæ creatum animæ illius, vel potentijs inhærēs. Hanc ſententiam ſequitur Medina in calce huius articuli concluſione 3.& pro illa refert magiſtrum à victoria, & Sotum lib.3. de natura & gratia cap.6. & in 4. diſp.19. q. 1. art.2. Eamdem ſententiam ſequitur Vaſquez diſp.41.cap.3. & 5. & addit,oppoſitam ſententiam aduerſari expreſsè doctrinæ Patrum & Cōciliorum, ex quibus putat haberi neceſſariam non fuiſſe gratiam habitualem, vt humanitas Chriſti ſanctificaretur, neque vt mereretur: ſed hæc cenſura nullum habet ſolidum fundamentum, vt patebit infra.

8 PRobatur autem hæc ſententia. Primo. Gratia vnionis,per quā communicatur animæ Chriſti ipſum eſſe perſonale Verbi, eſt multo excellentius principium ſupernaturale operationum, quàm ſit gratia habitualis, vel alius habitus infuſus, vel auxilium actuale inhærens: ergo de potentia abſoluta Chriſtus in quantum homo ex vi hypoſtaticæ vnionis humanitatis ad Verbum, poterat elicere operationes ſupernaturales meritorias,&de facto produxiſſet,etiam ſi nullam gratiam habuiſſet creatam.

Confirmatur. Suppoſitum Diuinum Chriſti Domini communicat aliquid ſupernaturalitatis humanis eius operationibus. Nam propter Diuinum ſupppoſitum, à quo producuntur,habent infinitum valorem, & fuerunt ſatisfactoriæ ex rigore iuſtitię pro peccatis generis humani, vt ſupra dictum eſt: ergo etiam ſecluſa quacunque gratia creata, eius operationes fuiſſent ſupernaturales, & meritoriæ, ſicut de facto fuerunt, exiſtente in Chriſto gratia habituali.

Secundo. Operationes procedentes a ſubiecto grato gratitudine imperfecta, & participata, quæ eſt per gratiam habitualem, habent ſupernaturalitatem, & ordinem ad finem ſupernaturalem: ergo multo perfectius hoc habent operationes procedentes a ſuppoſito infinitè grato: ſed ſuppoſitum Chriſti,etiamſi eius humanitas nullam habuiſſet gratiam habitualem, vel actualem creatam, fuiſſet nihilominus infinitè gratum: ergo operationes ab eo procedentes media humanitate fuiſſent ſupernaturales, & Deo gratæ, ac per conſequens meritoriæ. 9

Confirmatur. Operationes ſunt ſuppoſitorum: ergo vt ſint ſupernaturales, & meritoriæ, ſufficit,

quòd ſuppoſitum, a quo proce-
dunt, ſit ſupernaturale, & Diui-
num: ſed ſuppoſitum Chriſti, etiam
vt homo, ſecluſa quacunque gra-
tia inhærente humanitati illius, e-
rat Diuinũ, & ſupernaturale: ergo.

10 Tertio. Homo de potentia Dei
abſoluta poteſt elicere actum fidei,
& charitatis ſupernaturalis abſque
gratia aliqua, vel dono inhærente
per ſolam aſſiſtentiam extrinſecam
Spiritus Sancti, ſupplente vices
doni ſupernaturalis; quia in hoc
nulla apparet implicatio contra-
dictionis: ergo multo melius po-
terit Verbum Diuinum per ſolam
vnionem hypoſtaticam, commu-
cando humanitati ſuum eſſe per-
ſonale, ſupplere vices gratiæ ha-
bitualis, & donorum ſupernatura-
lium, atque efficere, vt ſine illis
donis operationes eius humanæ eſ
ſent ſupernaturales, & meritoriæ.

Quarto. Vt operationes ſint me-
11 ritoriæ ſolum requiritur, quòd ſint
operationes bonæ, & procedant a
ſubiecto grato, vt patet ex illo
Geneſ. 4. [Reſpexit Dominus ad
Abel, & ad munera eius.] Ex quo
teſtimonio habetur, operationes
procedentes a ſubiecto grato, eſſe
Deo gratas, ac per conſequens me-
ritorias. Sed operationes huma-
næ Chriſti, etiam ſi nullam habuiſ-
ſet gratiam creatam, fuiſſent ni-
hilominus operationes bonæ, &
procederent a ſubiecto grato: ergo.

Quinto. Quamuis manus ho-
minis non habeant gratiam ſibi in-
12 hærentem, vel aliud principium
ſupernaturale; nihilominus homo
gratus poteſt per manus vel alias
potentias exteriores exercere ope-
ra ſupernaturalia, & meritoria vitæ
æternæ, quia manus mouentur à
ſubiecto grato: ergo, licet huma-
nitas Chriſti nullam haberet gra-
tiam inhærentem, potuiſſet nihilo-
minus Verbum Diuinum per hu-
manitatem ſibi hypoſtaticè vni-
tam, exercere opera ſupernatura-
lia, & meritoria. Patet conſequen-
tia; nam etiam humanitas moue-
retur tunc ad operandum à ſuppo-
ſito infinitè grato, ſcilicet à Ver-
bo, quod non potuit non eſſe gra-
tum Patri, & dilectum.

Sexto. Nam ſequeretur ex op- 13
poſita ſententia, quòd meritum, &
ſatisfactio Chriſti eſſent finita in
ratione meriti, & ſatisfactionis: nã
fundarentur in aliquo finito, tam-
quam in principio quo, ſcilicet in
gratia creata, quæ eſt finita, cum
omne creatum ſit finitum: conſe-
quens autem eſt contra ſupradi-
cta: ergo, &c.

Septimo arguit Magiſter Vaz- 14
quez. Sancti Patres, & Concilia vazq.diſ.
ita tribuunt humanitati vnionem 41.c.3.
cum Verbo, vt ipſa vnione abſque
vllo alio ſanctificetur, deificetur,
& digniſſima reddatur ad meren-
dum. Sentiunt ergo, quòd neceſ-
ſaria non fuerit gratia habitualis,
aut alia accidentaria forma, vt
ſanctificaretur, & mereretur. Ante-
cedens probatur auctoritate Dio- Dionyſi-
nyſij Alexandrini in Epiſtola con- us Alex.
tra Paulum Samoſatenum, qui, vt
oſtendat, quo pacto Chriſtus ſit
natura iuſtus, & vnctus, & non la-
bore, aut ſanctitate participata,
ſicut nos, ſic ait: [Chriſtus enim
non ſolo nomine, ſed veritate eſt
Chriſtus Ieſus, qui eſt ante ſæcula
Verbum, ipſe factus eſt homo ex
Maria incarnatus; non enim ſorti-
tus eſt vnctionem externam, ſicut
nos ſortiti ſumus, qui ante non vo-
cabamur Chriſti, ipſe primo ſem-
per Chriſtus Dominus, vt qui eſt.]

San-

Sanctus Baſilius in illud pſal. 44. [Propterea vnxit te Deus tuus ,] loquens cum Chriſto , ait : [Reliqui homines labore,& exercitio,ac attentione ſæpe acquirunt affectionem ad bonum, & auerſionem a malis , tibi vero naturalis eſt coniunctio ad bonum , & abalienatio ab iniquitate .] intelligebat ergo , hoc Chriſto prouenire ex ipſa Deitate , tanquam ex forma ſanctificante humanitatem illius . Sanctus Athanaſius in oratione contra Arrianos , poſt quartum ſermonem in
15 perſona Chriſti ſic loquitur : [Ego enim ſum chriſma , ſiue vnctio , Chriſtuſque, ſiue vnctus, homo eſt, qui à me aſſumptus eſt .] Sentit ergo, vnguentum , quo humanitas Chriſti ſpecialiter vncta eſt , eſſe diuinitatem ipſam . Nazianzenus oratione ſecunda in Paſcha, quę eſt 42. ita ſcribit : [Perfectus autem non modo propter humanitatem , Diuinitate delibutam , idemque effecta , quod id, a quo per vncta eſt, atque, vt audacter loquar, Diuinitatis ſociam] . Quo loco Nazianzenus aperte docet, vnctionē , ſeu vnguentum , quo humanitas eſt vncta, eſſe Diuinitatem. Pro eadem ſententia refertur . Ciryllus lib.4. in Ioannē cap. 29. Damaſcenus lib.3.de fid. cap.3. & Cōcilium Francofordienſe in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ col.7.vbi inquit: Ieſum Chriſtum fuiſſe natura vnctum , alios vero gratia , hoc eſt aliquo dono gratiæ participato.

16 8.Humanitas Chriſti ſola vnione hypoſtatica fuit ſancta : ergo non fuit neceſſaria gratia habitualis, vt ſanctificaretur , & mereretur . Antecedens probatur ex ſexta Synodo generali actione 17. in definitione fidei orthodoxæ circa finem , vbi dicitur.[Quemadmodum enim ſanctiſſima,immaculata, animata eius caro deificata eſt , non eſt perempta,ſed in proprio ſui ſtatu , & ratione permanſit ; ita & humana eius voluntas deificata,non eſt perempta .] Confirmatur . Quod habet ſanctitatem per eſſentiam, non indiget forma ſanctificāte per participationem, ſicut ignis non eget participato calore ; quoniam per ſe ipſum eſt calidus : ſed humanitas Chriſti per vnionem hypoſtaticam habuit ſanctitatem per eſſentiam , ſcilicet ipſum eſſe perſonale Verbi, vt conſtat, tum ex Concilio Francofordienſi allegato , tum ex Sancto Hieronymo in illud Pſalm. 44. [Oleo lætitiæ,]ex Ildelphonſo ſermone 1. de purgatione , & participatione Beatæ Mariæ , qui habetur tom.9. Bibliothecæ ſacræ ; vbi de Chriſto ait : [Iſte eſt ergo ſolus eſſentialiter ſanctus]ergo,vt ſanctificaretur,& mereretur, non fuit illi neceſſaria gratia habitualis , quæ facit ſubiectum Sanctum per participationem .

Nono idipsū probari poteſt.Solū filij adoptiui indigent habituali gratia , qua ſanctificentur,& mereantur:gratia enim habitualis facit filium Dei adoptiuum . Sed Chriſtus non eſt filius Dei adoptiuus , vt patebit infra: ergo non fuit illi neceſſaria gratia habitualis , vt ſanctificaretur, & mereretur. 17

Secunda ſententia eſt Durand. diſt.13. quæſt. 1. num. 8. Paludani eadem diſt. qu. 2. conc. 3. Capreoli ibidem. q. vnica,& aliorum aſſerentium , quòd per nullam potentiam potuit Chriſtus mereri verè, & propriè pręmium ſupernaturalis ordinis, abſque gratia habituali, vel aliquo principio ſupernaturali in- 18

inhærente ſaltem per modum motionis. Hanc ſententiam ſequuntur aliqui alij Thomiſtæ. Pro cuius explicatione notandum, quòd in præſenti loqui poſſumus de his, quę requiruntur ad meritum ex parte operis, vel de his, quæ ex parte operantis ſunt neceſſaria, vt opera illius ſunt meritoria. Et iuxta hanc diſtinctionem ſit

19 Prima concluſio. Ex parte operis ſimpliciter erat neceſſaria aliqua gratia inhærens animæ Chriſti, vel potentijs eius, ſiue per modum habitus, ſiue per modũ actualis motionis, vt eius actiones humanæ eſſent intrinſecè ſupernaturales, & meritoriæ ſupernaturalis præmij. Iſta concluſio eſt intenta à Sancto Thoma hic ad 2. & etiam in corpore articuli. Probatur primo. Potentia merè naturalis, niſi eleuetur, & fiat ſupernaturalis per aliquam formam, vel motionem ſupernaturalem, non poteſt elicere actus quo ad ſubſtantiam ſupernaturales, etiam de potẽtia abſoluta: hac enim ratione p. p. q. 12. art. 5. oſtenditur, ſine lumine gloriæ inhærente non poſſe intellectum creatum eleuari ad videndum Deum per eſſentiam, & id probaui ex profeſſo diſp. 67. de Auxilijs: ſed intellectus, & voluntas animæ Chriſti abſque dono gratuito inhærente, eſſent potentiæ merè naturales in eſſe phyſico: ergo ſine hac gratia non poterat elicere actus intrinſecè ſupernaturales: Minor probatur; nam, licet Verbum Diuinum tribuat eſſe ſubſtantiale Diuinum toti humanitati, quam ſuſtentat, & terminat; non tamen tribuit immediate eidem humanitati, vt ſit principium formale quo, ſupernaturalis operationis, ſicut non tribuit illi, formale principium intellectionis, cum anima Chriſti ſine intellectu creato non poſſit elicere creatas intellectiones, eo quòd Verbum non poteſt immediate per ſe ipſum ſupplere rationem potentiæ vel principij vitalis.

Secundo. Licet actiones ſint ſuppoſitorum; ſpecies tamen, ſeu ratio ſpecifica actionis non ſumitur à ſuppoſito operante, ſed à principio formali, quo agens operatur, ſicut calefactio ſpecificatur à calore. aliàs enim omnes actiones elicitæ ab eodem ſuppoſito, eſſent eiuſdem ſpeciei: ergo, vt operationes humanæ Chriſti eſſent ſubſtantialiter, vel intrinſecè ſupernaturales, erat ſimpliciter neceſſarium, vt eius potentiæ fierent ſupernaturales per aliquod donum inhærens. 20

Tertio. Nullum opus eſt propriè meritoriũ vitæ æternæ, vel alterius ſupernaturalis præmij, niſi per actũ charitatis referatur formaliter, vel virtualiter in Deũ, quatenus eſt auctor gratiæ, vt 1.2.q.114.art.3. docent doctores quã plurimi cum S. Thoma: ſed, ſine dono gratuitò inhærente, non poterat volũtas Chriſti referre in Deũ, vt eſt auctor gratiæ, tanquam in finẽ vltimum ſuas humanas operationes, cũ ſine tali dono non poſſet attingere Deum, quatenus eſt auctor gratiæ: ergo. Diximus in concluſione, non potuiſſe mereri prę̃miũ ſupernaturale: nã ſi de præmio naturali loquamur, certiſſimum eſt, Chriſtũ abſq; vllo inhærẽte dono mereri potuiſſe de rigore iuſtitiæ præmiũ quodcunque ordinis naturalis, ſi ad illud ordinaſſet ſuas humanas operationes. Nam, etiam ex parte operis, eſſet condignitas & proportio inter meritum, & prę̃mium. 21

Secun-

Digitized by Google

22 Secunda concluſio. Ex parte ſuppoſiti operantis nō erat ſimpliciter neceſſaria gratia habitualis, vt operationes eius humanæ eſſent Deo gratæ gratitudine perſonali, vel, vt ex hac parte eſſent meritoriæ ſupernaturalis præmij. Hāc concluſionem damus auctoribus prioris ſententiæ, quam etiam docet Aſturic. quęſt. 5. de gratia Chriſti art. 1. & eam probant argumenta facta à principio. Probatur inſuper: nam Chriſtus etiam quatenus homo, per ſolam gratiam vnionis erat gratus Deo gratitudine infinita perſonali, in quantum natura humana ſubſiſtebat in eo per ſubſiſtentiam Verbi: ergo, &c.

23 Si quis interroget, quid ſit dicendū abſolute: reſpondetur, quòd abſolute neceſſarium fuit aliquod donum inhærens ſupernaturalis ordinis: vt humanæ operationes Chriſti eſſent ſupernaturales, & meritoriæ ſupernaturalis præmij. Nam ad huiuſmodi meritum nedum requiritur dignitas perſonæ, ſed etiam eſt ſimpliciter neceſſarium, quòd operatio referatur in finem ſupernaturalem per actum charitatis, vt dictum eſt. Ad argumenta facta à principio reſpondetur, quòd tantū probant ſecundam concluſionem. Quatenus autem militant contra primam, ſingulis eſt occurrendum.

24 Ad primum reſpondetur, quòd ſicut anima rationalis propter ſuam eminentiā, ſeu perfectionem, eo quod tribuit eſſe ſubſtantiale, non poteſt eſſe immediatum, & formale principium intellectionis, vel alterius operationis, ſed ſolum radicale: (operatur enim anima per ſuas potentias;) ita proportionabiliter gratia vnionis propter ſuam maximam perfectionem, quia communicat naturæ humanæ eſſe perſonale Verbi, quod eſt ſubſtantiale, non poteſt eſſe formale, & immediatum principium quo, actionis ſupernaturalis, vel meritoriæ, ſed ſolum radicale. Vnde, pręter gratiam vnionis neceſſaria fuit gratia inhærens, vt opera Chriſti eſſent meritoria.

Ad confirmationē reſpondetur, quòd ſuppoſitum Verbi communicat operibus humanis Chriſti ſupernaturalitatem radicaliter: ſimiliter etiam illis communicat quandam infinitatem moralem, ratione cuius ſunt infiniti valoris in genere ſatisfactionis, & meriti, vt ſupra dictum eſt. Non autem communicat illis immediate, & formaliter intrinſecam ſupernaturalitatem, quæ attenditur ex principio formali, quo, immediato. 25 Diſput. 4.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd ſi Chriſtus non habuiſſet gratiam habitualem, vel aliquod donum ſupernaturale inhærens animæ eius, eſſet ſimpliciter gratus ex parte ſuppoſiti gratitudine perſonali; non tamen eſſet formaliter grata eius natura humana, gratitudine participata, & inhærente, quæ requiritur, vt eius potentiæ habeant principium formale, quo, operationis ſupernaturalis, & meritoriæ. 26

Ad confirmationem reſpondetur, operationes eſſe ſuppoſitorum, vt quod, naturæ autem, vt quo. Vnde vt ſint intrinſecæ ſupernaturales, & meritoriæ in Chriſto, neceſſarium fuit, quòd eius potentiæ eleuarentur per aliquod donum inhærens ordinis ſupernaturalis, vt ſit proportio ex parte operis inter meritum, & præmium.

Ad tertium dicitur, ſolam aſſiſten- 27

ſtentiam extrinſecam Spiritus Sancti non ſufficere, vt potentiæ eliciant operationes ſupernaturales, Diſp. 67. de Auxilijs oſtendi, quidquid aliqui recentiores Theologi dicant. Nam effectus formalis formę dari non poteſt ſine ipſa forma. Eſt autem effectus formalis doni ſupernaturalis inhærentis intellectui, & voluntati, conſtituere ipſum intellectum, & voluntatem in ratione potentiæ proximæ ſupernaturalis: nam ſine huiuſmodi dono nou habet formaliter rationem potentiæ proximæ in ordine ad actus excedentes facultatem naturæ, eo quod habitus ſupernaturales, quia ſunt ſupremi inter omnes habitus, attingunt rationem potentiæ, & quamdam eius perfectionem participant, iuxta illud commune proloquium: Supremum infimi attingit infimum ſupremi. Pręterea; nam potentia vitalis non poteſt concurrere, vt merum inſtrumentum ad operationem vitalem; ſed neceſſario debet eſſe cauſa proxima principalis: de ratione autem cauſæ principalis eſt, quòd operetur per formam propriam ſibi inhærentem eiuſdem ordinis cum effectu; vnde impoſſibile eſt, quod intellectus, & voluntas actus ſupernaturales producant abſque ſupernaturali dono ſibi inhærente. Sed de hoc latius egimus Diſp. 67. allegata.

28 Ad quartum reſpondetur, operationes bonas habere radicaliter, quòd ſint meritoriæ, vt procedunt à ſubiecto grato; hęc enim gratitudo ſupponitur ad meritum; ſed vltra illam oportet, quòd operationes in finem ſupernaturalem per actum charitatis referantur, quod ſine auxilio gratiæ fieri non poteſt, vt dictum eſt.

Ad quintum negatur conſequentia. Et prima ratio diſcriminis eſt: nã exterior elargitio eleemoſynę, & alij actus virtutis exteriores, qui fiunt ab homine iuſto, non ſunt ſupernaturales, quantum ad ſubſtantiam, ſiue intrinſece, ſed ſolum quo ad modum, & quadam extrinſeca denominatione, ſicut actio potentię exterioris dicitur extrinſece libera à libertate, quæ formaliter eſt in voluntate. Vnde, vt ſint meritorij, ſufficit, quòd ſuppoſitum operans habeat gratiam habitualem & charitatem, per quam formaliter, vel virtualiter referantur in finem ſupernaturalem. Cæterum actiones intellectus & voluntatis, attingentes immediatè Deum, vt eſt auctor gratiæ, ſunt intrinſece ſupernaturales, etiam quo ad ſubſtantiam, vt Diſp. 65. de Auxilijs oſtendi: Vnde neceſſario præſupponunt aliquod donum gratiæ inhærentis intellectui, & voluntati, quò ad eſſe ſupernaturalis potẽtię trãsferantur. Secunda ratio diſcriminis eſt; nam actus virtutis procedentes à potentijs exterioribus, nõ ſunt eliciti à virtute, ſed ſolum imperati, vel regulati. Vnde, vt dicantur modo prędicto ſupernaturales, non oportet ponere aliquod donũ gratiæ eiſdem potentijs exterioribus inhærens, eo vel maxime quòd potentiæ apprehenſiuæ, vel aliæ potentiæ exteriores non ſunt ſubiectum capax virtutis, vt 1. 2. q. 56. art. 5. docet Sanctus Thomas: ſed ſufficit illud donum gratiæ conſtituere in potentia imperante, & ordinante huiuſmodi actus ad finem ſupernaturalem.

30 Ad ſextum negatur ſequela; nam ſpecies actionis in humanitate Chriſti

Chriſti ſumitur ex principio formali quo, ſed valor, & infinitas eius moralis in genere meriti, & ſatiſfactionis ſumitur à ſuppoſito Diuino operante per humanitatem, vt q. 1. diſput. 4. dictum eſt.

Ad ſeptimum dicitur, ex locis inductis SS. Patrum, ſolum colligi, quòd ex parte ſuppoſiti operantis, ſeu ſanctitatis perſonalis, non fuerit neceſſaria gratia habitualis, vt operationes Chriſti eſſent Deo gratæ, & meritoriæ; id quod & nos libenter fatemur, vt ex ſecunda concluſione conſtat. Nihilominus ex parte operis, & principij formalis, à quo intrinſecè depēdet ſpecificatio actionis ſupernaturalis, & meritoriæ, neceſſaria fuit gratia habitualis, & virtutes infuſæ, vt per ipſas Chriſtus poſſet actus ſupernaturales, & meritorios elicere, propter rationes in prima concluſione adductas. Non enim poteſt dici, quòd diuinitas per ſeipſam immediatè ſit forma ſanctificans humanitatem Chriſti, & eleuans eius potentias, vt operentur opera ſupernaturalia, & meritoria, vt in lib. de Auxil. Diſput. 67. oſtendi: nā forma ſanctificans, & tribuens virtutem operandi, debet eſſe intrinſeca operanti: vnde, ſi ſola Deitate ſanctificaretur anima Chriſti abſque vlla forma creata inhærente; ſequeretur, quòd non eſſet formaliter ſancta, ſed ſolū perſonaliter; nec haberet formale principium operationum ſupernaturalium.

31 Si dicatur, quòd humanitas Chriſti ſanctificatur formaliter per modum illum ſubſtantialem, quem aliqui Theologi cēſent productum fuiſſe per vnionem hypoſtaticam in humanitate Chriſti, aut verò per ipſam Deitatem, cum prædicto modo ſubſtantiali; ita nimirum vt forma ſanctificans ſit ipſa Deitas, modus autē vnionis ſit conditio quædam, ſine qua Deitas non eſſet forma ſanctificans humanitatem Chriſti, vt M. Vaſquez arbitratur; contra hoc eſt: nam ille modus ſubſtantialis abſque vllo fundamento introducitur, & ponitur in humanitate Chriſti productus per vnionem, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo Diſp. 13. nec Diuinitas ſola, nec etiam cum vnione eſſe poteſt forma ſanctificās animam Chriſti. Secundo: nam Deitas etiam cum illo modo vnionis non poteſt eſſe forma ſanctificans, vel tribuens potentijs animæ Chriſti, proximum principium formale, quo actus ſupernaturales elicere valeant. Tertio: nam, vt fatetur Vaſquez cap. 4. nu. 24. modus hic ſāctificationis deriuatus ab ipſa Deitate in humanitatē, ratione vnionis, tanquam fundamenti, & conditionis non eſt phyſicus aliquis effectus, ſed moralis, quem in reſpectu extrinſeco conſtituit. Ergo, ſi per ſolam Deitatem, cum modo illo vnionis ſanctificata fuiſſet anima Chriſti, abſque aliqua forma phyſica inhærente; ſequeretur, quòd ſolum ab extrinſeco ſit ſancta. Quarto: Effectus formalis, & primarius gratiæ habitualis inhærentis, eſt facere animam iuſtam, & ſanctam, ita vt medijs habitibus infuſis, valeat actus ſupernaturalis ordinis elicere: ſed effectus formalis primarius alicuius formæ dari non poteſt abſque illa forma, ſicut fieri non poteſt, vt aliquid ſit album formaliter ſine albedine inhærente, eo quòd huiuſmodi effectus ab albedine informāte intrinſecè dependet: ergo per ſolam Diuinitatem cum modo illo ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiali abſque gratia creata inhærente, non potuit ſanctificari anima Chriſti, ita vt poſſet actus ſupernaturales, & meritorios elicere.

32 Sed, vt in particulari ad locum Dionyſij inductum reſpondeamus, expendere oportet eius verba. Cũ enim ait, quòd Chriſtus non ſortitus eſt vnctionem externam, negare non intendit, eſſe in humanitate Chriſti gratiam habitualem, qua formaliter efficiatur ſancta, & iuſta, ſed ſolum docere intẽdit, quòd Chriſtus non habuit ſolam vnctionem per gratiam habitualem ab extrinſeco aduenientem, ſicut nos, ſed redundantem ex ſuppoſito Verbi, in quo eadem humanitas ſubſiſtit, & ex Deitate, cui à principio fuit vnita hypoſtaticè in eodẽ ſuppoſito, quod indicant illa eius verba, [Sicut nos ſortiti ſumus:] ex qua differentia ſequitur alia, ꝙ iuſtificatio noſtra eſt à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ: fit enim homo per gratiam ex peccatore iuſtus. Sed iuſtificatio animæ Chriſti, ſeu humanitatis eius non fuit facta à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ, ſed ex non ſancta fuit ſancta. Tertia differentia eſt, quia in nobis perſona fit iuſta, & ſancta per gratiam: in Chriſto autem perſona non per gratiam, aut externam vnctionem, ſed per naturam ſancta eſt. Similiter dicendum ad verba Baſilij, quòd ſolum ſignificare voluit, auerſionem à malis, & affectionem ad bonum eſſe naturalem humanitati Chriſti, quatenus eſt vnita Verbo Diuino hypoſtaticè, & non acquiſitam induſtria, & labore humano, ſicut ſæpè nos eam acquirimus. Vnde ex illo teſtimonio ſolum cõcluditur, quòd gratia habitualis ſit Chriſto Domino naturalis, tum quia à natiuitate, tum etiam quia à natura Diuina, cui humanitas eſt hypoſtaticè vnita, in eamdem humanitatem redundauit, vt q. 2. art. 10. dicit S. Thom.

Ad locum Athanaſij dicendum, quòd Chriſtus eſt quidem vnctus Diuinitate, quatenus in eius perſona eſt humanitas coniuncta, per quam vnionem acquiſiuit eſſe perſonale Verbi, & factum eſt, vt idem ſimul eſſet Deus & homo: ſed ex hoc non concluditur, non eſſe neceſſariam gratiam habitualem, vt humanitas Chriſti operaretur actus ſupernaturales, & meritorios, vt ex præmiſſis conſtat. Eodem modo reſpondetur ad locum Nazianzeni, Cyrilli, Damaſceni, & ad Concilium Francofordienſe. 33

Ad octauum reſpondetur, quòd humanitas Chriſti ſola vnione hypoſtatica fuit ſancta perſonaliter; quia per ſolam vnionem acquiſiuit eſſe perſonale Verbi, ex qua gratia habitualis in humanitatem redundauit: & hoc tantum docere voluit ſexta Synodus generalis in verbis inductis; ſed tamen formaliter, & intrinſecè per gratiam ipſam habitualem eadem humanitas Chriſti fuit iuſtificata, vt dictum eſt. 34

Ad confirmationẽ dicitur, quòd humanitas Chriſti habuit perſonaliter ſanctitatem per eſſentiam, ſcilicet ſecundum ſuppoſitum, in quo ſubſiſtit, & ex hac parte non indiget gratia creata, quæ tribuit ſanctitatem per participationem. Ceterùm, ſecundum quòd eſt formale principium, quo, operationum ſupernaturalium, & ex parte operis non habet ſanctitatem per eſſentiã: vnde indiget gratia inhærente ex cuius participatione habet natura huma-

humana virtutem eliciendi actus ſupernaturales meritorios, vt ex præmiſſis conſtat.

Ad nonum dicendum, quòd gratia habitualis facit filium adoptiuum, quando recipitur in ſuppoſito creato, ſiue in natura ſubſiſtente in proprio ſuppoſito; non autem quando ſuppoſitum eſt Filius Dei per naturam; quia tale ſuppoſitum non eſt capax filiationis adoptiuæ, vt quæſt. 23. art. 4. Diſput. 74. manifeſtum fiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Chriſto fuerint virtutes.

1 CONcluſio. Omnes virtutes fuerunt in Chriſto. Probatur. Omnes virtutes fluunt à gratia habituali, ſicut potentiæ animæ ab eius eſſentia: ſed in Chriſto fuit gratia habitualis perfectiori modo, quàm in omnibus alijs iuſtis: ergo.

Expoſitio Articuli.

NOtandum primo, concluſionem S. Thomæ eſſe intelligendam de virtutibus, quæ non præſupponunt neceſſario peccatum in eodem ſubiecto, vel aliquam imperfectionem. Vnde Chriſtus non habuit virtutem pœnitentiæ, vt expreſſe docet S. Thom. 3. par. quæſt. 84. art. 7. ad 4. & in 3. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſtiûc. 1. ad 1. & in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. quæſtiûc. 3. ad 3. Nam pœnitentia præſupponit peccatum in eodem ſubiecto, cum ſit dolor de peccatis proprijs aſſũptus propter Deum. Item etiam in Chriſto non fuit Fides, aut Spes, vt infra patebit; quia ſupponunt imperfectionem ſubiecti, ſcilicet carentiã viſionis beatificæ. Nam [Fides eſt argumentum nõ apparentium,] vt dicitur Hebr. 11. & Spes ſimiliter eſt de non viſis, iuxta illud Rom. 8. [Nam quod videt quis, quid ſperat?] *Heb. 11* *Rom. 8.*

Notandum ſecundo, in anima Chriſti nedum eſſe conſtituendas virtutes morales per ſe infuſas, ſed eas etiã, quæ ſunt ex genere acquiſitæ, vt videlicet voluntas, & appetitus ſenſitiuus humanitatis eius perficeretur modo ſibi connaturali in ordine ad bonum rationis: propter hanc enim cauſam S. Thomas infra quæſt. 9. art. 4. præter ſcientiã beatam, & ſcientiam inditam, docet, eſſe in Chriſto ſcientiam acquiſitam, vt intellectus eius modo ſibi connaturali perficeretur in ordine ad verum.

Sed contra hanc doctrinam eſt argumentum. Virtutes morales acquiſitæ conſtituuntur in appetitu ſenſitiuo, ad moderandas exorbitantes eius paſſiones, ſed in appetitu ſenſitiuo humanitatis Chriſti nulla fuit, nec potuit eſſe paſſionũ exorbitantia: ergo, &c. Maior eſt S. Thom. 1. 2. quæſt. 60. art. 2. Minor probatur. In Chriſto non fuit fomes peccati, vt docet S. Thomas infra q. 15. art. 2. Paſſiones autem inordinatæ ſunt effectus fomitis: ergo. Præterea, nam alias potuiſſet eſſe in Chriſto peccatum veniale, cum potuerit præuenire omnem paſſionem inordinatam appetitus ſenſitiui. Argum. 3

Reſpondetur, non eſſe de eſſentia virtutis moralis acquiſitæ, quòd actu moderetur exorbitantes paſſiones. Nam in primis parentibus in ſtatu innocentiæ fuerunt huiuſmodi Solutio.

modi virtutes per accidens infuſę, in quibus tamen nulla erat immoderata paſſio, in eodem ſtatu, ſed precipuè ponuntur virtutes morales acquiſitæ, ad eliciendam perfectam electionem, ſecundum regulas inferiores circa proprias materias: vnde virtus definitur, quòd ſit habitus electiuus in mediocritate conſiſtens. Ex conſequenti autem ſunt moderatiuæ paſſionum, & eas moderantur, ſi inueniant in ſubiecto immoderatas. Vnde, ex eo quòd in appetitu ſenſitiuo humanitatis Chriſti nulla fuerit, vel potuerit eſſe immoderata paſſio propter coniunctionem eius ad Verbum, non ſequitur, illum virtutes morales ex genere acquiſitas non habuiſſe.

DISPVTATIO XXXII.

Vtrum prædictæ virtutes morales fuerint à principio per accidens infuſæ Chriſto Domino, an verò ſucceſſu temporis propria induſtria acquiſitæ.

4 PRima ſententia eſt quorundam Thomiſtarum affirmantium, virtutes morales non fuiſſe infuſas à principio, ſed proprijs actibus acquiſitas à Chriſto. Hanc ſententiā non improbabilem eſſe, ait Aſturicen. quæſt. 1. de gratia Chriſti, pag. 79.

Probatur primo: nam, vt docet S. Thomas infra q. 9. art. 4. Chriſtus propria induſtria acquiſiuit ſcientias, quæ non ſunt per ſe infuſæ: ergo & virtutes morales. Probatur conſequentia: nam ſicut pertinet ad perfectionem humanitatis Chriſti, quòd propria induſtria compararuerit ſcientias, quæ non ſunt per ſe infuſæ; ita etiam pertinet ad eius perfectionem, quòd proprijs actibus acqniſierit virtutes morales acquiſibiles. Secundo, prudentia eſt potiſſima inter virtutes morales: hæc autem virtus non fuit à principio infuſa humanitati Chriſti, ſed proprijs actibus acquiſita: ergo neque aliæ virtutes morales fuerunt illi infuſæ. Minor probatur: nam Prudentia non poteſt eſſe, vel exire in actum ſine ſpeciebus intelligibilibus rerum ſingulariū; nam ad prudentiam pertinet iudicare de actibus ſingularibus, & conſtituere medium rationis in illis; ſed anima Chriſti non habuit à principio ſpecies intelligibiles inditas rerum ſingularium, ſeu materialium; nam eas miniſterio intellectus agentis (vt docet S. Thomas in 4. art. citato) acquiſiuit: ergo non habuit prudentiam à principio infuſam. Secundū argumentum.

5 SEcunda ſententia eſt aliorum aſſerentium, ſcientias quidem humanas fuiſſe à Chriſto ſucceſſu temporis acquiſitas; virtutes autem morales ex genere acquiſitas fuiſſe ſibi à principio per accidens infuſas. Hanc ſententiā ſequuntur magis communiter Thomiſtæ, & Aſturic. vbi ſupra eam probabiliorem reputat: ſed tamen in aſſignanda potiſſima ratione huius differentiæ, nō omnes conueniunt. Prima ratio diſcriminis à quibuſdam aſſignatur: nam virtutes morales acquiſitæ ſpecialiter ponuntur, vt contineant paſſiones appetitus ſenſitiui in tali mediocritate, vt non inſurgant contra rationem; quia enim in homine iuſto, habentę

vir-

virtutes morales infuſas, poſſũt adhuc inueniri paſſiones immoderatæ, oportet propterea ponere virtutes morales acquiſitas, quæ eaſdem paſſiones moderentur: & quia neceſſarium erat, paſſiones Chriſti Domini eſſe perfectè moderatas, & appetitum eius ſenſitiuum perfectiſſimum à primo inſtanti ſuæ conceptionis: ideò habuit à principio infuſas per accidens huiuſmodi morales virtutes, & oppoſitũ fuiſſet magna imperfectio Chriſti. Cæterum ex eo quòd non haberet à principio ſcientias humanas, ſibi per accidens infuſas, nulla ſequitur imperfectio, aut ignorantia in anima Chriſti: nam per ſciẽtiam beatam, & inditam perfectiſſimè omnia cognoſcebat, & ex alia parte pertinebat ad magnam perfectionem intellectus animæ Chriſti, quòd propria induſtria compararet ſcientias acquiſitas: ideò nõ eſt ſimile de virtutibus moralibus, & de ſcientijs humanis.

6 Hæc tamen ratio non videtur exacta, nec ſufficiens, & ex alia parte ſupponit vnum falſum, videlicet virtutes morales, quæ ſunt ex genere acquiſitæ, conſtitui in humanitate Chriſti ad moderandas paſſiones. Ex quo videtur ſequi, quòd ſi huiuſmodi virtutes nõ fuiſſent à principio infuſæ humanitati Chriſti, inſurrexiſſent in appetitu eius ſenſitiuo paſſiones immoderatæ; quod tamen nullatenus eſt concedendum, vt ſupra dictum eſt.

7 Ratio ergo diſcriminis legitima eſt, quæ colligitur ex S. Thoma infra quæſt. 9. art. 4. & quæſt. 12. art. 1. Nam ſi ſcientiæ per ſe acquiſitæ fuiſſent humanitati Chriſti infuſæ per accidens à principio, intellectus agens perpetuò manſiſſet in Chriſto priuatus ſuo proprio munere, & officio, quod eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles à ſenſibilibus, illuſtrando phantaſmata. Erat autem magnum inconueniens, quòd aliqua potentia maneret in anima Chriſti perpetuo priuata actu proprio, & ſibi connaturali. Per hoc autem, quòd omnes virtutes morales fuerint ei à principio per accidens infuſæ, non ſequitur, aliquam potentiam eſſe fruſtra in anima Chriſti, vel priuari perpetuo ſuo proprio munere: nam per virtutes morales infuſas per accidens, produxerunt potentiæ humanitatis Chriſti actus eiuſdem ſpeciei circa materias moralium virtutum, quos produxiſſent per virtutes morales à ſe comparatas.

Sed cõtra hanc rationem eſt argumentum. Nam ſequeretur ex illa, ſcientias humanas ex ſe acquiſibiles non fuiſſe per accidens infuſas primo Parenti, ſed acquiſitas miniſterio intellectus agentis. Cõſequens autem eſt contra S. Thomam 1. par. quæſt. 94. art. 3. & 4. ergo, &c. Sequela probatur. Nã etiam intellectus agens primi Parentis fuiſſet in illo fruſtra; nam remaneret perpetuo priuatus propria operatione. 8 Obiectio

Reſpondetur, quòd primus Parens non habuit in ſtatu innocentię ſcientiam beatam, vel inditam omnium rerum. Vnde ſi non fuiſſent illi infuſæ à principio ſcientiæ humanæ, eſſet valde imperfectus, quia nullam habuiſſet ſcientiam, per quam poſſet eſſe Pater, & inſtructor totius generis humani: & nomina omnibus rebus imponere. Vnde maior imperfectio fuiſſet in Adam, ſi huiuſmodi ſcientias à principio non habuiſſet, quàm contineat Solutio.

Digitized by Google

tineat perfectionis, ipſum acquirere per induſtriam humanas ſcientias miniſterio intellectus agentis. Chriſtus autem, vt homo, habuit à principio ſciētiam beatam,& inditam,per quam cognoſcebat omnia ſcibilia per humanas ſcientias. Vnde maior perfectio humanitatis illius fuit propria induſtria breui tempore acquirere ſciētias humanas, quàm imperfectionis contineat,eas pro aliquo paruo tempore non habuiſſe: & ideo non eſt ſimile.

9 Secunda differentia aſſignatur ab alijs Thomiſtis inter ſcientias, & virtutes morales. Nam ſcientia facilius, & breuiori tempore potuit à Chriſto acquiri, quàm virtutes morales: nam vnico actu demonſtratiuo conuincitur intellectus, & ex alia parte poteſt perfectè acquiri vna ſcientia ſine alia; quia inter ſcientias non eſt neceſſaria connexio, niſi vna ſit ſubalternans, & altera ſubalternata: humanas autem virtutes morales non potuit tam breui tempore Chriſtus acquirere: tum quia pluribus actibus generantur, tum etiam; nam omnes virtutes morales in gradu perfecto ſunt connexæ, nec poteſt vna eſſe ſine alia, vt docet ſanctus Thomas 1. 2. quæſt.65.art.1. vnde non eſt ſimile. Hanc doctrinam aſſignat Aſturicenſis quæſt. 1. de gratia Chriſti pag. 81. Et ex his remanet ſolutum primum argumentum factum à principio.

Ad primum.

10 Ad ſecundum eſt prima ſolutio, quòd prudentia, quo ad habitum, qui eſt habilitas,& inclinatio intellectus practici ad rectè iudicandum, & præcipiendum circa materias omnium virtutum moralium, infuſa eſt animæ Chriſti à principio; non autem quo ad ſpecies intelligibiles, quæ antecedenter,& non eſſentialiter concurrunt ad iudicium prudentiale. Sed huiuſmodi ſpecies miniſterio intellectus agentis breui tempore acquiſiuit Chriſtus, ſicut acquiſiuit ſpecies intelligibiles ſcientiarum. Hæc tamen ſolutio non videtur admittenda. Primò: nam cum iudicium ſit actus intellectus, neceſſario requirit ſpecies intelligibiles, & non ſolum antecedenter. Secundo: nam eadem ratione dici poſſet, quòd ſcientiæ ſpeculatiuæ fuerint à principio infuſæ per accidens humanitati Chriſti, quo ad habilitatem, & inclinationem habitus, & non quo ad ſpecies intelligibiles: & ita eſſet eadem omnino ratio de prudentia, quæ eſt virtus moralis, & de habitibus intellectualibus merè ſpeculatiuis. Tertiò, quia aliàs humanitas Chriſti non potuiſſet à principio elicere aliquod iudicium prudentiale, vel electionem circa materias virtutum moralium, niſi prius propria induſtria acquireret ſpecies intelligibiles circa materias virtutum moralium: quod tamen eſſet ponere in eo eamdem imperfectionem, quam habuiſſet, ſi à principio non fuiſſent illi infuſæ virtutes morales.

Reſpondetur itaque alio modo 11 ad argumentum, quòd quamuis non fuerint infuſæ animæ Chriſti ſpecies ſcientiarum, ſeu rerum ſcibilium per ſcientias merè ſpeculatiuas; nihilominus infuſæ fuerunt ei per accidens ſpecies intelligibiles, circa proprias materias virtutum moralium, quæ præſupponuntur, & requiruntur ad iudicium

cium

cium prudentiale: & virtus prudentiæ, quæ princeps eſt inter morales virtutes, ſtatim poſſet in ſuum actum prodire, & medium conſtituere, & determinare in actibus earumdem virtutum moralium. Nec eſt eadem ratio de ſpeciebus intelligibilibus pertinentibus ad intellectum practicum: & de his, quæ ad ſpeculatiuum requiruntur, vt ex ſupradictis conſtat.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Chriſto fuerit Fides.

1 CONcluſio negatiua. Probatur. Obiectum fidei eſt res Diuina non viſa: ſed Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis vidit Deũ per eſſentiam: ergo non fuit in eo obiectum Fidei; ergo nec Fides.

2 CIrca iſtam concluſionem videndus eſt ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 67. art. 3. & 2. 2. quæſt. 1. art. 4. vbi diſputatur ex profeſſo; an Fides poſſit eſſe cum clara Dei viſione: & eadem difficultas procedit de Chriſto. Pro maiori tamen explicatione notãdum, quòd, quamuis in Chriſto non fuerit Fides; nihilominus verè fuit in illo meritum actus fidei, vt fatetur S. Thomas, ſolutione ad 2. Illud tamen meritum non fuit Fidei formaliter, ſed eminenter, vt circa eamdem ſolutionem docet Caiet. Sed tamen in aſſignanda potiſſima ratione, propter quam in Chriſto fuit eminenter meritum Fidei, eſt differentia inter Thomiſtas. Quidã dicunt, Chriſtum eatenus meritum Fidei habuiſſe, quatenus in præparatione animi habebat Fidẽ; quippe qui paratus erat credere myſteria Fidei, niſi per ſcientiam beatam, cum qua Fides non poteſt ſtare, ea cognouiſſet, ſicut de Paulo Apoſtolo in raptu docet Caiet. 2. 2. q. 175. art. 3. Hæc tamen ratio non eſt admittenda. Primo: nam habere Fidem in præparatione animi, eſt habere habitum Fidei, ratione cuius crederet, niſi haberet euidentiã obiecti Fidei, ſicut habuit Paulus in raptu; & ſimiliter Philoſophi Chriſtiani, & Theologi reſpectu huius veritatis; Deus eſt. Nam ipſa animi præparatio eſt per habitum Fidei: ſed in Chriſto non fuit habitus Fidei reſpectu alicuius obiecti: ergo non habuit Fidem in præparatione animi. Secundo, nam in beatis non ponitur Fides in præparatione animi; quia per modum habitus vident eſſentiam Diuinam inamiſſibiliter. Vnde illa præparatio animi eſſet omnino otioſa: ergo ſimiliter in Chriſto; nam à principio ſecundum partem ſuperiorem fuit beatus.

3 Dicendum ergo, in Chriſto eminenter fuiſſe meritum Fidei; quiã per ſcientiam inditam, in qua ſecluſis imperfectionibus continebatur eminẽter cognitio Fidei, agnouit myſterium Trinitatis, & alia gratiæ Sacramenta, quæ nos per Fidem cognoſcimus, vt infra q. 11. art. 10. docet S. Thomas. Et quõniã illa cognitio erat libera, & habebat omnes conditiones ad meritum requiſitas, ideo per illam habuit eminenter meritum Fidei.

Dubium. Dubitabit aliquis; vtrum circa obiecta ſecundaria Fidei potuerit Chriſtus habere habitũ Fidei, ſaltem de potentia Dei abſoluta. Quidam Thomiſtæ partem defendunt affirmatiuam, quam probant

P Primo,

Primo, quia potuit animæ Chriſti fieri reuelatio obſcura eorum, quæ non videbat in Verbo, vt alicuius creaturæ poſſibilis ex his, quas non cognouit per ſcientiam beatam. Similiter etiam potuit ſaluari in eo viſio beatifica eſſentiæ Diuinæ, abſque eo quòd per illam videret in Verbo myſteriũ Euchariſtiæ, vel aliud ſecundario pertinẽs ad fidem: ergo potuit habere cognitionem obſcuram talis myſterij, ac per conſequens Fidem ſupernaturalem.

4 Secũdo. Diuina reuelatio obſcura eſt ratio formalis, ſub qua obiecti Fidei, vt 2. 2. q. 1. art. 1. docent omnes Thomiſtæ: ergo ſi fieret animę Chriſti Diuina reuelatio obſcura circa aliquod myſteriũ ſecundarium noſtræ Fidei, eius cognitio fuiſſet verè cognitio Fidei. Probatur conſequentia; nam habitus ſpecificatur ex ratione formali, ſub qua obiectum attingitur.

Dicendum tamen eſt, quòd, licet de potentia abſoluta potuerit anima Chriſti ſtante viſione beatifica eſſentiæ Diuinæ habere aliquam cognitionem obſcurã alicuius myſterij, pertinentis ſecundario ad Fidem; illa tamen cognitio non eſſet propriè Fidei infuſæ; nec propter illam eſſet conſtituendus in illo habitus Fidei. Ratio potiſſima huius eſt: nam deficiẽte obiecto primario alicuius habitus, nõ poteſt talis habitus permanere: nam habitus ſpecificatur ex obiecto primario. Sed Deus ipſe, ſeu veritas prima obſcurè reuelans, eſt obiectum primariũ noſtræ Fidei, vt 2. 2. q. 1. art. 1. docet S. Thom. ergo, cũ Chriſtus per ſciẽtiam beatam euidenter cognouerit Deũ, ſeu primã veritatem; impoſſibile eſt, ipſũ habuiſſe habitũ Fidei:

Si dicatur, quòd, licet per ſcientiam beatã habuerit euidentiã primæ veritatis ſecundũ ſe, potuit tamen habere obſcurã notitiã illius, in quãtum erat reuelans obiectum ſecundarium Fidei; cõtra eſt argumentũ. De ratione Fidei infuſæ eſt, quòd Deus ipſe, qui eſt primarium obiectum, quod attingitur per fidẽ, & à quo virtus Theologica ſpecificatur; nõ videatur clarè, vt eſt in ſe ipſo, ſaltẽ per modũ habitus: ergo. 5

6 Ad primum, factũ pro oppoſita ſententia, reſpondetur, ꝙ ſicut expectatio glorificationis corporis, quã habent beati, nõ pertinet ad virtutem ſpei; quia in illis non ſaluatur obiectũ primarium eiuſdem ſpei, cũ videant Deũ per eſſentiã; propter quod Apoſtolus, ſcribẽs ad Corint. docet, in patria manere quidẽ charitatem, non aut fidẽ, aut ſpem: ita illa cognitio obſcura de obiecto aliquo Fidei ſecundario non pertineret ad habitum Fidei, qui eſt virtus Theologica, propter eamdẽ rationem: ſed ad aliud lumen ſupernaturale, quod tũc Deus produceret in intellectu animæ Chriſti. 1 Cor. 13

Ad ſecundum reſpondetur, quòd non ſufficit ad habitum Fidei ratio formalis ſub qua, niſi determinetur ad obiectum eius primarium, ſcilicet ad Deum, qui eſt ratio formalis quæ. Nam ex vtraque conſtituitur ratio ſpecifica ipſius habitus. De ratione enim virtutis Theologicæ eſt, quod habeat Deum pro obiecto ſpecificante. Notandũ tamen, quòd de potẽtia ordinaria, eſt impoſſibile, quòd aliquis beatus habeat reuelationem obſcurã alicuius obiecti. Nã reuelatio obſcura nõ decet ſtatũ beatificum: vnde ſecundũ potentiam ordinariã, anima Chriſti nec habuit, nec habere potuit cognitionem 7

nem

nem myſterij Euchariſtiæ obſcurã, vel alterius pertinentis ad Fidem. Videatur Caiet. 2.2.q.175. ar.3. & quæ diximus lib. 12. de Auxil. Diſput. 118. & 119.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Chriſto fuerit Spes.

Conclusio eſt negatiua. Nam fundamentũ Spei eſt Fides: in Chriſto non fuit Fides: ergo neque Spes.

Circa iſtam concluſionem vide S.Thom. 1.2.q.67.art.4.& 2.2. q.18. art.2. vbi diſputatur: Vtrum Spes ſit in beatis ſaltem reſpectu gloriæ corporis, quam nondum habet in re. Et eadem difficultas procedit de Chriſto, quamdiu erat viator ſecundum corpus paſſibile. Ad cuius maiorem explicationem notandum cum Caiet. quod actus ille, quo Chriſtus, dũ erat in corpore paſſibili, expectabat eius immortalitatem & gloriam; non erat propriè actus virtutis Spei, ſed deſiderij, quale reperitur in beatis reſpectu gloriæ ſuorum corporum. Ratio huius eſt: nam deficiente obiecto primario alicuius habitus, non poteſt manere ille habitus, vt articulo præcedenti dictum eſt. Obiectum autem primariũ Spei eſt gloria futura animæ; nam beatificatio corporis eſt obiectũ eius ſecundarium, vt docet S.Thom. 2.2.q.17. art.5.ad 1.& q.18.art.2.ad 4. ergo, cum Chriſtus à principio ſuæ conceptionis habuerit animę gloriam, non fuit in illo virtus Spei ad expectandam gloriam corporis. Si quis petat, ad quam virtutem pertineat illud deſiderĩ; reſpondetur, quòd ad virtutem Charitatis, qua quis diligit ſe ipſum propter Deum, vel poterit reduci ad aliquid altius virtute, ſcilicet ad inclinationem, qua quis appetit bonum propriũ.

Secundo probatur. Spes non poteſt eſſe, niſi de bono arduo futuro, & poſſibili; Omnes enim iſtę cõditiones requiruntur ad obiectum Spei, vt docet S.Thom. 2. 2. q.18. art.2. in corp. & ad 3. & q.17. art. 1. & 7. in corp. Sed ſuppoſita glorificatione animæ, quæ à principio erat in Chriſto, glorificatio corporis non eſt bonum arduum, ſeu difficile; cum ex gloria animæ reſultet naturaliter gloria corporis, niſi per miraculum impediatur: ergo gloria corporis ſecundum ſe non eſt ſufficiens obiectũ virtutis Spei. Denique probatur: nam Spes, quæ eſt virtus Theologica, ſupponit Fidem. Dicitur enim Hebr. 11. [Eſt autẽ Fides ſperandarum ſubſtantia rerum:] id eſt primum fundamentũ Spei, ſed in Chriſto non fuit Fides, vt dictum eſt: ergo nec Spes.

ARTICVLVS V.

Vtrum in Chriſto fuerint dona.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur: Dona propriè ſunt perfectiones quædã potentiarum animæ, ſecundum quòd ſunt natæ moueri à Spiritu ſancto: ſed anima Chriſti perfectiſſimè à Spiritu ſancto mouebatur ſecundum illud Lucæ 4. [Et agebatur à Spiritu in deſertum:] ergo.

Circa iſtã concluſionem videnda ſunt, quæ adnotauimus ſuper cap. 11. Iſaiæ, num. 3. & ſeqq. vbi ex pluribus locis Scripturæ ſacræ oſten-

oſtenſum eſt,in anima Chriſti fuiſſe cum magna perfectione omnia dona Spiritus ſancti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Chriſto fuerit donum Timoris.

1 COncluſio. In Chriſto fuit timor Dei,ſeu timor filialis,non quidem ſecundum quòd reſpicit malum culpæ,aut pœnæ pro culpa, quia nulla potuit eſſe in Chriſto culpa:ſed quatenus reſpicit ipſam Diuinam eminentiam, prout ſcilicet anima Chriſti quodam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum, à Spiritu ſancto acta.

2 PRo intelligentia cōcluſionis huius articuli vidēdi ſunt ſanctus Thom. & eius interpretes 2.2.q. 19.art.9. vbi de timore, quatenus eſt donum Spiritus ſancti,agitur ex profeſſo,& explicatur, qua ratione timor ſit in beatis: & quæ ibi dicuntur de alijs beatis, adaptanda ſunt Chriſto. Sed, vt breuiter, quæ ibi traduntur, attingamus; notandū,quòd donum timoris habet duplicem actū. Alterum primarium, quo reueretur Diuinam potētiam, vt eſt inflictiua mali.Et ratione huius actus dicitur timor reuerentialis, qualis reperitur in filijs, reſpectu patris. Alterum verò ſecundarium, qui eſt refugere malū culpæ poſſibile,aut pœnę propter culpam.Dicēdum ergo,quod in Chriſto, quatenus eſt homo,& in beatis eſt donū timoris formaliter,& quo ad habitum, & quo ad actum eius primarium,ſed non quo ad actum ſecundarium:quia in beatis nulla eſt poſſibilis culpa, vel pœna pro culpa. Et quidē, quòd fuerit in Chriſto timor filialis,conſtat ex illo Iſaiæ 11. [Replebit eum Spiritus timoris Domini.]Hic locus cōmuniter explicatur à Sāctis Patribus de vero timore filiali, & reuerentiali, quòad primum āctum. De Angelis etiam dicitur Iob. 26. [Columnæ cæli pauent, & contremiſcunt ad nutū eius.] vbi per columnas cæli intelliguntur Angeli beati,vt explicat Greg.lib.17. Moral. cap.14. & Auguſt.lib.14.de Ciuit.Dei,cap.9. Et in pręfatione Miſſæ dicitur:[Per quem maieſtatem tuā laudant Angeli,adorāt Dominationes, tremūt Poteſtates.] Et in Hymno Aſcenſionis Domini: Tremunt videntes Angeli] & eadem ratio eſt de alijs beatis.

Sed cōtra hoc eſt argumentum: 3
nam,vt dicebamus ſupra,ſine obiecto primario non ſaluatur habitus: ſed in Chriſto & ſimiliter in beatis nō reperitur obiectum primarium timoris:nam vt docet S.Thom. 1.2. q.42. art.1. obiectum primarium timoris eſt malum arduū poſſibile, quod difficile vitari poteſt; reſpectu autem Chriſti,& beatorum nullum eſt malum culpæ poſſibile,aut pœnæ propter culpā. Reliqua autē mala faciliimè poterat Chriſtus vitare,etiā dum erat in corpore mortali:ergo, &c. Cōfirmatur. Obiectū primariū Spei eſt bonum arduum, poſſibile, futurum: ergo obiectum primarium timoris erit malum arduum,poſſibile,futurum, &c.

Reſpondetur, quòd obiectum primarium timoris eſt malum formaliter, ſi accipiatur timor, vt eſt paſſio, & de hoc timore loquitur ſanctus Thomas 1.2. citata. Obiectum autem primarium timoris, vt eſt donum Spiritus ſancti, 4

ẽti, non eſt malum, ſed bonum, ſcilicet eminentia boni Diuini; cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt, vt in hoc articulo 6. ad 1. docet ſanctus Thomas: vnde non ſequitur, quòd in anima Chriſti, non ſit timor filialis, ſeu reuerentialis, qui eſt donum Spiritus ſancti.

Ad cõfirmationem reſpondetur, quòd obiectum primarium ſpei eſt Deus, vt beatificans animam in futurum. Ab eo enim ſperamus beatitudinem iuxta id, quod habetur in Pſal. 90. [Quoniam tu es Domine ſpes mea.] Et ita etiam obiectum primarium timoris, vt eſt donum Spiritus ſancti, eſt Dei eminentia, & potentia vt inflictiua mali: ſecundarium autem obiectum eſt ipſum malum, quod per timorem refugit iuſtus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Chriſto fuerunt gratiæ gratis datæ.

CONcluſio. Manifeſtũ eſt, quòd in Chriſto excellentiſſimè fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, ſicut in primo, & principali Fidei Doctore.

Videnda ſunt, quæ de gratijs gratis datis docet Sanctus Thomas lect. 2. ſuper primam epiſtolam ad Corinth. cap. 11. & 1. 2. quæſt. 111. art. 4. & 5. vbi de eadem re agit Caietan. & Magiſter Medina circa 4. concluſionem: de quibus nonnulla breuiter attigimus Diſputat. 23. de Auxilijs num. 33.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in Chriſto fuerit prophetia.

CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur: nam de eo prædicitur Deuter. 18. [Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris.] Et ipſe de ſe dicit Matt. 13. & Ioan. 4. [Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.] Secundo probatur in corpore articuli hac ratione. Prophetæ ſolũ eſt, quòd ea cognoſcat, & annuntiet, quæ procul ſunt ab aliorum viatorum notitia, cum quibus ipſe habitat: nam Propheta dicitur quaſi procul fans, vel procul dicẽs, vt Auguſt. ait: Sed Chriſtus Dominus quãplurima cognouit, & annuntiauit, quæ procul erãt à ſenſibus viatorum, cum quibus ipſe habitauit: Fuit enim viator ſecundum corpus paſſibile, quamuis ſecundum partem ſuperiorem fuerit comprehenſor: ergo. 1 Aug. lib. 16. cont. Fauſt. c. 18.

PRo maiori explicatione huius cõcluſionis notandum, quod Abulenſis q. 64. ſuper cap. 11. Numerorum tenuit, in Chriſto non fuiſſe, propriè loquendo, & formaliter, Prophetiam, ſed ſolum eminenter. Eius tamen ſententia communiter à Doctoribus reijcitur. Nam teſtimonia ſacræ Scripturæ, quæ in hoc articulo adducũt S. Thomas, & Medina, conuincunt, Chriſtum verè fuiſſe Prophetam, præſertim illud Lucæ 13. vbi Chriſtus Prophetam ſeipſum appellauit, cum ait: [Non capit prophetam perire extra patriam ſuam,] quam doctrinam ſufficienter probat M. Medina, & ſoluit argumenta Abulenſis.

Duo tamen adhuc à nobis ſunt

argumenta diſſoluenda. Primum argumentum. Si Deus, vel aliquis beatus reuelaret, & manifeſtaret nobis futura, vel ea, quæ procul ſunt à ſenſibus; non eſſet proprie propheta, vt omnes Theologi fatentur: Sed Chriſtus ſecundum ſuppoſitum erat Deus, & ſecundum humanitatem erat beatus; ergo, &c. Secundum argumentum eſt. De ratione prophetiæ eſt, quòd detur per modum coruſcationis tranſeuntis, & ęnigmaticæ: ſed illuſtratio, vel cognitio, quam habuit anima Chriſti, nunquam fuit per modum tranſeuntis, nec etiam fuit per ænigmata, vel obſcura: aliàs fuiſſet imperfecta, & ſimiliter fuiſſet in eo fides: quod eſt contra præmiſſa; ergo, &c.

4 Ad primum reſpondetur facilè. De ratione prophetię eſt, quod propheta habeat conuictum cum illis, quibus prophetat. Debet enim ſecundum aliquam rationem pertinere ad Eccleſiam militãtem, cum huiuſmodi dona dentur viatoribus ad vtilitatem Eccleſiæ. Vnde, cum Chriſtus ſecundum corpus paſſibile fuerit viator, potuit in eo eſſe prophetia: non autem poteſt eſſe in beatis, qui etiam ſecundum corpus non pertinent ad Eccleſiam militantem, nec habent commercium, vel conuictũ cum alijs viatoribus.

5 Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe de ratione prophetiæ, dari per modum tranſeuntis: ſed hoc competit illi ratione ſubiecti, quatenus eſt in alijs prophetis: nam in Chriſto, propter coniunctionem humanitatis ad Verbum, fuit prophetia permanentes, & prophetabat, quando volebat, vt elegantiſſimè docet Sanctus Ioannes Chryſoſtomus Homil. 3. in Matth. de quo plura dixi ſuper cap. 3. Iſai. num. 26. in illa verba [& dixit Dominus ad me.]

Idem dicendum ad id, quod obijcitur de cognitione ænigmatica; non enim eſt obſcuritas de eſſentia prophetiæ, vt expreſsè docet Sanctus Thomas ad 1. huius art. & Caiet. 2.2. q. 171. art. 5. ſed per accidens illi coniungitur ratione ſubiecti, ſicut non eſt de eſſentia noſtræ Theologiæ quòd innitatur principijs obſcure cognitis, vel euidẽter: ſed ratione ſtatus, in quo eſt, innititur principijs fidei, vt in nobis, vel principijs euidenter cognitis, vt in beatis; propter quod p. p. q. 1. dicũt Thomiſtæ quam plurimi, Theologiã viæ manere in Patria. De prophetia autem, & eius gradibus agitur ex profeſſo à Sancto Thoma 2.2. q. 171. & ſequentibus. Vide ibi Caiet. & S. Tho. de verit. q. 12. ar. 13.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ.

PRima concluſio. In Chriſto fuit plenitudo gratiæ, quantum ad eius quantitatem intenſiuã. Probatur. Chriſtus habuit gratiam in ſummo ſecundũ perfectiſſimum modum, quo haberi poteſt: nam eius anima fuit maximè propinqua fonti gratiæ, vtpote Verbo hypoſtaticè vnita. Secundo, quia anima Chriſti recepit gratiam, vt ex ea quodammodo trãſfunderetur in alios; ergo oportuit, quòd haberet maximam gratiam, ſicut ignis, quia eſt cauſa caloris in omnibus calidis, eſt maxime calidus.

Secunda concluſio. Etiã in Chriſto fuit

ſto fuit plenitudo gratiæ ſecundum virtutem,ſcilicet quo ad omnes operationes,vel effectus gratiæ. Probatur.Gratia data eſt Chriſto,velut cuidã vniuerſali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principij alicuius generis vniuerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis:ergo,&c.

CIrca primã concluſionem nihil nunc ad notandũ ſe offert; de illa enim ex profeſſo agendũ erit infra art. 12. Circa ſecundã ſe offerebant duæ graues difficultates; Altera eſt: Vtrũ gratia Chriſti ita ſit vniuerſale principiũ omnium effectuũ gratię, vt fuerit cauſa gratiæ, quæ collata eſt Angelis. Altera: Vtrum Chriſtus in quantũ homo fuerit cauſa gratię; quæ collata eſt primis parentibus in ſtatu innocentię. Sed vtramque difficultatem breuiter diſſoluimus in libro noſtro de Auxilijs Diſp. 40. & de illis redibit ſermo quæſt. ſeq. art. 3. & 4.

ARTICVLVS X.

Vtrum plenitudo gratiæ ſit propria Chriſti.

PRima concluſio. Plenitudo gratiæ ex parte gratiæ eſt propria Chriſti. Probatur. Quia Chriſtus eſt vnigenitus à Patre, de quo dicitur Ioan. 1. [Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenũ gratiæ, & veritatis] Vnde ſola gratia Chriſti ſe extendit, ad omnes effectus gratiæ.

Secunda concluſio. Plenitudo gratiæ ex parte ſubiecti, quę ſcilicet attenditur per habitudinem ad iſtum effectum gratiæ, vel illum in particulari, vel in ordine ad tale, vel tale officium, etiam competit alijs. Nã Lucæ 1. dicitur Beatæ Virgini [Aue gratia plena] & act. 7. [Stephanus plenus gratia, & fortitudine.]

ARTICVLVS XI.

Vtrum Chriſti gratia ſit infinita.

PRima cõcluſio. Gratia vnionis in Chriſto eſt ſimpliciter infinita. Nã perſona, in qua facta eſt vnio hypoſtatica, eſt ſimpliciter infinita.

Secunda concluſio. Gratia habitualis Chriſti in eſſe qualitatis, eſt finita. Nam eſt quid creatum, & in ſubiecto finito exiſtens, ſcilicet in anima Chriſti, quæ eſt finita.

Tertia concluſio. Gratia eadem habitualis in eſſe gratiæ, eſt infinita: quia non limitatur ad aliquem effectum, ſed ſe extendit ad omnes effectus poſſibiles gratiæ: ergo, &c.

ARTICVLVS XII.

Vtrũ gratia Chriſti potuerit augeri.

PRima cõcluſio. Ex parte ipſius gratiæ, nõ potuit augeri gratia Chriſti. Probatur. Gratia ordinatur ad vniendam creaturam rationalẽ cum Deo, ſed nõ poteſt eſſe vel imaginari maior vnio cũ Deo, quã hypoſtatica, qualis fuit in Chriſto: ergo.

Secunda concluſio. Etiã ex parte ſubiecti gratia Chriſti augeri nõ potuit. Probatur. Illa Chriſti gratia erat comprehẽſoris ſecundum animã, quę eſt immediatũ ſubiectũ gratiæ: ergo illa gratia erat in termino, ac per cõſequẽs etiã ex parte ſubiecti augeri nõ potuit, ſicut gratia beatorũ nõ augetur, quia eſt in termino.

Digitized by Google

Expoſitio trium præcedentium Articulorum.

CIrca iſtos tres articulos, quinque ſe offerunt graues difficultates. Prima: Vtrum gratia habitualis Chriſti in ratione gratiæ, ſit infinita per aliquid intrinſecum ipſi gratiæ. Secunda: Vtrum ſimpliciter, & abſolutè dicenda ſit infinita. Tertia: Vtrum ſit eiuſdem ſpeciei cũ gratia, quæ alijs hominibus per Chriſtum confertur. Quarta: Vtrũ de potentia abſoluta potuerit augeri. Quinta: Vtrum ſola gratia habitualis Chriſti excedat ſecundũ intẽſionem gratiam omnium aliorum ſimul ſumptam, nõ ſolum hominum, ſed etiam Angelorum.

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrum gratia Chriſti ſit infinita ſolum extrinſecè, & moraliter, an verò per aliquid ſibi intrinſecum.

DE hac difficultate plura diximus ſupra Diſp. 4. vbi de infinitate, & valore ſatisfactionis Chriſti egim⁹ ex profeſſo: & quæ ibi dicta ſunt de infinitate ſatisfactionis accommodari poſſunt infinitati gratiæ habitualis Chriſti. Nunc autẽ attingenda ſunt ea, quæ ſpecialiter pertinent ad infinitatem gratiæ, quo ad modum.

1 Prima ſententia eſt quorundam, aſſerentium, quòd ex vnione humanitatis ad Verbum reſultat in gratia Chriſti habituali quidam realis modus intrinſecus ſeu phyſicus, qui reddit illam infinitam in ratione gratiæ. Adduntq; iſti auctores, quòd ex vi huius infinitatis haberet gratia Chriſti infinitam intenſionem, ſi eſſet poſſibilis. Quod probatur

2 PRimo. Gratia Chriſti in eſſe gratiæ non eſt infinita ex ſola acceptatione Dei extrinſeca. alias enim gratia cuiuſlibet puri hominis eſſe poſſet eodem modo infinita, ſicut gratia Chriſti; nam poſſet extrinſecè acceptari à Deo ad ſatisfactionem & præmium infinitum: ergo eſt infinita in ratione gratiæ per aliquem modum realẽ, & phyſicum, qui competit ei, quatenus eſt gratiæ vnionis cõiuncta.

3 Secundo. Gratiæ Chriſti habituali ex reali coniunctione humanitatis ad Verbum competit, quòd ſit gratia capitis, & ſanctificatiua, non ſolum moraliter, ſeu meritoriè; ſed etiam efficienter, ac phyſicè infinitorum hominum, ſi darentur: ergo habet aliquam phyſicam infinitatem, ſeu virtutem infinitam in ratione gratiæ. Patet cõſequentia: nam alias habere non poſſet phyſicam virtutem ad gratificandos, & ſaluandos infinitos homines, ſi eſſent: nam infinitas effectus præſupponit phyſicam virtutem infinitam in cauſa efficiente.

4 Tertio. Calor naturalis animalis ex coniunctione ad ipſius vitã, participat à ſubiecto, in quo eſt, quemdam modum vitalem & ſubſtantialem, ratione cuius eſt inſtrumentũ ipſius animalis ad vitales actiones coquendi cibum, generandi carnes, & nutriendi ipſum animal: quam tamen virtutẽ nõ habet in ſubiecto nõ viuẽte: ergo proportionabiliter gratia habitualis Chriſti ex coniũctione ad gratiã vnionis, & ad ipſũ Verbum participat quemdã modũ infi-

Digitized by Google

infinitatis phyſicæ,ratione cuius ſit inſtrumentum Verbi proportionatum ad gratificandos infinitos homines, ſi eſſent.

5 Quarto. Vt docet Sanctus Thomas hic art. 12. & infra quæſt. 10. art.4. ad 3. Gratia Chriſti eſt infinita in ratione diſpoſitionis ad vnionem hypoſtaticam: ſed huiuſmodi infinitas pertinet ad ordinem phyſicum : nam diſpoſitio eſt cauſa materialis formæ,& conſequenter cauſa phyſica, cum apud phyſicum cauſa diuidatur ſecundo phyſ. in materialem, & formalem, effectiuam,& finalem: ergo, &c.

6 Secunda ſententia eſt, gratiam Chriſti in eſſe gratiæ,eſſe infinitam ſecundum acceptationem extrinſecam tantum. In hanc ſententiam videntur inclinare Scotus in 3. d. 13.q.1.Durand. eadem diſt.& q. n. 10.Albert.art.7.& alij, qui dicunt gratiam Chriſti eſſe finitam,tam in eſſe gratiæ, quam in eſſe qualitatis: & pro hac ſententia, ſunt argumenta, quorum primum eſt quintum in ordine.

Quinto arguitur. In ipſa gratia non diſtinguitur eſſe qualitatis, & eſſe gratiæ, ſicut in homine non diſtinguitur animal & rationale: nam genus, vt determinatur ad ſpeciem, eſt realiter ipſa ſpecies: ſed gratia Chriſti in eſſe qualitatis eſt finita,cum ſit accidens creatum: ergo in eſſe gratię,ac per conſequēs ſi aliquam infinitatem habet eſt illi omnino extrinſeca.

7 Sexto. Nihil poteſt eſſe maius infinito: ſed per potentiam Dei abſolutam poteſt dari maior gratia tam in eſſe qualitatis, quàm in eſſe gratiæ: ergo ipſa gratia Chriſti non eſt infinita. Minor probatur. Gratia poteſt augeri in infinitum; quia eſt participatio quædam Diuinæ naturæ, quæ cum ſit infinita ſimpliciter,ſemper eſt magis ac magis participabilis in infinitum. Hac enim ratione Sanctus Thomas 2.2. q.24.art.7.probat, charitatem poſſe augeri in infinitum: ergo in eſſe qualitatis poteſt dari gratia magis intenſa, quàm ſit gratia Chriſti. Similiter etiam in ratione gratiæ poteſt dari alia gratia, quæ ſe extendat ad plures effectus, quàm gratia Chriſti. Nam incarnatio Patris, & Spiritus Sancti ſunt effectus poſſibiles gratiæ, ad quos non ſe extendit gratia Chriſti, nec etiam ſe extendit ad ſaluandos reprobos, vel ad cauſandam gratiam Angelis collatam,& primis Parentibus in ſtatu innocentiæ: & tamen Deus potuit conferre alicui gratiam, quæ etiam ſe extenderet ad iſtos effectus: ergo in ratione gratiæ non fuit infinita gratia Chriſti.

Tertia ſententia eſt Sancti Tho- 8
mæ in his articulis, & de verit. qu. 29.art.3. quam ſequuntur communiter eius Diſcipuli, præſertim Capr. in 3.d.13.q.1. art.1. concluſ. 2. Palud.q.ead.art.2.& alij. Pro eius explicatione ſupponendum primo, Gratiam habitualem in ratione entis, & qualitatis, eſſe non poſſe infinitam, quamuis Ioan. maior, diſt. 13.cit.contendat, gratiam Chriſti etiam in ratione entis, eſſe infinitam: cuius ſententiam probabilem putat Almaynus d. ead. Nihilominus noſtrum fundamentum ſtatuit Sanctus Thomas art.11.& illud cōmuniter Theologi recipiunt. Ratio eſt; nam infinitas gratiæ in eſſe entis, vel qualitatis attenditur ſecundum eius intenſionem.Implicat autem intenſionem gratiæ eſſe actu infinitam; forma enim non exce-

dit

dit ſubiectum, in quo eſt: cum ergo gratia ſit ſubiectiuè in anima, quæ eſt finita; impoſſibile eſt, in ratione qualitatis habere intenſionem infinitam. Præterea probatur ratione facta. Gratia eſt participatio Diuinæ naturæ, quæ eſt infinita: ergo ſemper poterit augeri in infinitum: ergo non poterit dari vltimus gradus gratiæ poſſibilis. Confirmatur. Intellectus creatus propterea non poteſt comprehendere Deum, vel illum cognoſcere, in quantum eſt cognoſcibilis; quia Deus eſt infinite cognoſcibilis; capacitas autem, & virtus cuiuſcunque intellectus creati eſt finita: ergo ſimiliter in præſenti, quia gratia eſt participatio naturæ Diuinæ, quæ eſt infinita, ſemper poterit eſſe maior, & creſcere in infinitum. Supponenda ſecundo ſunt, quæ de infinitate ſatisfactionis Chriſti diximus diſp. 4. ſit ergo

9 PRima concluſio. In gratia Chriſti habituali non eſt conſtituendus aliquis modus phyſicus, & intrinſecus, qui modaliter ſit infinitus, vel ratione cuius gratia Chriſti in eſſe gratię habeat infinitatem phyſicam. Hanc concluſionem ſtatuit Aſturic. q. 3. de gratia Chriſti concluſione 5. pag. 215. & eſt communis ſententia inter Thomiſtas, quam etiam multis rationibus ex parte probaui Diſp. 11. vbi oſtendi, per vnionem hypoſtaticam non fuiſſe productum in humanitate Chriſti aliquem modum realem ſubſtãtialem. Eiſdem namque rationibus probari poteſt, per eamdem vnionẽ hypoſtaticam nõ fuiſſe productum in gratia Chriſti habituali aliquem modum realem, ratione cuius ſit

10 infinita. Pręterea probatur. Ille modus phyſicus infinitus eſt omnino impoſſibilis, quia non poteſt immediate cauſari à Verbo terminante naturam humanam: nec etiam poteſt cauſari à Deo per nouam aliam actionem: ergo non eſt admittẽdus talis modus. Probatur conſequentia: nam ſi ille modus infinitatis eſſet in gratia Chriſti, reſultaret immediate ex ipſa vnione hypoſtatica quaſi per ſimplicem emanationem, aut per nouam actionem produceretur à Deo. Antecedens quoad primam partem probatur. Primo: Verbum terminat humanitatem immediate per proprietatem relatiuam, ſcilicet per filiationem, quæ non eſt forma actiua, vel productiua alicuius effectus. Secundo. Nam Verbum, terminando naturam humanam, ratione vnionis hypoſtaticæ ſolum tribuit eidem naturæ ipſum eſſe perſonale Verbi, ita vt immediatè ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi: ergo per vnionem hypoſtaticam non tribuit gratiæ habituali aliquem modum infi-
nitum. Quod autem illum non tri- 11
buat per nouam actionem probatur. Nam alias ſequeretur, quòd Deus poſſet tribuere illum modum phyſicæ infinitatis gratiæ puri hominis, & facere, quòd talis gratia ſit infinita in ratione gratiæ, ſicut eſt gratia Chriſti iuxta eorum ſententiam: quod tamen nullus Theologus concedit. Probatur ſequela: nam, ſi ille modus productus eſt per nouam actionem, ſi talis modus potuit coniungi cum gratia Chriſti, potuiſſet etiam coniungi cum gratia alicuius Angeli, vel puri hominis.

Reſpõdent ad hoc argumentum,
quòd ipſum Verbum immediatè 12
per ſe ipſum quaſi modaliter con- Solutio.
ſtituit gratiam Chriſti phyſicè infini-

finitam in eſſe gratiæ, eo ipſo quod humanitati vnitur hypoſtaticè. Sed hæc ſolutio manifeſtam videtur inuoluere implicationem; eſt enim impoſſibile, quòd Verbum Diuinũ ſit modus phyſicus alienius formæ creatæ: nam talis modus in ſuo formali conceptu includit imperfectionem, quæ tamen Deo repugnat.

Impugn.

Præterea; nam modus realis cuiuſcunque formæ realiter identificatur cum forma, ſicut modus albedinis identificatur cum albedine: ſed eſt impoſſibile, quòd Verbũ identificetur realiter cum aliqua forma creata: ergo, &c. Denique probatur concluſio. Humanitas Chriſti per hoc, quòd ſit hypoſtaticè vnita Verbo, non habet aliquem modum realem phyſicum, ratione cuius reuera ſit infinita in eſſe humanitatis: ergo à fortiori gratia habitualis Chriſti ex vi vnionis hypoſtaticæ, nullum habebit modum phyſicum infinitum, ratione cuius ſit infinita in eſſe gratiæ.

13 Secunda concluſio. Gratia Chriſti non eſt infinita per ſolam acceptationem Dei extrinſecã, ſed aliquo modo ab intrinſeco, ratione ſuppoſiti, à quo etiam habet infinitatem in eſſe gratiæ, abſque eo quòd conſtituatur in ipſa gratia aliquis modus infinitus intrinſecus eidem gratiæ. Probatur concluſio: Nam aliàs de potentia Dei abſoluta poſſet communicari puræ creaturæ gratia infinita ea infinitate, quæ fuit in gratia Chriſti: & ita incarnatio Verbi non fuiſſet ſimpliciter neceſſaria ad perfectam reparationem generis humani, cuius contrarium oſtenſum eſt ſupra q. 1. art. 2. Sequela probatur. Nam etiam extrinſeca acceptatione potuit Deus acceptare gratiam puræ creaturæ ad infinitum præmium, & ad ſatisfaciendum pro infinitis peccatis, ſi eſſent: ergo.

Secundo. Infinitas, quæ deſumitur ex ſuppoſito operante, non eſt infinitas ex acceptatione Dei merè extrinſeca: nam ſuppoſitum per ſe concurrit ad operationem, cum actiones ſint ſuppoſitorum: ſed gratia Chriſti habebat infinitatem ex ſuppoſito Verbi operante per humanitatem Deo gratam, & ſibi hypoſtaticè vnitam: ergo infinitas gratiæ Chriſti non eſt ex ſola acceptatione Dei extrinſeca. 14

Confirmatur. Licet moralis infinitas, quæ reperitur in gratia Chriſti, ſit extrinſeca ipſi gratiæ, conſideratæ in eſſe phyſico; nihilominus in eſſe morali eſt perfectio illius intrinſeca: nam vt dicebamus Diſp. 4. valor operationis in genere moris, & eius dignitas per ſe attenditur ex maiori dignitate ſuppoſiti operantis: ergo, &c.

Tertia concluſio. Gratia Chriſti eſt infinita, ſicut dicitur infinita lux Solis; quia ſe extendit ad omnes effectus poſſibiles gratiæ, tam gratum facientis, quàm gratis datæ. Concluſio eſt ſancti Thomæ art. 11. & ſuper cap. 3. Ioannis lect. 6. Capr. & Palud. vbi ſupra, & probatur ex illo Ioan. 3. [Non ad menſuram dat Deus Spiritum Filio,] ideſt Chriſto, vt ſolutione ad primum explicat Sanctus Thomas in eodem art. 11. & ſuper c. 3. Ioan. In quo teſtimonio aſſignatur differentia inter gratiam Chriſti, & aliorum hominum; Nam Chriſto data eſt gratia abſque menſura, eo quòd in illo fuit gratia, tamquam in capite; quod ſe extendit ad omnes effectus gratiæ vniuerſaliter: aliјs autem 15

Ioan. 3.

S. Thom.

Digitized by Google

autem datur gratia ad iſtum, vel illum effectum in particulari, non autem vniuerſaliter ad omnes, & præterea etiam Apoſtoli acceperũt gratiam in menſura iuxta illud *Eph. 4.* Epheſ. 4. [Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.] Vnde *S. Aug.* S. Auguſtinus tract. 14.in Ioan.inquit:[Mẽſura eſt, Diuina diuiſio quædam donorum eſt. Alij enim datur per ipſum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ:ſed Chriſtus, qui dat, non ad menſuram accepit.]

Vaſquez diſputat. 56. c. 3. Quidam arbitrantur, hoc teſtimonio Ioan. non recte probari gratiam Chriſti habitualem non eſſe quodam modo infinitam, & addunt ſe neſcire, [quo nam fundamento recentiores Thomiſtæ cum S. Thoma in ſolut. ad 2.huius artic. explicent locum illum, de gratia habituali collata ipſi Chriſto.] Et quidem, quòd non intelligatur de gratia habituali, probant ex SS. Patribus. *S. Aug.* Nam S. Auguſt. tract. 14. in Ioannem per ſpiritum, quem dat Pater filio ſine menſura, intelligit eſſentiam Diuinam communicatam Filio per generationem æternam. Cyrillus lib. 2. in Ioann. cap. 3. & c. 72. quẽ ſequitur Theophilactus ſuper eumdem locum, intelligit de ſpiritu, qui eſt tertia in Trinitate perſona; quia Spiritus ſanctus ſecũdum ſubſtantiam eſt in filio. Chriſt. hom. 19. in Ioan. quem ſequitur Euthymus, nomine Spiritus intelligit virtutem, & efficacitatem operandi miracula, quæ non eſt data Chriſto ad menſuram, hoc eſt ad certum genus miraculorum, ſicut alijs ſanctis. S. Thom. ad 2. huius art. explicat de dono vnionis: hoc enim non fuit datum ad menſuram, cum tota ipſa Diuina perſona data fuerit humanitati. Denique recentiores aliqui non incongruè interpretantur de Spritu gratiæ, non quem Deus dedit Chriſto, ſed nobis per Chriſtum: ergo abſque fundamento explicatur locus ille de gratia habituali, collata ipſi Chriſto. Sed quam debilis ſit hæc conſequentia, ex eo conſtat: nam, vt omnes Sancti Patres, & Doctores ſcholaſtici, vnanimi conſenſu fatentur, idem locus ſcripturæ plures habere poteſt ſenſus, etiam litterales. Vnde per explicationes inductas non excludunt Sancti Patres interpretationem de gratia habituali, quam tradit S. Thom. in hoc art. ad 2. & cum eo recentiores Thomiſtæ, immo & cum S. Aug. tractatu illo 14. ſuper Ioannem, vbi licet in ſecundo loco explicationem ab argumento propoſitam adhibeat; tamen paulo antea noſtram explicationem expreſsè tradidit, vt conſtat ex eius verbis ſupra inductis.

Addo, vltimam explicationem in obiectione aſſignatam ex mente aliquorum nõ videri congruentem verbis Apoſtoli Epheſ. 4. dicentis. [Vnuſquiſque noſtrum gratiã accepit, ſecundum menſuram donationis Chriſti.] Non ergo debent explicari de illis verba Ioannis; Nõ enim ad menſuram dat Deus ſpiritũ:] nam dare ſpiritum, & gratiam in menſura, & ſine menſura, videntur profecto inter ſe repugnare. Accedit, quòd fere omnes ſancti Doctores intelligunt verba Ioannis de ſpiritu, quem Deus pater dedit filio, de quo Iſaias ait: [Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ; & intellectus, ſpiritus conſilij; & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ; & pietatis, & repleuit eum ſpiritus timoris Domini.] *Iſa. 11.*

Et

Iſai.6. Et iterum in perſona Chriſti loquens,ait: [Spiritus Domini ſuper me,eo quod duxerit me, Euangelizare pauperibus miſit me, vt mederer contritis corde,&c.] Vbi prius loquitur de Spiritu, quem Deus Pater dedit Chriſto, & poſtmodum de donis gratiæ, quæ per Chriſtū communicauit nobis. Non ergo coarctanda ſunt verba Ioannis, ita vt ſolum intelligantur de ſpiritu, quē Deus nobis per Chriſtum Dominū communicauit. Confirmantur hæc omnia verbis clariſſimis S.Thomæ lect.6.ſuper cap.3.Ioannis,vbi præ-
15 dictum locum expendens ait.[Notandum autem,quòd hoc,quod dicitur hic de Chriſto, quòd non ad menſuram dedit ei Deus pater ſpiritum, poteſt dupliciter intelligi: vno modo intelligitur de Chriſto, ſecūdum quòd homo; Ad hoc enim datur alicui aliquid, vt habeat illud: habere autem Spiritum ſanctū conuenit Chriſto, & in quantum Deus, & in quantum homo, & ſic ſecundum vtrumque habet Spiritum ſanctum. Sed in quantum homo,habet Spiritum ſanctum, vt ſanctificantem, Iſa. 61. [Spiritus Domini ſuper me, eo ꝙ vnxerit me,] ſcilicet hominem. In quantum verò Deus, habet Spiritum ſanctum, vt manifeſtantem, tum ſecundum quòd ab eo procedit; Ioan. 12. Ille me clarificabit,ideſt manifeſtabit, quia de meo accipiet.] Sic ergo vtroque modo ſcilicet in quantum Deus, & in quantum homo, Chriſtus habet Spritum ſanctum, nō ad menſuram: nam Chriſto, in quantùm Deus, dicitur Deus Pater dare Spiritum ſanctum, non ad menſuram, quia dat ei virtutem, & poteſtatem ſpirandi Spiritum ſanctū, qui cum ſit infinitus, infinitum dat ei Pater; quē quidem Pater dat ei, ſicut ipſe habet, vt ſcilicet, ſicut ab eo procedit,ita & à filio,& hoc dedit per æternam generationem. Similiter & Chriſtus,in quantum homo non ad menſuram habuit ſpiritum: Nam hominibus datur Spiritus ſanctus ad menſuram; quia gratia eius ad menſuram eis datur,ſed Chriſtus, in quantum homo, non ad menſuram recepit gratiam, & ideo non ad menſuram recepit Spiritum ſanctum.]Et infra: [Sic igitur gratia Chriſti habitualis finita quidem fuit ſecundum eſſentiam, ſed tamen dicitur abſque termino, & menſura fuiſſe, quia quidquid ad rationem gratiæ poterat pertinere, totum Chriſtus accepit. Alij autem non totum accipiunt, ſed vnus ſic, & alius ſic.Diuiſiones enim gratiarum ſunt, 1.Corinth.12.] Et in eadem lectione explicat,qualiter triplicem gratiam, ſcilicet gratiam vnionis,ſingularis perſonę, quę eſt habitualis,& capitis,quę eſt influētiæ,receperit Chriſtus non ad menſuram.

Ex quibus conſtat, illam explicationem ex Aug. in obiectione inductam procedere de Chriſto, in quantum eſt filius Dei, ſecundum naturam Diuinam,iuxta ea, quæ dicta ſunt. Cum ergo S.Auguſtinus, & Thomas ſint duo Eccleſiæ lumina,& ſolidiſſima fundamenta explicationis, quam Thomiſtæ adhibent verbis inductis, ſine aliarum explicationum præiudicio;non eſt, cur notentur, quaſi abſque vllo fundamento interpretentur verba Ioannis in ſenſu à nobis aſſignato.

Præterea probatur, quia nullus eſt ſignabilis effectus gratiæ iuſtificantis,vel gratis datæ, quem non exequatur perfectiſſimo modo gra-

tia

Digitized by Google

tia Chriſti: ergo, &c.

Quarta concluſio. Gratia Chriſti eſt infinita in eſſe gratiæ, ſecundum quandam moralem dignitatem, quæ deſumitur ex infinitate ſuppoſiti, ratione cuius erat principium operationis infinitè meritoriæ, & ſatisfactoriæ. Iſta concluſio iam explicata eſt à nobis, & ſufficienter probata ſupra Diſp. 4. Et ſatis conſtat ex dictis.

20 AD primum argumentum ex factis à principio, reſpondetur, infinitatem gratiæ Chriſti non eſſe per ſolam acceptationem Dei extrinſecam, neque per aliquem modum phyſicum intrinſecum eidem gratiæ, qui modaliter ſit infinitus, ſed eſt infinitas ſecundum moralem dignitatem, vt dictum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur; humanitatem Chriſti eleuatam per gratiam capitis, non eſſe cauſam principalē, ſed inſtrumentalem ſatisfactionis aliorum: nam vt docet S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 1. ſolus Deus eſt cauſa principalis gratiæ. Ad ſanctificandos autem infinitos homines, ſi eſſent, non oportet ponere phyſicam aliquam virtutem infinitam in inſtrumento, ſed ſufficit virtus infinita principalis agētis. Vnde non eſt neceſſarium, quòd gratia habitualis Chriſti habeat infinitam virtutem phyſicam, etiam modaliter, aliàs oporteret etiam ponere huiuſmodi infinitatem phyſicam in carne Chriſti; nam etiam habet virtutem ad ſanctificandos infinitos homines, ſi eſſent. Vide Sanctum Thomam art. 11. ad. 2.

21 Ad tertium negatur conſequentia. Ratio diſcriminis eſt: nam coniunctio caloris naturalis ad vitam animalis, eſt coniunctio formalis; quia eſt coniunctio formæ accidentalis, & inferioris ad formam ſubſtantialem, & ſuperiorem, cui intrinſecè ſubordinatur, ac per conſequens ab ea participat intrinſecam virtutem vitalem, ſeu phyſicam. Cæterum coniunctio gratiæ habitualis ad Verbum non eſt coniunctio formalis, ſed ſolum ſecundum ſuppoſitum, vel in ſuppoſito, quæ appellari poteſt coniunctio ſuppoſitalis, quia Verbum non habet rationem formæ; ſed ſuppoſiti, & termini complentis naturam humanam: ſuppoſitum autem terminans in ratione terminantis, non producit aliquem modum in natura terminata, ſed ſolum eam ſuſtentat, tribuens illi actualiter ſubſiſtere: vt Diſputatione 13. oſtenſum eſt. Vnde non eſt ſimile.

Ad quartum reſpondetur, gratiam Chriſti habitualem, vt eſt diſpoſitio concomitans gratiam vnionis, eſſe quidem infinitam in eſſe gratiæ, vt articulo vndecimo docet Sanctus Thomas. Sed hæc infinitas non eſt phyſica, vel modus aliquis phyſicus in ipſa gratia habituali, ſed moralis; quæ attenditur per habitudine ad infinitam perſonalitatem Verbi, per quam natura humana in Chriſto ſubſiſtit, vt ex dictis in 4. Diſputat. conſtat. Ad impugnationem dicitur, diſpoſitionē reſpectu formæ informantis materiam, vel ſubiectum, eſſe diſpoſitionem phyſicam. Cæterum diſpoſitio, quæ attenditur ſecundum congruitatem, & non reſpicit formam informantem ſubiectum, non oportet, quod pertineat ad genus phyſicum. Cum ergo perſonalitas Verbi non informet 22

met humanam naturam propriè lo quendo, ſed eam terminet, ideò infinitas gratiæ habitualis non eſt phyſica, ſed moralis, vt dictum eſt.

23 Ad quintum dicitur, gratiam in eſſe gratiæ poſſe ſumi dupliciter. Primo ſecundùm rationem phyſicam, & differentiam ſpecificam, quæ illi competit intra genus qualitatis: & ſecundum hoc finita eſt, nam eſſentia gratiæ eſt finita, cum in ſpecie determinata cõſtituatur; Omnis enim ſpecies limitatur per differentiam. Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm dignitatem moralem, quàm habet ex coniunctione ad gratiam vnionis, & ſecundum hanc rationem eſt infinita in eſſe gratiæ, vt dictum eſt.

Ad ſextum reſpondetur, gratiam Chriſti ex ea parte, qua eſt infinita, augeri non poſſe, quia non eſt dabilis aliqua gratia, quæ ſit in nobiliori ſuppoſito, quàm gratia Chriſti.

24 Ad id, quod obijcitur de gratia Angelorum, & de poſſibili incarnatione Patris, & Spiritus ſancti, reſpondetur, gratiam Chriſti, quantum eſt ex parte ſua habuiſſe ſufficientem virtutem ad merendum incarnationem Patris, & Spiritus ſancti, & extendendum ſe ad iuſtificandos Angelos, & ad alios huiuſmodi effectus gratiæ poſſibiles. Quia tamen Chriſtus Dominus de facto non ordinauit propria merita ex gratia procedentia ad merendam incarnationem Patris, & Spiritus Sancti, &c. ideo de facto non ſe extendit ad huiuſmodi effectus poſſibiles gratiæ.

DISPVTATIO XXXIV.

Vtrum gratia Chriſti ſimpliciter dicenda ſit infinita, an ſolum cum addito.

NOTANDVM, quòd gratia habitualis Chriſti tripliciter poteſt conſiderari. Primò, quatenus formaliter iuſtificat animam Chriſti domini, & reddit eam pulcherrimam, & proportionatam gloriæ: & ex hac parte omnes conueniunt, eſſe ſimpliciter finitam; nam communicat finitam pulchritudinẽ animæ Chriſti, eamque reddit finitæ gloriæ proportionatam, & acceptam. 1
Secundo poteſt conſiderari, quatenus eſt radix meriti, & ſatisfactionis infinitæ, ſeu de rigore iuſtitiæ: quod quidem competit gratiæ Chriſti, vt eſt in ſuppoſito Diuino, & ſecundum hanc rationem eſt infinita in eſſe gratiæ, ſecundum videlicet moralem dignitatem, vt dictum eſt. Tertio, quatenus eſt ornamentum quoddam, vel diſpoſitio concomitans vnionem hypoſtaticam, & ſecundùm hoc eſt etiam infinita, vt dictum eſt in præcedenti Diſputatione. Difficultas ergo conſiſtit in hoc: vtrum ſimpliciter loquendo, & abſque vlla limitatione, vel addito, dicenda ſit gratia Chriſti habitualis infinita. Quidam Thomiſtæ ſentiunt, non eſſe dicendam ſimpliciter infinitam, & id probant. 2

Primo.

Primo. Quod nõ eſt infinitum in genere entis, non eſt ſimpliciter infinitum; ſed gratia Chriſti habitualis non eſt infinita in genere entis, vt ſupra dictum eſt; ergo non eſt ſimpliciter infinita.

Confirmatur primo. Solus Deus eſt infinitus ſimpliciter, quia eſt infinitus in genere entis: Vnde Sanctus Thomas p. p. q. 7. art. 2. in
2 corp. ait [quod nihil præter Deum poteſt eſſe infinitum ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid] Cum ergo gratia Chriſti non ſit Deus, ſed creatura, relinquitur, quòd ſolum ſecundùm quid ſit infinita, & non ſimpliciter.

Confirmatur ſecundo. Vt docet ſanctus Thomas art. 11. in corp. gratia Chriſti habitualis dicitur infinita, ſicut lux ſolis, ſed lux ſolis, quamuis ſit infinita in ratione lucis, ſimpliciter tamen eſt finita; quia in genere entis eſt finita: ergo.

3 Secundo. Si gratia Chriſti eſſet ſimpliciter infinita, maxime eſſet propter coniunctionem ad Verbũ, à quo participat infinitam dignitatem moralem: ſed hæc ratio non ſufficit, vt dicatur infinita ſimpliciter: ergo, &c. Maior probatur. Scientia creata tam beata, quàm indita eſt ſimpliciter finita in Chriſto; quamuis ſit in anima vnita Verbo hypoſtaticè: ergo ſimiliter quãuis gratia habitualis ſit in anima Chriſti vnita Verbo hypoſtaticè, erit ſimpliciter finita, & ſecundùm quid infinita, ratione ſuppoſiti.

Tertio. Deus ſua potentia abſoluta creare non poteſt ſubſtantiam, quæ ſit ſimpliciter infinita: ergo neque accidens: ſed gratia habitualis Chriſti eſt accidens creatum ergo, &c.

4 Quarto. Gratia Chriſti habitualis eſt eiuſdem ſpeciei cum gratia aliorum: nam vtraque eſt Diuinæ naturæ participatio; ſed gratia aliorum non poteſt dici ſimpliciter infinita, ſed tantum ſecundùm quid, & extrinſece, ſicut eſt infinita viſio beatifica ex parte obiecti; quoniam attingit obiectum infinitum, ſcilicet Deum, ergo &c.

Contrariam ſententiam defendunt alij doctiſſimi Thomiſtæ, quã ego probabiliorem reputo: ad cuius explicationem notandum, quòd vt docet ſanctus Thomas infra q. 50. art. 5. c. & 2. 2. q. 58. art. 10. ad 2. dupliciter poteſt aliquid dici ſimpliciter tale: vno modo ſecundũ quod ſimpliciter idem eſt, quod abſolutè, ſicut ſimpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, vt ait Ariſt. 2. Top. & hoc modo corpus Chriſti viuũ, & mortuũ fuit ſimpliciter idem numero corpus. Secundo dicitur ſimpliciter tale, quod to taliter, vel omnibus modis eſt tale, & hoc modo corpus Chriſti viuũ, & mortuum, non fuit ſimpliciter idem numero corpus, & iuxta hanc diſtinctionem ſtatuendæ ſunt duæ concluſiones.

PRima concluſio: Gratia Chriſti habitualis dicenda eſt ſimpliciter infinita, idest abſolutè, & 5
ſine addito. Probatur primo ex cõmuni modo loquendi Sanctorum Patrum, qui abſolute, & ſine addito vocant infinitam gratiam Chriſti. Secundo. Vt gratia Chriſti habitualis dicatur infinita ſine addito, ſufficit, quòd ſit infinita in genere ſuo, & in eſſe gratiæ, nec eſt neceſſarium. quòd omnibus modis ſit infinita. Nam linea, quæ ſecundùm longitudinem eſſet infinita, abſolute, & ſine addito diceretur linea infinita; quia in genere ſuo eſſet

Digitized by Google

eſſet infinita: ſed gratia Chriſti habitualis in eſſe gratiæ eſt ſimpliciter infinita, vt ſupra dictum eſt: ergo ſine addito dici poteſt gratia infinita. Tertio. Meritum Chriſti, & eius ſatisfactio eſt ſimpliciter infinita, vt ſupra dictum eſt, cum de ſatisfactione Chriſti ageremus: ergo & gratia Chriſti, quæ erat principium infinitæ ſatisfactionis, poteſt dici ſimpliciter infinita. Denique probatur. Hic loquendi modus cedit in maiorem excellentiam humanitatis Chriſti, & eius gratiæ habitualis: ergo, & c.

Diſput. 4.

SEcunda concluſio. Gratia habitualis Chriſti non eſt ſimpliciter infinita in ſecundo ſenſu, ideſt omnibus modis. Probatur. Quia non eſt infinita in genere entis, neque in eſſe qualitatis, neque ſecundum eſſentiã ſpecificã, vt ſupradictum eſt: ergo non eſt omnibus modis infinita. Cõfirmatur. Solus Deus eſt omnibus modis infinitus: ergo.

7 AD primum argumentũ cum prima confirmatione dicendum, quòd probant ſolum ſecũdam concluſionem.

Ad ſecundam confirmationẽ dicitur, illam ſimilitudinem non tenere in omnibus, ſed in hoc, quòd, ſicut lux ſolis nõ determinatur adhunc, vel hunc effectum in particulari, ſed generaliter ſe extendit ad omnes effectus lucis, & in ſe continet quidquid pertinet ad perfectionem lucis; ita gratia Chriſti generaliter ſe extendit ad omnes effectus poſſibiles gratiæ, vt ſupra dictum eſt. Eſt tamen differentia inter gratiam Chriſti, & lucem ſolis, quoad hoc. quòd lux ſolis ſolum habet eſſe phyſicum, nec participat aliquam dignitatẽ moralem ex ſubiecto, in quo eſt: at verò gratia Chriſti non ſolũ habet eſſe phyſicũ, ratione cuius eſt finita in genere phyſico: ſed etiã participat dignitatẽ quandã moralẽ ex ſuppoſito Diuino, in quo eſt: & quoniã hęc dignitas eſt ſimpliciter infinita, ideo gratia Chriſti dicenda eſt ſimpliciter gratia infinita: lux autem ſolis non eſt dicenda ſimpliciter infinita, ſed ſolum cum addito.

Ad ſecundũ reſpondetur, negando cõſequentiã. Ratio diſcriminis eſt: nã infinitas ſuppoſiti per ſe redundat in excellentiã, & dignitatẽ gratiæ, meriti, & ſatisfactionis, vt diſp. 4. dictũ eſt: Nõ autẽ redundat in excellentiã, & dignitatẽ ſcientiæ, quia eſt habitus ſpeculatiuus: ſicut etiã nõ redundat in dignitatẽ albedinis; ſed cõcomitanter omnino, & quaſi per accidens ſe habet. Non enim albedo Chriſti eſt perfectior in ratione intrinſeca albedinis, quàm ſi eſſet in alio ſuppoſito creato. 8

Ad 3. negatur conſequentia: nam accidens dicit per ſe ordinem ad ſubiectum in quo eſt: Vnde ab illo poteſt accipere infinitam dignitatem moralem. Hunc autem ordinem non dicit ſubſtantia: quia eſt per ſe ſubſiſtens; vnde non eſt ſimile. Explicari poteſt hæc ſolutio exemplo manifeſto. Nam Deus de facto producit accidens ſupernaturalis ordinis, & tamen non poteſt creare ſubſtãtiam ſupernaturalem, vt ex profeſſo oſtendi diſputatione. 69. de Auxilijs. Ergo eadem ratione, licet poſſit Deus tribuere accidenti infinitum valorem moralem; non ſequitur, quòd eamdem infinitatem poſſit tribuere ſubſtantiæ. 9

Sed contra eſt argumentum. Sicut gratia participat dignitatem, & valorem à ſuppoſito, in quo eſt; 10

Digitized by Google

ita charitas, & aliæ virtutes morales: ſed charitas Chriſti in ratione charitatis non eſt infinita ſimpliciter;ergo neque habitualis gratia.

Dubium. Hoc argumentum petit, vt explicemus, an ſicut gratia Chriſti eſt infinita in eſſe gratiæ ratione ſuppoſiti Diuini in quo eſt; ita & charitas habeat conſimilem infinitatẽ in eſſe charitatis.

Aſturic. Prima ſententia eſt Aſturicen. q.3. de gratia Chriſti in ſolutione ad quartum argumentum principale vbi ait, [quòd in habitu charitatis Chriſti nulla reperitur infinitas ſimpliciter in eſſe charitatis, etiam ſecundum moralem dignitatem.] Quod probatur

Prima ratio. primo. Nam valor infinitus, qui reperiebatur in actu charitatis Xpi, & in qualibet eius operatione meritoria deſumebatur ex ſola operantis dignitate, & non ex modo attingendi Deum per actualem operationem.

Secunda. Secundo. Charitas in eſſe charitatis eſt habitus operatiuus, quo nos diligimus Deum: ergo eius perfectio, & dignitas deſumenda eſt per habitudinem ad actum; ſed actus charitatis, quo anima Chriſti diligebat Deum, erat ſimpliciter finitus; quia per illum actum non diligebat Deum quantum eſt diligibilis: ergo, &c.

11 Tertia. Tertio. Viſio beata animæ Chriſti eſt ſimpliciter finita, etiam in eſſe viſionis beatificæ; quia per illam finitè cognoſcebat Deum, & non quantum cognoſcibilis eſt; aliàs comprehenderet Deum, quod eſt impoſſibile, vt prima parte quæſt. 12. art. 7. docet Sanctus Thomas: ergo ſimiliter, &c. Iuxta hanc ſententiam reſpondet ad argumentum factum, non eſſe eamdem rationem de charitate, & gratia habituali; quia licet actus charitatis Chriſti fuerit infiniti valoris, & conſequenter infinitè meritorius, & ſatisfactorius; iſte tamen valor infinitus non proueniebat ex habitu charitatis, ſed ex gratia; quia deſumebatur ex dignitate ſubiecti operantis, & non ex ipſa operatione ſecundum ſe: & ideò gratia Chriſti habitualis in eſſe gratiæ fuit ſimpliciter infinita: charitas autem in eſſe charitatis erat ſimpliciter finita, & ſolum infinita ſecundum quid, & extrinſecè, & ex parte obiecti; quia attingebat Deum infinitum, ſicut viſio beatifica.

Secunda ſententia eſt aliorum Thomiſtarum aſſerentium, charitatem Chriſti in eſſe charitatis habere infinitatem ſimpliciter ſecũdum moralem dignitatem: & hæc videtur mihi probabilior, & magis conformis his, quæ ſupra Diſp. 4. diximus de ſatisfactione Chriſti. 12

Et probatur primo: Sicut gratia Chriſti habitualis ſecundum ſe, & ſecundum ſuam rationem genericam, & ſpecificam in eſſe phyſico, eſt finita, & ſolum habet infinitam dignitatem moralem, quã participat à ſuppoſito Diuino, in quo eſt: (vnde ſi Chriſtus relinqueret humanitatem, gratia habitualis eius nullo modo eſſet infinita:) ita ſimiliter charitas Chriſti, quamuis ſecundum genericam, & ſpecificam rationem in eſſe phyſico nullam habeat infinitatem ſimpliciter; nihilominus à ſuppoſito Diuino Chriſti, in quo eſt, participat infinitam dignitatem moralem, ratione cuius eſt principium meriti, & ſatisfactionis infinitæ: ergo habet eamdem infinitatem moralem, quam gratia habitualis Chriſti Domini.

Se-

13 Secundo. Charitas in eſſe charitatis eſt radix principalis meriti: nam, vt docet S. Thom. 1.2.q.114. art.4. meritum principaliter attribuitur charitati: ſed meritum Chriſti fuit ſimpliciter infinitum in eſſe meriti, & ſimiliter ſatisfactio: ergo & charitas in eſſe charitatis.

S. Thom.

Tertio. Nam aliàs operationes Chriſti ſatisfactoriæ non fuiſſent elicitæ, vel imperatæ à iuſtitia cōmutatiua, cuius contrarium oſtendimus Diſp.4.cit. Probatur hoc: nam ſi iuſtitia, vel charitas non participat in Chriſto infinitum valorem & dignitatem moralem à ſuppoſito, in quo eſt; non potuit iuſtitia Chriſti erga Deū eſſe cōmutatiua.

14 Ad primam itaque, & ſecundam rationem pro oppoſita ſententia reſpondetur, ſolum probare, charitatem Chriſti in eſſe phyſico non eſſe infinitam; non tamen concludunt, illam non eſſe infinitam ſecundum dignitatem moralem, aliàs idem concluderent de gratia habituali. Nam etiam gratia Chriſti in eſſe phyſico gratiæ finita eſt, vt ſupra diximus.

Ad tertiam reſpondetur. Infinitas ſuppoſiti non redundat in infinitatem ſcientię, vt eſt habitus ſpeculatiuus, ſed concomitanter ſe habet ad illam, vt in ſolutione ad 2. principale dictum eſt. Cæterum reſpectu gratiæ, & charitatis non ſe habet concomitanter, vel per accidens, vnde non eſt ſimile. Et per hæc patet ad tertium argumentum principale. Ad quartum autem dicetur diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO XXXV.

Vtrum gratia Chriſti habitualis ſit eiuſdem rationis, & ſpeciei cum gratia habituali cuiuslibet alterius iuſti.

PARS negatiua probatur. Primo. In his, quæ verè ſunt eiuſdem rationis, vnum poteſt per augmentum peruenire ad quātitatem, & perfectionē alterius: ſed gratia habitualis puræ creaturæ, quātumcunque creſcat, non poteſt per augmentum peruenire ad quantitatē, & perfectionem gratiæ habitualis Chriſti: ergo non eſt eiuſdem rationis, vel ſpeciei cum illa. 1

Secundo. Gratia Chriſti habitualis habet effectus ſpecie diſtinctos à gratia habituali puræ creaturæ, videlicet mereri, & ſatisfacere ex rigore iuſtitiæ, merito, & ſatisfactione infinita: ergo ſpecie diſtinguitur ab illa. Probatur conſequentia: nam effectus ſpecie diſtincti arguunt diuerſitatem ſpecificā in cauſa. 2

Tertio. Iuſtitia Chriſti erga Deū, & iuſtitia puri hominis diſtinguuntur etiā in eſſe phyſico. Nam iuſtitia Chriſti eſt perfecta, & cōmutatiua, vt ſupra dictum eſt: iuſtitia autem puri hominis eſt imperfecta, pertinetq; ad religionem, vel pœnitentiam, aut ad aliam partē potentialem iuſtitiæ: ergo ſimiliter gratia habitualis Chriſti, & charitas ſpecie diſtinguuntur in eſſe phyſico à gratia, & charitate puri hominis. 3

Confirmatur. Virtutes infuſæ dimanant à gratia habituali, ad modum paſſionis: ſed diſtinctio paſſionum arguit diſtinctionem eſſentiæ. cum ergo in Chriſto aliqua virtus infuſa, ſcilicet iuſtitia, ſpecie diſtinguatur à iuſtitia infuſa puræ creaturæ; relinquitur, quòd etiam gratia Chriſti habitualis ſpecie diſtin-

Digitized by Google

diſtinguatur à gratia puræ creaturæ.

4 Quarto. Vt docet ſanctus Thomas art. 11. in gratia Chriſti habituali continetur eminenter omnis gratia puri hominis, tanquam in cauſa vniuerſali, ſicut lux rerum inferiorum continetur eminenter in luce ſolis: ſed lux ſolis ſpecie diſtinguitur à luce rerum inferiorum: ergo, & gratia Chriſti à gratia aliorum.

Confirmatur. Effectus, qui eminenter continetur in aliqua forma ſuperiori, ſpecie diſtinguitur ab eadem forma. calor enim ſpecie diſtinguitur à luce ſolis; quia eminenter continetur in illa; ſed gratia noſtra habitualis eſt effectus, qui eminenter continetur in gratia Chriſti habituali; nam gratia Chriſti eſt gratia capitis, & cauſa vniuerſalis cuiuſcunque gratiæ aliorum iuſtorum: ergo, &c.

5 Quinto. Finitum, & infinitum nō poſſunt ad eamdem ſpeciem pertinere, ſed gratia Chriſti eſt ſimpliciter infinita in eſſe gratiæ, vt ſupra dictum eſt: gratia autem puræ creaturæ eſt ſimpliciter finita etiā in eſſe gratiæ: ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei.

Propter hæc argumenta, quidam dixerunt, gratiam Chriſti habitualem, phyſicè loquendo, eſſe alterius ſpeciei à gratia puri hominis, vel Angeli. Aſſerunt tamen, huiuſmodi diſtinctionem non eſſe ita eſſentialem, qualis reperitur inter hominem, & equum; quia ſolum modaliter diſtinguitur gratia Chriſti à gra-

6 tia habituali noſtra. Sequuntur hāc ſententiam illi auctores, qui putāt, gratiam Chriſti eſſe infinitam per quemdam modum realem, in eadem gratiæ productum ex coniunctione hypoſtatica humanitatis ad Verbum. Sed tamen hęc ſententia iam à nobis eſt impugnata Diſp. 33. Alij vero affirmant, quòd, ſicut calor ignis eſt in duplici ſpecie qualitatis, ſcilicet in ſpecie naturalis potentiæ, & in ſpecie paſſionis, vel paſſibilis qualitatis; ita gratia Chriſti habitualis eſt in duplici ſpecie phyſica: altera quidem eſſentiali, quę competit ſecundum ſe, quatenus eſt quædam participatio Diuinæ naturæ: & iuxta hanc rationem inquiunt, eſſe eiuſdem ſpeciei cum gratia aliorum hominum. Altera vero modali, quæ competit illi ratione ſubiecti, & ſecundum hanc putant, gratiam Chriſti ſpecie diſtingui à gratia aliorum hominum, non quidem eſſentialiter, ſed modaliter. Denique Scotus, & Albertus, cum nullam agnoſcant infinitatem ſimpliciter in gratia Chriſti habituali, conſequenter dicunt, illam nullo modo ſpecie differre à gratia puræ creaturæ, etiam ſecundum moralem dignitatem, ſed ſolum diſtingui accidentaliter, ſicut magis, & minus perfectum intra eamdem ſpeciem. Pro reſolutione tamen ſit

PRima concluſio. Gratia Chriſti habitualis in eſſe phyſico conſiderata eſt eiuſdem ſpeciei cū gratia habituali puræ creaturæ. Hanc probant efficaciter argumenta, quibus Diſp. 33. concluſ. 1. oſtendimus, gratiam Chriſti habitualē nullum modum realem phyſicum habere, ex eo quòd eſt in ſuppoſito Diuino, vel infinitatem phyſicam etiam modalem. 7

Probatur inſuper. Non eſt ſignabilis ſpecies phyſica, ad quam pertineat gratia Chriſti, quatenus diſtinguitur modaliter à gratia puri homi-

hominis: ergo non diſtinguitur ſpecie ab illa in eſſe phyſico. Antecedens probatur. Gratia habitualis eſt vna gratia ſpecie atoma: ergo gratia Chriſti, ſiue ſecundùm rem, ſiue ſecundùm modum conſideretur, non poteſt pertinere ad aliam ſpeciem, niſi ad illam, ad quam pertinet gratia habitualis aliorum. Confirmatur. Charitas eſt vna virtus ſecundum ſpeciem atomam, aliàs eſſent diſtinguendæ quatuor virtutes Theologicæ, Fides, & Spes, & duplex Charitas ſecundum ſpeciem: ergo ſimiliter gratia habitualis eſt vnus habitus ſecundum ſpeciem atomam.

8 SEcunda concluſio. Gratia habitualis, vt eſt in Chriſto, habet ex parte ſubiecti aliquam perfectionem alterius rationis in eſſe morali, quæ deſumitur ex infinitate ſuppoſiti, ratione cuius erat infinita in eſſe gratiæ, & principium meriti, & ſatisfactionis infinitæ. Iſta concluſio ſatis patet ex dictis eadem Diſput. 33. concluſione 3. & Diſp. 4. de ſatisfactione Chriſti. Præterea probari poteſt, & explicari vtraq; concluſio optimo exemplo. Charitas viæ, & charitas Patriæ ſimpliciter ſunt eiuſdem ſpeciei; nam habent idem obiectum formale, à quo ſpecificantur: ſed tamen charitas Patriæ, ratione ſtatus, in quo eſt, habet quamdam perfectionem alterius rationis, propter quam charitas viæ, quantumcunque creſcat, pertingere non poteſt ad perfectionem charitatis Patriæ, iuxta illud Matth. [Qui minor eſt in Regno Cælorũ, maior eſt illo,] vt 2. 2. q. 24. art. 7. docet ſanctus Thomas. Proportionabiliter dicendum eſt in præſenti; quòd gratia habitualis Xpi, & aliorum ſecundùm eſſentiam ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed tamen ex parte ſubiecti gratia Chriſti habet perfectionem alterius rationis, & infinitam dignitatem moralem, ratione cuius, quantumcumque creſcat gratia puræ creaturæ, peruenire non poteſt etiam per potentiam Dei abſolutam ad perfectionẽ gratiæ habitualis Chriſti.

Matth. 11.

EX his patet ſolutio ad primũ argumentum ex factis à principio.

Ad ſecundum reſpondetur, gratiam Chriſti habitualem habere illos effectus, vt eſt in ſuppoſito Diuino, non autem ſecundum ſe: nam ſi verbum relinqueret humanitatẽ, gratia habitualis illius non poſſet eſſe principium radicale meriti, vel ſatisfactionis infinitæ; vnde non ſequitur, quòd ſit ſpecie diſtincta à gratia habituali puræ creaturæ, niſi ſecundum moralem dignitatem: nam diſtinctio accidentis, quæ ſumitur ex parte ſubiecti, vel ſuppoſiti, non poteſt eſſe ſpecifica.

Ad tertium reſpondetur, negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, nam iuſtitia Chriſti erga Deum habet diſtinctum obiectum formale à iuſtitia puræ creaturæ, eo quòd iuſtitia Chriſti conſtituit iuſtum ſimpliciter, & perfectè: nam reddit ſimpliciter æquiualens ex proprijs, aliàs indebitis: quod quidẽ non habet iuſtitia puræ creaturæ; & ideo diſtinguuntur ſpecie in eſſe phyſico. Cæterum gratia habitualis Chriſti, & aliorum, habent in eſſe phyſico eamdem rationem formalem ſpecificam, vt ſupra dictũ eſt: vnde non eſt ſimile.

Ex his patet ſolutio ad confirmationem. Dicendum eſt enim, quòd virtutes infuſæ conſequuntur

Digitized by Google

ad modum paſſionis ad gratiam habitualem, ſuppoſito, quòd ſubiectum ſit capax illius virtutis infuſę: Chriſtus autem in quantum homo, capax eſt iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum, non autem pura creatura; ſicut econuerſo pura creatura eſt capax virtutis infuſę pænitẽtiæ quia peccare poteſt, Chriſtus autem non eſt capax huius virtutis, quià eſt impeccabilis. vnde non eſt ſimile.

11 Ad quartum reſpondetur, illam ſimilitudinem Sancti Thomæ non tenere in omnibus, ſed in hoc, quòd ſicut lux Solis eſt cauſa vniuerſalis lucis omnium lucidorum; ita gratia Chriſti eſt cauſa vniuerſalis gratiæ in omnibus, iuxta illud Ioan. 1. [Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.] Eſt tamen differentia quo ad modum cauſandi; nã lux Solis eſt cauſa æquiuoca: Gratia autem Chriſti habitualis eſt cauſa vniuoca, vt ex ſupradictis conſtat, & ita eſt phyſicè eiuſdem rationis cum gratia habituali aliorũ. *Ioan. 1.*

Ad confirmationem reſpõdetur. Aliquando effectus, qui continetur in ſuperiori forma, reperitur in illa etiam formaliter, ſicut ſenſitiuum reperitur eminenter formaliter in forma rationali, & ſapientia humana continetur eminenter formaliter in ſapientia Diuina. Vnde, quamuis gratia aliorum contineatur eminenter in gratia Chriſti habituali, tanquam in gratia ſuperiori, nihilominus eſt eiuſdem ſpeciei cum illa.

Ad quintum reſpondetur, gratiam Chriſti habitualem non eſſe infinitam in eſſe phyſico, ſed in eſſe morali tantum: vnde in eſſe morali tantum diſtinguitur genere à gratia puræ creaturæ.

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrum de potentia Dei abſoluta potuerit augeri gratia Chriſti, vel eſſe maior intenſiuè.

PRIMA ſententia docet. gratiam Chriſti habitualem in eſſe qualitatis, quoad intenſionẽ eſſe infinitam, ita vt de potentia Dei abſoluta intenſior dari non poſſit. Ita ſentit Ioan. maior in 3. ſentent. diſtinct. 13. qu. 3. & Almaynus eadem diſt. 13. q. 1. §. iſtis ſuppoſitis refert, hanc fuiſſe eius tempore cõmunem ſententiam in ſchola Pariſienſi. Eidem ſententiæ fauere videntur Scotus, Dur. ead. diſt. q. 1. n. 9. Caiet. hic art. 9. & 12. & 2. 2. q. 24. art. 7. dum aſſerunt gratiam Chriſti habitualem eſſe ſummam quæ à Deo produci potuit. 1

Probatur primo ex S. Thoma artic. 9. & 10. vbi ait, quòd Chriſtus habuit gratiam in ſummo ſecundũ perfectiſſimũ gradũ, quo haberi poteſt, & idem dicit Mag. ſententiarũ in 3. d. 13. ergo augeri non potuit. *S. Thom.* *Mag. ſen.*

Secũdo Chriſtus habuit omnem perfectionẽ gratiæ poſſibilem, aliàs potuiſſet eſſe perfectior, quàm fuerit: ſed ſumma intenſio gratiæ habitualis, & ſummus gradus illius, eſt poſſibilis: ergo de facto habuit Chriſtus ſummam intenſionem gratiæ habitualis, ac per cõſequens etiam de potẽtia abſoluta dari maior ſecundum intenſionem non poteſt.

Tertio. Gratia Chriſti procedit ex maxima cauſa poſſibili, videlicet ex coniunctione hypoſtatica humanitatis ad Verbum, qua maior eſſe non poteſt: ergo eſt maxima ſecundum 2

dum intenſionem. Patet conſequentia: nam effectus debet eſſe adæquatus cauſæ, & illi ꝓportionatus.

Quarto. Effectus formalis primarius gratiæ habitualis nõ poteſt eſſe magis intenſus, aut perfectus, quàm ſit effectus formalis gratiæ habitualis Chriſti: ergo nec ipſa gratia poteſt eſſe magis intenſa. Probatur conſequentia; nam in eadem proportione eſt intenſa, & perfecta ipſa forma, in qua eſt perfectus eius effectus formalis. Antecedens probatur. Effectus formalis primarius gratiæ habitualis eſt facere ſubiectum gratum, ſicut effectus albedinis eſt facere album: ſed non poteſt dari gratia habitualis, quæ faciat ſubiectũ magis gratũ, quàm ſit Xp̃s; eſt enim gratus Deo infinitè: ergo.

3 Capreol. Secunda ſententia eſt aliorũ Thomiſtarũ, quam defendit Capr. in 3. d. 13. q. 2. ar. 1. concl. 2. & nobis videtur ad mentẽ S. Thom. & cõſiſtit in duabus propoſitionibus. Ad cuius explicationem notandum cum Capr. quòd gratia Chriſti poteſt dupliciter conſiderari. primo in eſſe phyſico, ſiue in genere entis, ſecundo in genere gratiæ, & ſecundũ dignitatẽ moralem, quam habet, quatenus eſt in perſona Chriſti. Hæc diſtinctio, ſeu duplex conſideratio gratiæ eſt expreſſa S. Thom. art. 11. huius qu. de qua plura diximus diſp. 60. de Aux. n. 1. & 12. ſit ergo.

PRima propoſitio. De potentia Dei abſoluta dari põt gratia habitualis magis intenſa in eſſe entis ſiue qualitatis, quam fuerit gratia

S. Thom. Xp̃i. Probatur auctoritate S. Thom. ar. 12. ad 2. vbi ait quod virtus Diuina poteſt facere aliquid maius, & melius, quam ſit gratia habitualis Chriſti, & loquitur de gratia Chriſti in eſſe qualitatis, vt patet ex argumento, ad quod reſpondet, & ar. 11. c. inquit, [quod gratia Xp̃i ſecundùm quod eſt quoddã ens, eſt finita:] ergo ſecundum S. Thom. in eſſe entis, & qualitatis, potuit dari gratia magis intenſa, quàm fuerit gratia Chriſti.

Probatur ſecundo. Charitas in eſſe qualitatis, vel in eſſe habitus ſemper põt augeri in infinitum, ita vt nõ poſſit peruenire ad ſummam intenſionẽ poſſibilem. & ratio eſt, quã aſſignat S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. nã charitas eſt quædã participatio infinitæ charitatis Spiritus ſancti: ſed etiam gratia habitualis eſt quædã participatio naturę Diuinę, quæ eſt infinita: ergo ſimiliter gratia habitualis ſecundum rationem propriæ ſpeciei terminum proprij augmenti non habet: ergo poteſt Deus producere magis intenſam gratiam habitualem in eſſe qualitatis, quàm ſit gratia Chriſti. 4

Secunda propoſitio. In eſſe gratiæ ſecundum dignitatem moralẽ, non poteſt etiã per potentiam Dei abſolutã produci maior gratia, quã ſit gratia Chriſti. Probatur: nam infinitũ, ea parte qua infinitum eſt, augeri non põt, aut intendi: ſed gratia habitualis in eſſe gratiæ eſt infinita vt ſupra dictũ eſt: ergo, &c. Dixi in concluſione ſecundum dignitatem moralem: nã ſi conſideretur in eſſe phyſico in ratione gratiæ, ſecundũ quod eſt differentia phyſica contrahens habitum ad talem ſpeciem, ſicut gratia Chriſti eſt finita in eſſe habitus, ſeu qualitatis; ita etiã eſt finita in ratione ſpecifica gratiæ, vt in lib. de Auxil. diſp. 60. n. 26. oſtenſum eſt, & per hanc doctrinam ſoluitur argumentum quod M. Vazquez diſp. 46. cap. 3. obijcit contra iſtam concluſionem. 5

6 AD primum in oppoſitum reſpondetur. Sanctus Thomas, & Magiſter loquuntur de gratia in eſſe gratiæ. Secundo reſpondetur. Si explicentur de gratia in eſſe qualitatis, intelligendi ſunt de gratia in ſummo, quæ ſecundùm legem ordinariam, & diſpoſitionem Diuinæ ſapientiæ poteſt conferri.

7 Ad ſecundum reſpondetur. Sicut non datur; nec eſt dabilis vltimus numerus poſſibilis, vel vltima creatura, quam Deus poteſt producere, ſed ſignato quocũque numero creaturarum poſſibilium, ſemper poteſt Deus maiorẽ producere (aliàs potentia Dei eſſet exhauſta) etiam non datur, nec eſt dabilis ſumma intenſio gratiæ poſſibilis, ſed ſemper poteſt Deus magis, ac magis intenſam gratiam producere. Nec ſequitur ex hoc, quòd Chriſtus eſſet perfectior, vel magis gratus Deo, ſi habuiſſet gratiã habitualem magis intenſam in eſſe qualitatis: Nã cum minima gratia habituali eſſet infinitè gratus, propter vnionem hypoſtaticam. Vnde, ſi haberet intenſiorem gratiã in eſſe qualitatis, diceretur intenſius quale; non autem magis gratus, vel magis perfectus.

8 Ad tertium reſpondetur, vnionẽ hypoſtaticam non fuiſſe cauſam efficientem habitualis gratiæ Chriſti; ſed per nouam actionem fuit à Deo producta; vnde non ſequitur, quòd debuerit eſſe ſummè intenſa in ratione qualitatis. Secundo reſpondetur. Quando cauſa eſt libera, non oportet, quod effectus adæquet virtutem cauſæ, quia non agit ſecundum vltimum potentiæ; ſed determinatur effectus, & quantitas illius, per liberam operantis voluntatem: Deus autem fuit cauſa libera gratiæ habitualis Chriſti. Vnde, licet virtus cauſæ fuerit infinita, non oportet, quòd produceret in anima Chriſti gratiam infinitam, aut ſummam, quæ ſecundùm intenſionem dari potuit de potentia abſoluta.

Ad quartum reſpondetur, effectum formalem gratiæ Chriſti, ſi ſe- 9
cundùm ſe conſideretur, præſcindendo à gratia vnionis, non eſſe infinitum etiam in eſſe gratiæ: nam ſi illa gratia cõſtitueretur in alio ſuppoſito, aut Verbum relinqueret humanitatem, gratia habitualis illius eſſet finita in eſſe gratiæ, vt ſupradictum eſt. Vnde nõ ſequitur, quod in eſſe qualitatis augeri non potuerit.

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrum gratia Chriſti habeat tantam intenſionem, vt adæquet omnes gradus gratiæ Angelorum, & hominum collectiuè ſumptos.

QVIDAM Thomiſtæ partem defendunt negatiuam, eamquè probãt ſequẽtibus argumẽtis. Primo quia videtur chimericum, tam magnam intenſionem conſtituere in gratia Chriſti habituali in eſſe qualitatis.

Confirmatur. Gratia Chriſti habitualis fuit illi collata à principio per propriam diſpoſitionem liberi arbitrij, vt ſupradictum eſt: ſed videtur impoſſibile, immò & inintelligibile, quòd primus actus charitatis Chriſti fuerit ita intenſus, vt adæquet, vel excedat omnes actus chari-

Digitized by Google

charitatis aliorum collectiuè ſumptos. ergo &c.

Secundo. Gratia Chriſti habitualis fuit gratia capitis, aliorũ autem eſt gratia membrorũ corporis miſtici; ſed in corpore naturali eſſet magna improportio, ſi caput excederet in quantitate molis totũ corpus; ergo ſimiliter in corpore miſtico eſſet improportio, ſi gratia capitis in Chriſto excederet, vel adęquaret ſecundum intenſionem omnem gratiam totius corporis collectiuè ſumptam.

Tertio. Non pertinet ad dignitatem, & excellentiam Chriſti, quòd eius gratia habitualis ſit ita intenſa in eſſe qualitatis, vt adæquet gratiã omnium Angelorum, & hominum collectiue ſumptam: aliàs etiam pertineret ad dignitatem, & excellentiam Beatæ Virginis, cum ſit Mater Dei, vt eius gratia habitualis adæquaret gratiam hominum, & Angelorum collectiuè ſumptam. Nam id tandem cederet in honorem, & excellentiam Chriſti; ergo &c.

OPpoſitã ſentẽtiam eſſe magis probabilem, & piam docent alij Thomiſtæ: & hæc mihi videtur ad mentem ſancti Thomæ. Nam p. p. q. 20. art. 4. ad 1. ait [Deus diligit Chriſtum, non ſolum plusquam totum humanum genus, ſed etiam magis quàm totam creaturarũ vniuerſitatem; quia ſcilicet ei maius bonum voluit] & ſolutione ad ſecundum ait [Naturam humanam aſſumptam à Dei Verbo in perſona Chriſti Deus plus amat, quam omnes Angelos, & melior eſt maxime ratione vnionis] vbi illa particula [maxime] denotat, quòd non ſolum ratione vnionis hypoſtaticę natura humana Chriſti eſt melior, & perfectior omnibus Angelis, & hominibus; ſed etiã ratione gratiæ habitualis, & aliorũ donorum, vbi loquitur S. Thomas aperte, facta comparatione humanitatis Chriſti ad omnes Angelos, & homines collectiue vt patet ex ipſo contextu, & ex argumentis, ad quæ reſpõdet.

5 Pręterea habet hęc ſententia fundamentum in illo Ioan. 3. [Non ad menſuram dat Deus Spiritum filio] *Ioan. 3.* ideſt Chriſto: quod ideo dictum eſt quia eius gratia habitualis, excedit omnem menſuram gratiæ collatæ de facto, vel conferendæ omnibus creaturis intellectualibus ſimul ſũptis. Præterea probatur gratia Chriſti habitualis cõparatur luci ſolis, vt ſupra dictum eſt; ſed lux ſolis excedit lucem omnium aliorum corporum ſimul ſumptam: ergo &c. Confirmatur. Gratia eſt in Chriſto, ſicut aqua in mari, nam ſicut ex mari ortum habent flumina ſecundum illud. [Ad locum vnde exeunt *Eccl. 1* flumina, reuertuntur, vt iterum fluant;] ita à gratia Chriſti omnes accipiunt. Dicitur enim Ioan. 1. [de *Ioan. 1.* plenitudine eius omnes accepimus] ſed plenitudo aquarum, quæ eſt in mari, excedit in quantitate omnem multitudinem aquarum, quæ recipiuntur in fluminibus, fontibus, & alijs locis extra mare. Iuxta quod inquit ſapiens: [omnia flu- *Eccli. 1* mina intrant mare, & mare non redundat:] ergo & gratia Chriſti habitualis excedit omnem aliorum gratiam collectiue ſumptam.

Denique probatur. Cum gratia poſſit augeri in infinitum, etiam poſitis omnibus gradibus gratiæ ſimul ſumptis, qui reperiuntur in omnibus puris creaturis intellectualibus, adhuc Deus poteſt maiorem gratiã ſecundũ intenſionem producere;

cere ergo nõ debet videri impoſſibile, q̄ ſola gratia habitualis Chriſti excedat ſecundum inteſionem omnes gradus gratiæ alijs collatos, etiam ſi ſumantur collectiuè. Poteſt etiam confirmari hæc ſententia omnibus argumentis, quibus 1. par. oſtenditur, numerum Angelorum excedere totam collectionem aliorum indiuiduorũ, qui pro eodem inſtanti temporis reperiuntur in vniuerſo mundo.

5 EX his patet ſolutio ad primum argumentum, & eius confirmationem.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur. Illa Analogia, & ſimilitudo corporis myſtici Eccleſiȩ ad corpus naturale, non debet tenere in omnibus, ſed in aliquibus; tenet enim illa ſimilitudo, quo ad influxum, qui à capite deriuatur in mẽbra, & quo ad quædam alia. Deficit tamen in hoc: quia in naturalibus, præſertim in viuentibus forma ſubſtantialis vendicat ſibi determinatam quantitatem, tum in capite, tum in membris; vt ſuas operationes vitales exercere valeant; ſicut docet Ariſt. in lib. phyſ. Et ideò neceſſarium eſt, vt caput naturale habeat minorem quantitatem molis, quàm totum corpus: Cæterum gratia habitualis, quæ eſt forma, qua viuificatur corpus myſticum Eccleſiæ, non vendicat ſibi determinatam intenſionem, nam, vt ſupra dictum eſt, poteſt augeri in infinitum. Vnde in capite corporis myſtici, poteſt reperiri magis intenſa gratia, quàm ſit in omnibus alijs, abſque eo, quod influxus capitis in membra impediatur; quin potius ad dignitatem, & excellentiam capitis pertinet, vt in tanta abundantia fuerit ei collata habitualis gratia.

Ad tertium reſpõdetur, Beatam 6 Virginem non eſſe vniuerſale principium effectiuum gratiæ aliorum. Vnde non pertinet ad eius dignitatem, neque ad dignitatem Chriſti, quòd habuerit gratiam magis intenſam, quàm ſit gratia omnium Angelorum, & hominum collectiuè ſumpta: hoc enim eſt proprium Chriſti; quia ipſe ſolus eſt mediator Dei, & hominum. Cum hoc tamen dicẽdum eſt: ad dignitatem, & excellentiã Beatæ Virginis pertinere, quod eius gratia fuerit perfectior, & multo intenſior quam gratia collata cuicũque purȩ creaturæ, etiam ſupremo Seraphim. Sicut enim excedit omnes Angelos in beatitudine, iuxta illud quod canit Eccleſia: [Exaltata es ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna:] ita etiam quemlibet illorum incomparabiliter excedit in habituali gratia; quæ eſt acceptatio ad gloriam medijs operibus meritorijs, &c. Vnde Beatus Gregorius lib. 1. Reg. cap. 1. inquit: [An non ſublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticẽ ſupra omnes Angelorum choros vſque ad ſolium Deitatis erexit.] & S. Damaſcenus oratione de Aſſumptione [gratiæ abyſſum] Mariam Virginem appellat. Petrus Chryſologus ſermone 146. [Collegium ſanctitatis]eſſe dicit; & quod valde notandum eſt, S. Bernardus ſermone 4. ſuper Salue Regina, ex eo, quòd Beatiſſima Virgo electa fuerit, & prælecta, vt in plenitudine temporis Dei Filius naſceretur ex ea, infert. [Ergo & tu Maria genitrix Dei, ſola totam Spiritus ſancti gratiam poſſediſti, quam alij

alij habuere per partes; te enim Angelus Gabriel pronũciauit gratia plenam.] nec mirum; nam & in prioribus donis gratiæ, quæ in prima ſanctificatione ſuſcepit, ſupremos etiam Spiritus Angelicos ſuperauit, Propheta Regio atteſtante: [Fundamenta eius in montibus ſanctis;] quę verba, licet communiter explicentur de Eccleſia Catholica in Chriſti firmamento, & Apoſtolorum fundata, vt in Commentarijs noſtris ſuper cap. 2. Iſaiæ numero 4. explicauimus, tamen non incongruè adaptantur Beatiſſimæ Virgini, in cuius vtero tanquam in ciuitate glorioſa nouem menſibus Dominus habitauit. Huius ciuitatis fundamenta eſſe (ait) in montibus ſanctis, quia prima dona gratiæ Beatiſſimæ Virgini matri collata, quæ per fundamenta deſignantur, eo quòd ab illis initium ædificij deſumitur, nedum Patriarcharum, & Prophetarum, aut Angelorum, ſed etiam aliorum Spirituum Beatorum, qui per montes deſignantur, gratiam excedunt.

Pſal. 86

ARTICVLVS XIII.

Qualiter gratia Chriſti habitualis ſe habeat ad gratiam vnionis.

1 PRima concluſio: Gratia vnionis fuit prior in Chriſto, quàm gratia habitualis, non quidem ordine temporis, ſed naturæ. Probatur triplici ratione quarum vltima, & potiſſima eſt; nam gratia habitualis ordinatur ad bene agendum: Operatio autem præſupponit hypoſtaſim operantem; ergo prius intelligitur in Chriſto vnio hypoſtatica, ſeu gratia vnionis, quàm gratia habitualis.

Secunda concluſio. In ſolutione ad ſecundum. Gratia habitualis cõſequitur vnionem hypoſtaticam, tanquam eius naturalis proprietas. Probatur ex S. Auguſtino in Enchyr. cap. 40. dicente, quòd gratia eſt quodammodo Chriſto Domino naturalis.

CIrca hunc articulum vide S. Thomam ſupra q. 2. art. 10. & 12. & quæſt. 6. art. 6. Et notandum circa primam eius concluſionem, quod gratia habitualis non potuit in Chriſto antecedere gratiã vnionis, tanquam eius diſpoſitio; quia ante ipſum eſſe nulla poteſt intelligi diſpoſitio; humanitas autem per vnionem hypoſtaticam, trahitur ad ipſum eſſe perſonale Verbi Diuini, & ante ipſam vnionem, nullum habuit eſſe ſubſtantiale etiam exiſtentiæ, vt ſupra oſtenſum eſt. Vnde ante gratiam vnionis, non præceſſit in eius humanitate habitualis gratia. 2

Diſp. 14

Circa ſecundam concluſionem notandum, quod gratia habitualis dicitur naturalis Chriſti: tum quia competit ei à natiuitate, vt quæſt. 2. art. 12. docet S. Thomas, & S. Auguſtinus in Enchyr. ad Laurentium cap. 40. Tum etiam quia ex natura Diuina, quæ eſt intrinſeca perſonæ Chriſti, reſultauit in eius humanã naturam. Nihilominus propriè, ac in rigore loquendo; Gratia habitualis non eſt in Chriſto propria paſſio, conſequens per ſimplicem emanationem vnionem hypoſtaticam; ſed per nouam actionem fuit à Deo producta. Sicut enim motus circularis, dicitur naturalis cælo; non quia ſit propria paſſio conſequens eius naturam, ſed quia debetur 3

betur cælo, vt de pot. quæſt. 5. art. 5. docet S. Thomas. Ita proportionabiliter gratia habitualis, dicitur connaturalis Chriſto; non quia ſit propria paſſio conſequẽs vnionem hypoſtaticã, ſed quia debetur Chriſto, qua ratione eſt Deus homo. Ita docent communiter Thomiſtæ, & probatur.

4 Primo; quia propria paſſio dimanat à forma ſubiecti immediatè, & non à ſuppoſito. Suppoſitum enim in ratione ſuppoſiti, nihil habet efficere, vel producere in natura, ſed ſolum eam terminare, & complere, vt ſupradictum eſt. Sed gratia habitualis non dimanat, vt propria paſſio à natura humana Chriſti; quia forma ſupernaturalis, qualis eſt gratia, non poteſt dimanare à forma naturali, qualis eſt humanitas Chriſti: & præterea, nam aliàs gratia habitualis conueniret per ſe omnibus hominibus: ea enim, quæ conſequuntur per ſimplicem emanationem humanam naturam, communia ſunt omnibus hominibus; ſicut eſt communis ipſa natura. Nec etiam conſequitur, vt propria paſſio ad naturam diuinam Chriſti; nã aliàs Deus operaretur aliquid ad extra per modum naturæ, & non libere. emanatio enim propriæ paſſionis à natura, naturalis eſt, & non libera.

5 Confirmatur hæc ratio, Emanatio propriæ paſſionis à ſubiecto, cum ſit naturalis, eſt determinata ad vnum, & conſequenter procedit à ſubiecto ſecundùm vltimum potentiæ: Ergo ſi gratia habitualis eſt propria paſſio fluens ex gratia vnionis, ſequitur, quod ab ea dimanet ſecundum vltimũ potentiæ: & ita nõ poſſet, etiam per potentiã Dei abſolutam, produci gratia habitualis in eſſe qualitatis magis intenſa, quàm fuit gratia Chriſti; quod tamen eſt contra ſuperius dicta. Vide circa hoc Aſturic. q. 2. de gratia Chriſti art. 2. vbi quędam argumenta facillima diſſoluit, quæ contra hanc doctrinam obijci ſolent. Et hæc de gratia Chriſti habituali, (quatenus eſt quidam ſingularis homo) dicta ſufficiant.

QVAESTIO VIII.

De gratia Chriſti, ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſtus ſit caput Eccleſiæ.

PRIMA concluſio. Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ, per ſimilitudinem ad caput naturale hominis; quia ſicut caput humanum eſt prima, & altior pars hominis, & in eo vigent omnes ſenſus interiores, & exteriores, ac demum à capite eſt virtus, & motus cæterorum membrorum: ita & gratia Chriſti altior eſt, & prior, & in eo inuenitur plenitudo omnium gratiarum, vt quæſt. præcedenti, art. 2. dictum eſt. Ac demum virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ, ſecundum illud Ioan. 1. [De plenitudine eius nos omnes accepimus.] *Ioan. 1.* 1

2 Secunda concluſio. In ſolut. ad 1. dare gratiam, aut Spiritum ſanctum conuenit Chriſto, ſecundum quod homo inſtrumentaliter: inquantũ ſcilicet eius humanitas inſtrumentum fuit Diuinitatis eius.

Expo-

Expoſitio Articuli.

3 Circa iſtum articulum notandum: quod cum in Chriſto ſit duplex natura, humana ſcilicet, & Diuina, poteſt in dubium verti: Vtrum Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, in quantum Deus; an etiam inquantum homo. Ad cuius explicationem notandum; quod illa particula, (inquantum) poteſt accipi in duplici ſenſu. Primò reduplicatiuè. Secundò ſpecificatiuè: ſi ſumatur reduplicatiue facit hunc ſenſum illa propoſitio, quod videlicet Chriſto Domino ratione naturæ humanæ, ſiue inquantum habet naturam humanam, ſit caput Eccleſiæ. Et in hoc ſenſu non eſt dicendum Chriſtum, inquantum eſt homo, eſſe caput Eccleſiæ. Ratio huius eſt: nam hæc propoſitio propter reduplicatiua æquiualet vniuerſali: Vnde, ſi hæc propoſitio, Chriſtus inquantum homo eſt caput Eccleſiæ, eſſet vera reduplicatiue, ſequeretur, quòd omnis homo eſſet caput Eccleſiæ, quod tamen fidei Catholicæ repugnat. Confirmatur: nam à propoſitione reduplicatiua ad cauſalem eſt bona conſequentia: ergo, ſi Chriſtus, vt homo reduplicatiue, eſt caput Eccleſiæ, ſequitur, hanc cauſalem eſſe veram. quia Chriſtus eſt homo, eſt caput Eccleſiæ; & ita ratione humanitatis eſſet caput, quod tamen eſt falſum.

4 Dicendum eſt ergo. Si illa particula accipiatur reduplicatiue, Chriſtus inquantum Deus eſt caput Eccleſiæ. Et hoc modo æque cōpetit Patri, & Spiritui Sancto eſſe caput Eccleſiæ inuiſibile: Nam, quæ competunt perſonis ratione Deitatis, æque prædicantur de illis. Si autem ly inquantum ſumatur ſpecificatiue, veriſſimè aſſeritur, quod Chriſtus inquantum homo, ſit caput Eccleſię, nam ſenſus huius propoſitionis eſt: quod Chriſtus per humanitatem, exequitur officium capitis, qui ſenſus verus eſt & Catholicus. nam per humanitatem, tanquam per inſtrumentum coniunctum influit in membra corporis miſtici vitam, & ſpiritualem motum. Ex quo ſequitur hanc propoſitionem (Chriſtus inquantum Deus homo eſt caput Eccleſiæ) eſſe veram, & formalem etiam ſi ly inquantum ſumatur reduplicatiuè. nam iſta cauſalis eſt vera: Quia Chriſtus eſt Deus homo, ideo eſt caput Eccleſiæ; etenim ratione humanitatis eleuatæ per gratiam mereri potuit, ratione autem ſuppoſiti Diuini meritum illius eſt infinitum, quod ſubinde poteſt ſe extendere ad omnia membra corporis miſtici, quatenus Chriſtus pro illis meruit, & ſatisfecit.

5 Sed contra hanc doctrinam eſt argumentum difficile. Caput eſt membrum totius corporis, & eius pars integralis: ergo, ſi Chriſtus quatenus homo ſpecificatiue, vel quatenus Deus homo reduplicatiuè, eſt caput Eccleſiæ, ſequitur quòd ſit membrum Eccleſię, & pars illius integralis. Confirmatur: Membrum, ſeu pars, eſt quid ſuperius ad caput, cum omne caput ſit pars corporis, & non è conuerſo; ergo, ſi Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, erit pars illius. Probatur conſequentia: nam ab inferiori ad ſuum ſuperius affirmatiue valet argumentatio. Obiectio Confirmatio

6 Ad hoc argumentum Altiſiodor. lib. 3. ſummæ tract. 1. cap. 4. quæſt. 6. admittit, poſſe concedi, quòd Chriſtus vt homo ſit membrum Eccleſiæ: &

ſiæ; & probari poteſt, eius ſententia auctoritate Apoſtoli 1. Cor. 12. *1. Cor. 12.* [Vos eſtis corpus Chriſti, membra de mẽbro;] id eſt de potiſſimo mẽbro, quod eſt Chriſtus, vt ibi explicat S. Thomas lect. 3. Pro eadem ſententia allegatur S. Doctor in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 2. ad 4. Reſpõdetur tamen cum ſancto Thoma in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. ad 6. hanc propoſitionem non eſſe concedendam (Chriſtus eſt membrum Eccleſiæ.) Ratio huius eſt, nam membrum importat dependentiam influxus ab aliquo alio mẽbro: Chriſtus autem etiam quatenus homo, vel ſecundùm humanitatem, à nullo alio membro Eccleſię recipit influxum ſpiritualis vitæ; & eadem ratione non eſt dicendum, quòd ſit pars Eccleſiæ: nam pars importat dependẽtiam ab alijs partibus: vnde abſolutè non ſunt prædictæ propoſitiones concedendæ.

Ad auctoritatẽ Apoſtoli reſpondetur. Cũ limitatione poteſt Chri-
7 ſtus, vt homo dici membrum, videlicet per reſpectum ad ipſum Chriſtum, vt eſt Deus. Nam humanitas Chriſti recipit influxum gratiæ ab ipſo Deo. Et ſecundum hanc doctrinam, intelligenda eſt explicatio aſſignata ſancti Thomæ, vt colligitur ex eodem in 3. diſt. 13. cit. vbi hanc noſtram limitationem conſtituit. Secundo poteſt explicari locus Apoſtoli in alio ſenſu, videlicet: Vos eſtis membra de membro, id eſt, de me, qui ſum mẽbrum Eccleſiæ. Hoc autem ideò dixit Apoſtolus; nam per Euangelium genuerat ipſos Corinth. vt ipſe teſtatur. 1. Corinth. 4. dicens: *1 Cor. 4* [Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.] Tertio po- [illegible] ſu-

per eundem locum, & ſenſus eſt: Vos eſtis membra de membro: id eſt membra ex parte: quaſi diceret, vos non eſtis omnia membra Eccleſiæ, ſed pars membrorum.

Ex his reſpondetur ad argumentum negando conſequentiam. Ra- 8
tio diſcriminis eſt, quam aſſignat S. Thomas in ſolutione præallegata ad 6. [Quia in corpore naturali caput, non ſolum influit alijs membris, ſed etiam ab alijs recipit, vt nutrimentum, & alia obſequia, ideò & caput dicitur, & membrum: ſed Chriſtus ſecundum quod homo nõ recipit aliquid ab alijs membris Eccleſiæ, ſed à ſolo Deo, vnde non poteſt dici membrũ Eccleſiæ propriè loquendo,] nam ad propriam rationem membri, requiritur, quòd ab alijs membris aliquid accipiat. Iuxta hanc doctrinam intelligenda ſunt, & explicanda quæ in 4. Sent. loco allegato dicit S. Thom.

Ad confirmationem reſpondetur, *Ad cófir.*
in locutionibus metaphoricis, non ſemper valere argumentum ab inferiori ad ſuperius affirmatiuè: quia contingit, quòd in inferiori importetur, vel explicetur aliquid, ratione cuius conueniat alicui denominatio metaphorica; quod tamen nõ explicetur in ſuperiori. V.g. Chriſtus dicitur leo per metaphoram, iuxta illud: [Vicit leo de tribu Iu- *Apoc. 5.*
da] & tamen Chriſtus non dicitur per metaphoram brutum, quamuis brutum ſit eſſentialiter ſuperius ad leonem. Ratio eſt, nam Chriſtus aſſimilatur leoni propter fortitudinem, non tamen aſſimilatur bruto in eo, quod formaliter ſignificatur nomine bruti.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus ſit caput hominum quo ad corpora, vel ſolum quantum ad Animas.

PRima concluſio. Chriſtus, & quo ad animas, & quo ad corpora, eſt caput hominum. Probatur, nam influit in vtrumque: in corpus quidem, vt exhibeat membra ſua arma iuſtitiæ, & præterea in quantum gloria animæ deriuatur ad corpus.

Secunda cõcluſio. Chriſtus principaliter eſt caput hominum quo ad animas. Probatur: nam in animas influit gratiam, & reliqua ſpiritualia dona.

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus ſit caput omnium hominum.

PRima concluſio. Exceptis dãnatis, Chriſtus eſt omnium hominum caput ſecundum diuerſos gradus, quia in omnes influit, quantum eſt ex ſe.

Secunda concluſio. Quinque ſunt gradus hominum, reſpectu quorum Chriſtus eſt caput. Primus gradus eſt eorum, qui ſunt in gloria. Secundus eorum, qui per charitatem vniuntur Chriſto. Tertius eorum, quibus influit fidem. Quartus eſt eorum, qui in potentia reducenda tamen ad actum, eidem Chriſto, vt capiti vniuntur. Quintus eſt eorum, qui in potentia nunquam reducenda ad actum vniuntur illi.

DIfficultas grauis ſe offerebat in præſenti diſcutienda: vtrũ Chriſtus Dominus ita ſit caput hominum, & Angelorum, vt gratia Angelis collata, & primis parentibus in ſtatu innocentiæ, fuerit dependens ex meritis Chriſti præuiſis. Sed quoniam hanc difficultatem, quo ad vtramque eius partem diſſoluimus in libro noſtro de Auxilijs Diſput. 40. de quibus etiam infra art. 4. redibit ſermo, illic poterit Lector eam videre. Qualiter autem ſint diſtinguenda membra corporis myſtici, id eſt Eccleſiæ, cuius Chriſtus Dominus eſt caput, & quem influxum habeat in omnes homines, actu, vel potentia pertinentes ad cõſtitutionem eius corporis myſtici, explicatur ſatis diffuſe à M. Medina in expoſitione huius articuli. Nunc autem inquirendum eſt, in quo genere cauſæ influat Chriſtus Dominus ſpiritualia dona in ſua membra.

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrum Chriſtus vt homo, & quatenus eſt caput Eccleſiæ, influat per humanitatem efficienter, ſeu ad modum cauſæ phyſicæ, gratiam in omnes homines pertinentes ad corpus myſticum Eccleſiæ, an ſolum moraliter, ſeu meritoriè.

HÆC difficultas ſolet etiam pertractari de miraculis infra q. 43. art. 2. vbi diſputatur, an huma-

nitas Chriſti efficienter cauſauerit miracula. ſimiliter etiam quæſt. 48.art.6. quærit ſpecialiter ſanctus Thomas de paſſione Chriſti; vtrum cauſauerit noſtrã ſalutem per modum efficientiæ, & quæſt.50. art.6. idem quærit de morte Chriſti. Denique quæſt.62.art.4. diſputari ſolet; vtrum Sacramenta nouæ legis, ad modum cauſæ phyſicæ cauſent inſtrumentaliter gratiam, an ſolum moraliter. Eſtq; huius difficultatis reſolutio valde neceſſaria ad intelligendum, qualiter Chriſtus, quatenus eſt caput Eccleſię, influat per humanitatem, & operetur omnes effectus gratiæ, qui producuntur in Eccleſia.

4 Prima ſententia aſſerit, humanitatem Chriſti nullam efficientiam phyſicam habere, ſed ſolum cauſalitatem moralem, ſeu moralem influxũ, tam reſpectu gratiæ, quæ confertur hominibus redemptis, quàm reſpectu miraculorũ. Tenent hanc ſententiam Scot. in 2. diſt. 37. Palud.diſt.4.quæſt.vltima. Duran. in 3.diſt.14. q.vlt. Caiet. 2. 2. q.178. art.1. ad 1. Cano relect. de Sacramentis in genere par. 4. circa fin. Quam etiam ſequũtur aliqui Thomiſtæ, & plures alij extra Scholam S.Thomæ. Probatur omnibus argumentis, quibus infra quæſt. 62. art.4. probari ſolet, Sacramenta nouæ legis non concurrere inſtrumentaliter ad cauſandam gratiam efficienter, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ, ſed moraliter.

5 Præterea probatur. Si aliqua ratione humanitas Chriſti concurreret phyſicè, ſeu tanquam inſtrumentum phyſicum ad cauſandam gratiam, & alios ſpirituales effectus; maximè quia defert imperium Diuinum ad eas creaturas, in quibus gratia habitualis, & alij effectus gratuiti cauſantur à Deo, tanquam à cauſa principali: ſed propter hãc rationem, nõ concurrit ad eoſdem effectus producendos, tanquam inſtrumentum phyſicum: ergo, &c. Minor probatur: nam Imperium Diuinum eſt quid increatum formaliter exiſtens in Deo, nam eſt ipſe actus intellectus, & voluntatis Diuinæ: ergo per illud humanitas Chriſti nõ cauſat phyſicè ſpirituales effectus.

Si dicatur, quòd, ſi imperium accipiatur pro actione immanente, humanitas Chriſti, non eſt delatiua imperij Dei ad aliquam creaturam, ſecus autem, ſi accipitur pro actione Dei tranſeunte. 6

Contra. Nulla datur operatio Diuina tranſiens, ſed omnis actio eius eſt immanens: ergo non poteſt intelligi, nec explicari, quo pacto Diuinum imperium deferatur ad creaturas per humanitatem Chriſti, tanquam per inſtrumentum phyſicum.

Confirmatur. Illud imperium Diuinum nihil reale ponit in humanitate Chriſti, quo eleuetur ad cauſandam gratiam inſtrumentaliter: ergo.

Secundo arguitur. Quando Chriſtus ſola volitione interna remittebat peccata, vel ſanabat infirmos, nihil corporale erat ex parte humanitatis, quod eſſet delatiuum Imperij Diuini: ergo tunc ſaltem humanitas Chriſti ſolum moraliter operabatur eiuſmodi ſupernaturales effectus. 7

Tertio. Humanitas Chriſti operata eſt noſtram iuſtificationem, & ſalutem per paſſionem, per mortem, & reſurrectionem ſuam, iuxta illud Rom.4. [Mortuus eſt propter 8

pter

pter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.] ſed paſſio, & reſurrectio Chriſti non concurrunt effectiuè, ſed ſolum moraliter ad cauſandam gratiam, quia, quod non eſt, nihil agit phyſicè, & efficienter: nihil enim operatur, niſi in quantum eſt actu. Paſſio autem Chriſti, & reſurrectio iā non eſt: ergo :&c.

Confirmatur. Mors non eſt aliquid poſitiuum, ſed priuatiuum: eſt enim mors priuatio vitæ: ergo non poteſt efficienter cauſare in nobis gratiam; patet conſequentia: nam priuatio, cum ſit non ens, non poteſt efficienter aliquid operari.

9 Secunda ſententia aſſerit per oppoſitum extremum, humanitatem Chriſti, & moraliter, & effectiuè cauſare gratiam, & miracula, & alios ſupernaturales effectus, non ſolum productos poſt eius incarnationem, ſed etiam ante incarnationem tempore antiquorum Patrum. Hanc ſententiam non improbabilem reputat. Medina infra q. 13. art. 4. & pro ea refert Capr. pro qua ſunt argumenta, quorum primum eſt quartum in ordine.

10 Quarto arguitur. Finis, quatenus eſt in apprehenſione, mouet effectiuè voluntatem, vt docent multi Theologi; ergo & paſſio Chriſti, atque eius humanitas, quatenus erat in apprehenſione per Fidem antiquorum Patrum, potuit aſſumi à Deo, vt inſtrumentum effectiuum gratiæ, & omnium effectuum ſupernaturalium, qui producti ſunt ab origine mundi poſt peccatum Adæ. Sed ad dignitatem, & excellentiam eiuſdem humanitatis pertinet, quòd de facto fuerit aſſumpta, vt inſtrumentum phyſicum reſpectu horum effectuum: ergo.

Confirmatur. Deus poteſt aſſumere, & de facto aſſumit rem præteritam, vt ſit inſtrumentum phyſicum ad cauſandam gratiam; ergo ſimiliter poteſt aſſumere rem futuram. Patet conſequentia, quia nullam habet maiorem exiſtentiā res præterita, quàm futura. Antecedens probatur. Sacramenta nouæ legis recedente fictione, cauſant phyſicè gratiam Sacramentalem; & tamen illa Sacramenta non ſunt, quia ante decem dies, v.g. fuerunt cōſummata: & idē contingit in paſſione Chriſti iam præterita: nam eſt cauſa noſtræ ſalutis, per modum cauſæ efficientis, vt infra quæſt. 49. & 50. art. 6. docet S. Thom. ergo.

Tertia ſententia diſtinguit de humanitate Chriſti, quando erat in hac vita mortali, & poſt eius aſcenſionem ad ſuperos, & ait, quòd quādo erat in hac vita mortali concurrebat effectiuè, tanquam inſtrumentum diuinitatis coniunctum ad cōferendam gratiam illis, quos ipſe Chriſtus immediatè ſanauit, vt quando iuſtificauit Magdalenam, Matthæum, & latronem. Et idem docet hæc ſententia de miraculis, quæ Chriſtus per ſeipſum operatus eſt: Negat tamen, humanitatem Chriſti nunc exiſtentem in cælo, concurrere effectiuè etiam inſtrumentaliter ad ſupernaturales effectus, qui fiunt in Eccleſia militante. Hanc ſententiam ſequitur Andreas à Vega lib. 7. ſuper Conciliū Tridentinum cap. 14. & aliqui ex Thomiſtis, inter quos refertur Victoria, qui eam reputant probabiliorem: pro qua eſt 11

Quintum argumentum. Non videtur credibile, quòd Verbum Diuinum vtatur ſua humanitate, vt

inſtrumento ad operandum phyſicè in tam diſtantem materiam: ergo. Confirmatur primo. Ad cauſalitatem phyſicam neceſſario requiritur phyſicus contactus, ſed humanitas Chriſti modo exiſtens in cælo, non habet phyſicum contactum cum homine, qui iuſtificatur in terra: ergo.

Confir.

Confirmatur ſecundo. Nullum agens corporale agit in ſubiectum diſtans, niſi prius agat in medium, ſed humanitas Chriſti exiſtens in cælo, dum peccatores iuſtificat, vel mortuos ſuſcitat, nihil imprimit in aere medio: ergo. Quarta ſententia à nobis defendenda eſt S. Thomæ, & communis inter eius diſcipulos, quæ ſequentibus concluſionibus explicatur.

13 Prima concluſio. Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis, per humanitatem, tanquam per inſtrumentum coniunctum influit moraliter, & efficienter, ſeu phyſicè gratiā, & alios ſupernaturales effectus in mēbra corporis myſtici. Itaque omnis gratia collata hominibus, & conferenda, myſterio incarnationis peracto, dependet efficienter ex humanitate Chriſti, ſiue quando erat in hac vita mortali, ſiue nunc quando regnat in cælis. Et idem dicendum proportionabiliter de miraculis, & alijs effectibus ſupernaturalibus. Concluſio eſt S.Thomę locis infra allegandis. Eam docet Caietanus 1.2. q.112. art.1. & hic q.13.art.2. & 3. vbi retractat ſententiam, quam tenuerat in 2.2. Et quidem, quòd attinet ad cauſalitatem moralem, concluſio eſt certa; nam Chriſtus, vt homo fuit cauſa meritoria, & finalis omnis gratiæ, quæ confertur hominibus: vt patebit in tract.de merito Chriſti, cauſa autē meritoria, & finalis, eſt cauſa moralis. Quòd autem humanitas Chriſti, ſit etiam cauſa inſtrumentalis efficiens, probatur auctoritate S. Thom.1.2.q.112.cit.art.1.ad 1.vbi ait [quòd humanitas Chriſti, eſt ſicut quoddam organum diuinitatis eius; & ideò non cauſat gratiam propria virtute, ſed vt inſtrumentū virtute diuinitatis adiunctæ, ex qua actiones humanitatis Chriſti ſunt ſalutares.] Et in hac 3.p.q.64.ar.3. ait, [quòd Chriſtus, quatenus Deus operatur in Sacramentis per auctoritatem, ſecundum autem quod eſt homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum, & meritoriè, & efficiēter, ſed inſtrumentaliter,] & art.4.c.ſubdit, quòd Chriſtus, vt homo eſt inſtrumentum coniunctū cauſans gratiam. Idem dicit de miraculis quæſt.13.art.2.

Præterea probatur ex illo Ioan. 1. [Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.] vbi illud verbum (facta) efficientiam phyſicam importat, vt S. Thomas explicat 1.2. cit. nam ex hoc teſtimonio concludit, quòd Chriſtus, vt homo, ſeu humanitas illius ſit cauſa inſtrumentalis gratiæ. 14 *Ioan.1.*

Probatur ſecūdo ex Conc.Epheſino can.11. vbi definitur, carnem Chriſti eſſe viuificatricem propter vnionem ad Verbum, quod habet vitam Diuinam. Idem dicitur in epiſtola Synodali eiuſdem Concilij ad Neſtorium: ſed ſola caro Chriſti non poteſt eſſe viuificatiua efficientia morali, ſed phyſica; quia tota efficientia moralis pertinet ad animam, quæ operatur per intellectum, & voluntatem: ergo caro Chriſti ad modum cauſæ phyſicæ cauſat in nobis gratiam. 15 Cōcilium Epheſ.

Confirmatur ex epiſt. Sophronij in

Digitized by Google

in ſexta Synodo generali actione 11. recepta, vbi diſtinguuntur tres operationes Chriſti. Quædam ſunt puræ Diuinæ, in quibus nihil communicat humanitas, vt conſeruatio vniuerſi. Aliæ puræ humanæ, ad quas non concurrebat Diuinitas, ſecundum propriam infinitatis rationem, vt flere, & eſurire. Aliæ denique mediæ, pertinentes videlicet ad Diuinitatem, & humanitatem, vt operationes miraculoſæ. Hanc diſtinctionem etiam tradidit prius S. Dionyſius Areopag. epiſtola 4. ad Caium. Ergo humanitas Chriſti concurrebat efficienter, inſtrumentaliter ad opera miraculoſa.

16 Probatur tertio ex miraculis, quæ Chriſtus fecit per contactum ſuæ mundiſſimæ carnis, vt cum ſanauit cæcum à natiuitate liniendo oculos eius; & ſimiliter ſurdum, & mutum, digitos mittens in aures illius. Nam, vt docet ſanctus Cyrillus in Ioan. cap. 15. propterea hoc modo ſanauit plures infirmos eos tangendo, vt oſtenderet virtutem, quæ ex coniunctione Verbi, in carne eius erat. Cui conſonat illud Euangelij [& virtutes ex illo exibant, & ſanabat omnes.] Item propterea reſuſcitauit Lazarum, dicendo, Lazare veni foras, vt innueret, Verbum Diuinum tribuiſſe virtutem inſtrumentalem eidem voci, ad ſuſcitandum Lazarum, vnde Pſalm. ait: [Dabit voci ſuæ vocem virtutis.] *Pſal. 67*

17 Probatur quarto. Vt docet ſanctus Thomas infra q. 62. art. 5. in corp. & 4. cont. gent. cap. 41. inſtrumentum ſeparatum non mouetur niſi moueatur à manu, quæ eſt inſtrumentum coniunctum, ſed Sacramenta nouæ legis, & ſimiliter eorum miniſtri, ſunt inſtrumenta ſeparata, quibus Deus efficienter cauſat gratiam: ergo non cauſant illam, niſi concurrat etiam efficienter ad eam cauſandam humanitas Chriſti, quæ eſt inſtrumentum coniunctum Diuinitati. *S. Thom.*

Probatur denique. Humanitati Chriſti potuit à Deo communicari virtus, vt inſtrumentaliter attingeret omnes effectus gratiæ ſuppoſita Verbi incarnatione; ſed ad excellentiam, & dignitatem illius pertinet, quòd de facto fuerit illi huiuſmodi virtus communicata: ergo, &c.

18 Secunda concluſio. Chriſtus vt homo, vel eius humanitas non eſt cauſa ſecunda principalis gratiæ, ſed ſolum inſtrumentalis. Iſta concluſio eſt contra Medinam quæſt. 13. articulo 2. dubio vltimo, concluſ. 8. vbi ait, quod Chriſtus, quatenus homo eſt cauſa principalis noſtræ iuſtificationis, non quidem auctoritatiua, ſed ſecundaria, & miniſterialis. Noſtram tamen concluſionem defendunt communiter Thomiſtæ, præſertim Aſturicẽſis de gratia Chriſti quæſt. 6. pag. 829. & meo iudicio eſt ſancti Thomæ locis allegatis pro concluſione præcedenti; vbi aperte docet, humanitatem Chriſti non eſſe cauſam principalem gratię, ſed inſtrumentalem. Nec eſt ad mentem S. Thomæ explicatio, quam tradit Medina in ſolutione ad vltimum, quòd videlicet ſanctus Doctor appellauit humanitatem Chriſti cauſam inſtrumentalem gratiæ in eo ſenſu, quo omnes cauſæ ſecundæ etiam principales dicuntur aliquo modo inſtrumenta reſpectu Dei, quatenus mouent mota à Deo. Hæc enim explicatio repugnat contextui, nam aperte

loquitur de inſtrumento propriè vt diſtinguitur contra cauſam principalem.

19 Præterea probatur ratione ſancti Thomæ 1. 2. cit. Gratia ex ſua ratione eſt quædam participatio naturæ diuinæ; ergo ſolus Deus poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ: probatur conſequentia, quia impoſſibile eſt, quòd aliquid igniat vt cauſa principalis niſi ſolus ignis, quia ignire eſt quædam participatio, vel cōmunicatio naturæ ignis; ergo, cum cauſare gratiam ſit quædam communicatio naturæ Diuinæ, impoſſibile eſt aliquid eſſe cauſā principalē gratiæ, niſi cui per ſe competit habere naturā Diuinam.

Probatur ſecundo. Cauſa principalis attingit effectum virtute propriæ formæ: inſtrumentum autem ſecundum quod mouetur à principali agente: ſed humanitas Chriſti non habet aliquā formam propriā, per quam phyſicè producat gratiā habitualem in nobis, & alios ſuper naturales effectus, ſed ſolum eos attingit quatenus mouetur à Verbo Diuino; ergo &c. Probatur minor; nam illa forma debet eſſe ſupernaturalis, ſed non poteſt aſſignari forma propria ſupernaturalis, per quā humanitas Chriſti effectiue producat gratiam habitualem, nam gratia iuſtificans, quæ eſt in anima Chriſti non eſt forma operatiua, alij autem habitus infuſi quamuis ſint principia operatiua, nō tamen ſunt operatiua alterius habitus, ſed actus circa propriū obiectum: ergo.

Argumenta, quæ pro ſua ſententia adducit Medina, refert, & ſoluit Aſturicenſis vbi ſupra.

Tertia cōcluſio. Humanitas Xpi nec fuit, nec potuit eſſe cauſa efficiens inſtrumentalis gratiæ, quæ ante incarnationem data eſt antiquis, ſed ſolum fuit cauſa moralis, & loquimur de gratia antiquorum ſecundum ſtatum, quem habuit ante incarnationem Verbi. Et idem dicendum eſt proportionabiliter de alijs effectibus ſupernaturalibus. Concluſio eſt contra Auctores ſecundę ſententiæ, eſt tamen communis Thomiſtarum, de qua vide Sotum in 4. d. 1. q. 2. art. 3. & probatur. Res futura non poteſt etiam per potentiam Dei abſolutam aſſumi, vt phyſicum inſtrumentum ad producendum effectiuè aliquem effectum, nam vt colligitur ex ſancto Thoma p.p. q. 45. art. 5. ad rationem inſtrumenti, duo ſunt ſimpliciter neceſſaria. Alterū eſt, quòd ratione propriæ formæ habeat aliquā actionem, quæ eleuetur à principali agente ad productionem effectus: Aliàs non magis concurreret effectiue ad illum effectum producendum vnum inſtrumētum, quàm aliud: & ita inſtrumentum nihil efficeret, ac per conſequens fruſtra aſſumeretur ad producendum effectum principalis agentis, nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta particularium actionum: Alterum eſt quòd agens principale determinet ſuam virtutem, & eam applicet ad operandum per illud inſtrumentum: ſed ad hoc eſt ſimpliciter neceſſarium, quod inſtrumentum habeat, vel ſaltem habuerit exiſtentiam in propria menſura: quia niſi exiſtat non poteſt habere operationem virtute proprię formæ; quæ eleuetur à principali agente, nam vnū quodque operatur in quantum eſt actu: Nec etiam poteſt moueri, vel recipere virtutem à principali agente, niſi inſtrumentum habeat exiſtentiam; ergo &c.

Con-

22 Confirmatur. Non poteſt eſſe efficientia cauſæ principalis, vel inſtrumentalis niſi ſit ipſa cauſa conſtituta in actu primo: nam actus ſecundus neceſſario ſupponit ſaltem ordine naturæ actum primum: ſed actus primus intrinſece præſupponit eſſe exiſtentiæ, quod eſt vniuerſaliſſimus actus cuiuſcunque rei; ergo impoſſibile eſt, rem, quæ nunquam habuit eſſe in ſe ipſa, concurrere inſtrumentaliter ad aliquem effectum; Aliàs enim ſequeretur, rem merè poſſibilem, quæ in nulla differentia temporis habebit eſſe, poſſe aſſumi a Deo vt inſtrumentum phyſicum ad aliquem effectum producendum.

23 Si dicatur, quòd in ordine ad Deum, qui eſt principale agens, omnis res futura eſt præſens in æternitate, & ita poteſt aſſumi; vt inſtrumentum ad aliquid efficiendum. Contra. Exiſtentia illa in æternitate non eſt ſufficiens, vt inſtrumentum operetur in tempore; nam, cum operatio inſtrumenti, & effectus productus per tale inſtrumentum menſuretur tempore, neceſſarium eſt, quòd ipſum inſtrumentum habeat, vel habuerit actualem exiſtentiam in tempore.

24 Aſturicenſis. AD primum argumentum, Aſturicenſis quęſt. 6. citata pagina 791. varios refert modos, quibus Theologi explicant cauſalitatem inſtrumenti, quo Deus vtitur ad gratiam habitualem, & alios effectus ſupernaturales producendos. Nos tamen dicimus Caiet. cum Caietano infra quęſt. 13. art. 2. humanitatem Chriſti inſtrumentaliter operari phyſica efficientia gratiam habitualem in nobis, & miracula, quatenus defert virtutem Imperij practici Dei, quo prædictos effectus ſupernaturales efficit. Conſiſtit autem hæc delatio imperij Diuini in hoc, quòd ipſe Deus ſua voluntate ſtatuit non operari illum effectum; neque applicare ſuam virtutem ad illum producendum, niſi vt modificatam in tali inſtrumento, & in illo receptam: Sicut artifex non applicat ſuam virtutem ad faciendum ſcamnum, niſi per ſecurim, quam mouet ad artificiosè ſecandum, in qua ſubinde, vt ſic mota, recipitur intentionaliter virtus artis vt docet ſanctus Thomas de potentia q. 3, art. 7. ad 7. Vnde in ea modificatur ac determinatur ad non attingendum aliter effectum, niſi per tale inſtrumentum. Notandum tamen pro huius maiori explicatione, quòd, vt docet ſanctus Thomas infra q. 72. art. 3. ad 2. [virtus dupliciter datur in inſtrumento, ſcilicet inchoatiue, quando accipit formam inſtrumenti: & completiue, quando mouetur à principali agente:] ſicut ſecuris inchoatiue accepit inſtrumentalem virtutem ad ſcindendum artificiosè, quando per artem formam ſecuris accepit, completiue autem, quando mouetur ab artifice; ad opus artificioſum efficiendum. Sic ergo humanitas Chriſti, per hoc, quòd vnita eſt Verbo hypoſtaticè accepit inſtrumentalem virtutem quaſi inchoatiuè ad efficiendam gratiam; completur autem hæc virtus, cum mouetur à Verbo diuino, vt eandem gratiam attingat tanquam inſtrumentum ei coniunctum: Et hoc modo defert Diuinum imperium, & virtute illius attingit effectiue gratiam. Et cum arguitur, nam imperium Dei practicũ eſt immanens in

S. Tho. 25

 ipſo

ipſo Deo. Reſpondetur, quòd licet ſit formaliter actio immanens, virtualiter tamen, & eminenter eſt tranſiens.

26 Si quæras, quidnam ſit illa virtus, quam Deus tribuit inſtrumento, & ad quod genus, vel ſpecie pertineat. Reſpondetur cum S. Thoma infra q.62. art.4. ad 2. & q.63. art. 2. in corp. quòd virtus inſtrumenti, per ſe loquendo, non eſt propriè in genere, vel ſpecie; ſed reducitur ad genus, vel ſpeciem virtutis perfectæ. Vide Caiet. q.62. art. 4. & S. Thom. de verit. q.26. art.1. ad 8. & q.27. art.4. ad 4.

Contra hanc ſolutionem eſt argumentum. Sequitur ex illa, quòd anima Chriſti, vel alia creatura poſſit eſſe inſtrumentum creationis, nā etiam poteſt deferre Diuinum imperium, quo anima rationalis creetur. Reſpondetur negando conſequentiam, nam inter humanitatem Chriſti, & ſubiectum præexiſtens, circa quod operatur, eſt aliqua proportio, & conuenientia ſaltē in ratione entis. Cęterum inter eādem humanitatem, & nihil, ex quo fit aliquid per creationem, nulla eſt proportio, vel conuenientia. Et ideò humanitas Chriſti poteſt deferre Diuinum imperium ad ſubiectum quantumcumque diſtans; & circa illud inſtrumentaliter operari: non autem poteſt illud ad nihil deferre, vel ex illo virtute Diuina aliquid producere. Et hac ratione ſanctus Thomas 1. par. q. 45. art. 5. eiuſq; Diſcipuli negant, creaturam poſſe aſſumi à Deo, vt inſtrumentum ad creandum.

27 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, Chriſtum regulariter vſum fuiſſe aliquo ſignō, vel operatione ſenſibili ad miracula facienda. Sed dato, quòd ſola volitione interna vſus fuerit aliquando, talis actio humana potuit aſſumi, vt inſtrumentum phyſicum, & reale ad opus miraculoſum efficiendum. Sicut enim virtute Diuina res corporea poteſt inſtrumentaliter attingere, & producere effectum ſpiritualem, ſicut Sacramenta ſenſibilia producunt gratiam: ita è conuerſo nulla eſt repugnatia, quod actio ſpiritualis, vt intellectio, & volitio tanquam inſtrumentum virtutis Diuinæ, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, producat efficienter effectum corporalem.

Ad tertium. S. Bonauentura in 3. dist.19. q.1. & Vega vbi ſupra reſpondent, argumentum conuincere, paſſionem, & mortem Chriſti nō concurrere efficienter ad cauſandam gratiam. Contrariam ſententiam tenet Caietanus infra q. 56. art. 1. ad 3. & M. Medina q.48. art. 6. & videtur expreſſa Doctrina S. Thom. eod. art. vbi ait: [Quòd paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem, & per modum meriti, & per modum efficientiæ.] Ad impugnationem reſpondetur, quod paſſio, & reſurrectio quamuis actualiter non ſint in ſeipſis, ſunt tamen in ſua virtute. Manet enim Chriſti humanitas, quæ realiter fuit immutata per paſſionem, & reſurrectionem: manent etiam eius paſſio, & opera in acceptione Diuina. Et hoc ſufficit quantum eſt ex parte exiſtentiæ, vt paſſio, & reſurrectio Chriſti operentur inſtrumentaliter noſtram ſalutem virtute Diuina ipſius Verbi, cui humanitas Chriſti eſt coniuncta. Solutio eſt Caietani infra quæſt. 56. art. 1. ad 3. & habet magnum fundamentum in ſancto Thoma ſolutione eadem. 28

Ad

Ad cuius euidentiam notat Caie-
29 tanus, [quòd humanitas Chriſti propter coniunctionem ad Verbum eſt inſtrumentum vniuerſale omnium effectuum ſupernaturaliũ, & miraculorum, quæ ad finem Incarnationis ordinantur: determinatur autem eadem humanitas, vt ſit inſtrumentum reſpectu huius, vel illius operationis, vel effectus ſupernaturalis per aliquam eiuſdem humanitatis conditionem, vel effectionem; nam per paſſionem eſt cauſa noſtræ ſalutis, & remiſſionis peccatorum, per quamdam appropriationem; quia per paſſionem voluit genus humanum redimere, & per hoc quod reſurrexit eſt cauſa inſtrumentalis efficiens noſtræ reſurrectionis:] & ſic proportionabiliter de alijs effectibus ſupernaturalibus, qui tribuuntur Deo, vt principali agenti, & humanitati Chriſti tanquam inſtrumento coniuncto. Quia ergo humanitas Chriſti, quæ realiter fuit immutata per paſſionem, & reſurrectionem exiſtit in rerum natura, ideò virtualiter ipſa paſſio, & reſurrectio cenſentur exiſtere ea exiſtentia, quæ ad cauſalitatem inſtrumentalem requiritur.

30 Ex his ad confirmationem reſpondetur, quòd licet mors ſit formaliter priuatio vitę, fundamentaliter tamen eſt aliquid poſitiuum: nam cauſa mortis fuit aliquid poſitiuum, ſcilicet paſſio, ad quam ſubſequuta eſt mors: & ſimiliter voluntas, qua Chriſtus emiſit Spiritum, ac denique per mortem realiter fuit ſeparata anima Chriſti ab eius corpore.

Reſpondetur ſecundo cum Medina infra quæſt. 50. art. 6. in fine, [quod cum dicitur, mortem Chriſti eſſe cauſam effectiuam noſtræ ſalutis, ſenſus eſt, quòd caro Chriſti ratione mortis operata eſt noſtram ſalutem efficienter: ita videlicet vt ipſa efficientia inſtrumentalis teneret ſe ex parte carnis Chriſti, non autem quòd ipſa mors quatenus eſt priuatio ſit per ſe cauſa efficiens alicuius rei.] vide ſanctum Thom. ead. quæſt. 50. art. 6. ad 1. & 2.

31 Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur. Exiſtentia, quam in apprehenſione noſtra habet res futura, non ſufficit ad efficientiam phyſicam etiam inſtrumentalem, vt ſupra dictum eſt: quamuis ſufficeret, quando res eſt præterita, vt videtur inſinuare ſanctus Thomas infra quæſt. 48. art. 6. ad 2. vbi ait, quod [paſſio Chriſti per ſpiritualem contactum efficaciam ſortitur, ſcilicet per Fidem, & Fidei Sacramentum, iuxta illud Apoſtoli: [Quem propoſuit Deus propitiatorem per Fidem in ſanguine ipſius.] *Rom.* 3

Ad confirmationem negatur cõſequentia. Primo, nam res præterita poteſt exiſtere in ſua virtute, non autem res futura; eo quod virtus relicta alicuius rei neceſſario præſupponit rem illam habuiſſe, vel habere exiſtentiam. Secundo, nam res præterita iam habuit actualem exiſtentiam, & actionem, cui ſubinde potuit Deus eam mouendo, communicare virtutem inſtrumentalem in actu primo, vt producat gratiam tempore futuro in actu ſecundo, vt patet in Sacramentis nouæ legis, quæ recedente fictione cauſant efficienter gratiam, vt communis Thomiſtarum docet opinio. Immo

omnia Sacramenta nouæ legis, etiam ſine fictione ſuſcepta cauſant gratiam inſtrumentaliter in eo inſtanti, in quo non ſunt in ſe ipſis. Nam Sacramenta, cum deſinant per motum, deſinunt eſſe per primum non eſſe, gratia autem cum ſit forma ſpiritualis producitur, vel augetur per primum ſui eſſe: vnde inſtans intrinſecum in quo producitur gratia, eſt extrinſecus terminus Sacramenti. Res autem futura nunquam habuit actionem, neque conſtituta eſt, vel conſtitui potuit in actu primo, vt ſit inſtrumentum reſpectu productionis alicuius effectus, vt ex ſupradictis patet: vnde non eſt ſimile.

31 Ad quintum reſpondetur, non ſolum credibile, ſed etiam eſſe rationi, & ſcripturis valde conſentaneum, quòd humanitas Chriſti exiſtens in cælo inſtrumentaliter concurrat ad cauſandam gratiam in nobis, vt patet ex rationibus pro prima concluſione adductis.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd, vt docet ſanctus Thomas quæſt. 48. art. 6. ad ſecundum, ad cauſalitatem phyſicam non requiritur neceſſario contactus quantitatiuus, ſed ſufficit cõtactus virtutis: Alias Deus nihil efficienter operaretur in rebus iſtis inferioribus: quia non habet contactum quantitatiuum cum illis; Humanitas autem Chriſti etiam vt exiſtens in cælo habet virtute diuinitatis cõtactum virtutis cum ſubiecto, circa quod operatur.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur. Quando agens operatur per contactum quantitatiuum, oportet quod agat in mediũ, vt producat effectum in ſubiecto diſtanti, ſicut ignis prius producit calorem in aere medio, quàm hominem diſtantem calefaciat. Hoc autẽ non requiritur quando agens operatur per contactum virtutis, præſertim ſi operetur inſtrumentaliter virtute Diuina, quæ vbique eſt præſens per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Conſtat hoc; nam, vt docet ſanctus Thomas de veritate quæſt. 5. art. 9. ad 17. & in 2. diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 2. ad 6. & ſeptimo phyſic. lect. 4. quidam piſcis mordens hamum, vel rete facit obſtupeſcere manum piſcatoris, cum tamen non imprimat ſtuporem in hamo, vel chorda intermedia, ex qua pendet hamus. Cum ergo humanitas Chriſti per contactum virtutis operetur effectus ſupernaturales, non eſt neceſſarium, quòd aliquid imprimat in aere intermedio, vt eoſdem effectus efficienter producat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Chriſtus ſit caput Angelorum.

1 CONCLVSIO eſt affirmatiua. Probatur ex Apoſtolo ad Coloſſenſes 2. [Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis,] & eadem ratio eſt de Angelis aliorum ordinũ. Secundo in corpore. Vbi eſt vnum corpus, neceſſe eſt ponere vnum caput: ſed corpus Eccleſiæ myſticum non ſolum conſiſtit ex hominibus, ſed etiam ex Angelis, quia tam homines, quam Angeli ad vnũ finem, qui eſt gloriæ, diuinæ fruitionis ordinantur: ergo Chriſtus eſt caput; non ſolum hominum: ſed etiam Angelorum.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrum Christus in quantum homo ſit vere, & propriè caput Angelorum.

QVIDAM dixerunt, quod Christus, ſicut non eſt ſponſus Angelorum; ita neque eſt caput, quia nec eſt eiuſdem naturæ, neque influxit per paſſionem gratiam in illos: ſed eſt eorum caput, in quantum Deus; nam illa ratione fuit auctor gratiæ eorum, & gloriæ. Ita docet expreſſe Mag. Sotus in 4. diſtinct. 49. qu. 4. art. 1. ad 5. Eidem ſententiæ fauent S. Bonauentura in 3. ſentent. diſtinct. 13. art. 2. quæſt. 3. ſolutione ad 3. Gabriel eadem diſtinct. quæſt. vnica art. 3. dub. 2. nam docent Angelos non eſſe proprie membra Chriſti, ac per conſequẽs Chriſtum non vocari propria ratione caput Angelorum. Probatur hæc ſententia.

Primo auctoritate ſancti Thomæ in 3. diſtinct. 13. q. 2, art. 2. quæſtiuncula 1. in corp. vbi ait, quod Chriſtus, vt homo eſt caput Angelorum; non tamen ita propriè, nec eodem modo ſicut hominum.

Secundo arguitur ratione Magiſtri Soti. Id quod eſt propriè caput, debet eſſe eiuſdem naturę cum membris; ſed Chriſtus, in quantum homo non eſt eiuſdem naturæ cum Angelis, [quia nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit,] vt dicitur ad Hebræos 1: ergo, &c.

Heb. 1.

Tertio. Caput influit vitam, & ſenſum in eius membra; ſed Chriſtus in quantum homo non influit propriè vitam, & ſenſum in Angelos, nam gratia, & gloria per quam viuunt Angeli boni, non fuit illis collata ex meritis Chriſti, vt patebit infra; ergo, in quantum homo, non eſt proprie caput Angelorum. 3

Quarto. Angeli nõ ſunt propriè, & per ſe membra Chriſti in quantum homo, aliàs etiam Adàm non peccante verbum diuinum incarnatum fuiſſet, vt corpus myſticum Eccleſiæ ſuum haberet caput: Ergo Chriſtus in quantum homo, non eſt proprie caput Angelorum, Probatur conſequentia, nam caput, & membra dicuntur correlatiuè; ergo, ſi Angeli non ſunt proprie mẽbra Chriſti in quantum homo; neque Chriſtus vt homo, erit proprie caput Angelorum. 4

Oppoſitam ſententiam docet Magiſter Medina in hoc articulo, vbi affirmat, quod Chriſtus in quãtum homo dicendus eſt proprie caput Angelorum, quam ſententiam adeo veram reputat, vt oppoſitam arbitretur eſſe temerariam. Ceterum Aſturicenſis in relect. de gratia Chriſti, quæſt. 6. dub. 3. pag. 840. ait, hanc cenſuram eſſe nimis rigidam, & ſententiam Medinæ eſſe probabiliorem oppoſita, immo, & abſque dubio veram & tenendam, Ego autem non ſolum eſſe veram cenſeo, verum etiam ſacris litteris valde conformem: ad cuius explicationem ſit 5

PRima concluſio, Chriſtus in quantum homo, eſt proprie caput Angelorum. Probatur hæc cõcluſio. Primo ex locis ſcripturæ, in quibus abſolutè dicitur caput

Digitized by Google

Coloſ.2. Angelorum præſertim ad Coloſſenſes 2. [Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis,] & ad Epheſios 1. [Et *Eph.* 1. conſtituit eum Deus pater ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſuper omnem poteſtatem, & principatum, & virtutem, & Dominationem,] & iterum ait. [Ipſum dedit caput *Eph.* 1. ſuper omnem Eccleſiam.] Nec poſſunt loca iſta exponi ſolum de Chriſto, quatenus eſt Deus; alias nihil ſpeciale haberet Chriſtus reſpectu Angelorum, ratione cuius diceretur eorum caput; quod non haberet Pater, & Spiritus ſanctus.

7 Secundo probatur ratione S.Thomæ. Chriſtus, vt homo eſt caput totius corporis myſtici, ideſt Eccleſiæ, vt conſtat ex Apoſtoli locis prællegatis: ſed corpus myſticum Eccleſiæ conſtat ex hominibus, & Angelis, quia tam iſti, quàm illi ordinantur ad vnum, & eundem finẽ, ſcilicet ad gloriam: ergo. Confirmatur. *Conf.* Vt docet S.Thomas, tum in hoc articulo, tum etiam articulo 1. huius quæſtionis, Chriſtus, vt homo dicitur caput corporis myſtici propter tria. Primo ratione maioris propinquitatis ad Deum: Secundo ratione maioris perfectionis, & plenitudinis gratiæ: Tertio ratione influxus, quo influit in eius membra: ſed hæc omnia competūt Chriſto, vt eſt homo reſpectu Angelorum; ergo eſt proprie illorum caput. Minor, quo ad primam, & ſecundam partem eſt nota, & proba-

8 tur ex profeſſo ab Apoſtolo toto capite 1. ad Hebræos, vbi oſtendit Chriſtum eſſe excellentiorem Angelis, multis rationibus, & auctoritatibus ſcripturæ, quas etiam latiſſime expendimus in commentarijs noſtris ſuper caput 42. Iſaiæ n. 27. Quo ad tertiam autem probatur. Chriſtus, vt homo illuminat Angelos, vt docet Dionyſius lib. Cæleſtis hierarchiæ cap. 1. & 4. & conſtat ex Iſaię 63. vbi aſcendente Xp̃o in cælum proponitur Angelorum interrogatio, [Quis eſt iſte qui venit de Edon tinctis veſtibus de boſra?] quibus Chriſtus, vt homo reſpondet. [Ego qui loquor iuſtitiã, & propugnator ſum ad ſaluandũ.] Idem probat. S. Hieronymus ſuper caput tertium ad Epheſios, ex illis verbis Apoſtoli, (vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cęleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei,] quod ideo dictum putat; quia per caput Eccleſiæ, ſcilicet per Chriſtum hominem, & Apoſtolos illuminati ſunt Angeli, vt myſteria gratiæ cognoſcerent. Item etiam Chriſtus, vt homo mittit Angelos ad nos, vt colligit S.Thomas ex illo ad Hebræos 1. [omnes ſunt administratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.] Præterea Chriſtus vt homo, habet iudicare Angelos, & conferre illis accidentalia præmia, vt in eodem art. 6. docet S.Thomas: ergo.

Iſai. 63. *Eph.* 3. *Heb.* 1.

9 SEcunda Concluſio. Chriſtus in quantũ homo, non eſt ita proprie caput Angelorum; quo ad omnem influxum gratiæ, ſicut eſt caput hominum: & forte Auctores primæ ſententiæ hoc tantum docere voluerunt. Hanc concluſionem probant efficaciter argumenta facta à principio: quatenus vero contra primam concluſionem, videntur militare occurrendum eſt ſingulis.

10 AD primum ex auctoritate S. Thomæ reſpondetur; potius fauere primę concluſioni; quam-

ci

ei aduerſari, nam comparatiuum ſupponit poſitiuum. Cum ergo ſanctus Thomas affirmet, Chriſtum in quantum homo, non eſſe ita proprie caput Angelorum, ſicut eſt hominum, clare ſupponit, quòd ſit proprie caput Angelorum, licet hominum ſit caput magis propriè.

Ad ſecundum reſpondetur cum S. Thoma in hoc articulo ſolutione ad primum: Chriſtus, vt homo eſt, eiuſdem naturæ genericæ cum Angelis, nam conuenit cum illis in gradu intellectiuo, quamuis differat ſecundum naturam ſpecificam. Similiter etiam influit Angelis gratiam, quo ad aliquam perfectionem, & præmia accidentalia, vt dictum eſt, & hoc ſufficit, vt propriè ſit caput Angelorum; quia, vt in art. 3. huius quæſtionis docet ſanctus Thomas, non eſt neceſſarium, quòd caput eodem modo influat in omnia membra. In aliquibus enim influit gratiam iuſtificantem, in alijs fidem informem, in alijs vero diuerſos motus præuenientis gratiæ, ſicut etiam contingit in capite naturali, quod quidem etiam diuerſimode influit in eius membra vitam, ſenſum, & motum. & per hæc patet ſolutio ad tertium argumentum, de quo plura dicenda ſunt diſputatione ſequenti, vbi latius explicandus eſt influxus, quo Chriſtus in quantum homo influit gratiam in Angelos.

Ad quartum argumentum reſpondetur. Sicut Chriſtus Dominus non eſt ita proprie caput Angelorum, vt eſt hominum: ita è conuerſo Angeli non ſunt ita propria membra Chriſti, ſicut ſunt homines.

DISPVTATIO XXXX.

Vtrum Chriſtus Dominus in quantum homo, ita ſit caput Angelorum, vt illi conſequuti fuerint gratiam, & gloriam eſſentialem ex influxu, & meritis humanitatis eius.

HANC difficultatem breuiter attigimus in libro de Auxilijs diſp. 39. n. 11. & diſp. 40. nu. 40. Nunc autem eſt operoſius diſcutienda. Circa quam eſt prima ſententia, Angelis fuiſſe collatam gratiam, & gloriam eſſentialem ex meritis Chriſti præuiſis. Sequuntur hanc ſententiam, Viguerius in Inſtitut. Theologicis cap. 3. §. 2. & cap. 20. §. 1. verſ. 4. Chaterinus lib. de gloria Angelorum, & lib. 1. de eximia prædeſtinatione Chriſti, Galat. lib. 3. de Arcanis catholicæ veritatis. cap. 4. cui ſententiæ fauent etiam illi Theologi, qui ſentiunt, quod etiam ſi Adam non peccaſſet, Verbum diuinum incarnatum fuiſſet. Probatur hæc ſententia. 1

PRimo ex Apoſtolo ad Epheſ. 1. [Inſtaurare omnia in Chriſto, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt,] & Coloſ. 1. [Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris; ſiue quæ in cælis ſunt.] Item etiam ad Hebr. 2. [Decebat eum, per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem cõſummari:] at eiuſmodi filij adducti in gloriam non erant homines; ſed Angeli, nam ante paſſionem Chriſti nullus hominum 2 *Eph.* 1. *Coloſ.* 1

num fuit glorificatus. Ergo ex meritis Chriſti præuiſis Angeli boni ſequuti ſunt gratiam, & gloriam.

Secundo arguitur auctoritate S. Bernardi ſerm. 22. in cantica dicentis, [Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur, ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit, æque vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans illum.]

3 Tertio, Chriſtus, vt homo eſt primus inter omnes prædeſtinatos, primum autem in vno quoq; genere eſt cauſa omnium aliorum, quæ ſunt in illo genere; ergo prædeſtinatio Criſti fuit cauſa prædeſtinationis Angelorum, & conſequenter omnium effectuum eiuſdem prædeſtinationis: ſed gratia, & gloria eſſentialis Angelis collata, fuit effectus prædeſtinationis eorum; ergo per Chriſtum, & ex meritis illius acceperunt Angeli gratiam, & gloriam.

4 Quarto. Gratia, & gloria confertur ex meritis Chriſti hominibus prædeſtinatis; quia eſt eorum caput; ſed etiam Chriſtus, vt homo, eſt propriè caput Angelorum, vt diſputatione præcedenti viſum eſt: ergo.

Quinto. Id, quod eſt tale per eſſentiam, eſt cauſa omnium aliorum quæ per participationem ſunt talia; ſed Chriſtus Dominus in quantum homo, fuit gratus gratia vnionis, quæ eſt gratia per eſſentiam; ergo in quantum homo fuit cauſa cuiuſcunq; alterius gratiæ per participationem; ſed gratia, & gloria Angelis collata eſt gratia per participationem; ergo illam conſequuti ſunt per Chriſtum in quantum homo, ac per conſequens ex meritis eius præuiſis.

Oppoſitam ſententiam docet 5
expreſſe S. Thomas in tertio S. Thom.
ſententiarum diſtinctione 13. qu. 2. art. 2. quæſtiuncula prima in corpore, vbi ait [Chriſtus, vt homo non influit in Angelis remouendo prohibens; ſcilicet peccatum, aut infundendo gratiā,] & de veritate, quæſt. 29. art. 4. ad 5. inquit, [influxus in Angelos, non eſt, vt finis incarnationis; ſed vt incarnationem conſequens;] & art. 7. ad 5. inquit, Chriſtum non meruiſſe præmium eſſentiale Angelis, quod etiam innuit in hac 3. part. quæſt. 59. art. 6. Hæc ſententia eſt à nobis defendenda, quam docent magis communiter Doctores in 3. ſentent. diſtinct. 13. præſertim, ſanctus Bonauentura eadem diſtinctione artic. 2. quæſt. 3. Dur. q. 2. Palud. q. 1. Abul. q. 107. ſuper cap. 17. Matthæi, fauet Caietanus ſupra quæſt. 1. artic. 3. vbi tenet, Deum ante præuiſionem meritorum Chriſti decreuiſſe gratiā, & gloriam Angelis conferre; probatur hæc ſententia.

Primo. Vt diſputat. 40. de Auxilijs oſtendimus, gratia ſtatus in- 6
nocentiæ, quatenus pertinebat ad illum ſtatum non fuit primis parentibus collata, ex meritis Chriſti, quia non erat gratia hominis infirmi, & redempti; ſed integri, & ſani: ſed etiam gratia Angelis collata non fuit gratia ſubiecti redempti, quia in Angelis nulla præceſſerat captiuitas peccati: ergo, &c.

Secundo. Si Adam non peccaſ- 7
ſet, filius Dei incarnatus non fuiſſet, vt quæſt. prima, articulo tertio viſum eſt: ſed etiam non exiſtente peccato primi parentis Angeli

geli

Digitized by Google

geli conſequuti fuiſſent gratiam, & gloriam eſſentialem, quam nunc poſſident; ergo gratia illa, & gloria non fuit illis collata ex meritis Chriſti præuiſis, ſed antecedenter ad illa. Probatur conſequentia; nã aliàs etiam Adam non peccante Verbum incarnatũ fuiſſet, vt merita Chriſti eiuſmodi conſequerentur effectum.

8 Tertio. Sancti Patres antiqui non fuerunt glorificati ante incarnationem Verbi, & eius mortem; quia acceperunt gratiam ex Chriſti meritis præuiſis: vnde oportebat, vt anima Chriſti prius glorificaretur, quàm illi: ergo, ſi Angelis fuiſſet collata gratia, & gloria eſſentialis ex Chriſti meritis præuiſis, ſequeretur, quòd illi non fuerint glorificati ante glorificationem animę Chriſti, conſequens autem non poteſt admitti: ergo, &c.

9 AD primum argumentum reſpondetur. Chriſtus, vt homo inſtaurauit, quæ in cælis ſunt, quatenus redimendo, & ſaluando homines lapſos, ſedes vacuas Angelorum, qui ceciderunt, impleuit, & ad alium locum ex capite primo ad Coloſſenſes: reſpondetur cum ſancto Thoma, verba illa eſſe intelligenda, de concordia inter Deum & homines, quam Chriſtus Dominus per mortem ſuam operatus eſt. Etenim inter Deum, & hominem cauſa diſcordiæ fuit peccatum, & inter Iudæos, & Gentiles lex: quia ergo Chriſtus per Crucem deſtruxit peccatum, & impleuit legem, ideo cauſam remouit diſcordię, & hoc modo pacificauit, ſiue quæ in cęlis, ſiue quę in terris ſunt, iuxta illud ad Epheſios ſecundo [ipſe enim ex pax noſtra, qui fecit vtraquè vnum.] Ad alium locum ex capite ſecundo ad Hebræos reſpondetur, quòd Apoſtolus ibi per filios intelligit non Angelos, ſed homines, & ad impugnationem dicitur, quod illud verbum [adduxerat] poteſt accipi in duplici ſenſu. Primo, ſecundum intentionem, & ſenſus eſt, quòd Chriſtus, ſecundum æternam prædeſtinationem, & præordinationem, iam adduxerat homines electos ad gloriam; nam ab æterno eos prædeſtinauit, & per modum intentionis voluit illis vitam æternam, quæ explicatio eſt ſancti Thomæ lectione tertia ſuper cap. ſecundum ad Hebræos, vbi ait [qui adduxerat, ideſt adducendos præordinauerat.] 10

S Thom. lect. 5. ſupra c. 1. ad Col.

S. Thom.

Secundo poteſt explicari de adductione ad gloriam in executione, & iuxta hanc explicationem verbum præteriti ponitur pro verbo futuri; multoties enim in ſacris litteris propter certitudinem prophetiæ, aut euentus futuri, id quod re vera erat futurum ſignificatur per modum præteriti, ſicut Iſaiæ 9. [Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.]

Iſa. 9.

Ad ſecundum arg. reſpondetur, Verba illa Bernardi eſſe intelligenda de Chriſto, in quantum Deus, & ſenſus eſt, quòd per Chriſtum, in quantum Deus, ſteterunt Angeli boni, ſicut per eũdem Chriſtum, in quantum Deus homo, redemptus eſt homo lapſus.

Ad tertium reſpondetur. Primum in vnoquoque genere, eſſe quidem cauſam exemplarem omnium aliorum, quæ ſub illo genere conſtituuntur, non tamen oportet, quòd ſem-

Digitized by Google

ſemper ſit cauſa efficiens, aut moralis, nam in genere animalis homo eſt primus, qui tamen non eſt cauſa efficiens aliorum animalium. Secundo reſpondetur, argumentum ſolum concludere, gratiam Angelorum, quantum ad aliquas perfectiones accidentales, de quibus ſupra dictum eſt, collatam fuiſſe illis ex meritis Chriſti.

12 Ad 4. reſpondetur, ꝙ non ex ſola generali ratione capitis colligimus, totum effectum prædeſtinationis noſtræ procedere ex meritis Chriſti; ſed ex habitudine capitis ad talia membra eiuſdem naturæ, ad quorum reparationem principaliter venit Chriſtus. Vnde S. Thomas q. 29. de veritate art. 4. ad. 5. ex fine incarnationis; quia ſcilicet principaliter facta eſt propter liberandum hominem à peccato, colligit, quod humanitas Chriſti ordinetur ad influendum in homines redemptos, vt ad finem principaliter intentum, non autem ad influendum in Angelos; nam influxus ſupra explicatus, quo Angelos illuminat, & præmia accidentalia eis tribuit, [non eſt finis incarnationis; ſed incarnationem conſequens.]

13 Ad quintum reſpondetur: gratiā vnionis hypoſtaticę non couenire per eſſentiā, vel ex natura rei humanitati Chriſti: ſed ex gratuito dono, ſiue ex gratia eidem humanitati collata: vnde non ſequitur, quòd Chriſtus, in quantum homo, ſit cauſa efficiens, aut meritoria gratiæ, & gloriæ eſſentialis Angelorum, ſed ſolum id probat vt plurimum de Chriſto, in quantum eſt Deus.

ARTICVLVS V.

Vtrum gratia Chriſti, ſecundum quam eſt caput Eccleſiæ, ſit eadem cum gratia habituali eius, ſecundum quod eſt quidam homo ſingularis.

PRima concluſio: gratia capitis, & gratia Chriſti, vt eſt particularis homo, ſunt eadem gratia ſecundum eſſentiam. Probatur. Vnumquodque agit in quantum eſt ens actu: Ergo oportet, vt idem ſit actus, quo aliquid eſt actu, & quo agit: ſicut idem eſt calor, quo ignis eſt calidus, & quo calefacit. Sed gratia Chriſti, vt eſt particularis perſona, eſt gratia perfectiſſima, ex cuius plenitudine procedit vt deriuetur in alios; quod pertinet ad gratiam capitis: Ergo vtraque gratia eſt eadem ſecundum eſſentiam.

Secunda concluſio gratia capitis, & ſingularis hominis differunt in Chriſto ſecundum rationem, ſicut anima rationalis, vt dat eſſe hominis differt ratione à ſe ipſa, vt eſt radix paſſionum, vel operationum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum eſſe caput Eccleſiæ ſit proprium Chriſto.

PRima concluſio. Eſſe caput Eccleſię, ſecūdum interiorem influxum eſt proprium Chriſto. probatur; nam ſola eius humanitas ex hoc quod eſt diuinitati coniuncta, habet virtutem iuſtificandi, & influen-

Digitized by Google

fluendi interius in membra Eccleſiæ.

Secunda concluſio. ſecundū quandam exteriorē gubernationem aliqui alij poſſunt dici capita Eccleſiæ, ſicut ſummus Pontifex eſt caput vniuerſalis Eccleſiæ, & Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum; ſed ſolus Chriſtus eſt caput Eccleſiæ propria virtute, & auctoritate.

Argumentum. SEd contra ſecundam concluſionem eſt argumentum. In Petro eſt eadem ſecundum rationem gratia ſingularis perſonæ, & gratia membri: Ergo ſimiliter in Chriſto erit eadem ſecundum rationem gratia ſingularis perſonæ, & gratia capitis. Reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſcriminis

Solutio. eſt, nam gratia, ex eo quod eſt membri, non requirit abundātiorem plenitudinem, quam tamen requirit gratia capitis, vt ex eo deriuetur ad alios. Eſt & alia differentia, nā gratia ſingularis hominis, & gratia membri important eamdem habitudinem ad Chriſtum tanquam ad caput, eo, quod omnis gratia cuiuſcunque ſingularis hominis redempti deriuatur ex plenitudine gratiæ Chriſti, ſecundum illud Ioannis 1. [de plenitudine eius omnes nos accepimus] vnde non diſtinguitur, etiam ratione, gratia ſingularis hominis, & gratia membri; ſicut diſtinguitur in Chriſto gratia ſingularis hominis; & gratia capitis propter diuerſam habitudinem ſuperius explicatam.

Ioan. 1.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Diabolus ſit caput omnium malorum.

PRima cōcluſio. Diabolus caput eſt omnium malorum quantum ad exteriorem gubernationem, quia nimirum eos adduxit ad ſuum finē, qui eſt auertere rationalem creaturam à Deo, quæ quidem auerſio habet rationem finis in quantum appetitur ſub ſpecie libertatis: vnde Iob 41. dicitur [ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.] 1

Iob 41.

Secunda concluſio. Diabolus non eſt caput malorum ſecundum interiorem influxum. Probatur, quia, licet Diabolus ſuggerendo inducat ad malum; non tamen influit interiꝰs peccatū rationali creaturæ, nec eſt cauſa efficiens, quod homo peccet, quia non poteſt immutare eius voluntatem, vt q. 3. de malo art. 3. probat Sāctus Doctor. Not. quod 1. concluſio eſt expreſſa S. Greg. Papę hom. 16. in Euangelia, vbi ait [Certe iniquorum omnium caput diaboli eſt, & huius capitis mēbra ſunt omnes iniqui] & idem docent communiter doctores.

DISPVTATIO XXXXI.

Vtrum per peccatum primi parētis, vel aliorum hominum Diabolus acquiſierit aliquā ſpecialem poteſtatē, aut dominiū Regium ſuper homines, ratione cuius dicatur Rex eorum, & caput.

HAEC difficultas maxime cōducit ad cognoſcendā libertatē, quā per mortē & paſſionē Chriſti dñi conſequuti

Digitized by Google

quuti ſumus à poteſtate principis tenebrarũ, de qua infra q.49.art.2. agit S.Thomas, & in 3.ſent.diſt. 19. q.1. art.2. Ex eius etiam determinatione clarius apparebit neceſſitas incarnationis Verbi, & ſatisfactionis illius per quam Princeps huius mundi, hoc eſt Diabolus caput malorum, eiectus eſt foras.

S. Bern. ep. 190. 3 Petrus Abailardus, vt refert ſanctus Bernardus, aſſeruit genus humanum per inobedientiam primi parentis non fuiſſe ſubiectum Dæmonis poteſtati, atque adeo nullum ius acquiſiuiſſe in homine per peccatum, niſi ius carcerarij, & cuſtodis ex permiſſione diuina: ex quo rurſus videtur ſequi, Diabolum non eſſe regem, aut caput malorum, nec vllam ſuper eos habere poteſtatem quo ad externam gubernationem; ſicut in hoc articulo tribuit ei S. Thom. Verba Petri Abailardi, quæ refert S. Bernardus ſunt hæc [ſciendum eſt, quod omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conueniunt, quòd Diabolus dominium, & poteſtatem habebat ſuper hominem, & iure eum poſſidebat, ideo ſcilicet quòd homo ex libertate arbitrij, quam habebat, ſponte Diabolo conſenſit. Aiunt namque, quod, ſi quis aliquem vicerit, victus iure victoris ſeruus cõſtituitur: Ideo, inquit, ſicut dicunt Doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt filius Dei, vt homo, qui aliter liberari non poterat per mortẽ innocentis iure liberaretur à iugo Diaboli. Sed vt nobis videtur, ait, nec diabolus inquam ius aliquod in homine habuit niſi forte Deo permittente, vt carcerarius, nec filius Dei, vt hominem liberaret, carnem aſſumpſit:] Probari poteſt hæc ſententia.

4 Primo, quia non poteſt aſſignari in quo conſiſtat hæc ſeruitus, quam incurrimus per peccatum, & Regia poteſtas, quam ſuper peccatores Diabolus acquiſiuit. Ergo, &c. Antecedens probatur; quia non conſiſtit in facultate, quam Diabolus habet tentandi homines immittendo prauas cogitationes, quibus alliceret eos ad peccandum, neque in poteſtate torquendi homines pœna æterna: aliàs etiam poſt paſſionem Chriſti maneret homo ſub poteſtate Diaboli, & conſequenter non eſſet redemptus per Chriſtum ab eius ſeruitute; Etenim etiam nunc habet diabolus poteſtatem immittendi hominibus cogitationes prauas, & eos torquendi in inferno: ergo.

5 Secundo arguitur. Diabolus nũquã potuit, nec poteſt nunc aliquid in nocumentũ hominum facere, niſi ex permiſſione diuina, vt patet Iob c.1.& 2. ex quo habetur, quod poteſtate diuinitus accepta, eũ primo in rebus, & poſtea in corpore læſit, & Matth. 8. Dæmones niſi Chriſto concedente non potuerunt in porcos intrare. Ergo diabolus nunquã habuit poteſtatem ſuper genus humanum. Ergo non eſt caput malorũ, aut Rex ſuper filios ſuperbiæ. Conſequentia probatur, quia nullus habet poteſtatẽ ſuper aliquos, in quibus nihil ſine permiſſione alterius, facere poteſt. Iob 1. & 2. Mat. 8.

6 Tertio. Diabolus nunquam potuit, nec põt vincere hominem, aut ſibi ſubijcere, niſi ipſe velit; q̃a peccatũ, per quod quis ſeruus efficitur, non cõmittitur niſi propria voluntate. Vnde Hieron. ait [Debilis eſt hoſtis, qui non vincit niſi volentẽ,] & Chryſoſtomus [Nemo, inquit, læditur niſi à ſemetipſo] ergo diabolus non eſt caput, aut rex malorum S. Hie. Chryſ.

pro-

probatur conſequentia, nam caput morale, ſeu rex debet habere poteſtatem aliquam coerciuam ſupra ſibi ſubditos. Pro reſolutione huius difficultatis, ſit

7 PRima concluſio. Per peccatum primi parentis incurrit genus humanum ſeruitutem ſub poteſtate principis tenebrarum. Hæc concluſio conceditur ab omnibus catholicis tanquam de fide, eam probat latiſſime contra Petr. Abailard. S.Bernard. epiſt.190. prȩallegata, & eam docet cõtra Pelagium ſanctus Auguſt. Epiſt. 107. & probatur.

8 Primo ex ſacris litteris: dicitur enim 2. ad Tim. 2. [Ne quando det illis Deus pœnitentiã ad cognoſcendã veritatẽ, vt reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatẽ] ex quo teſtimonio arguit Bernard. [Paul. ait, homines à Diabolo captiuos teneri ad eius voluntatẽ.] Ergo ſunt ſub eius poteſtate. Confirmat hoc Bernard. ex illo Ioan. 12. [Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras] & Lucæ 11. [cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuũ in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: ſi autẽ fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet] & Coloſen. 1. [Qui eruit nos de poteſtate tenebrarũ, & tranſtulit in Regnum filij claritatis ſuæ] ex quibus verbis concludit, genus humanum per peccatum poteſtati Diaboli fuiſſe ſubiectum. Item etiã ad Rom. 6. [neſcitis quoniã cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum ſerui eſtis eius, cui obeditis? & à quo qs ſuperatur eius ſeruus efficitur.] Ex quibus verbis Conc. Arauſican. ſecundum Canon. 1. noſtram cõfirmat concluſionẽ. Eius decretũ renouãs Conc. Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato originali ſub anathemate definit, primum hominẽ Adam per peccatũ incurriſſe mortem, & cum morte captiuitatẽ ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperiũ, hoc eſt Diaboli] Vt autẽ explicemus in quo hæc poteſtas Diaboli conſiſtat, & imperiũ, ſtatuenda eſt

2. ad Timot. 2. — *S. Bern.* — *Ioan 12.* — *Luc. 11* — *Coloſ. 1.* — 9 — *Rom. 6.*

SEcunda concluſio. Hęc poteſtas Diaboli, & principis tenebrarũ conſiſtit in facultate ſubijciendi homines, & detinendi eos irreparabiliter ſub iugo peccati, & mortis, niſi per gratiã Dñi noſtri Ieſu Chriſti liberentur. Cõcluſio eſt S. Aug. epiſt. 107. allegata vbi explicans illud ad Coloſſ. 1. Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, per poteſtatẽ tenebrarum intelligit diabolũ de quo ſubdit. [Huic igitur poteſtati tenebrarũ per illius ruinã, cui primo homini ab ea poteſtate prȩuaricatio perſuaſa eſt, & in quo oẽs cecidimus, ſubiectũ eſt genus humanũ: ꝓpter hoc de hac poteſtate tenebrarũ eruuntur & paruuli, cum regenerãtur in Xpõ.] Et lib. 8. confeſſ. c. 5. explicãs magis huius duræ ſeruitutis vincula, [Suſpirabã, inquit, ligatus nõ ferre alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meũ tenebat inimicus, & inde mihi catenã fecerat, & conſtrinxerat me. &c.] quæ ſequuntur. Eadẽ concluſio colligitur ex S. Tho. infra q. 49. art. 2. vbi optime explicat qualiter per paſſionem Chriſti fuerit homo liberatus à poteſtate diaboli. 10

S. Augu.

Præterea probatur concluſio auctoritate Apoſt. ad Rom. 7. [Video autẽ aliã legem in mẽbris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, quæ eſt in mẽbris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?] Quibus verbis nõ obſcurè do- 11 *Rom. 7.*

cet poteſtatẽ, quam Diabolus per peccatum in homines acquiſiuit,cõſiſtere in facultate tenẽdi eos in impedibiliter ſub morte captiuos, niſi per gratiã Chriſti Domini fuiſſent liberati, vnde & ſubdit.[gratia Dei per Ieſum Chriſtum] cui cõſonat il- *Ioan.8* lud Ioannis.8. [Si vos filius liberauerit,vere liberi eritis.]Deniq; probatur ratione S. Thomę in hoc articulo. Ad poteſtatem Regis, & Gubernatoris pertinet, vt eos quos gubernat ad ſuum finem adducat, ſed finis Diaboli eſt auertere homines à Deo,& eos adducere ad mortẽ ſempiternã; nam inuidia Diaboli mors intrauit in mundũ, vt dicitur.Sap.2.

Ergo poteſtas, quam Diabolus habet ſuper peccatores, conſiſtit in hoc,quod eos dirigit, & inducit ad mortem.

12 AD primum argumentum reſpondetur ex dictis in ſecunda concluſione. Poteſtas Diaboli ſuper hõines,conſiſtit in facultate eos ſibi ſubijciendi per peccatum, & in ſuum finem adducẽdi: & ad impugnationẽ dicendũ, quod etiã ſi poſt paſſionem Chriſti,Diabolus habeat poteſtatẽ homines tentandi, immittendi prauas cogitationes, & torquendi pro peccato; hæc tamen poteſtas facta eſt ſuperabilis virtute paſſionis,& mortis Chriſti, & gratiæ ipſius,per quã poſſunt homines ſe aduerſus Diabolũ, & omnes eius inſidias tueri : quod tamen non poterant virtute naturæ,aut legis ſcriptę.Colligitur hęc ſolutio ex S.Tho. infra,q.49.art.2. ad 2. & 3.Sed pro maiori huius explicatione aduertere oportet, ꝙ liberatio à peccato, & ſeruitute Diaboli,quã per mortẽ, & paſſionẽ Xpi conſequuti ſumus, erit cõſummata,& perfecta in patria, vbi non ſolũ peccatum;ſed etiã omnes eius effectus, vt rebellio carnis aduerſus ſpiritũ, & mors auferentur Apoſt: dicente.[Cum autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, *1.Cor.5* tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt abſorpta eſt mors in Victoriã.]Et iterum[Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus *Rom.8.* adoptionem filiorum Dei ſpectantes redemptionẽ corporis noſtri,] 13 vt ſcilicet, ſicut ſpiritus noſter redẽptus eſt à peccato, ita corpus noſtrum redimatur à corruptione, & morte, vt ibi explicat S.Tho. Vnde *Lect. 5.* quamuis per gratiã Chriſti vere liberentur homines à peccato, & à ſeruitute Diaboli, remanet tamen illis ad agonem concupiſcentia, ſeu fomes peccati qui ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, vt ſacr. Conc.Trid.declarat.Remanet etiam mors temporalis,& corruptiones, & infirmitates, quæ ad mortẽ diſponunt: & ad exercitium virtutis, & ſatisfactionẽ pro pœnis temporalibus debitis peccatis iam dimiſſis conducunt : Quia ergo diligentibus Deum,vt ait Apoſt.omnia cooperantur in bonũ; ideo abſolute loquendo per mortẽ Chriſti liberatus eſt homo cauſaliter à poteſtate Diaboli, & ſeruitute peccati, & per gratiam Chriſti liberatur formaliter. *Concil. Trid.ſeſſ 5.decret de pecc orig. circa finem.*

Ad ſecundum arg. reſpondetur 14 cum S.Tho.art.2.allegato ad 1.[Nõ dicitur ſic diabolus in homines poteſtatẽ habuiſſe,quaſi poſſet eis nocere; ſed quia iuſte permittebatur nocere hominibus,quos tẽtando ad ſuum conſenſum perduxerat]

Ad 3.reſpond. ꝙ licet homo nunquã incidat in peccatũ, niſi per liberũ cõſenſum ꝓprij arbitrij: nihilominus ſuppoſito ꝙ ſemel ꝑ peccatũ iuſtitiã originalẽ, & gratiã amiſit, &

& ſeruũ peccati ſe cõſtituit, nõ põt p ſolas vires naturæ omnia peccata vitare, nec grauioribꝰ tẽtationibus Diaboli reſiſtere, vel à ſeruitute peccati exire, niſi miſericorditer à Deo adiuuetur per gratiam, vt in libro de Auxilijs diſp.54.oſtendi.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Antichriſtus poſſit etiam dici caput omnium malorum.

CONCLVSIO. Antichriſtus dicitur caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem, ad quam nullus vnquam pertinget.

NOtandum eſt, ſanctos patres communiter appellare Antichriſtum caput omniũ malorũ præſertim S.Greg.lib.15.c.28.moraliũ, cuius verba refert S.Tho.in arg.ſed cõtra. & videt colligi ex illo Abac. 3.[Percuſſiſti caput de domo Impij] quẽ locũ pleriq; expoſitores interpretãtur de Diabolo, ſed præſertim S.Hier. & alij nõ pauci, qui his verbis interitũ Antichriſti vaticinatum fuiſſe Prophetam, arbitrantur. *Abac. 3*

Sunt qui aſſerant, malitiã Antichriſti exuperaturã omnem hominũ impiorũ, & etiam dæmonũ, (excepto lucifero) nequitiã ſimul ſũptã, nullumque opus bonum etiam morale in toto vitæ ſuæ decurſu operaturum; quia nimirũ omnia eius opera, vel erũt peccata ex obiecto, vel ex fine peruerſo, ad quem ea diriget, de quo videndus eſt M. Maluenda lib.10.de Antichriſto cap.1.

De merito Chriſti ſecundum ſe.

§. 1.

1 QVamuis S.Thom.infra qu.19. art.3.& 4.& qu.34.art.3. diſputet de merito Chriſti; tamẽ quia meritum fundatur in gratia, & eſt illius effectus mediante charitate, conueniens videtur poſt tractationem de Chriſti gratia habituali, agere de merito illius; ſicut 1. 2. poſt quam q.109.& ſequen. egit S.Thomas; de gratia, & iuſtificatione, quę eſt formalis effectus gratiæ: ſtatim in q.114. de merito, & actibus meritorijs diſputauit. Vt autem ordinatè procedamus ad quatuor capita reducenda ſunt omnia, quæ in hoc tractatu erunt examinãda. Primo agendum eſt de merito Chriſti ſecundum ſe. Secundo de actibus per quos meruit. Tertio explicandum eſt, quid meruerit ſibi Chriſtus. Quarto quid nobis meruerit. Circa primũ tria ſunt inquirenda. Primo, an Chriſtus Dominus meruerit propriè loquendo. Secundo, an eius meritum fuerit ſimpliciter infinitũ. Tertio, quando cæperit mereri. *S. Thom.*

DISPVTATIO XLII.

Vtrum Chriſtus meruerit proprie loquendo de merito.

PARS negatiua probatur. Primo. Qui eſt capax meriti, eſt etiam capax recipiendi præmium ab alio, nã meritum, & præmium ſunt correlatiua; ſed Chriſtus etiam qua tenus homo, non erat capax recipiendi præmium ab alio: ergo non fuit capax meriti. Minor probatur: Non poteſt alicui conferri in præmium propter meritum, id quod eſt aliàs ſibi debitum: ſed omnia erant Chriſto debita cum eſſent propria bona illius, ſicut ipſe loquens ad Patrem ait, [Omnia tua mea ſunt, & omnia mea tua ſunt:]ergo. 2 *Ioan.17*

Secundo. Chriſtus non potuit adoptari ad aliquam hæreditatẽ, nã

Digitized by Google

adoptari eſt filij extranei, Chriſtus autẽ eſt filius Dei naturalis, vnde repugnat, quod ſit filius eius adoptiuus, etiam ſi conſideretur ſecundũ quod homo, vt oſtendit S. Thomas infra q.23.art.4.Ergo Chriſtus non potuit propriè aliquid mereri. Probatur conſequentia, nam mereri eſt filij adoptiui.

3 Tertio. Homo non meretur propriè,niſi mediante charitate, quia vt docet S.Tho.1.2.q.114.ar.4. gratia eſt principiũ merendi principalius per charitatẽ; ſed anima Chriſti non potuit mereri per actũ charitatis,nã talis actus non erat liber, ſed neceſſarius, quia cõſequebatur ad viſionẽ beatificã: ad meritũ autẽ requiritur,ꝙ actus ſit liber,eo quòd naturalibus,nec meremur, nec demeremur: ergo, &c. (S.Tho.)

4 Quarto. Gratia, & charitas, augẽtur per meritũ, vt 1.2.q.114. art. 8.docet S.Thom. ſed gratia Chriſti non potuit augeri, vt oſtenſum eſt ſupra q.7.art. 12.ergo, &c.

Quinto.Vna ex cõditionibus neceſſarijs ad actũ meritorium eſt, ꝙ ſit actus viatoris; qui enim ſunt in termino amplius mereri nõ poſsũt: ſed anima Chriſti à principio ſuæ creationis fuit in termino,nã ab illo inſtãti fuit beata:ergo mereri nõ potuit.Si dicatur, quod licet Chriſtus Dñs ſecundum animam fuerit comprehenſor, & in termino,ſecundum corpus fuit Viator, & ita potuit mereri; Contra hoc

Sexto arguitur. Meritũ principaliter pertinet ad animã(opera enim elicita per corporalẽ potentiã non ſunt meritoria,niſi quatenus procedunt ab anima ꝑ imperiũ rationis) ergo,cum Chriſtus ſecundum animam fuerit in termino à principio ſuæ conceptionis, videtur, quòd non potuerit mereri.

5 Hanc difficultatẽ tractat ex profeſſo S.Tho.q.29.de verit. art. 6. ad quam breuiter dicẽdum,Chriſtum Dñm dum habebat corpus paſſibile verè, & propriè meruiſſe: quam ſententiam, tanquam de fide recipiunt communiter doctores in 3. d. 18.Scotus eadẽ d.q.vnica, Capr. & omnes Thomiſtæ, ad cuius euidentiã conſiderandum eſt,ſex conditiones eſſe de lege ordinaria ad merẽdum neceſſarias. Primo requiritur, quòd actio meritoria ſit libera, quia naturalibus nec meremur, nec demeremur. Vnde Apoſt.1. Cor. 9. [Si volens(inquit)hoc ago mercedem habeo, ſi autem nolens diſpenſatio mihi credita eſt,]ac ſi diceret: aliis proderit, mihi non proderit prædicatio Euangelij, ſi nolẽs euangelizauero. (*1.Cor.9*) Secundo requiritur, quòd operatio ſit bona ex obiecto,& oĩbus circumſtãtijs, nã actus malus moraliter non meretur præmiũ,ſed pœnã;etenim[odio eſt Deo impius,& impietas eius,]vt dicitur Sap.4. (*Sap. 4.*) Tertio quod procedat à ſubiecto grato.Iuxta illud Gen.4.[Reſpexit Dñs ad Abel, & ad munera eius] vbi prius ad Abel, hoc eſt ad ſubiectũDeo gratum,deinde ad munera eius,reſpexiſſe Dñm,aſſeritur; quia niſi ſubiectum ſit gratum, opera eius Deo grata non ſunt. (*Gen. 4.*)

6 Hanc conditionẽ aſſignat, & explicat S. Thomas 1.2.q. 114.art.2. Quarto. Requiritur ꝙ formaliter,aut virtualiter referatur in finẽ ſuper naturalẽ,quia,vt 1.2.q.114. ar.4.docet S. Thomas: Charitas eſt, quæ coniungit actus aliarum virtutum cum vltimo fine, & ideo ex imperio charitatis habent, quòd ſint meritorij vitæ æternæ. Quinto requiritur, quod ſit actio viatoris: nam

Digitized by Google

nam beati, & damnati, quia ſunt in termino, mereri, vel demereri non poſſunt. Idem dicendum de Animabus Purgatorij; nam etiam ſunt ſimpliciter in termino quamuis ſecundum quid ſint in via: propter quod vt docet S. Thomas in 4. ſentent. diſtinct. 21. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. & 2. poteſt illis remitti peccatum veniale, etiam quoad culpam, quia eſt peccatum ſecundum quid. Sexto requiritur, quod adſit ex parte Dei promiſſio præmij, & ex parte operantis ordinetur opus ad conſequẽdum præmium illud, quia ſine tali promiſſione, & ordine Deus nemini obligari poteſt ad reddendum præmium, vt diſp. 4. viſum eſt.

7 Probatur ergo concluſio. Primo ex ſacris litteris. Dicitur enim ad Philip. 2. [humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,] & Iſaiæ 53. [ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum] & infra [Pro eo quòd laborauit anima eius videbit, & ſaturabitur] quibus verbis denunciat Propheta vberrimũ fructum, qui Chriſto Domino in præmium paſſionis erat præparatus, vt in commentarijs ſuper idem caput num. 17. & 18. obſeruaui.

Phil. 2.

Iſa. 53.

8 Præterea probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de Iuſtificatione c. 7. vbi docet, Chriſtũ fuiſſe cauſã meritoriam noſtræ iuſtificationis.

Concil. Trid.

Præterea probatur ratione. In Chriſto concurrunt omnes conditiones neceſſariæ, vt operationes eius eſſent propriè meritoriæ: ergo. Antecedens probatur diſcurrendo per ſingulas: etenim certum eſt ſecundum fidem, Chriſti humanitatem habere liberum arbitrium, vt probat S. Thomas infra qu. 18. art. 4. ac per conſequens actiones humanas illius fuiſſe liberas: nec obſtat, quòd peccare non potuerit propter vnionem hypoſtaticam humanitatis ad Verbum; nam, vt in lib. de Auxil. diſp. 115. nu. 8. oſtendi, poſſe peccare non eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij, ſed imperfectio competens arbitrio creato, quatenus eſt ex nihilo, vt ſæpe docet S. Auguſtinus, & Thomas. Similiter etiam omnes Chriſti actiones fuerunt bonæ ex obiecto, & omnibus circumſtantijs, vt ipſe teſtatur Ioan. 8. [Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.] Præterea, eius humanitas erat Deo grata, tum gratia vnionis, tum etiam gratia habituali, vt ſupra oſtenſum eſt. Rurſus per actum charitatis omnia opera ſua referebat ad Dei gloriam, ſicut ipſe ait Ioan. 8. [Ego non quæro gloriam meam] & cap. 14. [vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, ſicut mandatum dedit mihi pater ſic facio.] Vtrum autem meruerit per actum dilectionis beatificæ, dicetur infra. Itẽ eius actiones humanæ erant viatoris, quia Chriſtus ſimul fuit viator, & comprehenſor. Viator quidem ſecundum corpus, & partem inferiorem, comprehenſor autem ſecundũ animam, ſeu partem ſuperiorẽ. deniq; promiſſum eſt præmiũ operibus Chriſti, vt habetur ex locis inductis Iſaiæ, & Chriſtus ordinauit actiones ſuas ad præmium illud conſequendum. Iſtæ autem conditiones ſufficiunt ad meritum, quantum eſt ex parte merentis, vt præmiſſis conſtat: ergo, &c.

S. Augu. lib. de Vitijs & cõcup. c. 18 lib. 2. de Ciu. c. 1. S. Thom. 2. diſt. 3. 4 q. 1. art 3 ad 4.

Ioan. 8.

AD 1. argu. reſpondetur. Chriſtus quatenus homo fuit ca- 10

pax præmij, & de facto data eſt illi in præmium gloria corporis, & exaltatio nominis eius iuxta illud, *Phil. 2.* [humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem, mortē autem crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.] Item etiā cōſequutus eſt merito paſſionis alia præmia, de quibus dicetur infra; licet enim omnia ſint propria bona Chriſti, ſecundū naturam diuinam, non tamen erant bona propria naturę humanę, per quam merebatur, nec illi debita ſecundū ſe, vnde Chriſtus in quantum homo potuit hæc accipere à Deo in præmium propter meritum.

11 Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe eādē rationem de adoptione, & de merito, nam adoptio conuenit immediatè perſonæ, ſicut filiatio, & ideo Chriſtus etiam vt homo nō poteſt ad aliquam hæreditatē adoptari, vt infr. q. 23. art. 4. probat ſanctus Thomas. Meritum autem non competit immediatè perſonæ, ſed ratione naturæ: quia meritum conſiſtit in operatione, quæ procedit à ſuppoſito mediante natura, & conſequenter variatur iuxta diuerſitatem naturæ, & ideo meritum poteſt propriè competere Chriſto in quātum eſt homo, ſicut illi propriè competit habere naturā humanam.

12 Ad tertiū negatur minor. Ad probationem dicendū, quòd, vt patebit infra, in actu charitatis, quo anima Chriſti diligebat Deū erat ſufficiēs libertas ad meritū; qualiter autem per actū charitatis meruerit, & per quem actum diſp. 45. erit operoſius diſcutiendum.

Ad quartum reſpondetur. Gratia, & charitas, quando non eſt in termino, augetur per meritum, non autem quando eſt in termino, ſicut fuit gratia, & charitas Chriſti à principio ſuæ conceptionis, nam erat gratia, & charitas comprehenſoris. 13

Ad quintū bene ibi reſpōſum eſt.

Ad ſextū m, quo illa ſolutio impugnabatur, dicendū, quòd vt docet S. Tho. q. 29. de verit. ar. 6. ad 5. Anima Chriſti quamdiu fuit in corpore paſſibili, non erat totaliter extra ſtatum Viatorum, ſicut Animæ ſanctorum in patria; quæ iā ſunt, & beatæ per fruitionem, & impaſſibiles. Vnde meritū potuit procedere ab anima Chriſti, prout informabat corpus paſſibile, ſuppoſita gratia habituali, quæ eſt radix meriti. 14 *Dubium.*

Poteſt autē in dubium verti: Vtrū Chriſtus Dn̄s meruerit de lege ordinaria, an vero ex priuilegio ſpeciali. Ratio dubitandi eſt, quia beatus cū ſit in termino ſecundum legē ordinariā mereri non pōt: ſed Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus, vt ſupra dictum eſt. Ergo videtur quod ſecundū legem ordinariam mereri non potuerit. Reſpondetur, quod ſecundum legē ordinariā meruit Chriſtus, ſuppoſito quod ex diſpenſatione diuina, anima exiſtente beata, corpus eius māſit paſſibile, & ratio eſt; quia viatores merentur ſecundū legē ordinariam; ſed Chriſtus Dn̄s ſimul fuit viator, & cōprehenſor: comprehenſor quidē ſecūdum partem ſuperiorem, viator autem ſecundū inferiorē, iuxta illud Hier. 14. *Hier. 4.* [Quare, vt peregrinus futurus es ſuper terrā, & quaſi viator declinans ad manēdum:] ergo. Ad rationem dubitandi reſpondetur, illū, qui eſt totaliter beatus de lege ordinaria mereri nō poſſe, qui autem eſt ſimul beatus, & viator poteſt ſecundum legem ordinariam mereri; Chriſtus autem ſimul fuit viator, & comprehenſor,

vt dictum eſt. Vnde ſecundum legem ordinariam potuit mereri.

DISPVTATIO XLIII.

Vtrum meritum Chriſti fuerit ſimpliciter infinitum.

1 CONSIMILIS difficultas diſcuſſa eſt à nobis diſpu. 4. cum de ſatisfactione Chriſti ageretur, & ſimiliter diſp. 33. & 34. vbi de infinitate gratiæ Chriſti egimus ex profeſſo, & quæ ibi dicta ſunt de infinitate ſatisfactionis, & gratię, applicari poterit infinitati meritorũ Chriſti. Vnde in præſenti ea dumtaxat attingenda ſunt, quæ ſpecialiter pertinent ad meritum.

2 Eſt ergo prima ſententia, quòd meritum Chriſti in ratione meriti non ſit infinitum ſimpliciter. Defendunt hanc ſententiam Scotus in 4. d. 16. q. vn. §. in iſta quæſt. Gabriel eadem d. & q. art. 1. not. 3. & art. 2. con. 1. Idem conſequenter docent qui ſentiunt, ſatisfactionem Chriſti non eſſe infinitam ſimpliciter, nec de toto rigore Iuſtitiæ, vt diſput. 4. viſum eſt, & probatur.

Primo. Inter meritum, & præmiũ debet eſſe æqualitas: fieret enim iniuria merenti, ſi non daretur illi in præmium totũ, quod meruit; ſed præmium datum Chriſto Domino non fuit ſimpliciter infinitum; ergo nec meritum. Minor probatur. Illud præmium non fuit infinitum quoad extenſionẽ; quia omnia præmia Chriſto collata extẽduntur ad finitos homines, & præterea non extenditur ad Dæmones, ad quos abſolute poterat extendi. Nec etiã fuit infinitum quoad intenſionem; quia gloria corporis, & alia præmia Chriſto collata, ſiue in propria perſona, ſiue in eius corpore myſtico fuerunt intenſionis, & perfectionis ſimpliciter finitæ, & limitatæ, cum omnia contineantur ſub genere entis creati; ergo, &c.

Secundo. Meritum Chriſti non eſt infinitum quoad efficaciã; quia ſolum habet efficaciam in his, quibus Deus prædeſtinauit dare dona ſua per Chriſtum, & in eo gradu quem Deus præfixit, qui gradus finitus eſt; cum omnis gratia hominibus collata per merita Chriſti ſit finita: nec etiam eſt infinitum quoad ſufficientiam; meritum enim quoad ſufficientiam, non eſt meritum ſimpliciter, & conſequenter non eſt meritum infinitum, nam ad rationẽ meriti neceſſario requiritur, quod opus ordinetur ad obtinendum præmiũ, per meritum autẽ ſecundum ſufficientiam, non applicuit Chriſtus actiones ſuas humanas ad conſequendũ aliquod determinatum præmiũ: alias efficaciter conſequutus fuiſſet illud præmiũ; ergo videtur, quòd meritum Chriſti nòn ſit infinitum ſimpliciter.

Tertio. Meritũ Chriſti fundatur in promiſſione Diuina: ergo non fuit ſimpliciter infinitũ. Antecedẽs probatur. Vt Deus teneatur reddere præmium, requiritur, quod illud promiſerit pro opere meritorio, vt patet ex illo Iacobi 1. [Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.] & Matt. 20. [Nõne ex denario diurno conueniſti mecum, tolle quod tuum eſt, & vade in pace,] & ratio huius eſt; quia Deus nõ põt cõſtitui debitor alicui, ſed ſolũ ſibi, ratione ſuę diuinę promiſſionis. Cõſequentia vero probatur: Meritũ infinitũ nõ pręſupponit 4 *Iacob.* 1 *Matth.* 20.

promiſſionem, vel acceptationem Dei extrinſecam, nec fundatur in illa; aliàs eſſet meritum ex libera Dei acceptatione, & non ex rigore iuſtitiæ, ac per conſequens non eſſet meritum infinitum ſimpliciter.

Secunda ſententia docet, meritum Chriſti, non quidem in eſſe phyſico, ſed in ratione meriti eſſe infinitum ſimpliciter, ſicut & eius ſatisfactio pro peccato generis humani infinita eſt. Sequuntur hanc ſententiam S.Thom. infra quęſt.48. art.2.ad 3. & de veritate quæſt.29. art.7.& in 3.Sententiarum diſt.18. quæſt.1. art.6. Capreolus eodem lib.diſt.10.quæſt.vnica, art.1. concluſione 2. Ferrarienſis 4.contra gentes cap.55. & communiter Thomiſtæ,& alij graues auctores Diſp. 4.pro infinitate ſatisfactionis Chriſti allegati, quæ ſententia vera eſt, & ad mentem S.Thomæ. Ad cuius euidentiam conſiderandũ eſt, quòd ex duplici capite meritum Chriſti in ratione meriti habuit infinitatem ſimpliciter. Primo quidem quantum ad modum merendi;quia videlicet meruit, ſicut & ſatisfecit ex toto rigore iuſtitię,& ex eodem rigore iuſtitiæ præmium fuit illi à Deo collatum. In hoc ſenſu creatio cuiuſcunque entis dicitur infinita quo ad modum, quia per illam producitur ens ex nihilo, & ideo requirit virtutem infinitã ex parte cauſæ efficientis, vt 1.par.q.45. art.5.docet S.Thomas,quamuis ex parte rei productæ ipſa creatio ſit finita. Secundo habuit infinitatem meritum Chriſti ex parte obiecti, quod meruit,quia videlicet meruit præmium ſimpliciter infinitum,nimirum reunionem diuinitatis cum toto, ſcilicet cum humanitate,quã merito paſſionis obtinuit in reſurrectione, vt patebit in ſolutione ad primum: & quantum eſt ex parte ſua, potuit Chriſtus per paſſionem ſuã mereri incarnationem Patris, & Spiritus ſancti, quæ eſt bonum ſimpliciter infinitum, & de facto meruiſſet illam, ſi applicaſſet merita ſua ad hoc præmium conſequendum: ergo meritum Chriſti fuit ſimpliciter infinitum.

Præterea probatur. Meritum tanto eſt excellentius in ratione meriti,quanto perſona, quæ meretur,eſt dignior, vt Diſput.4. de Satisfactione Chriſti oſtenſum eſt;ſed perſona Chriſti eſt infinitæ dignitatis: ergo meritum eius eſt infinitum. Confirmatur: nam hac ratione docet S.Thomas, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ſimpliciter infinitam in ratione ſatisfactionis: quia à perſona infinita fuit oblata, quamuis etiam habuerit infinitatem ex parte rei, quæ oblata eſt, eo quòd Deus homo, non ſolum fuit offerens ſacrificium in cruce,ſed etiam fuit res oblata; quia vt infra q.22. art.2. probat S. Thomas, Chriſtus Dñs ſimul fuit Sacerdos,& Hoſtia.

AD primum argumentum Magiſter Medina infra q.19. art. 4.dub.3.ad 4. reſpondet: Chriſtum non meruiſſe præmium infinitum, neque ordinaſſe ſuum meritum ad conſequendum aliquod præmium infinitum ſimpliciter. Ratio illius eſt: nam Chriſtus non ordinauit ſua merita ad conſequendum illud, quod nouerat eſſe impoſſibile; ſed ſciebat eſſe impoſſibile dari aliquod præmium actu infinitum: ergo. Vnde ſolum concedit meritum Chriſti fuiſſe infinitum quoad modum merendi; quia videlicet meruit ex rigore Iuſtitiæ, & ſimiliter fatetur fuiſſe collatũ Chriſto præmium

mium infinitum quoad modum conferendi, quia videlicet ex rigore Iuſtitiæ data eſt illi propter meritum gloria Corporis, & alia bona, quæ in ſeipſo, vel in ſuo corpore accepit in præmium, vt ſaluaretur æqualitas inter meritum & præmiū. Reſpōdetur nihilominus, quod etiā ex parte obiecti meritūChriſti fuit infinitū ſimpliciter, & ſimiliter datū eſt illi aliquod præmium ſimpliciter infinitum; etenim propter merita Chriſti diuinitas, quæ eſt ſimpliciter infinitum bonum, reunita eſt in reſurrectione toti humanitati Chriſti, quod ſic oſtenditur. Chriſtus per meritū paſſionis meruit ſuam reſurrectionem, vt infra quæſt. 53. art. 4. ad 2. docet S. Thomas: in reſurrectione autem Diuinitas reunita eſt humanitati, quæ quidem humanitas fuerat reſoluta per paſſionem, licet in triduo Verbum Diuinum manſerit vnitum animæ ſeparatæ, & corpori, non tamen manſit vnitum toti humanitati, quia in triduo non erat humanitas. Cum ergo illa reunio, per quam Verbum Diuinum communicauit in reſurrectione perſonalitatem ſuam toti humanitati, data fuerit in præmium præcedentium Chriſti meritorum, ſicut & ipſa reſurrectio: conſequens eſt, fuiſſe illi de facto collatum aliquod præmium infinitum. Item etiam Chriſtus meruit, quòd ſubſtantia panis & vini per conſecrationem conuerteretur in corpus, & ſanguinem Chriſti; vnde meruit, quod diuinitas eſſet in Sacramento Euchariſtiæ per realem concomitantiam, & hoc etiam fuit præmium infinitum. Vnde omni ex parte ſaluatur æqualitas inter meritum, & præmium Chriſti. Ex his patet ſolutio ad argumentum, quo M. Medina conuincitur.

Ad ſecundum reſpondetur, meritum Chriſti fuiſſe infinitum quoad efficaciam præmij infiniti, de quo in ſolutione præcedentis argumenti loquebamur, & ſimiliter fuit infinitum, quo ad ſufficientiam, tum quia potuit per illud mereri incarnationem Patris, eamq; de facto meruiſſet, ſi voluiſſet ad hoc ſua merita applicare, tum etiam quantum eſt ex parte ſua, fuit ſufficiens, & ſuperabundans ad redimendos infinitos homines, ſi eſſent.

Ad tertiū reſpondetur. In merito Chriſti interceſſiſſe quidem promiſſionem præmij, vt colligitur ex illo Pſal. 2. [Poſtula à me, & dabo *Pſal. 2.*
tibi gentes hæreditatē tuam. &c.] & Iſaiæ 53. [Si poſuerit pro pecca- *Iſai. 53.*
to animam ſuam, videbit ſemen longæuum:] hoc tamen non derogat infinitati meritorum eius, ſicut etiam non derogat infinitati ſatisfactionis, vt diſputatione quarta oſtenſum eſt.

DISPVTATIO XXXXIV.

In quo inſtanti cœpit Chriſti meritum.

1 HANC difficultatem diſcutit S. Thom. infra quæſt. 34. art. 3. vbi quærit: An Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis mereri potuerit. Partem negatiuam docuit Alexander 3. par. quæſt. 17. memb. 2. art. 1. quā probabiliorem eſſe cenſet Albertus

Digitized by Google

tus in 3.diſt.18.art.6.quam probabiliorem eſſe cenſet Albertus in 3. diſt.18. art.6. S.Bonauent. art.1.q. 1. licet cōtrariam aſſerat eſſe probabilem, & ad argumenta vtriuſque partis reſpondeat. Durandus verò in 3.diſt.18. q.2. quæſtionem iſtam ſub dubio relinquit, & reſpondet ad rationes pro vtraque parte: vnde videtur ſentire vtramque opinionem eſſe probabilem. Probant ergo, quod Chriſtus in inſtanti ſuæ cōceptionis non meruerit, quoad vſum virtutis, ſeu actū, ſed ſolum habuerit meritum in radice, ſcilicet in habitu charitatis, & aliarum virtutum.

Primo. Si Chriſtus meruit in inſtanti ſuæ conceptionis, aut meruit actione beata, aut alia; non actione beata, quia omnis actio meritoria eſt viatoris, vt viator eſt. Nec etiam meruit alia actione, quia actus voluntatis, in quo conſiſtit meritum, ſequitur actum cognitionis. In Chriſto autem præter cognitionem beatam non fuit niſi duplex cognitio, ſcilicet infuſa, & experimentalis. Neutra autem iſtarum cognitionum fuit in Chriſto ſecundum actum in primo inſtanti ſuæ conceptionis, propter imperfectionem organorum, & virium ſenſitiuarum, quarum actus ſunt neceſſarij ad vſum ſcientiæ infuſæ,& experimentalis: ergo in Chriſto non potuit eſſe in primo inſtanti ſuæ conceptionis aliquis actualis motus voluntatis,quo mereretur.

Confirmat hoc Durandus: nam probabile eſt, quod circa animam Chriſti ex ea parte,qua fuit viator, ex qua conuenit ipſi mereri, non fuerit mutatus naturalis ordo viæ, qui eſt, quod nihil intelligimus, neque naturaliter, neque per reuelationem niſi ex ſenſatis, & imaginatis. Sed in primo inſtanti ſuæ conceptionis non potuit Chriſtus vti ſenſibus: ergo.

Secundo probari poteſt hæc ſententia. Quādo ſunt duo motus ordinati ad inuicem, impoſſibile eſt, quod in eodem inſtanti vterque terminetur; ſed creatio animæ Chriſti, & actus meritorius ſunt duo motus ordinati: ergo non potuit eſſe meritum Chriſti in eodem inſtanti creationis animæ, vel conceptionis Chriſti.

Tertio. Deliberatio rationis requiritur ad meritum; ſed in primo inſtanti ſuæ creationis non potuit anima Chriſti habere aliquam deliberationem; quia deliberatio includit diſcurſum, qui vnico inſtanti perfici non poteſt: ergo.

Confirmatur. Actus voluntatis non poteſt durare ſolum per inſtans: ergo neque actus meritorius, nam ad meritum requiritur actus voluntatis: ergo nec poteſt incipere intrinſecè in primo inſtāti creationis animæ; illa enim, quæ intrinſecè incipiunt in inſtanti, poſſunt durare ſolum per inſtans: ergo meritum Chriſti non potuit incipere intrinſecè in primo inſtanti ſuæ cōceptionis, ſed ſolum extrinſecè; ita vt in illo primo inſtanti eſſet verum dicere: Nunc non eſt meritum Chriſti, & immediatè poſt hoc erit. Illud autem quod ſequitur immediatè poſt primum inſtans, nō eſt inſtans, ſed tempus, quia vnum inſtans non poteſt eſſe immediatū alteri, vt dicitur in 4. phyſicorum: ergo meritum Chriſti re vera non incepit in primo inſtāti intrinſecè ſuæ conceptionis, ſed in tēpore immediatè ſequenti. Sit nihilominus

Prima

3 PRima concluſio: Meritũ Chriſti cœpit in primo inſtanti ſuæ conceptionis; concluſio eſt expreſſa S. Thomæ infra q. 34. art. 3. & in 3. Sententiarum diſt. 18. quæſt. vnica, art. 3. & communis inter Theologos. Probatur auctoritate Apoſtoli ad Hebræos 10. vbi loquens
Heb. 10 de Chriſto Domino, inquit: [Ideò ingrediens mundum dicit: ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.] quibus verbis ſignificatur, in primo ingreſſu Chriſti in mundum, hoc eſt in primo inſtanti incarnationis, animam Chriſti per liberum actum arbitrij, ſe obtuliſſe Patri, & ſtatuiſſe, opus redemptionis, ad quod miſſus fuerat, perficere; huiuſmodi autem oblatio fuit abſque dubio meritoria: ergo.

4 Secũdo probatur ratione S. Thomæ. Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis ſanctificatus fuit per actum proprium liberi arbitrij, ſed actio libera, vt informatur gratia eſt præmij, quod non habetur, meritoria, vt 1. 2. q. 112. art. 2. ad 1. docet S. Thomas, cum in ea cõcurrant omnes conditiones ſupra poſitæ, quæ ad meritum requiruntur: ergo in illo primo inſtãti cœpit re vera meritum Chriſti. Maior probatur à S. Thoma. Sanctificatio Chriſti fuit perfectiſſima, quia ſic ſanctificatus eſt, vt eſſet aliorum ſanctificator: atqui ſanctificatio adultorum, qui ſecundum proprium actũ ſanctificantur, eſt multo excellentior ea, quæ fit ſecundum fidem parentum, vel Eccleſiæ, abſque vſu proprio libertatis. Ergo anima Chriſti ſanctificata eſt per propriũ actum.

Quæſt. 7. art. 12. 19. 3. q & q. 33. art. 3. Confirmatur ratione eiuſdem S. Doctoris art. 2. prællegatæ quæſtionis. Vt ex præmiſſis conſtat, ſpiritualis perfectio, ita conuenit naturæ à Verbo aſſumptæ, vt in ea nõ profecerit; ſed illam à principio habuerit; nam id potuit communicari animæ Chriſti, omnis autem perfectio poſſibilis fuit de facto illi communicata: ergo in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit meritum perfectum.

SEcunda concluſio: Meritum Chriſti durauit toto tempore, quo eius anima ſanctiſſima fuit in corpore mortali. Probatur. Tempus vitæ præſentis, vſque ad mortem eſt ſtatus merendi, vt patet ex illo 2. ad Corinth. 5. [Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.] Id eſt, vt recipiat præmium, aut pœnam, ſecundum ea, quæ geſſit, dum eſſet in corpore mortali, vt explicat ſanctus Auguſtinus lib. de prędeſtinat. Sanctorum cap. 12. vnde & Dominus Ioan. 9. ait: [Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: Venit nox, in qua nemo poteſt operari.] vbi per diem tempus vitæ præſentis, per noctẽ mortis tempus deſignatur, in quo omne meritum terminatur. Cum ergo Chriſtus Dominus fuerit comprehenſor, & viator, relinquitur, quòd toto illo tempore, quo alij viatores mereri poſſunt, meritum eius durauerit. Vtrum autem meruerit in inſtanti mortis, patebit infra. 5 *2. Cor.* 5 *Ioan.* 9.

AD primum argumẽtum Durãdi reſpõdetur; Animã Chriſti potuiſſe vti ſcientia indita ſine cõuerſione ad phantaſmata, & ſine adminiculo alicuius organi corpo- 6

rei,

rei, & virium ſenſitiuarum, vt patebit infra, & ideo potuit habere in primo inſtanti ſuæ conceptionis actum voluntatis meritorium regulatum per cognitionem ſcientiæ, ſibi diuinitus inditæ. Et certe ſi argumĕtum Durădi aliquid probaret, etiam cuncluderet, Chriſtum nihil meruiſſe, vſque ad illud tempus, in quo alij pueri ſolent habere organa perfecta, & vires ſenſiti-
6 uas bene diſpoſitas, quod tamen nulla ratione poteſt admitti; Vtrū autem meruerit per actionem beatam patebit infra. Secundo reſpōdetur cum S.Thom.q. 29.de verit.ar. 8.ad 10. [quod Chriſtus non aſſumpſit defectus, qui in imperfectionem gratiæ, & ſcientiæ redundare poſsent, huiuſmodi autem defectus eſt ineptitudo organorum ad actum animæ. Vnde hunc defectum Chriſtus nō aſſumpſit, ſed per gratiam confortabantur organa, vt eſsĕt idonea ad operationĕ animæ.]

7 Ad ſecundum reſpondetur, maiorem aſſumptam locum habere in motibus ſucceſſiuis, non autem in inſtantaneis, in quibus idem eſt fieri, & factum eſse, ſicut illuminatio, & viſio in eodem inſtanti terminantur. Creatio autem animæ, & meritum conſiſtens in actu voluntatis ſunt motus, ſeu actiones inſtantaneæ, vnde meritum potuit eſse in eodem inſtanti in quo primo fuit terminus creationis animę. Solutio eſt ſancti Thomę quæſt.19. de veritate art. 8. ad 3.

8 Ad tertium arg. reſpondetur. Vbi nō eſt dubitatio de agendis, poteſt deliberatio quantum ad certitudinĕ Iuditij, de eo quod eſt agĕdum, eſſe in inſtanti, & ſic fuit in Chriſto: vt docet S. Thomas art. 8. allegato ad primum argumentum.

Secundo reſpondetur, deliberationem, ſicut & conſilium, non eſſe de fine vltimo, ſed de his, quæ ſunt ad finem, vt dicitur in 3. Ethi. cap. 2. Vnde in primo inſtanti potuit eſſe actus charitatis in anima Chriſti, in quo meritum principaliter conſiſtit.

Ad confirmationem Alexan- 9
der Alenſis. 3. p.q. 16. membro 2. art. 1. fatetur, meritum Chriſti cæpiſſe extrinſece in primo inſtanti ſuæ conceptionis; ſed hæc ſententia eſt contra ſanctum Thomam q. 29.de veritate art. 8. ad 3. vbi expreſsè docet, quòd motus liberi arbitrij, & meritum, qui in eo conſiſtit, eſt motus inſtantaneus. Vnde in primo inſtanti Creationis animæ Chriſti potuit incipere intrinſecè per primum ſui eſſe meritum ipſius.

De actibus, per quos meruit Anima Chriſti.
§. 2.

DE inde explicandum eſt per 1
quos actus Chriſtus meruerit, circa quod ſe offerunt tria diſcutienda.

Primo. Vtrum meruerit per actū charitatis, quo diligebat Deum.

Secundo. Vtrum meruerit formaliter per actū obedientiæ, quo impleuit præceptum moriendi, vel alia præcepta Decalogi.

Tertio. Vtrū meruerit per actus, quibus inſtrumentaliter operabatur miracula, & per omnes alios actus liberos.

DISPVTATIO XXXXV.

Vtrum Chriſtus meruerit per actum charitatis, quo diligebat Deum.

2 EST quadruplex in hac parte ſententia Theologorum. Prima eſt Chriſtum nõ meruiſſe per affectũ vllũ charitatis, & dilectionis erga Deum, ſed per opera aliarũ virtutũ tam circa ſe, quàm circa proximum, non ſolum per ea quæ erant in cõſilio, ſed etiã quæ erãt in præcepto; quod probãt.

Primo. Chriſtus non meruit per actum charitatis ortum ex ſcientia infuſa, nam vt docet S. Thomas infra q. 11. art. 1. in corp. ipſam Dei eſſentiam per hanc ſcientiam non cognouit, ac per conſequens non potuit eum diligere, vt cognitum per eamdem ſcientiam. Neque etiã meruit per actum dilectionis regulatum ſcientia beata, vt patebit infra. Ergo per nullum actũ charitatis meruit. Si dicatur, meruiſſe per actum charitatis regulatum ſcientia acquiſita. contra hoc eſt

Secundum argumentum. Talis actus dilectionis Dei eſt naturalis ordinis, ergo non poteſt attingere Deum vt eſt finis ſupernaturalis: ſed ad meritum neceſſario requiritur vt actus charitatis attingat Deum, vt eſt finis ſupernaturalis: ergo actus charitatis naturalis nõ potuit in Chriſto eſſe meritorius.

Confirmatur. Opera mere naturalia non ſunt meritoria ſupernaturalis præmij, quia non ſunt eiuſdem ordinis, nec habent proportionem cum illo: ſed actus charitatis regulatus ſcientia acquiſita eſt mere naturalis: ergo.

Secunda ſententia diſtinguit in Chriſto duplicem actum dilectionis Dei. Primus eſt, quo diligebat Deum vt cognitum per viſionem beatificam. Secundus, quo diligebat Deum, vt cognitum per ſcientiam inditam. Dicunt ergo primo. Chriſtus nõ meruit per actum, quo diligebat Deum, vt cognitum per viſionem beatificam. Dicunt ſecundo. Chriſtus vere, & proprie meruit per actum quo ſuper omnia diligebat Deum, vt cognitũ per ſciẽtiam inditam. Defendunt hanc ſententiam Ferrarienſis. 3. contra gentes cap. 62. circa finem. Magiſter Sotus lib. 3. de natura, & gratia capit. 7. Viguerius in inſtitutionibus Theologicis cap. 20. Medina in hac 3. p. q. 19. art. 3. Suarez eodem art. diſp. 39. ſectione. 3. quam probabilem, & vero ſimilem eſſe ait Aſturicenſis, q. 5. de gratia Chriſti pag. 415. Probãt primũ dictum ſequentibus arg. Sententia, quæ aſſerit Chriſtum meruiſſe per actum amoris Dei beatificum, vt terminatur ad ipſum Deũ, niti non poteſt niſi in altero ex his duobus fundamentis, ſcilicet, vel quia ille amor eſt actus liber, & non neceſſarius; vel quia ad meritum non eſt neceſſaria libertas: vtrumque autem fundamentum eſt falſum. ergo non videtur, quomodo poſſit illa ſententia ſatis probabiliter defendi. Minor probatur, quo ad primam partem. Viſio beatifica eſt actus ſimpliciter neceſſarius, & non liber, vt omnes fatentur: ergo & actus dilectionis Dei regulatus per viſionem 3 *Tertiũ argumẽtum.*

nem

nem beatā, eſt ſimpliciter neceſſarius. Quo ad ſecundū vero eſt manifeſta, qa naturalibus nec meremur, nec demeremur, vt ſupra dictū eſt.

Quarto. Chriſtus non meruit per viſionem Dei beatificam, ergo nec per dilectionem beatificam. Probatur conſequentia: nam eadem ratio videtur de vtraque, etenim ideo Chriſtus non meruit per viſionem beatificam, quia ille actus erat comprehenſoris, vt comprehenſor eſt: Comprehenſor autem in quantum comprehenſor, nihil mereri poteſt, quia eſt iam in termino; Sed ſimiliter actus dilectionis beatificæ, qui ſequitur ad viſionem beatam eſt actus comprehenſoris, vt comprehenſor eſt: ergo per talem actum Chriſtus mereri non potuit.

5 Quintò probatur auctoritate S. Thomæ infra q. 19. art. 3. ad primum, vbi ait. Quod Chriſtus non meruit per charitatem in quantum erat charitas comprehenſoris, ſed in quantum erat viatoris; nam ipſe fuit ſimul viator, & comprehenſor, vt ſupra habitum eſt, & ideo quia nunc non eſt viator, non eſt in ſtatu merendi.] Charitas autem, quæ ſequitur ſcientiam beatam, eſt charitas comprehenſoris non autem viatoris, niſi forte materialiter, quia videlicet fuit in Chriſto etiam eo tempore quo erat viator: & pro eadem ſententia refertur. S. Thomas infra q. 34. art. 3. & de verit. q. 29. art. 6. ad 6. ergo.

S. Thom.

Sexto. Impoſſibile eſt, quòd aliquid ſit principium merendi, & terminus meriti: hac enim ratione S. Thomas probat, quod gratia habitualis non poteſt eſſe terminus meriti. quia eſt principium merendi, & idem docet prop er eandem rationem de dono perſeuerantiæ. 1. 2. q. 114. art. 9. in corpore, vbi ait. [Perſeuerantia viæ non cadit ſub merito, quia depēdet ſolum ex motione diuina, quæ eſt principium omnis meriti. ſed Deus gratis perſeuerantiæ bonum largitur cuicunque illud largitur.] ſed charitas beatifica pertinet ad terminū meriti, qui eſt de perfectione beatitudinis, cum per eam fruatur voluntas ſummo bono præſenti, & quieſcat in illo tanquam in vltimo fine; ergo non potuit in Chriſto eſſe principium merendi; non ergo meruit per actum viſionis beatificæ.

12. quæſt. 114. ar. 5.

Septimo probatur ſecundum dictum. Actus dilectionis Dei regulatus per ſcientiam inditam erat viatoris, vt viator eſt, & ſimiliter fuit actus liber quo ad exercitium: quia potuit Chriſtus non vti ſcientia indita, & conſequenter potuit ceſſare ab actu dilectionis Dei, vt cogniti per eandem ſcientiam. Ergo talis actus fuit in Chriſto meritorius, etiam ſecundum quod terminabatur ad Deum immediatè.

Tertia ſententia eſt multorum Thomiſtarum aſſerētiū, quòd actus dilectionis, quo anima Chriſti diligebat Deum clare viſum, poteſt dupliciter conſiderari: primo quatenus terminabatur ad obiectum primarium, ſcilicet ad Deum, & ſub hac ratione non fuit meritorius in Chriſto, quia erat actus ſimpliciter neceſſarius. Secundo quatenus terminabatur ad obiectum ſecundarium, nimirum ad creaturas, præſertim ad homines, quos propter Deum diligebat, & ſub hac ratione, actus dilectionis fuit liber in Chriſto, & conſequenter meritorius. Explicant hoc, exemplo manifeſto. Etenim dilectio qua Deus ſeip-

Digitized by Google

ſeipsũ diligit, eſt ſimpliciter actus neceſſarius reſpectu obiecti primarij, quatenus videlicet terminatur immediate ad ipſum Deum. At verò reſpectu obiecti ſecundarij, eſt liber; quia libere dilexit creaturas, eo quod non habent neceſſariã connexionem cum bono diuino.

9 Quarta ſententia eſt, quòd Chriſtus meruit formaliter per actum charitatis beatificæ, ſecundum quod terminatur immediatè ad ipſum Deum. Ita ſentit Capreolus in 3.diſt.18.quæſt.vnica, art.3. in fine, & alij plures Doctores infra allegandi. Et quoniam hæc ſententia eſt expreſſa S. Thomæ, pro eius explicatione notandum, primo, quod bonitas diuina, etiam quatenus immediatè attingebatur ab Anima Chriſti per actum dilectionis beatificæ, poteſt dupliciter conſiderari: primo ſecundum ſe, & abſolutè; & ſecundum hanc rationem, anima Chriſti per dilectionem beatificam neceſſario diligebat Deum, & non liberè, ac per conſequens ille actus ſub iſta ratione non erat meritorius, vt argumenta à principio facta probant. Secundo poteſt conſiderari eadem bonitas diuina, ſecundum quod in actuali exercitio erat ratio formalis diligendi creaturas, præſertim rationales, pro quibus voluntariè ſeipſum obtulit Chriſtus Dominus; & ſub hac ratione idemmet actus dilectionis beatificæ erat liber, eo quod non ex neceſſitate abſoluta anima Chriſti dilexit creaturas, ſed cum perfectiſſima libertate, ac per conſequens etiam liberè ferebatur in bonitatem Diuinam, ſub ea conſideratione, qua erat in exercitio ratio formalis diligendi creaturas. Nec eſt inconueniens, quod idemmet actus reſpectu eiuſdem obiecti, ſecundum diuerſas rationes ſit abſolutè neceſſarius, & liber, vt patet in Deo. Ipſe enim neceſſario diligit ſuam bonitatem ſecundum ſe conſideratam, & abſolutè: non tamen eam diligit neceſſario, ſed liberè, ſi conſideretur diuina bonitas, quatenus in actu exercito eſt ratio formalis diligendi creaturas, & finis earum. Probatur hoc; quia bonitas diuina non neceſſario, ſed 10
liberè exercet actualiter rationem cauſæ efficientis, & finis reſpectu creaturarum. ſicut enim liberè eas produxit in eſſe, ita etiam liberè exercet actualem rationem vltimi finis earum abſolutè loquẽdo: quãuis ſuppoſito, quod eas produxit, ſit ex neceſſitate conditionata finis earum vltimus, quæ quidem neceſſitas libertati actus non obſtat, vt in lib. de Auxilijs Diſput.25. oſtendimus. Ergo proportionabiliter anima Chriſti per dilectionem beatam liberè amabat bonitatem diuinam, quatenus in exercitio erat ratio formalis diligendi creaturas, & finis earum vltimus. Probatur conſequentia, quia multo maior neceſſitas eſt in actu increato dilectionis beatificæ, quo Deus ſeipsũ diligit: quã ſit in actu creato dilectionis beatificæ, quo anima Chriſti diligebat Deũ: ergo ſub eadẽ ratione qua dilectio beatifica ipſius Dei eſt actio libera, etiam dilectio beatifica Animæ Chriſti erit libera.

Dicendum eſt ergo, Chriſtum 11
meruiſſe per actum dilectionis beatificæ, quo amabat Deum ſub eadem conſideratione, qua in exercitio eſt ratio formalis diligendi creaturas. Hanc concluſionem ſtatuit Aſturicenſis quęſt.5. de gratia Chriſti ſupra allegata, & reputat

tat

Digitized by Google

tat eam eſſe magis ad mentem ſancti Thomæ. Sed mihi videtur eſſe eius ſententiam expreſſam: illam etiā defendunt Altiſiodorenſis lib. 3. Summ. tract. 1. cap. 7. Capreolus in 3. diſtinct. 18. & dicit eſſe ſententiam ſancti Thomæ. Idem tenet Gabriel eadem diſtinct. quæſt. vnica concluſione 2. & alij plures Doctores, qui intelligendi ſunt iuxta explicationem traditam. Et quidem hanc fuiſſe mentem S. Thomæ probatur, nam in 3. Sententiarum diſt. 18. q. 1. art. 2. ad 2. ait: [Ipſe motus charitatis hominis Chriſti, in quo conſiſtit præmiū eius, quantum ad beatitudinem animæ poteſt eſſe meritum reſpectu beatitudinis corporis, quod in alijs beatis non contingit, quia non ſunt in ſtatu acquirendi ſecundum aliquid ſui, & ideo, nec ſibi, nec alijs merentur; quia, quod impetrant modo nobis, contingit ex hoc quod prius dum viuerent meruerunt, vt hoc
12 impetrarent.] Vbi apertè concedit actum charitatis Chriſti, vt regulabatur per ſcientiam beatam fuiſſe in Chriſto meritorium. Idem dicit clarius quæſt. 29. de veritate, art. 6. ad 6. vbi ſic ait: [Charitas quantum de ſe eſt, ſemper nata eſt eſſe merendi principium, ſed quandoque non eſt merendi principium propter habentem, qui eſt extra merendi ſtatum, ſicut patet de Sāctis in patria. Chriſtus autem non erat extra ſtatum merendi, quia viator erat, & ideo charitate eadē fruebatur, & merebatur, ſicut eadē voluntate. Nec tamen erat idem principium meriti, & præmij, quia non merebatur gloriam animæ, ad quam pertinet charitas, ſed gloriā corporis, vt dictum eſt.] Ecce apertè loquitur de dilectione beatifica, vt conſtat etiam ex argumento ad quod reſpondet, nam procedebat de charitate patriæ, quæ eſt de perfectione beatitudinis, & hanc dicit eſſe in Chriſto meritoriam, non quidem beatitudinis animæ: quam iam habebat, ſed corporis, quam nondum habebat.

Præterea probatur ratione. Meritum principaliter cōſiſtit in actu 13
charitatis, vt terminatur ad Deū: nam craturæ non cadunt ſub obiecto charitatis, niſi quatenus ordinantur ad Deum, & diliguntur propter illum, tanquam propter rationem formalem, vt docet ſanctus Thomas 2. 2. q. 25. art. 1. Vnde charitas non eſt radix, & principium merēdi, quatenus eſt creaturarum dilectio, vel quatenus ad creaturas terminatur, ſed prout terminatur ad Deum immediate, tanquam ad vltimum finem, vt explicat S. Thomas 1. 2. quæſt. 114. art. 4. ſed in Chriſto Domino fuit meritum perfectiſſimum: ergo meruit per actū charitatis, ſecundum quod talis actus terminatur ad Deum immediate. Confirmatur: nam aliàs Confir.
Chriſtus non meruiſſet per actum charitatis formaliter, ſed ſolum materialiter. Si dicatur, vt aſſere- Solutio.
bat prima ſententia, meruiſſe quidem Animam Chriſti per actum charitatis regulatum ſcientia indita, vt terminatur ad Deum immediate, non autem per actum charitatis regulatum ſcientia beata. Cōtra hoc eſt efficax argumentum. In anima Chriſti nō eſt diuerſus actus charitatis ille, qui ſequitur ſcientiā beatam, & qui ſequitur ſcientiam inditam: ergo ſi non meruit per actum charitatis regulatum ſcientia beata, ſequitur quòd per nullum

actum

actum charitatis meruerit, vt terminatur ad Deum immediate. Antecedens probatur: nã illi actus non diſtinguuntur ſolo numero, aliàs non poſſent ſimul eſſe in Anima Chriſti, quia duo accidentia ſolo numero differentia non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, & ita oporteret, quod pro illo inſtãti vel tẽpore, quo diligebat Deum, vt cognitũ per ſcientiã inditã, ceſſaret ab actu dilectionis beatificæ, qui ſequitur ſcientiam beatã, quod tamen admitti non poteſt. Nec etiam diſtinguuntur ſpecie; nam Charitas eſt virtus vnius ſpeciei atomæ, ſicut & Fides, & Spes: ergo non ſunt conſtituendi in anima Chriſti illi duo actus charitatis diſtincti.

15 *Suarez vbi ſupra §. dices.* Ad hoc argumentum, quod valde vrget, triplicem adhibent ſolutionem auctores oppoſitæ ſententiæ. Prima eſt, illos actus differre ſpecie, quia actus amoris beatifici tendit in Deum propter omnem perfectionem, & rationem, propter quam amabilis eſt: nã tota illa per viſionem beatam diſtinctè, & clarè videtur, & proponitur voluntati; at verò amor, qui conſequitur ſcientiam infuſam, vel tantum fertur in Deum ſub ſpeciali aliqua ratione boni, vt Iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. vel ſolum ſub ratione ſummi boni, quaſi confusè cognita, & nõ diſtinctè propoſita, quatenus in ſe continet omnem bonitatẽ, & perfectionem: quæ diuerſitas ſatis eſſe videtur ad diuerſitatẽ ſpecificam illorum actuum. Hæc tamen ſolutio nõ videtur admittenda. Primo; nam habitus ſpecificantur per actus, & actus per obiecta. Vnde, ſi charitas eſſet principium actuum, ſpecie differentium, diſtinguenda eſſet ſpecie duplex virtus charitatis, & ita eſſent quatuor virtutes Theologicæ, ſcilicet Fides, Spes, & duplex virtus Charitatis, quod eſt contra veram Theologiam. Secundo, nam, ſi charitas regulata per fidem eſſet ſpecie diuerſa à charitate per viſionem beatificam regulata, ſequeretur, quod charitas viæ non maneret in patria, ſed deſtrueretur; quia nõ manet ſpecificatiuum illius, ſcilicet cognitio Fidei, per quam regulatur, conſequens autem eſt contra illud Apoſtoli 1.Corinth.13. [Charitas nunquam excidit.] ergo. *1.Cor. 13.* Tertio, charitas viæ, & charitas patriæ ſunt eiuſdem ſpeciei, licet habeant perfectionem diuerſarum rationũ, ſicut puer, & vir, & lux matutina, & meridiana: ergo ſimiliter in Chriſto charitas regulata per ſcientiam beatam, & per ſcientiam inditam erunt eiuſdem ſpeciei atomæ.

16 *Suarez vbi ſupra* Secunda ſolutio eſt, illos actus tantum numero differre; quia tendunt in idem obiectũ diuerſis vijs, ſeu diuerſis modis applicatum, nimirum per ſciẽtiam beatam, & per ſcientiam inditam. Et cum arguitur; quia duo accidẽtia ſolo numero differentia non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto: Reſpondent, id verum eſſe in accidentibus abſolutis, non autem in reſpectiuis, quę reſpiciunt extrinſecum terminum, vel obiectum. Hæc enim accidentia, & ſi ſolo numero differãt, poſſunt in eodem ſubiecto multiplicari, & eſſe ſimul, quia ex terminis quos reſpiciunt, poteſt deſumi diuerſitas eorum indiuidualis, etiã ſi ex ſubiecto nõ diſtinguantur numero. Vnde in Chriſto, duo actus prædicti dilectionis Dei, quatenus diuerſo modo Deum reſpiciunt, nimirum vt cognitum per ſcientiam bea-

Digitized by Google

beatam, & vt cognitum per ſcientiam inditam, ſimul fuerunt in anima Chriſti, quamuis ſolo numero differant. Ita reſpondet Suarez, & Aſturicẽſ. vbi ſupra; ſed reuera hæc ſolutio pugnat apertè cum doctrina S. Thomæ infra q. 35. art. 5. vbi ex eo probat, quod duæ paternitates naturales ſolo numero differentes etiam reſpectu diuerſorum filiorum, non poſſunt eſſe ſimul in eodem, quia duæ formæ eiuſdem ſpeciei nõ poſſunt eſſe ſimul. Itẽ etiam in eodem art. 5. docet, quod vnitas numeralis relationis ſumitur ex ſubiecto, & idem dicit quodlibeto primo art. 2. quod probat: quia magiſter eſt vna relatione magiſter omnium quos docet, quamuis ſint multi reſpectus; aliàs ſi ſecundum omnes illos reſpectus multiplicarentur realiter relationes in vno corpore, ſequeretur, quod in vno eſſent accidentia infinita, vel indeterminata, & tamen paternitas eſt accidens reſpectiuum: ergo iuxta doctrinam S. Thomæ duo accidẽtia etiam reſpectiua ſolo numero differentia, nõ poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto: ergo impoſſibile eſt, quod duo actus charitatis ſolo numero differentes ſimul ſint in anima Chriſti. Ratione impugnatur eadem ſolutio. Diſtinctio, quæ ſumitur ex terminis in accidentibus reſpectiuis eſt ſpecifica, nã relatio ſpecificatur à ſuo termino: ergo ex terminis nõ ſumitur ſola diſtinctio numerica. Cõfirmatur: Omne accidens etiam ſi dicat ordinem ad obiectum, vel terminum extrinſecum indiuiduatur à ſubiecto, in quo habet eſſe. Theologia enim quæ eſt in Petro, licet importet reſpectum ad obiectum extrinſecum, non diſtinguitur numero à Theologia, quæ eſt in Paulo, niſi quia eſt in diuerſo ſubiecto: ergo.

17 Tertiam ſolutionem addit Aſturicen. quòd ſcilicet vnus, & idem actus eſt charitatis, qui in Anima Chriſti ſequitur ſcientiam beatã, & qui regulatur per ſciẽtiam inditã, tamen vt ſequitur ſcientiam beatã nõ eſt meritorius, quia ſub hac ratione eſt ſimpliciter neceſſarius: Cæterum, vt ſequitur ſcientiam inditam eſt meritorius: nam ſub hac ratione induit quemdam modum libertatis, quoniam anima Chriſti, cognoſcens Deum per ſcientiã infuſam, virtualiter complacebat de dilectione beatifica, & liberè diligeret Deũ cognitũ per eamdẽ ſcientiam inditam, niſi dilectione beatifica eum abſoluta neceſſitate amaret. Hæc autem ſolutio ex eo non videtur ſufficiens, nam iuxta illam Chriſtus non meruiſſet per formalẽ actum charitatis liberum, ſed ſolũ per virtualem, quẽ habebat in præparatione animi, quod tamen non videtur congruere cum verbis illis Ioan. 14. [vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.] vbi ſignificatur, Chriſtum re vera meruiſſe, Deum amando, quod de formali amore libero intelligendũ eſt, non autem de dilectione neceſſaria in re, & libera in ſola præparatione animi. Accedit ad hoc, ꝙ S. Thom. locis ſupra cit. tribuit meritũ dilectioni beatificæ, qua anima Chriſti diligebat Deum; quia licet ſub vna ratione ſit neceſſaria neceſſitate abſoluta, ſub alia tamen ratione ſuperius explicata fuit libera ea libertate, quæ ſufficit ad meritum, vt ex præmiſſis conſtat.

18 AD primum argumentum factũ pro prima ſententia, fatemur Chri-

Digitized by Google

Chriſtum non meruiſſe per actum dilectionis regulatum ſcientia infuſa, non quidem propter rationem tactam in argumento: etenim S. Thom. loco allegato, ſolum negat Chriſtum per ſcientiam inditã cognouiſſe diuinam eſſentiam cognitione ſciẽtifica, ſeu quidditatiua, vt patebit infra: ſed quia cum dilectione beatifica non eſt cõpoſſibilis in anima Chriſti alius actus dilectionis Dei, vt ſupra oſtenſum eſt; meruit tamen per actum dilectionis beatificæ, vt ex præmiſſis conſtat: & per hæc patet ſolutio ad ſecundum cum ſua confirmatione.

19 Ad tertium argumentum iã patet ex dictis, qualiter in dilectione beatifica animę Chriſti, vt terminatur ad Deum, fuerit ſufficiens libertas ad meritum: nec eſt aliquis Doctor Catholicus, qui ſentiat libertatem actus, non eſſe ad meritum neceſſariam.

20 Ad quartum negatur conſequentia, & ratio diſcriminis eſt, quia viſio beatifica omni ex parte, & ſecũdum omne rationem erat actus neceſſarius, & nullo modo liber. Cæterũ dilectio beatifica animæ Chriſti ſub aliqua ratione ſuperius explicata fuit re vera actus liber; vnde nõ eſt ſimile. Et ad probationem conſequentiæ dicendum ſimiliter, quod viſio beatifica ſecundum omnem rationem, erat actus comprehenſoris: dilectio autem beatifica, quamdiu anima Chriſti informauit corpus mortale, fuit ſub aliqua ratione actus viatoris, vt dictum eſt. Eſt & alia differentia, nam gratia eſt principium merendi per charitatem, quæ ordinat actus aliarum virtutum in vltjmum finem, vt 1.2. q. 114. art. 4. docet S. Tho. non autẽ eſt principium merendi per viſionem beatificã, vnde non eſt ſimile.

Sed contra obijcit Suarez Diſp. 21
39. cit. §. dico ergo. Non poteſt idẽ actus numero, prout tendit in idem indiuiſibile obiectum, atque adeo ſecundum eãdem indiuiſibilem entitatẽ eſſe liber, & neceſſarius, quia hæ duæ proprietates includunt contradictionem: ergo non poteſt idem actus indiuiſibilis charitatis cõprehenſoris, vt terminatur ad Deum clarè viſum, eſſe actus neceſſarius & actus liber, ac per cõſequens dilectio beatifica nulla ratione potuit in anima Chriſti eſſe meritoria. Reſpondetur, quod idem actus numero indiuiſibilis poteſt ſimul eſſe neceſſarius, & liber reſpectu eiuſdẽ obiecti diuerſimodè cõſiderati; nã, vt ſupra diximus, Deus eodem actu ſimpliciſſimo diligit neceſſario ſuã bonitatem abſolutè conſideratam, & ſimiliter diligit liberè eandem bonitatem, ſi cõſideretur quatenus in actuali exercitio eſt ratio formalis diligendi creaturas, & earum principium effectiuum, & finis vltimus: quia libere, & non ex neceſſitate naturæ eas produxit in eſſe.

Ad quintum argumentũ reſpon- 22
detur. S. Tho. expreſſe docuiſſe noſtrã ſententiam, vt patet ex locis ſupra dictis, neque in q. 19. ſupra allegata docet oppoſitũ, ſed potius cõfirmat noſtrã concluſionem: nam per verba inducta ſolum voluit ſignificare, quod conditio requiſita ex parte ſubiecti, vt charitas ſit meritoria; eſt, quod ſit viatoris ſaltem ſecundum corpus: Quæ explicatio colligitur ex eodem contextu: nam ſtatim ſubdit, quod nunc in patria Chriſtus non meretur per eandem charitatẽ, quia nullo modo eſt viator, neque in ſtatu merẽdi: ergo intellexit S. Doctor, quòd, quando

T 2 Chri-

Digitized by Google

Chriſtus erat viator, meruit per dilectionem beatificam.

23 Ad ſextum reſpondetur. Charitas, quæ ſequitur viſionem beatificam, non fuit in anima Chriſti terminus meriti, quia Chriſtus non meruit ſibi gloriã animæ, nec fruitionem diuinæ eſſentiæ, vt patebit infra, & ideò illa charitas potuit eſſe in Chriſto principium merendi gloriã corporis, & alia bona, quæ in ſe, & in ſuis membris in præmiũ ſuorũ laborum accepit, iuxta illud Pſalm.2. [Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ:] Solũ ergo concludit argumentum, quòd Chriſtus nõ meruerit gloriam animæ ad quam pertinebat charitas, ſed gloriã corporis, vt dictum eſt, Solutio S.Tho.q.29.de verit. art.6. ad 6. Explicari poteſt amplius hæc ſolutio optimo exemplo; etenim gratia habitualis, quia eſt principiũ merendi, non poteſt eſſe terminus eiuſdem meriti, cuius eſt principiũ effectiuum. Eadẽ tamen gratia habitualis ſub maiori perfectione poteſt eſſe, & de facto eſt terminus alterius actus meritorij, videlicet illius, qui procedit à præexiſtẽti gratia habituali, & auxilio diuino, quia homo iuſtus per ſuos actus meretur augmentum habitus gratiæ, & charitatis præexiſtentis, vt Diſp.60.de Aux.nu.12. viſum eſt.

24 Ad ſeptimũ reſpondetur, nõ eſſe conſtituendum in anima Chriſti actum charitatis regulatũ per ſcientiã inditã, realiter diſtinctũ ab actu charitatis beatificæ, vt ſupra oſtenſum eſt. Sed dicet quis: In Angelis ponitur duplex dilectio, altera naturalis, altera electiua, vt cõſtat ex S. Tho.1.p.q.60.art.1. & 2. ergo & in anima Chriſti poterit conſtitui duplex actus dilectionis, alter beatificus, quo per modum naturæ diligit Deum clarè viſum, alter electiuus regulatus per ſcientiam inditam. Reſpondetur negando conſequentiã, & ratio eſt, nam Angelus, aut homo non diligit ſe dilectione naturali, & electiuã ſecundum idẽ, ſed ſecundum diuerſa, vt dicit S. Tho. 1.p.q.60.ar.3.ad 1. & ar.2. in corp. Cæterum actus charitatis animæ Chriſti, ſiue reguletur per ſcientiã beatam, ſiue per ſcientiã inditam, ſemper fertur in Deũ, ſecundum idem, quia eadẽ prorſus bonitas diuina, quæ eſt vltimus finis omnium creaturarum, eſt quæ diligitur per charitatem. Nec eſt inconueniens, quod idẽ numero actus charitatis Chriſti, vt terminatur ad Deum reguletur per ſcientiam beatam, & infuſam, quia iſtæ duæ regulæ non ſunt diſparatæ, vel repugnantes, ſed cõpoſſibiles in anima Chriſti, quarum vna ſubordinatur alteri.

Obiect. — Solutio. — S.Thom.

DISPVTATIO XLVI.

Vtrum Chriſtus meruerit formaliter per actum obediẽtiæ, quo impleuit præceptum moriendi, vel alia præcepta Decalogi.

1 QVidã dixerunt, ex vi hypoſtaticæ vnionis determinatã fuiſſe Chriſti Dñi voluntatẽ ad implenda omnia præcepta ſibi à Patre impoſita, atq; adeo ad non peccandum; non fuiſſe tamen determinatam, neque ad modos & circumſtantias operãdi, neque etiam ad operum perfectionem, neque (vt multi volunt) ad ipſam actionum ſubſtantiam: & idem ſentient à fortiori de præceptis Decalogi. Et cum auctores huius ſententiæ exiſtiment, determinatio-

Doct. Mazcareñas tract. de Auxil. p.5. diſp.2. nu.30. Fõſeca 6. Metaph. c.2. q.5. ſect.6.

Digitized by Google

nationem Dei antecedentem præſcientiam liberæ cooperationis arbitrij creati, multum præiudicare eius libertati, conſequenter fateri tenentur, Chriſtũ non meruiſſe formaliter per obſeruantiam præcepti Patris, vel aliorum præceptorũ Decalogi, quãtum ad ſubſtantiã actus, quia cum præcepto nõ ſtat ſimul in Chriſto libertas ad non implendum præceptum, ſed ſolum quantum ad aliquas circumſtantias, quæ nõ fuerunt in præcepto, ſed relictę ſunt liberæ voluntati humanitatis Chriſti. Probari poteſt hæc ſententia

2 PRimo. Chriſtus ex neceſſitate adimpleuit pręceptum moriendi, quantum ad ſubſtantiã: ergo non meruit illud adimplendo, quantum ad ſubſtantiam, ſed ſolum quantum ad modum intenſionis actus, vel quãtum ad alias circumſtantias loci, temporis, &c. quæ non erant in præcepto. Conſequentia eſt nota, quoniam ad meritum neceſſaria eſt libertas actus, vt ſupra dictum eſt. Antecedens autem probatur. Chriſtus non potuit non obedire præcepto, quia non potuit peccare: ergo ex neceſſitate, & non liberè adimpleuit illud. Si dicatur, neceſſitatem illam implendi pręceptum moriendi, non eſſe abſolutam, ſed conditionatam, & ex ſuppoſitione, quæ liber-
3 tati non obſtat contra hoc eſt.

Secundum argumentum. Neceſſitas ad non peccãdum erat in Chriſto neceſſitas abſoluta: ergo neceſſitas ad ſeruandum pręceptum erat neceſſitas abſoluta, ac per conſequens non meruit per obſeruantiam præceptorum. Antecedẽs probatur. Neceſſitas ad non peccandum in voluntate Chriſti proueniebat tum ab intrinſeco ratione ſuppoſiti Verbi diuini, cui omnino repugnat peccare: tum etiam ratione claræ viſionis Dei, & charitatis beatificæ, quæ ab intrinſeco neceſſitabat voluntatem Chriſti ad amandum Deum ex charitate, cui repugnat peccatum mortale: ergo neceſſitas ad non peccandum erat in Chriſto neceſſitas abſoluta; neceſſitas enim ab intrinſeco eſt abſoluta. Conſequentia verò probatur; quia tanta neceſſitas erat in voluntate Chriſti ad obſeruantiam præcepti, quanta fuit neceſſitas ad non peccandum: quod ex eo patet; quia, ſi non impleret præceptum, peccaret.

Tertio, idipſum probatur ſpecialiter de præceptis Decalogi. 4
Eadem neceſſitate, qua voluntas neceſſitatur ad amandum finem; neceſſitatur etiam ad media, quæ intrinſece, & ex natura rei ſunt neceſſaria ad conſequendum talem finem, vel illum conſeruandum; ſed voluntas humana Chriſti neceſſitate abſoluta neceſſitabatur ad vltimum finem, ſcilicet ad diligendum Deum clarè viſum: ergo eadem neceſſitate verè neceſſitabatur ad implenda præcepta Iuris naturalis. Probatur conſequentia: nam obſeruantia talium præceptorum ab intrinſeco, & ex natura rei eſt medium ſimpliciter neceſſariũ ad conſequendum, & conſeruandum vltimum finem, qui in clara viſione, & dilectione Dei conſiſtit, cum beatitudo eſſe non poſſit ſimul cum peccato mortali, vt 1.2.q.4.art.4. docet. S. Thomas.

Confirmatur. Si alijs beatis oc- 5
curreret ſeruandum aliquod præceptum Iuris naturalis, ipſa voluntas beati naturali determinatione inclinaretur abſque vlla libertate ad præceptum illud ſeruandum;

quia naturaliter eſt determinata ad finem, qui cum tranſgreſſione præceptorum naturalium conſeruari non poteſt: ergo idem erit dicendum de anima Chriſti beata, etiam dum erat in corpore paſſibili, nam ſecundum animam ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus.

6 Quarto. Mors ipſa Chriſti, vt importat ſeparationem animæ à corpore, non fuit meritoria: ergo Chriſtus non meruit aliquid implendo præceptum moriendi. Probatur cōſequentia; nam præceptum illud impletum fuit in ſeparatione animæ à corpore. Antecedens autem probatur: nam aliàs ſequeretur, quòd Chriſtus meruiſſet in inſtanti, in quo eius anima non erat in corpore, quod eſt inconueniens. Probatur. Anima per mortem deſinit eſſe in corpore per primum non eſſe, in quo deſinit eſſe homo, quia, vt dicitur in 3. Phyſic. ſubſtantiæ permanentes corporeæ incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per primum non eſſe: ergo in inſtanti mortis, verum fuit dicere, anima Chriſti nunc non eſt in corpore, & immediatè antea fuit in corpore: ergo, ſi meruit in ipſo inſtanti mortis, ſequitur, quòd meruerit in inſtanti, quo anima erat ſeparata à corpore, quod videtur inconueniens, & contra illud Apoſtoli 2. Cor. 5. [Dū ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.] & iterū ait eodem cap. [Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.] Ex quibus verbis habetur, tempus meriti eſſe illud ſolum, quo anima eſt in corpore.

7 PRima nihilominus cōcluſio ſit. Chriſtus Dominus meruit per actum obedientiæ formaliter, quo obediuit præcepto Patris moriendi pro ſalute generis humani. Hæc concluſio, vt iacet, non poteſt ab vllo catholico negari; nam aperte colligitur ex multis locis Scripturæ: præſertim ex illo ad Philip. 2. [Semetipſum exinaniuit factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.] *Phili. 2.* & Iſaiæ 53. [Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.] *Iſai. 53* & paulo inferius: [Pro eo quod laborauit, videbit, & ſaturabitur.] Quibus in locis præmium magnum repromittitur, nedum circumſtantijs, ſed ipſi ſubſtantiæ paſſionis, & mortis. Item etiam Lucæ 24. dixit Dominus duobus *Luc. 24.* diſcipulis euntibus in Emaus: [Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?] quaſi diceret; merito paſſionis gloriam corporis, & exaltationem ſui nominis Chriſtum dominum conſequutum fuiſſe.

8 Secundo probatur. Chriſtus per paſſionem, & mortem ſatisfecit de toto rigore iuſtitiæ, vt ſupra oſtenſum eſt: *Diſp. 4.* ergo meruit per eandem paſſionem, & mortē. Probatur conſequentia: nam cum illa ſatisfactio fuerit viatoris, & libera, & habuerit omnes alias conditiones requiſitas ad meritum, vt patebit ex ſolutione argumentorum, non potuit non eſſe meritoria; ſed eiuſmodi paſſio, & mors fuit acceptata à Chriſto ex præcepto Patris, vt infra q. 47. art. 2. ad 1. docet S. Thom. & patet ex illo Ioan. 10. [Ego pono *Ioan. 10* animam meam, & iterum ſumam eam: nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo

habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eã, hoc man datum accepi à Patre meo.] & cap. 14. [Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.] & ad Hebræos 10. [Tunc dixi ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.] ergo meruit per actum formalem obedientiæ, quo obediuit præcepto moriẽdi à Patre impoſito.

Heb. 10

9 SEcunda concluſio. Chriſtus nõ ſolum meruit per paſſionem, & mortem, quantum ad circumſtantias intenſionis actus, loci, & temporis, &c. ſed etiam ſecũdum ſubſtantiam actus paſſionis, & mortis. Hæc concluſio non eſt adeo certa, ſicut præcedens, mihi tamen certiſſima videtur, & oppoſita improbabilis, & parum conſentanea locis Scripturæ ſupra inductis, in quibus meritum tribuitur paſſioni, & morti Chriſti, nedum quantum ad circumſtantias, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam actus, & probatur efficaci argumento. Chriſtus meruit formaliter per actum obedientiæ, vt patet ex verbis inductis Apoſtoli: [Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.] ergo meruit per ſubſtantiam paſſionis, ſecundũ quod erat in præcepto, & non per ſolas circumſtantias, quæ in præcepto non erant. Probatur conſequẽtia, quia obedientia formaliter ſupponit præceptum.

Phil. 2.

10 Præterea probatur deſtruendo fundamentum potiſſimũ ſententiæ cõtrariæ. Ex eo enim probat, Chriſtum non meruiſſe per ſubſtantiam paſſionis, quæ erat in præcepto, ſed ſolum per circumſtantias, quæ in præcepto non erant; quoniam libertas arbitrij, quæ ad merendũ requiritur, non potuit eſſe in anima Chriſti ſimul cũ præcepto moriendi, eo quòd non potuit non obedire præcepto impoſito, quia non potuit peccare: peccaret autem peccato inobedientiæ, ſi non obediret præcepto: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Minor probatur. Vt ſæpe docet ſanctus Thomas, & Auguſtinus: ad libertatem arbitrij nõ requiritur neceſſario facultas ad oppoſita contrariè, nimirum ad faciendum bonum, & malum; ſed ſufficit facultas ad oppoſita contradictoriè, vt ad operandũ, & non operandum: aliàs in Deo non eſſet liberum arbitrium; quia malum, aut peccatum operari non poteſt, ſed ſolum bonum: conſequens autem admitti non poteſt, vt 1. p. q. 19. art. 10. oſtendit S. Thomas: ergo, etiam ſi Chriſtus non potuerit peccare inobediendo præcepto, adhuc liberè paſſus eſt, & mortuus; quia re vera poterat mori, & non mori abſolutè loquendo, iuxta illud Iſaiæ 53. [Oblatus eſt quia ipſe voluit.] & Ioan. 10. [Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam: nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.] Ecce Chriſtus Dominus fatetur, ſimul cum præcepto moriendi ſibi impoſito à Patre, ſe habere liberam poteſtatem, & facultatem, qua poterat non mori ſi vellet; quamuis hæc duo non eſſent ſimul compoſſibilia, quòd nimirum eſſet impoſitum Chriſto Domino præceptum moriendi, & ipſe mortem non ſubiret.

S. Tho. 1. par q. 62. art. 8. ad 3. & q. 24 de verit. art. 3. ad 2. & 3 Auguſt. lib. 2 de vitijs, & cõcup. cap. 28 & lib. 12 de ciuit. Dei c. 11.

Iſai. 53. *Ioa.* 10.

Confirmatur. Paſſio, & mors Chriſti non habebat ex natura rei

Digitized by Google

neceſſariam connexionem cum bono in communi ad quod naturaliter determinatur volũtas: nec etiã cum bono diuino; quoniam abſolutem loquendo abſque paſſione, & morte Chriſti poterat vtraque ſaluari: ergo non obſtante præcepto Patris libere voluit Chriſtus mori, & non ex aliqua neceſſitate abſoluta, quæ præiudicat libertati.

Præterea probatur. Chriſtus Dominus habuit præceptum patiendi
12 mortem non ſolum quantum ad ſubſtantiam actus, ſed etiam quantum ad omnes eius circumſtantias loci, temporis, &c. qnia tam mors, quam omnes eius circumſtantiæ fuerunt à Deo prædefinitæ, vt in libro. 12. de auxilijs diſp. 22. nu. 18.
Lucæ 22 oſtendi, id quod etiam colligitur ex
Act. 4 illo Ioan 14. [Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio] id eſt eo loco, & tẽpore, & cum prædefinitis circunſtãtijs: & Lucæ. 22. [filius hominis, ſicut definitum eſt, vadit] & Actorum. 4. [Conuenerunt aduerſus puerum ſanctum tuum Ieſum Herodes, & Pontius Pilatus facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri] ergo, ſi Chriſtus non meruit per paſſionem, & mortem, quantum ad ſubſtãtiam actus, quę fuit in pręcepto, ſequitur quod non meruerit per eius circumſtantias, & ita nullo modo meruiſſet per paſſionem, & mortem.

13 Tertia cõcluſio. Xpus Dominus meruit per actus obedientiæ quibus impleuit præcepta Decalogi tam affirmatiua; quã negatiua. Hæc concluſio eſt de mente S. Tho
S. Thom. mæ in 3. ſententiarum diſt. 18. q. 1. art. 5. vbi ait, quod Chriſtus meruit omnibus actibus ſuis, & probatur, quia, vt ſupra oſtenſu eſt, Chriſtus meruit per actum charitatis beatificæ, etiam vt terminatur ad Deũ. Ergo à fortiori meruit per alios actus virtutũ, quibus impleuit præcepta naturalia. Probatur conſequentia, quia non reperitur minor libertas in his actibus, quam in actu dilectionis beatificæ. Secundo probatur; nã aliàs ſubtraheremus à meritis Chriſti magnam partem meritorum eius: ſi quidem pluribus actibus impleuit præcepta iuris naturalis. Tertio probatur rationibus factis pro concluſionibus præcedentibus, etenim Chriſtus meruit implendo præceptum moriendi, vt oſtenſum eſt: ergo etiam meruit implendo præcepta iuris naturalis. Probatur conſequentia; quoniam ſicut eſt neceſſarium implere præcepta naturalia ad conſequendum, vel conſeruandum vltimum finem: ita etiam eſt neceſſarium implere diuina præcepta poſitiua, eo quod vltimus finis cum peccato mortali quod cõmittitur in tranſgreſſione præcepti, conſequi non poteſt, aut conſeruari, vt ſupradictum eſt. Explicare autem, quomodo fuerit libera in Chriſto obſeruantia præceptorum decalogi ea libertate, quæ requiritur ad meritum, habet non modicam difficultatem, quæ in ſolutione ad tertium argumentum erit explicanda. 14

Prima ſolutio. AD primum argumentum variæ ſolent adhiberi ſolutiones Prima eſt aſſerentium, in voluntate Chriſti cum præcepto non ſtare ſimul libertatem, quæ requiritur ad meritum: & hi vt explicent qualiter Chriſtus meruerit per paſſionẽ, & mortem varijs vijs procedunt. Quidam dicunt, Deum nullum pręceptum impoſuiſſe Chriſto, niſi præuiſa eius voluntate, ita nimirum, vt in priori ſigno rationis præuiderit

rit Deus voluntatem Chriſti determinatam ad ſubeundam mortem pro redemptione generis humani, & voluiſſe quod imponeretur illi præceptum moriendi, & propterea in ſecundo ſigno rationis Deus impoſuit illi præceptum, & hac ratione ex præintellecta, ſeu præuiſa voluntate Chriſti impletio præcepti fuit Chriſto libera, ac per conſequens meritoria. Sed hæc ſolutio videtur voluntaria, quia præceptum moriendi, quod Chriſtus habuit à Patre, non fuit inuentum voluntatis humanæ Chriſti, ſed diſpoſitio, & præordinatio prouidentiæ
Heb.10 diuinæ, vt conſtat ex illo ad Hebræos 10. [Ideo ingrediĕtis mundum dicit, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.] Tuam inquit, quia nimirum altiſſimo conſilio Sanctiſſimæ Trinitatis fuit decretum, vt Chriſtus pro ſalute generis humani moreretur quod etiam in-
Mat.26 dicant verba illa Chriſti. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis fiat.]& actorum 4. [Conuenerunt vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctũ Puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & cõſilium tuum decreuerunt
15 fieri.]Secunda ſolutio aliorum eſt,
2. Solu. quod Chriſto fuit impoſitum præceptum moriendi, quantum ad ſubſtantiam actus, non quantum ad circunſtantias loci, temporis, intenſionis actus &c. & ideo mors fuit Chriſto voluntaria, & libera, & conſequenter meritoria qnantum ad circunſtantias, non autem quantum ad ſubſtantiam mortis, quæ erat in præcepto. Hæc tamen ſolutio iam ſupra impugnata eſt ſufficienter, nã ex illa ſequeretur, quod Chriſtus non meruerit formaliter per actum obedientiæ, quod videtur contra loca ſcripturæ, ſupra inducta. Si dicatur, quod meruit per animi præparationem, quam habuit ad moriendum pro ſalute generis humani, etiam ſi non fuiſſet illi impoſitum præceptum moriendi, quoniam talis præparatio fuit libera in Chriſto, & conſequenter meritoria. Contra hoc redit idem argumentum, quoniam, vel illa præparatio animi fuit in præcepto, vel ſolum in conſilio. Si dicatur fuiſſe in præcepto, redit eadem difficultas de illa præparatione animi, quæ de ipſa morte, quantum ad ſubſtantiam actus. Si autem ſolum fuit in conſilio, non eſt proprie actus obedientiæ, vt dictum eſt 16

Tertia ſolutio aliorum eſt valde affinis præcedenti: Dicunt enim *3. Solu. M.Vazquez diſ 74. c.5.* quod in obſeruatione præcepti affirmatiui, libertas in Chriſto ea ſolum ratione defendi debet, vt in eo meritum conſtituamus, quia poſito quocunque præcepto liberum fuit Chriſto, ex hoc affectu numero, aut ex illo præceptum obſeruare, quia Chriſtus indifferens, ac proinde liber fuit non ad obſeruandum, & non obſeruandum præceptum, hoc eſt non ad faciendum opus præcepti, & illud omittendũ vniuerſim conſideratũ: ſed ad opus ſingulare, quod obſeruauit præceptum, quia potuit ex hoc, aut ex illo ſingulari affectu fortitudinis, & patiĕtiæ, & ex affectu miſericordiæ erga proximum præceptum obſeruare. Præterea potuit ex affectu huius virtutis cum tanta intenſione illud præceptum obſeruare, & cum maiori: quod probant, nam intenſio actus non cadit ſub præcepto,

Digitized by Google

pto, ergo Chriſtus non habuit præceptum tolerandi paſſionẽ, & mortem tanta intenſione, nec etiam habuit præceptum patiendi mortem, aut alios actus operandi ex ſingulari affectu fortitudinis, patientię, vel miſericordiæ, ſed hoc proceſſit ex indifferentia & libertate voluntatis Chriſti: & ideo habuit ſufficientem libertatem ad merendum. Et ad illam obiectionem, nam ſequeretur, quòd, ſi Deus imponeret præceptum Chriſto alicuius operis, nõ tantum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum tempus, locum, affectum, & intenſionem illius, ita vt nihil maneret, quod ſub præce-

17 pto non caderet, tunc Chriſtus non impleret libere tale præceptum, ac per conſequens eo opere præcepti non poſſet mereri. Reſpondent, quòd dato illo caſu nulla eſſet in Chriſto libertas in obſeruatione præcepti, nec meritum, quia tunc ita illud obſeruaret, vt nihil illius omittere poſſet: neque hoc, & alio actu, hoc, & illo loco, hoc, & illo affectu poſſet efficere, quod præcipiebatur: & addunt, ſe non videre, qua ratione id poſſit impugnari. Hæc etiam ſolutio vehementer diſplicet Thomiſtis, & merito; multa enim continet, quæ nullo modo videntur admittenda. Primo, nam id quod aſſerit, Chriſtum nimirum non fuiſſe liberum ad implendum, & non implendum præceptum, hoc eſt ad faciendum opus præcepti, & illud omittendum, videtur tollere libertatem, & meritum ab operibus Chriſti, quatenus erãt in præcepto, ac per conſequens Chriſtus nihil meruiſſet per actum obedientiæ in quantum actus obedientiæ actus fuit, ſed ſolum per id, quod erat in conſilio, quod videtur repugnare,

Vaſquez c.5.cit.n. 32.

tum verbis Apoſtoli. [Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum.] tum etiam rationi; quia fruſtra fuiſſet impoſitum Chriſto præceptum moriendi, nam tale præceptum repugnaret fini incarnationis, qui fuit, vt Chriſtus ſatisfaceret, & mereretur pro nobis. Secundo, quia, licèt Chriſtus non habuerit libertatem, ſeu facultatem ad peccandum, & non peccandum, ad implendum præceptum, & tranſgrediendum illud; quia peccatum repugnabat perſonæ Chriſti, vt dicetur inferius: nihilominus habuit veram facultatem, & poteſtatem, qua poſſet mori, & non mori, implere præceptũ, & non implere negatiuè, operari, & non operari opus præcepti ſibi impoſiti, quod ſufficit ad libertatem.

Phil. 2. Diſp. 68.

Aliter ergo reſpondetur ad argumentum, quod, non obſtante præcepto moriendi, libere Chriſtus mortuus eſt. Et cum arguitur, ſuppoſito præcepto Chriſtus non potuit non operari in indiuiduo, vel non mori. Reſpondetur, quòd abſolutè, & in ſenſu diuiſo, potuit non mori in indiuiduo, quamuis in ſenſu compoſito neceſſarium fuerit eũ mori neceſſitate infallibilitatis, & conſequentiæ quæ libertati non obſtat, vt diſp.25. de auxilijs oſtendi. Qualiter autem ſit intelligenda, & explicanda neceſſitas hæc in ſenſu compoſito, dixi ex profeſſo diſp.22 de Auxilijs, n.43. & diſp.29. & duabus ſequentibus, cum de efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ ageretur. Dicendum eſt ergo, Chriſtum non ex aliqua neceſſitate abſoluta, ſed libera ſua voluntate obediuiſſe in indiuiduo præcepto moriendi, vt dictum eſt, & in ſequentibus patebit

18 Legitima ſolutio.

19 tebit amplius. Et ratio huius aſſignari poteſt: nam mors, ſeu paſſio nullam habebat naturalem connexionem cum humana voluntate Chriſti Domini, ſed indifferentem, & liberã, quãtum eſt ex natura ſua, eo quod voluntas humana Chriſti non erat determinata ad ſubeundam mortem ex neceſſitate abſoluta, quæ quidem neceſſitas repugnat libertati. Vnde ſuppoſito præcepto liberè ſe determinauit ad ſubeundam mortem in indiuiduo cum omnibus ſuis circumſtantijs ex præcepto Patris, cui liberè ſubiecit humanam voluntatem, vt per paſſionem ſuam hominem, quem in charitate perpetua dilexit, à ſeruitute dæmonis liberaret. *Iſai.* 53. Vnde Iſaiæ 53. dicitur. [Oblatus eſt, quia ipſe voluit] *Ioa.* 10. & Ioan. 10. [poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam, &c.]

20 Ad ſecundum argumentum fatemur, neceſſitatem ad non peccandum fuiſſe in Chriſto neceſſitatem abſolutam propter rationes factas: ex hoc tamen non ſequitur, quod neceſſitas implendi præceptum ſit neceſſitas abſoluta obſtans libertati, & ratio huius eſt; quia poſſe peccare non eſt de eſſentia libertatis, ſed eius imperfectio, ſecundum quod reperitur in natura creata, quæ ex nihilo producta eſt, vt ex præmiſſis conſtat. Vt autem impletio præcepti fuerit libera in Chriſto, ſufficit, quod fuerit in eo vera facultas ad implendum, & non implendum præceptum negatiuè: ſicut ad obediendum liberè præcepto, ſatis eſt quod potuerit obedire, & non obedire negatiuè. Et cum arguitur; quia ſi non obediret præcepto, peccaret: ergo, ſi fuit in Chriſto neceſſitas abſoluta ad non peccandum, etiam fuit in illo 21 neceſſitas abſoluta ad implendum præceptum, ac per conſequens non meruit implendo præceptum moriendi. Reſpondetur, quòd non implere præceptum accipitur dupliciter, primo modo mere negatiuè, vt importat negationem actus obedientiæ, quæ quidem negatio dicitur tam de eo, quod eſt, quàm de eo quod non eſt: & hoc modo quando nullum eſt præceptum impoſitum alicui, vere affirmamus, quod ille non adimplet præceptum: & iſto modo non implere præceptum, nullum eſt peccatum. Secundo modo accipitur priuatiuè, ſeu contrariè, vt importat tranſgreſſionem præcepti, ſeu priuationem obſeruationis præcepti debitæ ineſſe: & hoc modo, ſicut Chriſtus non potuit peccare, ita etiam non potuit non implere præceptum. Ex hoc tamen non ſequitur, quod non impleuerit præceptum liberè; nam ad libertatem ſufficit facultas ad oppoſita contradictoriè; id eſt, ad implendum, & non implendum præceptum negatiuè: non autem eſt neceſſaria facultas ad oppoſita contrariè, vel priuatiuè, nimirum ad implendum præceptum, & non implendum priuatiuè, ſeu contrariè, vt dictum eſt. Neceſſitas ergo, quam habuit Chriſtus moriendi ex ſuppoſitione præcepti, non erat neceſſitas abſoluta, quia mors Chriſti quæ erat in præcepto, nullam habebat ex natura rei connexionem neceſſariam cum bono in communi, vel cum vltimo fine, ad quem erat naturaliter determinata voluntas Chriſti: nec præceptum inducebat in eamdem Chriſti voluntatem neceſſitatem abſolutam acceptãdi mortem, ſed ſolum neceſſitatem ſecundum

quid,

quid, & ex ſuppoſitione præcepti, ſicut de gratia efficaci mouente voluntatem hominis ad conſenſum diximus in libro de Auxilijs diſputatio. 22.23. & 25. & alijs pluribus in locis.

Ad tertium argumentum non eodem modo reſpondent Thomiſtę; Etenim Aſturicenſis quęſt.5.de gratia Chriſti pagin. 440. reſpondet. Suppoſito, quod Chriſtus Dominus ſecundum partem inferiorem fuit viator, etiam ſi per viſionem beatificam euidenter iudicauerit, Deum eſſe ſummum bonum, & ſummè diligibilem abſolutè: nihilominus in quantum præcipiebat aliqua minus conuenientia, aut ſuauia parti inferiori animæ Chriſti, aut etiam nociua, vt eſt ieiunare, mortem pati, diligere inimicos, & ſimilia: eius voluntas non plene, & totaliter determinabatur ad implendum præcepta iuris naturalis, quorum obſeruatio erat minus grata, & conueniens appetitui ſenſitiuo, ac per conſequens non plenè fuit determinata eadem Chriſti voluntas ad diligendum ipſum Deum, qua ratione erat legiſlator: vnde manebat ſufficiens libertas ex hac parte in voluntate Chriſti ad implendum, vel refugiendum eiuſmodi præcepta, & propterea meruit ea implendo.

Hæc ſolutio, quamuis videatur apparens, eſt multum difficilis, & minime neceſſaria ad ſoluendum argumentum, quia ſola voluntas ſenſualitatis, aut voluntas, vt natura, potuit per actum conditionatum refugere ea, quæ erant nociua, vel contraria ſenſui, ſicut cum dixit [Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.] Voluntate autem rationali, aut deliberata non potuit *Mat.26* in ſenſu compoſito anima Chriſti ea refugere, quę erāt in pręcepto, quia vt infra q.19.art.5. docet S. Thom. voluntas deliberata in Chriſto ſemper fuit conformis voluntati diuinæ: Ergo voluntate deliberata, ſeu libera neceſſitabatur anima Chriſti ad obſeruantiam præceptorum naturalium eadem neceſſitate, qua erat determinata ad finem, ſcilicet ad diligendum Deum clare viſum. Etenim obſeruantia præceptorum naturalium habet connexionem intrinſecā ex natura rei cum vltimo fine: ergo iuxta hanc ſolutionem actus voluntatis rationalis, ſeu deliberatæ in Chriſto, quo acceptauit, & ſeruauit præcepta naturalia, non eſſet liber, & conſequenter nec meritorius; quia in ſola voluntate ſenſualitatis, aut voluntate, vt natura eſt, non poteſt meritum ſaltem perfectum conſiſtere. Reſpondetur ergo aliter ad argumentum, iuxta ea, quæ diſputatione præcedenti dicta ſunt; quòd anima Chriſti non neceſſitabatur maiori neceſſitate ad implēda præcepta decalogi, quā ad diligendum Deum clarè viſum. Sicut ergo in illo actu dilectionis Dei erat ſufficiens libertas ad meritum, quatenus videlicet diuina bonitas erat ratio diligendi in exercitio creaturas, præſertim rationales, iuxta ea, quæ dicta ſunt diſputatione præcedenti: ita etiam in obſeruatione præceptorum decalogi Chriſtus habuit ſufficientem libertatem ad meritum, quatenus videlicet ex imperio charitatis actus virtutum impletiui præceptorum naturalium ordinabantur ad ipſum Deum, & ad infinitam eius bonitatem, ſecundum quod eadem bonitas erat in exercitio ratio diligendi creaturas, præſertim homines,

nes,

nes, ad quorum exemplum, & ſalutem Chriſtus eadem præcepta ſeruauit.

24 Ad cōfirmationem negatur conſequentia. ad probationem reſpondet Aſturicenſis vbi ſupra, non eſſe eandem rationem de anima Chriſti, dum erat in corpore mortali, & de alijs beatis: & aſſignat diſcrimen in hoc, quod reſpectu aliorum beatorum, qui ſecundum partem inferiorem non ſunt viatores, obſeruatio præceptorum naturalium, non potuit apprehendi, vt ſibi nociua, & contraria ſecundum appetitum ſenſitiuum: Cæterum à Chriſto potuit apprehendi, vt aduerſa eidem appetitui ſenſitiuo, & ideo obſeruatio præceptorum naturaliū fuit libera in Chriſto, quoad exercitium; non autem eſſet libera in alijs beatis. Melius tamen reſpondetur, iuxta ſupradicta, quòd obſeruatio præceptorum naturalium, ſi occureret alijs beatis, non ordinaretur tanquam ad finem proximum ad ſalutem hominum, & eorum inſtructionem, & exemplum ſicut ordinata fuit in Chriſto, qui in terris viſus eſt, & cū hominibus conuerſatus: & ideo ſecundum aliquam rationem eadem obſeruatio fuit libera in Chriſto, ſecūdum quā non eſſet libera in alijs beatis.

Idem etiā Aſturic. q. 1. pag. 47.

25 Ad quartum omnes Theologi fatentur, Chriſtum poſt mortem nihil meruiſſe: ita docet S. Thomas infra q. 19. art. 3. ad. 1. q. 50. art. 6. ad 2. & q. 56 art. 6. ad 3. Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 1. nam vt dicitur ad Hæbreos 10. Chriſtus [vna oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos.] Et ratio id ſuadet; quia ſolum tēpus vitæ præſentis, in quo homo eſt viator, eſt tempus merendi, vel demerendi: cui cōſonat illud Ioannis [Me [illegible]et operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt. Venit autem nox in qua nemo poteſt operari,] vbi per diem, tempus vitæ præſentis, per noctem vero mortis tempus deſignatur vt cōmuniter explicant doctores ſancti. Quo ſuppoſito ad argumentum adhiberi ſolent plures ſolutiones. Prima eſt iuxta ſententiam eorum, qui ſentiunt, hominem deſinere per vltimum ſui eſſe ſicut & alias ſubſtantias: & iuxta hanc ſententiam dicendum eſſet, Chriſtum meruiſſe per paſſionem, etiam in ipſo inſtanti mortis, quo eius anima ſanctiſſima fuit à corpore ſeparata, ac per conſequens meruiſſe per mortem in vltimo inſtanti, quo anima eius fuit in corpore mortali. Sed quoniam ſententia communis philoſophorum eſt, ſubſtantias corporeas incipere per primum ſui eſſe, & deſinere per primum non eſſe, ideo hæc ſolutio tanquam philoſophicis principijs aduerſa nō eſt admittenda. Secunda ſolutio eſt, meruiſſe Chriſtum per mortem in ipſo inſtanti, quo anima fuit à corpore ſeparata, nimirum in primo non eſſe animæ in corpore. Et ad argumentum in contrarium reſponderi ſolet, non eſſe inconueniens quòd in primo non eſſe animæ in corpore ſit meritum, non tanquam in pura via, ſed tanquam in termino viæ; Ita ſentit Caietanus prima parte, q. 63. art. 6. & idem videtur dicere loquens de Anima Chriſti in hac tertia parte. q. 50. art. 6. Cōfirmari poteſt hæc ſolutio exemplo deſumpto ex cauſalitate ſacramentorum; etenim contingere poteſt, quòd qui recipit ſacramentum baptiſmi verbi gratia, deſtinat eſſe in eodem inſtante extrinſeco, in

Ioan. 9.

26 Secunda ſolutio.

27

quo

beatam, & vt cognitum per ſcientiam inditam,ſimul fuerunt in anima Chriſti, quamuis ſolo numero differant.Ita reſpondet Suarez, & Aſturicẽſ. vbi ſupra;ſed reuera hæc ſolutio pugnat apertè cum doctrina S.Thomæ infra q. 35. art. 5. vbi ex eo probat, quod duæ paternitates naturales ſolo numero differentes etiam reſpectu diuerſorum filiorum,non poſſunt eſſe ſimul in eodem,quia duæ formæ eiuſdem ſpeciei nõ poſſunt eſſe ſimul.Itẽ etiam in eodem art.5.docet, quod vnitas numeralis relationis ſumitur ex ſubiecto, & idem dicit quodlibeto primo art.2. quod probat:quia magiſter eſt vna relatione magiſter omnium quos docet, quamuis ſint multi reſpectus; aliàs ſi ſecundum omnes illos reſpectus multiplicarentur realiter relationes in vno corpore, ſequeretur, quod in vno eſſent accidentia infinita, vel indeterminata, & tamen paternitas eſt accidens reſpectiuum: ergo iuxta doctrinam S.Thomæ duo accidẽtia etiam reſpectiua ſolo numero differentia, nõ poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto: ergo impoſſibile eſt, quod duo actus charitatis ſolo numero differentes ſimul ſint in anima Chriſti. Ratione impugnatur eadem ſolutio. Diſtinctio, quæ ſumitur ex terminis in accidentibus reſpectiuis eſt ſpecifica, nã relatio ſpecificatur à ſuo termino: ergo ex terminis nõ ſumitur ſola diſtinctio numerica.Cõfirmatur:Omne accidens etiam ſi dicat ordinem ad obiectum, vel terminum extrinſecum indiuiduatur à ſubiecto, in quo habet eſſe. Theologia enim quæ eſt in Petro, licet importet reſpectum ad obiectum extrinſecum, non diſtinguitur numero à Theologia, quæ eſt in Paulo, niſi quia eſt in diuerſo ſubiecto: ergo.

Tertiam ſolutionem addit Aſturicen.quòd ſcilicet vnus,& idem actus eſt charitatis, qui in Anima Chriſti ſequitur ſcientiam beatã,& qui regulatur per ſciẽtiam inditã, tamen vt ſequitur ſcientiam beatã nõ eſt meritorius, quia ſub hac ratione eſt ſimpliciter neceſſarius: Cęterum,vt ſequitur ſcientiam inditam eſt meritorius: nam ſub hac ratione induit quemdam modum libertatis,quoniam anima Chriſti, cognoſcens Deum per ſcientiã infuſam, virtualiter complacebat de dilectione beatifica, & liberè diligeret Deũ cognitũ per eamdẽ ſcientiam inditam, niſi dilectione beatifica eum abſoluta neceſſitate amaret. Hæc autem ſolutio ex eo non videtur ſufficiens, nam iuxta illam Chriſtus non meruiſſet per formalẽ actum charitatis liberum, ſed ſolũ per virtualem,quẽ habebat in pręparatione animi, quod tamen non videtur congruere cum verbis illis Ioan. 14. [vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater,ſic facio.] vbi ſignificatur, Chriſtum re vera meruiſſe,Deum amando, quod de formali amore libero intelligendũ eſt,non autem de dilectione neceſſaria in re, & libera in ſola præparatione animi.Accedit ad hoc,ꝙ S. Thom.locis ſupra cit.tribuit meritũ dilectioni beatificæ,qua anima Chriſti diligebat Deum; quia licet ſub vna ratione ſit neceſſaria neceſſitate abſoluta, ſub alia tamen ratione ſuperius explicata fuit libera ea libertate, quæ ſufficit ad meritum,vt ex præmiſſis conſtat. 17

AD primum argumentum factũ pro prima ſententia,fatemur Chri- 18

Chriſtum non meruiſſe per actum dilectionis regulatum ſcientia infuſa, non quidem propter rationem tactam in argumento: etenim S. Thom. loco allegato, ſolum negat Chriſtum per ſcientiam inditā cognouiſſe diuinam eſſentiam cognitione ſciētifica, ſeu quidditatiua, vt patebit infra: ſed quia cum dilectione beatifica non eſt cōpoſſibilis in anima Chriſti alius actus dilectionis Dei, vt ſupra oſtenſum eſt; meruit tamen per actum dilectionis beatificæ, vt ex præmiſſis conſtat: & per hæc patet ſolutio ad ſecundum cum ſua confirmatione.

19 Ad tertium argumentum iā patet ex dictis, qualiter in dilectione beatifica animę Chriſti, vt terminatur ad Deum, fuerit ſufficiens libertas ad meritum: nec eſt aliquis Doctor Catholicus, qui ſentiat libertatem actus, non eſſe ad meritum neceſſariam.

20 Ad quartum negatur conſequentia, & ratio diſcriminis eſt, quia viſio beatifica omni ex parte, & ſecūdum omnē rationem erat actus neceſſarius, & nullo modo liber. Cæterū dilectio beatifica animæ Chriſti ſub aliqua ratione ſuperius explicata fuit re vera actus liber; vnde nō eſt ſimile. Et ad probationem conſequentiæ dicendum ſimiliter, quod viſio beatifica ſecundum omnem rationem, erat actus comprehenſoris: dilectio autem beatifica, quamdiu anima Chriſti informauit corpus mortale, fuit ſub aliqua ratione actus viatoris, vt dictum eſt. Eſt & alia differentia, nam gratia eſt principium merendi per charitatem, quæ ordinat actus aliarum virtutum in vltimum finem, vt 1.2. q. 114. art. 4. docet S. Tho. non autē eſt principium merendi per viſionem beatificā, vnde non eſt ſimile.

Sed contra obijcit Suarez Diſp. 39. cit. §. dico ergo. Non poteſt idē actus numero, prout tendit in idem indiuiſibile obiectum, atque adeo ſecundum eādem indiuiſibilem entitatē eſſe liber, & neceſſarius, quia hæ duæ proprietates includunt contradictionem: ergo non poteſt idem actus indiuiſibilis charitatis cōprehenſoris, vt terminatur ad Deum clarè viſum, eſſe actus neceſſarius & actus liber, ac per cōſequens dilectio beatifica nulla ratione potuit in anima Chriſti eſſe meritoria. Reſpondetur, quod idem actus numero indiuiſibilis poteſt ſimul eſſe neceſſarius, & liber reſpectu eiuſdē obiecti diuerſimodè cōſiderati; nā, vt ſupra diximus, Deus eodem actu ſimpliciſſimo diligit neceſſario ſuā bonitatem abſolutè conſideratam, & ſimiliter diligit liberè eandem bonitatem, ſi cōſideretur quatenus in actuali exercitio eſt ratio formalis diligendi creaturas, & earum principium effectiuum, & finis vltimus: quia libere, & non ex neceſſitate naturæ eas produxit in eſſe. 21

Ad quintum argumentū reſpondetur. S. Tho. expreſſe docuiſſe noſtrā ſententiam, vt patet ex locis ſupra dictis, neque in q. 19. ſupra allegata docet oppoſitū, ſed potius cōfirmat noſtrā concluſionem: nam per verba inducta ſolum voluit ſignificare, quod conditio requiſita ex parte ſubiecti, vt charitas ſit meritoria; eſt, quod ſit viatoris ſaltem ſecundum corpus: Quæ explicatio colligitur ex eodem contextu: nam ſtatim ſubdit, quod nunc in patria Chriſtus non meretur per eandem charitatē, quia nullo modo eſt viator, neque in ſtatu merēdi: ergo intellexit S. Doctor, quòd, quando 22

Chriſtus erat viator, meruit per dilectionem beatificam.

23 Ad ſextum reſpondetur. Charitas, quæ ſequitur viſionem beatificam, non fuit in anima Chriſti terminus meriti, quia Chriſtus non meruit ſibi gloriã animæ, nec fruitionem diuinæ eſſentiæ, vt patebit infra, & ideò illa charitas potuit eſſe in Chriſto principium merendi gloriã corporis, & alia bona, quæ in ſe, & in ſuis membris in præmiũ ſuorũ laborum accepit, iuxta illud Pſalm.2.[Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ:]Solũ ergo concludit argumentum, quòd Chriſtus nõ meruerit gloriam animæ ad quam pertinebat charitas, ſed gloriã corporis, vt dictum eſt. Solutio S.Tho.q.29.de verit. art.6. ad 6. Explicari poteſt amplius hæc ſolutio optimo exemplo; etenim gratia habitualis, quia eſt principiũ merendi, non poteſt eſſe terminus eiuſdem meriti, cuius eſt principiũ effectiuum. Eadẽ tamen gratia habitualis ſub maiori perfectione poteſt eſſe, & de facto eſt terminus alterius actus meritorij, videlicet illius, qui procedit à præexiſtẽti gratia habituali, & auxilio diuino, quia homo iuſtus per ſuos actus meretur augmentum habitus gratiæ, & charitatis præexiſtentis, vt Diſp.60.de Aux.nu.12. viſum eſt.

24 Ad ſeptimũ reſpondetur, nõ eſſe conſtituendum in anima Chriſti actum charitatis regulatũ per ſcientiã inditã, realiter diſtinctũ ab actu charitatis beatificæ, vt ſupra oſtenſum eſt. Sed dicet quis: In Angelis ponitur duplex dilectio, altera naturalis, altera electiua, vt cõſtat ex S. Tho.1.p.q.60.art.1. & 2. ergo & in anima Chriſti poterit conſtitui duplex actus dilectionis, alter beatificus, quo per modum naturæ diligit Deum clarè viſum, alter electiuus regulatus per ſcientiam inditam. Reſpondetur negando conſequentiã, & ratio eſt, nam Angelus, aut homo non diligit ſe dilectione naturali, & electiua ſecundum idẽ, ſed ſecundum diuerſa, vt dicit S. Tho. 1.p.q.60.ar.3.ad 1. & ar.2. in corp. Cæterum actus charitatis animæ Chriſti, ſiue reguletur per ſcientiã beatam, ſiue per ſcientiã inditam, ſemper fertur in Deũ, ſecundum idem, quia eadẽ prorſus bonitas diuina, quæ eſt vltimus finis omnium creaturarum, eſt quæ diligitur per charitatem. Nec eſt inconueniens, quod idẽ numero actus charitatis Chriſti, vt terminatur ad Deum reguletur per ſcientiam beatam, & infuſam, quia iſtæ duæ regulæ non ſunt diſparatæ, vel repugnantes, ſed cõpoſſibiles in anima Chriſti, quarum vna ſubordinatur alteri.

Obiect.

Solutio.

S.Thom.

DISPVTATIO XLVI.

Vtrum Chriſtus meruerit formaliter per actum obediẽtiæ, quo impleuit præceptum moriendi, vel alia præcepta Decalogi.

1 QVidã dixerunt, ex vi hypoſtaticæ vnionis determinatã fuiſſe Chriſti Dñi voluntatẽ ad implenda omnia præcepta ſibi à Patre impoſita, atq; adeo ad non peccandum; non fuiſſe tamen determinatam, neque ad modos & circumſtantias operãdi, neque etiam ad operum perfectionem, neque (vt multi volunt) ad ipſam actionum ſubſtantiam: & idem ſentient à fortiori de præceptis Decalogi. Et cum auctores huius ſententiæ exiſtiment, determinatio-

Doct. Maſcareñas tract. de Auxil. p. 5. diſp. 2. nu. 30. Fõſeca 6. Metaph. c. 2. q. 5. ſect. 6.

nationem Dei antecedentem præſcientiam liberæ cooperationis arbitrij creati, multum præiudicare eius libertati, conſequenter fateri tenentur, Chriſtũ non meruiſſe formaliter per obſeruantiam præcepti Patris, vel aliorum præceptorũ Decalogi, quãtum ad ſubſtantiã actus, quia cum præcepto nõ ſtat ſimul in Chriſto libertas ad non implendum præceptum, ſed ſolum quantum ad aliquas circumſtantias, quæ nõ fuerunt in præcepto, ſed relictę ſunt liberæ voluntati humanitatis Chriſti. Probari poteſt hæc ſententia

2 PRimo. Chriſtus ex neceſſitate adimpleuit pręceptum moriendi, quantum ad ſubſtantiã: ergo non meruit illud adimplendo, quantum ad ſubſtantiam, ſed ſolum quantum ad modum intenſionis actus, vel quãtum ad alias circumſtantias loci, temporis, &c. quæ non erant in præcepto. Conſequentia eſt nota, quoniam ad meritum neceſſaria eſt libertas actus, vt ſupra dictum eſt. Antecedens autem probatur. Chriſtus non potuit non obedire præcepto, quia non potuit peccare: ergo ex neceſſitate, & non liberè adimpleuit illud. Si dicatur, neceſſitatem illam implendi pręceptum moriendi, non eſſe abſolutam, ſed conditionatam, & ex ſuppoſitione, quæ libertati non obſtat contra hoc eſt.

3 Secundum argumentum. Neceſſitas ad non peccãdum erat in Chriſto neceſſitas abſoluta: ergo neceſſitas ad ſeruandum pręceptum erat neceſſitas abſoluta, ac per conſequens non meruit per obſeruantiam præceptorum. Antecedẽs probatur. Neceſſitas ad non peccandum in voluntate Chriſti proueniebat tum ab intrinſeco ratione ſuppoſiti Verbi diuini, cui omnino repugnat peccare: tum etiam ratione claræ viſionis Dei, & charitatis beatificæ, quæ ab intrinſeco neceſſitabat voluntatem Chriſti ad amandum Deum ex charitate, cui repugnat peccatum mortale: ergo neceſſitas ad non peccandum erat in Chriſto neceſſitas abſoluta; neceſſitas enim ab intrinſeco eſt abſoluta. Conſequentia verò probatur; quia tanta neceſſitas erat in voluntate Chriſti ad obſeruantiam præcepti, quanta fuit neceſſitas ad non peccandum: quod ex eo patet; quia, ſi non impleret præceptum, peccaret.

4 Tertio, idipſum probatur ſpecialiter de præceptis Decalogi. Eadem neceſſitate, qua voluntas neceſſitatur ad amandum finem; neceſſitatur etiam ad media, quæ intrinſece, & ex natura rei ſunt neceſſaria ad conſequendum talem finem, vel illum conſeruandum; ſed voluntas humana Chriſti neceſſitate abſoluta neceſſitabatur ad vltimum finem, ſcilicet ad diligendum Deum clarè viſum: ergo eadem neceſſitate verè neceſſitabatur ad implenda præcepta Iuris naturalis. Probatur conſequentia: nam obſeruantia talium præceptorum ab intrinſeco, & ex natura rei eſt medium ſimpliciter neceſſariũ ad conſequendum, & conſeruandum vltimum finem, qui in clara viſione, & dilectione Dei conſiſtit, cum beatitudo eſſe non poſſit ſimul cum peccato mortali, vt 1.2.q.4.art.4. docet S. Thomas.

5 Confirmatur. Si alijs beatis occurreret ſeruandum aliquod præceptum Iuris naturalis, ipſa voluntas beati naturali determinatione inclinaretur abſque vlla libertate ad præceptum illud ſeruandum;

quia naturaliter eſt determinata ad finem, qui cum tranſgreſſione præceptorum naturalium conſeruari non poteſt: ergo idem erit dicendum de anima Chriſti beata, etiam dum erat in corpore paſſibili, nam ſecundum animam ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus.

6 Quarto. Mors ipſa Chriſti, vt importat ſeparationem animæ à corpore, non fuit meritoria: ergo Chriſtus non meruit aliquid implendo præceptum moriendi. Probatur cõſequentia; nam præceptum illud impletum fuit in ſeparatione animæ à corpore. Antecedens autem probatur: nam aliàs ſequeretur, quòd Chriſtus meruiſſet in inſtanti, in quo eius anima non erat in corpore, quod eſt inconueniens. Probatur. Anima per mortem deſinit eſſe in corpore per primum non eſſe, in quo deſinit eſſe homo, quia, vt dicitur in 3. Phyſic. ſubſtantiæ permanentes corporeæ incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per primum non eſſe: ergo in inſtanti mortis, verum fuit dicere, anima Chriſti nunc non eſt in corpore, & immediatè antea fuit in corpore: ergo, ſi meruit in ipſo inſtanti mortis, ſequitur, quòd meruerit in inſtanti, quo anima erat ſeparata à corpore, quod videtur inconueniens, & contra illud Apoſtoli 2. Cor.5. [Dũ ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.] & iterũ ait eodem cap. [Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.] Ex quibus verbis habetur, tempus meriti eſſe illud ſolum, quo anima eſt in corpore.

7 PRima nihilominus cõcluſio ſit. Chriſtus Dominus meruit per actum obedientiæ formaliter, quo obediuit præcepto Patris moriendi pro ſalute generis humani. Hæc concluſio, vt iacet, non poteſt ab vllo catholico negari; nam aperte colligitur ex multis locis Scripturæ: præſertim ex illo ad Philip. 2. [Semetipſum exinaniuit factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.] *Phili.2.* & Iſaiæ 53. [Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.] *Iſai.53* & paulo inferius: [Pro eo quod laborauit, videbit, & ſaturabitur.] Quibus in locis præmium magnum repromittitur, nedum circumſtantijs, ſed ipſi ſubſtantiæ paſſionis, & mortis. Item etiam Lucæ 24. dixit Dominus duobus *Luc.24.* diſcipulis euntibus in Emaus: [Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?] quaſi diceret; merito paſſionis gloriam corporis, & exaltationem ſui nominis Chriſtum dominum conſequutum fuiſſe.

Secundo probatur. Chriſtus per 8 paſſionem, & mortem ſatisfecit de toto rigore iuſtitiæ, vt ſupra oſtenſum eſt: *Diſp. 4.* ergo meruit per eandem paſſionem, & mortẽ. Probatur conſequentia: nam cum illa ſatisfactio fuerit viatoris, & libera, & habuerit omnes alias conditiones requiſitas ad meritum, vt patebit ex ſolutione argumentorum, non potuit non eſſe meritoria; ſed eiuſmodi paſſio, & mors fuit acceptata à Chriſto ex præcepto Patris, vt infra q.47. art.2. ad 1. docet S.Thom. & patet ex illo Ioan. 10. *Ioan.10* [Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam: nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo

habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eã, hoc mandatum accepi à Patre meo.] & cap. 14. [Sicut mandatum dedit mihi

Heb. 10 Pater, ſic facio.] & ad Hebræos 10. [Tunc dixi ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.] ergo meruit per actum formalem obedientiæ, quo obediuit præcepto moriẽdi à Patre impoſito.

9 Secunda concluſio. Chriſtus nõ ſolum meruit per paſſionem, & mortem, quantum ad circumſtantias intenſionis actus, loci, & temporis, &c. ſed etiam ſecũdum ſubſtantiam actus paſſionis, & mortis. Hæc concluſio non eſt adeo certa ſicut præcedens, mihi tamen certiſſima videtur, & oppoſita improbabilis, & parum conſentanea locis Scripturæ ſupra inductis, in quibus meritum tribuitur paſſioni, & morti Chriſti, nedum quantum ad circumſtantias, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam actus, & probatur efficaci argumento. Chriſtus meruit formaliter per actum obedientiæ, vt patet ex verbis in-

Phil. 2. ductis Apoſtoli: [Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.] ergo meruit per ſubſtantiam paſſionis, ſecundũ quod erat in præcepto, & non per ſolas circumſtantias, quæ in præcepto non erant. Probatur conſequẽtia, quia obedientia formaliter ſupponit præceptum.

10 Præterea probatur deſtruendo fundamentum potiſſimũ ſententiæ cõtrariæ. Ex eo enim probat, Chriſtum non meruiſſe per ſubſtantiam paſſionis, quæ erat in præcepto, ſed ſolum per circumſtantias, quæ in præcepto non erant; quoniam libertas arbitrij, quæ ad merendũ requiritur, non potuit eſſe in anima Chriſti ſimul cũ præcepto moriendi, eo quòd non potuit non obedire præcepto impoſito, quia non potuit peccare: peccaret autem peccato inobedientiæ, ſi non obediret præcepto: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Minor probatur. Vt ſæpe docet ſanctus Thomas, & Au- S.Tho. 1. par q 62. art. 8. ad 3. & q 24 de verit. art. 3. ad 1 & 3 Auguſt. lib. 2 de vitijs, & cõcup. cap. 28 & lib. 12 de ciuit. Dei c. 1.

guſtinus: ad libertatem arbitrij nõ requiritur neceſſario facultas ad oppoſita contrariè, nimirum ad faciendum bonum, & malum; ſed ſufficit facultas ad oppoſita contradictoriè, vt ad operandũ, & non operandum: aliàs in Deo non eſſet liberum arbitrium; quia malum, aut peccatum operari non poteſt, ſed ſolum bonum: conſequens autem admitti non poteſt, vt 1. p. q. 19. art. 10. oſtendit S. Thomas: ergo, etiam ſi Chriſtus non potuerit peccare inobediendo præcepto, adhuc liberè paſſus eſt, & mortuus; quia re vera poterat mori, & non mori abſolutè loquendo, iuxta illud Iſaiæ 53. [Oblatus eſt quia ipſe voluit.] *Iſai.* 53.

& Ioan. 10. [Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam: nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.] *Ioa.* 10.

Ecce Chriſtus Dominus fatetur, ſimul cum præcepto moriendi ſibi impoſito à Patre, ſe habere liberam poteſtatem, & facultatem, qua poterat non mori ſi vellet; quamuis hæc duo non eſſent ſimul compoſſibilia, quòd nimirum eſſet impoſitum Chriſto Domino præceptum moriendi, & ipſe mortem non ſubiret.

Confirmatur. Paſſio, & mors Chriſti non habebat ex natura rei

Digitized by Google

neceſſariam connexionem cum bono in communi ad quod naturaliter determinatur volūtas : nec etiā cum bono diuino;quoniam abſolutem loquendo abſque paſſione, & morte Chriſti poterat vtraque ſaluari : ergo non obſtante præcepto Patris libere voluit Chriſtus mori, & non ex aliqua neceſſitate abſoluta,quæ præiudicat libertati.

Præterea probatur. Chriſtus Dominus habuit præceptum patiendi
12 mortem non ſolum quantum ad ſubſtantiam actus,ſed etiam quantum ad omnes eius circumſtantias loci,temporis,&c. quia tam mors, quam omnes eius circumſtantiæ fuerunt à Deo prædefinitæ,vt in libro.12. de auxilijs diſp. 22. nu.18.
Lucæ 22 Act. 4 oſtendi,id quod etiam colligitur ex illo Ioan 14. [Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio]id eſt eo loco,& tēpore,& cum prædefinitis circunſtātijs:& Lucæ. 22.[filius hominis,ſicut definitum eſt,vadit] & Actorum.4. [Conuenerūt aduerſus puerum ſanctum tuum Ieſum Herodes,& Pontius Pilatus facere quæ manus tua,& conſilium tuum decreuerunt fieri]ergo, ſi Chriſtus non meruit per paſſionem,& mortem,quantum ad ſubſtātiam actus, quę fuit in pręcepto,ſequitur quod non meruerit per eius circumſtantias, & ita nullo modo meruiſſet per paſſionem,& mortem.

13 Tertia cōcluſio.Xpus Dominus meruit per actus obedientiæ quibus impleuit præcepta Decalogi tam affirmatiua; quā negatiua. Hæc concluſio eſt de mente S. Tho-
S. Thom. mæ in 3. ſententiarum diſt.18.q.1. art.5.vbi ait,quod Chriſtus meruit omnibus actibus ſuis,& probatur, quia,vt ſupra oſtenſu eſt, Chriſtus meruit per actum charitatis beatificæ,etiam vt terminatur ad Deū. Ergo à fortiori meruit per alios actus virtutū,quibus impleuit præcepta naturalia. Probatur conſequentia,quia non reperitur minor libertas in his actibus,quam in actu dilectionis beatificæ. Secundo probatur; nā aliàs ſubtraheremus à meritis Chriſti magnam partem meritorum eius:ſi quidem pluribus actibus impleuit præcepta iuris naturalis. Tertio probatur rationibus factis pro concluſionibus præcedentibus, etenim Chriſtus meruit implendo præceptum moriendi,vt oſtenſum eſt: ergo etiam meruit implendo præcepta iuris naturalis. Probatur conſequentia;quoniam ſicut eſt neceſſarium implere præcepta naturalia ad conſequendum, vel conſeruandum vltimum finem: ita etiam eſt neceſſarium implere diuina præcepta poſitiua, eo quod vltimus finis cum peccato mortali quod cōmittitur in tranſgreſſione præcepti, conſequi non poteſt, aut conſeruari, vt ſupradictum eſt. Explicare autem,quomodo fuerit libera in Chriſto obſeruantia præceptorum decalogi ea libertate, quæ requiritur ad meritum, habet non modicam difficultatem, quæ in ſolutione ad tertium argumentum erit explicanda. 14

AD primum argumentum variæ ſolent adhiberi ſolutiones Prima ſolutio.
Prima eſt aſſerentium,in voluntate Chriſti cum præcepto non ſtare ſimul libertatem, quæ requiritur ad meritum: & hi vt explicent qualiter Chriſtus meruerit per paſſionē, & mortem varijs vijs procedunt. Quidam dicunt,Deum nullum pręceptum impoſuiſſe Chriſto,niſi præuiſa eius voluntate, ita nimirum, vt in priori ſigno rationis præuiderit

Digitized by Google

rit Deus voluntatem Chriſti determinatam ad ſubeundam mortem pro redemptione generis humani, & voluiſſe quod imponeretur illi præceptum moriendi, & propterea in ſecundo ſigno rationis Deus impoſuit illi præceptum, & hac ratione ex præintellecta, ſeu præuiſa voluntate Chriſti impletio præcepti fuit Chriſto libera, ac per conſequens meritoria. Sed hæc ſolutio videtur voluntaria, quia præceptum moriendi, quod Chriſtus habuit à Patre, non fuit inuentum voluntatis humanæ Chriſti, ſed diſpoſitio, & præordinatio prouidentiæ
Heb. 10 diuinæ, vt conſtat ex illo ad Hebræos 10. [Ideo ingrediētis mundum dicit, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.] Tuam inquit, quia nimirum altiſſimo conſilio Sanctiſſimæ Trinitatis fuit decretum, vt Chriſtus pro ſalute generis humani moreretur quod etiam in-
Mat. 26 dicant verba illa Chriſti. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis fiat.] & actorum 4. [Conuenerunt vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctū Puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & cōſilium tuum decreuerunt fieri.]
15 *2. Solu.* Secunda ſolutio aliorum eſt, quod Chriſto fuit impoſitum præceptum moriendi, quantum ad ſubſtantiam actus, non quantum ad circunſtantias loci, temporis, intenſionis actus &c. & ideo mors fuit Chriſto voluntaria, & libera, & conſequenter meritoria qnantum ad circunſtantias, non autem quantum ad ſubſtantiam mortis, quæ erat in præcepto. Hæc tamen ſolutio iam ſupra impugnata eſt ſufficienter, nā ex illa ſequeretur, quod Chriſtus non meruerit formaliter per actum obedientiæ, quod videtur contra loca ſcripturæ, ſupra inducta. Si dicatur, quod meruit per animi præparationem, quam habuit ad moriendum pro ſalute generis humani, etiam ſi non fuiſſet illi impoſitum præceptum moriendi, quoniam talis præparatio fuit libera in Chriſto, & conſequenter meritoria. Contra hoc redit idem argumentum, quoniam, vel illa præparatio animi fuit in præcepto, vel ſolum in conſilio. Si dicatur fuiſſe in præcepto, redit eadem difficultas de illa præparatione animi, quæ de ipſa morte, quantum ad ſubſtantiam actus. Si autem ſolum fuit in conſilio, non eſt proprie actus obedientiæ, vt dictum eſt

Tertia ſolutio aliorum eſt valde affinis præcedenti: Dicunt enim quod in obſeruatione præcepti affirmatiui, libertas in Chriſto ea ſolum ratione defendi debet, vt in eo meritum conſtituamus, quia poſito quocunque præcepto liberum fuit Chriſto, ex hoc affectu numero, aut ex illo præceptum obſeruare, quia Chriſtus indifferens, ac proinde liber fuit non ad obſeruandum, & non obſeruandum præceptum, hoc eſt non ad faciēdum opus præcepti, & illud omittendū vniuerſim conſideratū: ſed ad opus ſingulare, quod obſeruauit præceptum, quia potuit ex hoc, aut ex illo ſingulari affectu fortitudinis, & patiētiæ, & ex affectu miſericordiæ erga proximum præceptum obſeruare. Præterea potuit ex affectu huius virtutis cum tanta intenſione illud præceptum obſeruare, & cum maiori: quod probant, nam intenſio actus non cadit ſub præcepto, 16 *3. Solu. M. Vazquez diſ 74. c. 5.*

pto, ergo Chriſtus non habuit præceptum tolerandi paſſionē, & mortem tanta intenſione, nec etiam habuit præceptum patiendi mortem, aut alios actus operandi ex ſingulari affectu fortitudinis, patientię, vel miſericordiæ, ſed hoc proceſſit ex indifferentia & libertate voluntatis Chriſti: & ideo habuit ſufficientem libertatem ad merendum. Et ad illam obiectionem, nam ſequeretur, quòd, ſi Deus imponeret præceptum Chriſto alicuius operis, nō tantum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum tempus, locum, affectum, & intenſionem illius, ita vt nihil maneret, quod ſub præce-
17 pto non caderet, tunc Chriſtus non
Vaſquez impleret libere tale præceptum, ac
c. 5. cit. n. per conſequens eo opere præcepti
32. non poſſet mereri. Reſpondent, quòd dato illo caſu nulla eſſet in Chriſto libertas in obſeruatione præcepti, nec meritum, quia tunc ita illud obſeruaret, vt nihil illius omittere poſſet: neque hoc, & alio actu, hoc, & illo loco, hoc, & illo affectu poſſet efficere, quod præcipiebatur: & addunt; ſe non videre, qua ratione id poſſit impugnari. Hæc etiam ſolutio vehementer diſplicet Thomiſtis, & merito; multa enim continet, quæ nullo modo videntur admittenda. Primo, nam id quod aſſerit, Chriſtum nimirum non fuiſſe liberum ad implendum, & non implendum præceptum, hoc eſt ad faciendum opus præcepti, & illud omittendum, videtur tollere libertatem, & meritum ab operibus Chriſti, quatenus erāt in præcepto, ac per conſequens Chriſtus nihil meruiſſet per actum obedientiæ in quantum actus obedientiæ actus fuit, ſed ſolum per id, quod erat in conſilio, quod videtur repugnare, tum verbis Apoſtoli. [Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum.] tum etiam rationi; quia fruſtra fuiſſet impoſitum Chriſto præceptum moriendi, nam tale præceptum repugnaret fini incarnationis, qui fuit, vt Chriſtus ſatisfaceret, & mereretur pro nobis. Secundo, quia, licèt Chriſtus non habuerit libertatem, ſeu facultatem ad peccandum, & non peccandum, ad implendum præceptum, & tranſgrediendum illud; quia peccatum repugnabat perſonæ Chriſti, vt dicetur inferius: nihilominus habuit veram facultatem, & poteſtatem, qua poſſet mori, & non mori, implere præceptū, & non implere negatiuè, operari, & non operari opus præcepti ſibi impoſiti, quod ſufficit ad libertatem.

Phil. 2.

Diſp. 61.

Aliter ergo reſpondetur ad argu- 18
mentum, quod, non obſtante præce- Legitima
pto moriendi, libere Chriſtus mor- ſolutio.
tuus eſt. Et cum arguitur, ſuppoſito præcepto Chriſtus non potuit non operari in indiuiduo, vel non mori. Reſpondetur, quòd abſolutè, & in ſenſu diuiſo, potuit non mori in indiuiduo, quamuis in ſenſu compoſito neceſſarium fuerit eū mori neceſſitate infallibilitatis, & conſequentiæ quæ libertati non obſtat, vt diſp. 25. de auxilijs oſtendi. Qualiter autem ſit intelligenda, & explicanda neceſſitas hæc in ſenſu compoſito, dixi ex profeſſo diſp. 22 de Auxilijs, n. 43. & diſp. 29. & duabus ſequentibus, cum de efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ ageretur. Dicendum eſt ergo, Chriſtum non ex aliqua neceſſitate abſoluta, ſed libera ſua voluntate obediuiſſe in indiuiduo præcepto moriendi, vt dictum eſt, & in ſequentibus patebit

19 tebit amplius. Et ratio huius aſſignari poteſt: nam mcrs, ſeu paſſio nullam habebat naturalem connexionem cum humana voluntate Chriſti Domini, ſed indifferentem, & liberã, quãtum eſt ex natura ſua, eo quod voluntas humana Chriſti non erat determinata ad ſubeundam mortem ex neceſſitate abſoluta, quæ quidem neceſſitas repugnat libertati. Vnde ſuppoſito præcepto liberè ſe determinauit ad ſubeundam mortem in indiuiduo cum omnibus ſuis circumſtantijs ex præcepto Patris, cui liberè ſubiecit humanam voluntatem, vt per paſſionem ſuam hominem, quem in charitate perpetua dilexit, à ſeruitute dęmonis liberaret. Vnde Iſaiæ 53. dicitur. [Oblatus eſt, quia ipſe voluit] & Ioan. 10. [poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam, &c.]

Iſai. 53. *Ioa.* 10.

20 Ad ſecundum argumentum fatemur, neceſſitatem ad non peccandum fuiſſe in Chriſto neceſſitatem abſolutam propter rationes factas: ex hoc tamen non ſequitur, quod neceſſitas implendi præceptum ſit neceſſitas abſoluta obſtans libertati, & ratio huius eſt; quia poſſe peccare non eſt de eſſentia libertatis, ſed eius imperfectio, ſecundum quod reperitur in natura creata, quæ ex nihilo producta eſt, vt ex præmiſſis conſtat. Vt autem impletio præcepti fuerit libera in Chriſto, ſufficit, quod fuerit in eo vera facultas ad implendum, & non implendum præceptum negatiuè: ſicut ad obediendum liberè præcepto, ſatis eſt quod potuerit obedire, & non obedire negatiuè. Et cum arguitur; quia ſi non obediret præcepto, peccaret: ergo, ſi fuit in Chriſto neceſſitas abſoluta ad non peccandum, etiam fuit in illo 21 neceſſitas abſoluta ad implendum præceptum, ac per conſequens non meruit implendo præceptum moriendi. Reſpondetur, quòd non implere præceptum accipitur dupliciter, primo modo mere negatiuè, vt importat negationem actus obedientiæ, quæ quidem negatio dicitur tam de eo, quod eſt, quàm de eo quod non eſt: & hoc modo quando nullum eſt præceptum impoſitum alicui, vere affirmamus, quod ille non adimplet pręceptum: & iſto modo non implere præceptum, nullum eſt peccatum. Secundo modo accipitur priuatiuè, ſeu contrariè, vt importat tranſgreſſionem præcepti, ſeu priuationem obſeruationis præcepti debitæ ineſſe: & hoc modo, ſicut Chriſtus non potuit peccare, ita etiam non potuit non implere præceptum. Ex hoc tamen non ſequitur, quod non impleuerit præceptum liberè; nam ad libertatem ſufficit facultas ad oppoſita contradictoriè; id eſt, ad implendum, & non implendum præceptum negatiuè: non autem eſt neceſſaria facultas ad oppoſita contrariè, vel priuatiuè, nimirum ad implendum præceptum, & non implendum priuatiuè, ſeu contrariè, vt dictum eſt. Neceſſitas ergo, quam habuit Chriſtus moriendi ex ſuppoſitione præcepti, non erat neceſſitas abſoluta, quia mors Chriſti, quæ erat in præcepto, nullam habebat ex natura rei connexionem neceſſariam cum bono in communi, vel cum vltimo fine, ad quem erat naturaliter determinata voluntas Chriſti: nec præceptum inducebat in eamdem Chriſti voluntatem neceſſitatem abſolutam acceptãdi mortem, ſed ſolum neceſſitatem ſecundum

quid,

quid, & ex ſuppoſitione præcepti, ſicut de gratia efficaci mouente voluntatem hominis ad conſenſum diximus in libro de Auxilijs diſputatio. 22.23. & 25. & alijs pluribus in locis.

Ad tertium argumentum non eodem modo reſpondent Thomiſtę; Etenim Aſturicenſis quęſt.5.de gratia Chriſti pagin. 440. reſpondet. Suppoſito,quod Chriſtus Dominus ſecundum partem inferiorem fuit viator, etiam ſi per viſionem beatificam euidenter iudicauerit, Deum eſſe ſummum bonum, & ſummè diligibilem abſolutè: nihilominus in quantum præcipiebat aliqua minus conuenientia, aut ſuauia parti inferiori animæ Chriſti, aut etiam nociua, vt eſt ieiunare, mortem pati, diligere inimicos, & ſimilia: eius voluntas non plene, & totaliter determinabatur ad implendum præcepta iuris naturalis, quorum obſeruatio erat minus grata, & conueniens appetitui ſenſitiuo, ac per conſequens non plenè fuit determinata eadem Chriſti voluntas ad diligendum ipſum Deum, qua ratione erat legiſlator: vnde manebat ſufficiens libertas ex hac parte in voluntate Chriſti ad implendum, vel refugiendum eiuſmodi præcepta, & propterea meruit ea implendo.

Hæc ſolutio, quamuis videatur apparens, eſt multum difficilis, & minime neceſſaria ad ſoluendum argumentum, quia ſola voluntas ſenſualitatis, aut voluntas, vt natura, potuit per actum conditionatum refugere ea, quæ erant nociua, vel contraria ſenſui, ſicut cum dixit [Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.] Voluntate autem rationali, aut deliberata non potuit in ſenſu compoſito anima Chriſti ea refugere, quę erãt in pręcepto, quia vt infra q.19.art.5. docet S. Thom. voluntas deliberata in Chriſto ſemper fuit conformis voluntati diuinæ: Ergo voluntate deliberata, ſeu libera neceſſitabatur anima Chriſti ad obſeruantiam præceptorum naturalium eadem neceſſitate, qua erat determinata ad finem, ſcilicet ad diligendum Deum clare viſum. Etenim obſeruantia præceptorum naturalium habet connexionem intrinſecã ex natura rei cum vltimo fine: ergo iuxta hanc ſolutionem actus voluntatis rationalis, ſeu deliberatæ in Chriſto, quo acceptauit, & ſeruauit præcepta naturalia, non eſſet liber, & conſequenter nec meritorius; quia in ſola voluntate ſenſualitatis, aut voluntate, vt natura eſt, non poteſt meritum ſaltem perfectum conſiſtere. Reſpondetur ergo aliter ad argumentum, iuxta ea, quæ diſputatione præcedenti dicta ſunt; quòd anima Chriſti non neceſſitabatur maiori neceſſitate ad implẽda præcepta decalogi, quã ad diligendum Deum clarè viſum. Sicut ergo in illo actu dilectionis Dei erat ſufficiens libertas ad meritum, quatenus videlicet diuina bonitas erat ratio diligendi in exercitio creaturas, præſertim rationales, iuxta ea, quæ dicta ſunt diſputatione præcedenti: ita etiam in obſeruatione præceptorum decalogi Chriſtus habuit ſufficientem libertatem ad meritum, quatenus videlicet ex imperio charitatis actus virtutum impletiui præceptorum naturalium ordinabantur ad ipſum Deum, & ad infinitam eius bonitatem, ſecundum quod eadem bonitas erat in exercitio ratio diligendi creaturas, præſertim homines,

Mat.26

nes, ad quorum exemplum, & ſalutem Chriſtus eadem præcepta ſeruauit.

24 Ad cõfirmationem negatur conſequentia. ad probationem reſpondet Aſturicenſis vbi ſupra, non eſſe eandem rationem de anima Chriſti, dum erat in corpore mortali, & de alijs beatis: & aſſignat diſcrimen in hoc, quod reſpectu aliorum beatorum, qui ſecundum partem inferiorem non ſunt viatores, obſeruatio præceptorum naturalium, non potuit apprehendi, vt ſibi nociua, & contraria ſecundum appetitum ſenſitiuum: Cæterum à Chriſto potuit apprehendi, vt aduerſa eidem appetitui ſenſitiuo, & ideo obſeruatio præceptorum naturaliũ fuit libera in Chriſto, quoad exercitium; non autem eſſet libera in alijs beatis. Melius tamen reſpondetur, iuxta ſupradicta, quòd obſeruatio præceptorum naturalium, ſi occureret alijs beatis, non ordinaretur tanquam ad finem proximum ad ſalutem hominum, & eorum inſtructionem, & exemplum ſicut ordinata fuit in Chriſto, qui in terris viſus eſt, & cũ hominibus conuerſatus: & ideo ſecundum aliquam rationem eadem obſeruatio fuit libera in Chriſto, ſecũdum quã non eſſet libera in alijs beatis.

Idem etiã Aſturic. q. 1. pag. 47.

25 Ad quartum omnes Theologi fatentur, Chriſtum poſt mortem nihil meruiſſe: ita docet S. Thomas infra q. 19. art. 3. ad. 1. q. 50. art. 6. ad 2. & q. 56 art. 6. ad 3. Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 1. nam vt dicitur ad Hæbreos 10. Chriſtus [vna oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos.] Et ratio id ſuadet; quia ſolum tẽpus vitæ præſentis, in quo homo eſt viator, eſt tempus merendi, vel demerendi: cui cõſonat illud Ioannis [Me[illegible]et operari opera eius, qui misit me, donec dies eſt. Venit autem nox in qua nemo poteſt operari,] vbi per diem, tempus vitæ præſentis, per noctem vero mortis tempus deſignatur vt cõmuniter explicant doctores ſancti. Quo ſuppoſito ad argumentum adhiberi ſolent plures ſolutiones. Prima eſt iuxta ſententiam eorum, qui ſentiunt, hominem deſinere per vltimum ſui eſſe ſicut & alias ſubſtantias: & iuxta hanc ſententiam dicendum eſſet, Chriſtum meruiſſe per paſſionem, etiam in ipſo inſtanti mortis, quo eius anima ſanctiſſima fuit à corpore ſeparata, ac per conſequens meruiſſe per mortem in vltimo inſtanti, quo anima eius fuit in corpore mortali. Sed quoniam ſententia communis philoſophorum eſt, ſubſtantias corporeas incipere per primum ſui eſſe, & deſinere per primum non

Ioan. 9.

26 eſſe; ideo hæc ſolutio tanquam philoſophicis principijs aduerſa nõ eſt admittenda. Secunda ſolutio eſt, meruiſſe Chriſtum per mortem in ipſo inſtanti, quo anima fuit à corpore ſeparata, nimirum in primo non eſſe animæ in corpore. Et ad argumentum in contrarium reſponderi ſolet, non eſſe inconueniens quòd in primo non eſſe animæ in corpore ſit meritum, non tanquam in pura via, ſed tanquam in termino viæ; Ita ſentit Caietanus prima parte, q. 63. art. 6. & idem videtur dicere loquens de Anima Chriſti in hac tertia parte. q. 50. art. 6.

Secunda ſolutio.

27 Cõfirmari poteſt hæc ſolutio exemplo deſumpto ex cauſalitate ſacramentorum; etenim contingere poteſt, quòd qui recipit ſacramentum baptiſmi verbi gratia, deſtinat eſſe in eodem inſtante extrinſeco, in

quo

quo terminatur p[illegible]tio formæ ſacramentalis, per quam perficitur ſacramentum; in tali caſu anima recipit gratiam baptiſmalem in primo non eſſe hominis; nam etiam ſacramentum terminatur in eodem inſtanti extrinſeco; ſacramentum autem baptiſmi confert gratiam ex opere operato ijs, qui reuera, & cũ debita diſpoſitione recipiunt illud: ergo tunc anima recipiet gratiam baptiſmalem in primo non eſſe hominis. ſed in illo inſtanti extrinſeco hominis iam nõ eſt in corpore: ergo gratia baptiſmalis confertur animæ in eo inſtanti in quo iam non eſt in corpore, ſed immediatè antea fuit in corpore: ergo eodem modo poteſt dici, animam Chriſti meruiſſe per mortem in eo inſtanti, quo primo non fuit in corpore, & immediate antea erat in corpore. Sed nec iſta ſolutio eſt admittenda propter loca ſcripturæ ſupra induƈta, quæ ſignificare videntur, ſtatum merendi, & viatoris durare ſolum eo tempore, quo anima eſt in corpore. Et ad exemplum adduƈtum de ſacramẽto baptiſmi reſpondetur, quod in illo caſu nullam gratiam conferet illi homini; quia licet fuerit verum ſacramentum, tamen in inſtanti, in quo virtute illius erat gratia conferenda ſuſcipienti, ſubieƈtum non erat capax recipiendi effeƈtũ illum ſacramentalem, eo quod anima non erat ſubieƈtum capax recipiendi gratiam ſacramentalem, vel gratiæ augmẽtum, quoniam erat extra viam; gratia autem, vel eius augmentum ſolum confertur viatoribus. Tertia

28 Tertia ſolutio. ergo ſolutio, & legitima eſt, quòd Chriſtus Dominus redemit nos per mortem, vt in fieri, non vt in facto eſſe, vt docet S. Thomas infra q. 50. art. 6. ad primum, ac per conſequẽs etiam meruit per mortem, vt in fieri, non autem, vt in facto eſſe; Meritum ergo ipſius durauit toto tempore antecedente inſtans extrinſecum mortis, ſeu tempus illud, quo primo anima Chriſti non fuit in corpore.

DISPVTATIO XXXXVII.

An humanitas Chriſti meruerit per actus ſenſualitatis, & actus, quibus, vt inſtrumentum diuinitatis, operabatur miracula.

ALtiſiodorenſis lib. 3. ſuæ ſummæ tract. 1. cap. 7. tenet, Chriſtum non meruiſſe per aƈtus partis ſenſitiuæ, ꝓbatur hæc ſententia. Primo: naturalibus nec meremur, nec demeremur; ſed aƈtus ſẽſualitatis, & partis ſenſitiuæ ſunt naturales in nobis, ſicut & in cæteris animantibus; ergo Chriſtus non meruit per huiuſmodi aƈtus. 1

Confirmatur, nam aliàs Chriſtus meruiſſet per aƈtus virtutis nutritiuæ, & augmentatiuæ, & per alios aƈtus naturæ conſimiles, vt per motum vitalem cordis, quod tamen videtur abſurdum, quia tales aƈtus non ſubduntur rationi, aut imperio voluntatis; ſed conſequuntur naturam, quæ determinata eſt ad vnũ.

Secundo. Sequeretur ex oppoſita ſententia, quòd meritum Chriſti fuerit continuum à primo inſtanti ſuæ conceptionis, vſque ad mortem, & nunquam fuerit interruptũ per ceſſationem aƈtus meritorij. Probatur, quia virtus nutritiua, motus 2

tus cordis, & alij actus partis vegetatiuæ nunquam fuerunt intermiſſi in humanitate Chriſti: Conſequens non videtur admittendum: ergo.

Tertio idipſum probatur de actibus, per quos operabatur miracula, vt inſtrumentum diuinitatis, Chriſtus non meruit per operationem diuinam, ſicut nec per naturam diuinam: ſed operationes quibus, vt inſtrumentum diuinitatis operabatur miracula, vel cauſabat gratiam, erant potius diuinæ, quàm humanæ, cum inſtrumentum non operetur, niſi per virtutem principalis agentis: ergo actiones procedentes ab humanitate Chriſti, vt ab inſtrumento non erant meritoriæ.

3 Prima tamē concluſio ſit. Chriſtus Dominus meruit per actus partis ſenſitiuæ. Concluſio colligitur ex S. Thoma infra q. 13. art. 3, in corp. vbi ait. [Si conſideretur anima Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum vnitum Verbo Dei in perſona, ſic ſubdebatur eius poteſtati totaliter omnis diſpoſitio proprij corporis.] ex quibus verbis deſumitur argumentum. Anima Chriſti, vt erat inſtrumentum diuinitatis habebat liberam poteſtatem ad immutādum proprium corpus, prout volebat. Ergo quantum eſt ex parte libertatis, omnes actus partis ſenſitiuæ, & vegetatiuæ habebant quidquid erat neceſſarium ad meritum, & ex alia parte illę operationes, per actum charitatis referebantur à Chriſto ad Deum ſummè dilectum, & habebant alias conditiones neceſſarias ad meritū: ergo verè erant meritorij. Confirmatur. Vt docet S. Thomas infra q. 47. art. 1. in corp. & S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 13. anima ex coniunctione ad Verbum habebat poteſtatem conſeruandi ſe in corpore toto tempore quo vellet; ita nimirum, vt nullo vulnere ipſa nolente poſſet compelli, vt exiret à corpore, quod & Chriſtus Dominus ſignificauit. Ioan. 10. cum dixit, [quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam, nemo tollit eā à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam,] & ad hoc ipſum ſignificandum [inclinato capite tradidit ſpiritum,] & vt alius Euangeliſta inquit, [emiſit ſpiritum,] vt oſtenderet, nullo læſiuo exteriori cogente, ſed propria voluntate ſpiritum emiſiſſe, vt in commentarijs noſtris ſuper cap. 53. Iſaiæ num. 10. obſeruauimus. Ergo à fortiori habuit liberam poteſtatem ſuper omnes actus partis vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. Ergo Chriſtus eſuriuit quando voluit, ſitiuit quando voluit, & peruenit ad augmentum corporis, quando, & eo modo, quo voluit, ſicut mortuus eſt quādo voluit, quod etiam expreſsè docet S. Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 8. in fine vbi ait. [Homo plerumque iraſcitur, & ſi nolit, contriſtatur, & ſi nolit; dormit, & ſi nolit, eſurit, ac ſitit; Ille autem (ſcilicet Chriſtus,) omnia iſta habuit, quia voluit:] ergo ex parte libertatis nihil deerat illis actibus, vt eſſent meritorij.

S. Thom. *Ioan. 10.* *Ioan. 19* *Matth. 27.*

4 Præterea probatur. In Chriſto nullus fuit actus indeliberatus, alias potuiſſet eſſe in eo aliquis motus ſenſualitatis antecertens vſum rationis, ac per conſequens in tali motu potuiſſet contingere peccatum veniale, quod eſt impoſſibile: ergo omnes motus, quos habuit,

buit, fuerunt imperati à libera voluntate, ac per conſequens fuerunt actus meritorij, ſecundum quòd per actum charitatis ordinabantur ad Deum ſummè dilectum, tanquam ad finem vltimum.

5 SEcunda concluſio. Etiam meruit Chriſtus per omnes actus, quibus vt inſtrumentum diuinitatis operabatur miracula. Probatur eiſdem rationibus; nam ad eiuſmodi miracula concurrebat per actum liberum elicitum, vel imperatum à voluntate, vt quando reſuſcitauit Lazarum dicendo [Lazare veni foras,] & quando ſanauit infirmos eos tangendo, vel aliquem alium actum exteriorem circa eos exercendo: quod etiam ipſe dominus Matt.8.deſignauit, dum leproſo dicenti. [Domine ſi vis poteſt me mundare,] reſpondit, [volo, mundare,] & ex alia parte Chriſtus ordinauit per actum charitatis eiuſmodi opera miraculoſa in gloriam Dei, tanquam in vltimum finem: ergo erant meritoria.

Ioa.11.

6 AD primum argumentum reſpondetur. Li cet ſenſualitas, & vires vegetatiuæ, & ſenſitiuæ nõ ſubiaceant in nobis imperio rationis, tamen in anima Chriſti propter cõiunctionem eius ad Verbum plene ſubdebantur eius poteſtati, ac liberæ voluntati, vt dictum eſt: Et per hæc patet ſolutio ad confirmationem.

7 Ad ſecundum fatemur, meritum Chriſti nunquam fuiſſe interruptū à primo inſtanti ſuæ conceptionis, vſque ad vltimum terminum vitæ ſuæ, quod ſic oſtenditur. Primo, nam meruit per actum dilectionis beatificæ, vt ſupra dictum eſt, qui quidem actus nunquam fuit interruptus, ſicut nec ipſa viſio beatifica. Secundo, nam vt infra q.34.art. 2.probat Caiet. virtutes in Chriſto numquam fuerunt otioſæ, vel ſolum in actu primò: ergo meritum eius fuit continuum, vel per continuationem eorundem actuũ, vel per tranſitum vnius actus virtutis ad alium. Neq; enim ſomnus erat humanitati Chriſti impedimento, ne eius merita eſſent continua; quia ſcientia indita, qua vtebatur ad eliciendos actus voluntatis, quibus meruit; non dependebat à ſenſibus, vel à phantaſmatibus, vt patebit infra. Nec tamen propterea exiſtimandum eſt, Chriſtum plus meruiſſe, per continuationem, vel multiplicationem horum actuum, vel in gratia profeciſſe; quoniam, vt in tertio diſtinct.18. dicit Magiſter ſententiarum, [tanta plenitudo ſpiritualium, chariſmatum in eo fuit, quod in eis proficere non potuit, & ideo melior ipſius anima fieri non potuit, quam ab initio ſuæ conditionis exiſtit; quia proficere in meritis non valuit.] Vnde Gregorius ait. [Non habuit omnino Chriſtus iuxta animæ meritum, quo potuiſſet proficere: in membris autem, quæ nos ſumus quotidie proficit. Non ergo plus meruit ſibi per crucis patibulum, quàm à cõceptione meruit per gratiam virtutum. Non igitur profecit ſecundum animæ meritũ; quantum ad virtutem meriti; profecit tamen, quãtum ad numerum meritorum. Plura enim habuit merita in paſſione, quàm in cõceptione, ſed maioris virtutis non extiterunt in merendo plura, quàm ante fuerant pauciora,] quod etiam confirmat S. Thomas ſupra q.7.art. 12. & infra q.19.art.3.q.33.art.3.& q. 34. art. 2. & 4. & hoc eſt quod ait Ioan-

Greg. homil. 6. in Ezech.

Ioan.c.1.[& vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis] hoc eſt tantam habuit plenitudinem gratiæ, & ſcientiæ, quantam decet habere vnigenitum patris: cum ergo anima Chriſti à primo inſtanti ſuæ creationis fuerit anima vnigeniti filij Dei, conueniens fuit, quod ab eodem inſtanti tam perfectam gratiam habuerit, vt in ea proficere non potuerit. & idem eſt proportionabiliter dicendum de merito.

8 Ad tertium reſpondetur, quod vt in 3. ſentent. diſtinct. 18. qu. 1. art. 1. ad 4. dicit S. Thomas.[Non poteſt eſſe eadem actio numero per eſſentiam principalis agentis, & inſtrumenti, quia idem accidens non eſt in diuerſis ſubiectis; ſed dicitur vna, ſecundum quid, in quantum ſcilicet inſtrumẽtum non agit niſi motum à principali agente, ſed agit in virtute principalis agentis, & hoc modo in ipſa actione humanitatis Chriſti eſt aliqua virtus, in quantum ipſa humanitas, eſt inſtrumentum deitatis,] Vnde Chriſtus mereri potuit per actionem, qua vt inſtrumentum diuinitatis operabatur miracula, quia humanitas Chriſti non fuit inſtrumentum mortuum, aut merè naturale, ſed inſtrumentum liberum, quod ita agitur, vt etiam agat per propriam libertatem, vt infra quæſt. 17. art. 1. ad 2. dicit ſanctus Thomas. Vnde per actionem liberam, quæ præſupponebatur ex parte humanitatis Chriſti, vt virtute diuina opus miraculoſum attingeret, verè meruit, ſicut per omnes alios actus humanos.

Quid meruerit ſibi Chriſtus Dominus, §. 3.

Conſequenter agendum eſt de his, quæ Chriſtus Dominus meruit ſibi, & nobis. Et primo agendum eſt de his, quæ meruit ſibi, poſtea vero de his, quæ meruit nobis. Ea vero de quibus dubitari poteſt, an Chriſtus Dominus ſibi meruerit, ſunt in triplici differentia. Primo id dubitari poteſt de vnione hypoſtatica, Secundo de gloria animæ, & alijs donis gratuitis, Tertio de gloria corporis, & exaltatione ſui nominis. Circa primum nihil eſt dicendum in præſenti, quia ſupra diſput. 15. & 16. diſcuſſa eſt ex profeſſo illa quæſtio, vtrum anima Chriſti meruerit, aut de potentia abſoluta Dei mereri potuerit hypoſtaticam vnionem cum Verbo: ideo aliæ duæ difficultates ſolum ſunt examinandæ. 1

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrum Chriſtus meruerit ſibi gloriam Animæ.

PARS affirmatiua probatur. Anima Chriſti fuit ſanctificata per propriũ actum liberi arbitrij in primo inſtanti conceptionis, qui quidem actus fuit meritorius, vt docet S. Thomas infra q.34.art.3. Ergo per illum actũ meruit beatitudinem animæ, quamuis nõ meruerit gratiam habitualem. Probatur conſequẽtia, 2

nam,vt prima ſecundæ quæſt. 112. art. 2. ad primum docet ſanctus Thomas, nos dum iuſtificamur, per actum contritionis, & charitatis, quo diſponimur ad gratiam iuſtificantem meremur de condigno vitam æternam; quamuis non mereamur ipſam iuſtificationis gratiam. Ergo ſimiliter Chriſtus, quamuis per actum liberi arbitrij, quo ſe diſpoſuit ad gratiam iuſtificantem,non meruerit ipſam gratiam habitualem, nihilominus meruit per eundem actum gloriam animæ.

Secundo arguitur. De potentia Dei abſoluta potuit Chriſtus à principio ſuæ conceptionis habere gloriam animæ, & eam mereri; ergo de facto eam meruit. probatur conſequentia, nam vt docet ſanctus Thomas infra quæſt. 19. art. 3. in corpore [perfectius eſt habere aliquid ex merito, quam ſine merito,] eo quod habere aliquid per meritum, eſt habere illud quodam modo per ſe ipſum, habere autem ſine merito, eſt habere illud ab alio: omnis autem perfectio poſſibilis communicata eſt animæ Chriſti, niſi priuet alia maiori perfectione: ergo. Antecedens autem probatur. Cum homo iuſtus per actus intenſiores meretur augmentum habitus gratiæ, & charitatis; in eodem prorſus inſtanti eſt meritum, & augmentum habitus, quod datur in præmium: ergo ſimiliter anima Chriſti potuit in primo inſtanti ſuæ conceptionis mereri gloriam eſſentialem animæ, & accipere illam in præmium.

3 Tertio arguitur, deſtruendo rationem ſancti Thomæ: ex eo enim probat,quod habens beatitudinem, non poteſt illam mereri, quia meritum habet rationem viæ, & beatitudo rationem termini: implicat autem, quod aliquid ſit in termino, & ad illud moueatur, & propterea impoſſibile eſt,quod habens beatitudinem illam mereatur. Contra eſt argumentum: nam in mutationibus inſtãtaneis ſimul tempore mobile eſt in termino, & mouetur ad terminum; quoniam, vt dicit Philoſophus, in inſtantaneis idem eſt fieri, & factum eſſe; ſicut aer ſimul illuminatur, & eſt illuminatus; ſed meritum Chriſti reſpectu beatitudinis fuit inſtantaneum, & motus in beatitudinem per meritum etiam fuit inſtantaneus; ergo in eodem inſtanti potuit ſimul moueri per meritum in beatitudinem, & poſſidere illam.

Confirmatur primo. Diſpoſitio vltima ad gratiam iuſtificantem videlicet contritio, & actus charitatis, eſt via ad gratiam, & tamen eſt in eodem inſtanti temporis cum ipſa gratia iuſtificante, & ſolum præcedit illam ordine naturæ, & in genere cauſæ materialis,& diſpoſitiuæ; ergo, licet meritum ſit via ad beatitudinem, poterit nihilominus eſſe in eodem inſtanti cum ipſa beatitudine; dum tamen eam antecedat ordine naturæ.

Confirmatur ſecundo. Nam ſanctus Thomas prima ſecundæ quæſt. quinta, articulo ſeptimo in corpore ait, [Poteſt Deus facere voluntatem recte tendentem in finem, & ſimul conſequentem ipſum finem, ſicut quando ſimul materiam diſponit, & formam inducit,] & quodlibeto 9. art. 1. docet, quod

Digitized by Google

quod meritum, & præmiũ poſſunt eſſe ſimul tempore, & Caie. 1. par. quæſt. 63. art. 6. tenet, quod Angelus in ſecundo inſtanti meruit beatitudinem, & obtinuit illam. Ergo non eſt impoſſibile etiam de potentia ordinaria, quod quis habeat beatitudinem, & ſimul in eodem inſtanti moueatur per meritum ad illam.

4 Quarto arguitur contra aliam rationem, qua ſanctus Thomas probat, Chriſtum non potuiſſe ſimul mereri gloriam, & illam habere in eodem inſtanti: quia videlicet non poteſt idem actus ſimul informari gratia imperfecta, quæ eſt principium merendi, & gratia perfecta, quæ eſt terminus meriti, & principium fruendi. contra eſt argumentum. Nõ inconuenit, quod idem actus prius natura ſit imperfectus, & poſterius natura ſit perfectus, & vtrumque habeat in eodem inſtanti temporis, etenim eadem contritio, quatenus antecedit gratiam iuſtificantem ordine naturæ, eſt imperfecta, & informis, & cõſequenter, prout antecedit gratiam non eſt meritoria, & tamen idem numero actus contritionis, vt ſubſequitur gratiam, eſt in eodem inſtanti temporis formatus gratia, & perfectus, & conſequenter meritorius vitæ æternæ, vt prima ſecundæ in tractatu de gratia docet ſanctus Thomas. item etiam res, quæ producitur per mutationem inſtantaneam, vt eſt in fieri, eſt imperfecta, & in facto eſſe eſt perfecta; & tamen in eodem inſtanti temporis, eſt in fieri, & in facto eſſe: ergo.

5 Quinto arguitur, & impugnatur alia ratio, qua probatur eſſe impoſſibile etiam de potentia Dei abſoluta, quòd Chriſtus meruerit gloriam animæ, & eam habuerit, à principio ſuæ conceptionis. ratio autem eſt hæc. Implicat contradictionem, quod idem ſit principium effectiuum meriti, & terminus meriti; ſed gratia Chriſti, & charitas beatifica fuit in Chriſto principium effectiuum merendi. Ergo non potuit eſſe terminus meriti. Contra hanc rationem eſt argumentum. Cum iuſtus per actus intenſiores habitu gratiæ præexiſtentis meretur augmentum habitus, eadem gratia, & charitas aucta, vt octo exempli cauſa, eſt principium effectiuum meriti, quoniam à ſola gratia remiſſa procedere non poteſt meritum vt octo; quia effectus nunquam excedit virtutem ſuæ cauſæ efficientis: & ſimiliter eſt terminus eiuſdem meriti, quia augmentum gratiæ datur in præmium operationis meritoriæ procedentis ex gratia, vt ex concilio Trid. conſtat. Ergo non implicat contradictionem, quod aliquid ſit principium merendi, & terminus meriti. Confirmatur hæc ratio. Principium merendi in Chriſto fuit charitas regulata per ſcientiam inditam, non autem charitas beatifica: nam hæc eſt charitas comprehenſoris, non autem viatoris in qua conſiſtit meritum. Ergo per charitatem regulatam ſcientia indita, quæ erat charitas viatoris, potuit mereri charitatem comprehenſoris, & viſionem beatificam, abſque eo; quod idem eſſet principium merendi, & terminus meriti. 6

Confirmatur ſecundo. Chriſtus potuit mereri per ſolam gratiam vnionis abſque gratia habituali, vt diſp. 26. viſum eſt. ergo per

Digitized by Google

eamdem gratiam vnionis potuit ſibi mereri gratiam habitualem, charitatem beatificam, & gloriam animæ, abſque eo, quod idem eſſet principium merendi, & terminus meriti.

7 Sexto. Gloria animæ potuit conferri Chriſto pluribus titulis; nimirum titulo gratuitæ donationis, & titulo meriti, ſicut alijs prædeſtinatis confertur gloria, titulo gratuitæ dilectionis, ſeu prædeſtinationis antecedentis omnia merita præuiſa, & etiam titulo iuſtitiæ in præmium propter meritum, iuxta illud Apoſtoli [De reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex,] quod etiam fatetur ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 24. art. 3. in corp. vbi ait, quod [ad vitam æternam ordinatur aliquis ex duobus, ſcilicet ex prædeſtinatione diuina, & ex gratia: quicunque enim gratiam habet, ex hoc ipſo eſt dignus vita æterna.] videlicet propter merita, quæ conſequuntur gratiam, quæ doctrina eſt etiam expreſſa diui Auguſtini tractatu 68. ſuper Ioannem: ergo ſimiliter potuit Chriſto Domino conferri gloria animæ titulo prædeſtinationis gratuitæ, & titulo Iuſtitiæ propter merita procedentia ex gratia: ergo de facto eam obtinuit eiſdem titulis. Confirmatur. Gloria corporis data eſt Chriſto duplici titulo, nimirum per modum naturæ; quia conſequebatur ad gloriam animæ, & propter meritum paſſionis; ergo ſimiliter dicendum eſt de gloria eſſentiali ipſius animæ. Probatur conſequentia; nam eadem prorſus ratio videtur procedere de vtraque gloria.

2. Tim. 4.

Conf.

8 Septimo arguitur. Plus eſt mereri gratiam increatam, & beneuolentiam, qua Deus elegit prædeſtinatos ad beatitudinem, quàm mereri gratiam propriam, & gloriam creatam; ſed Chriſtus Dominus meruit nobis beneuolentiam diuinam, & efficacem electionem, & prædeſtinationem ad gloriam, vt docet Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorum c. 8. & colligitur ex illo Epheſiorum 1. [Elegit nos in ipſo, (id eſt in Chriſto, & per Chriſtum) ante mundi conſtitutionem.] & paulò ante [Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.] ergo dicendum eſt, quod Chriſtus de facto meruerit ſibi gloriam eſſentialem animæ.

Eph. 1. eod. cap.

9 PRima nihilominus concluſio ſit. De potentia abſoluta potuit anima Chriſti mereri gloriam eſſentialem animæ, & alia dona, quæ conſequuntur gloriam. Hæc concluſio à nullo, quem ego viderim, negatur, & ratio illius eſt; nam verbum diuinum potuit de potentia abſoluta aſſumere naturam humanam, & animam ſanctificatam per gratiam habitualem, & nondum glorificatam per claram Dei viſionem, quia id nullam inuoluit repugnantiam; tunc autem per opera bona procedentia ex gratia potuiſſet mereri gloriam animæ, multo melius quàm cæteri iuſti: ergo de potentia Dei abſoluta potuit ſibi mereri Chriſtus Dominus animæ gloriam eſſentialem; ſicut de facto eam merentur cęteri homines iuſti per opera pietatis procedentia ex habituali gratia, & auxilio Dei ſupernaturali.

10 SEcunda concluſio. In opinione illa probabili, quæ aſſerit, Chriſtum

ſtum de potentia Dei abſoluta potuiſſe mereri per ſolam gratiam vnionis abſque gratia habituali, & alijs habitibus infuſis, dicendum eſſet, per eandem gratiam vnionis potuiſſe, de potentia abſoluta mereri ſibi gratiam habitualem, & omnes alios habitus infuſos. Probatur eiſdem rationibus, quibus præcedens concluſio: Et ſi fiat argumētū, nā repugnat gratiæ, quod cadat ſub merito; quia vt ar-
Rom. 11 guit Apoſtolus [ſi ex operibus, iam gratia non eſt gratia.] Reſpondetur; argumentum ſolum procedere de prima gratia, quæ nullam aliam ſupponit gratiam, quæ ſit principium merendi. Etenim augmentum gratiæ cadit ſub merito, & ſimiliter gratia conſummata, licet ſit vera gratia, cadit ſub merito de condigno, quoniam ante illam præceſſit gratia inchoata, quæ fuit principium merendi augmentum gratiæ, & gratiam conſummatam, quæ habetur in gloria. In Chriſto autem, data hypoteſi, ante gratiam habitualem præceſſiſſet alia gratia, ſcilicet gratia vnionis, quæ iuxta ſententiam probabilem poterat eſſe principium effectiuum merendi ſibi gratiam habitualem, & reliquos habitus infuſos; vnde nulla erat repugnantia, quod Chriſtus de potentia abſoluta ſibi mereri potuerit primam gratiam habitualem.

11 TErtia concluſio. Suppoſito, quod Chriſtus meruit per gratiam, & charitatem beatificam, quam habuit à primo inſtanti ſuæ conceptionis, impoſſibile fuit, quòd ſibi meruerit animæ gloriam eſſentialem. Concluſio eſt ſancti Thomæ, & communis Theologorum, quā efficaciſſimis rationibus probat Magiſter Medina infra quæſt. 19. artic. 3. quæſtion. 5. circa primam, & ſecundam concluſionem; M.Medina.
ſed potiſſima deſumitur ex ſancto Thoma prima ſecundæ quæſt. 114. artic. nono in corpore. Impoſſibile eſt, quod aliquid ſit principium effectiuum merendi, & terminus meriti: ergo ſi gratia, & charitas beatifica eſt in Chriſto principium effectiuum merendi, impoſſibile eſt, quod ſit terminus meriti. Antecedens probatur. Præmium non poteſt phyſicè loquendo eſſe prius ſimpliciter, quàm meritum: eo quod meritum eſt via ad præmium: via autem neceſſe eſt, vt ſimpliciter antecedat terminum: nam aliàs ſequeretur, quod idem reſpectu eiuſdem eſſet ſimpliciter cauſa, & effectus, & prius ſimpliciter, & poſterius reſpectu eiuſdem, quod eſt impoſſibile. Probatur hoc, quia cauſa efficiens eſt ſimpliciter prior ſuo effectu, vt docet ſanctus Thomas, quæſt. 28. de verit. artic. 7. Ergo, ſi gratia, & charitas beatifica eſt principium effectiuum merendi, ſequitur, quòd ſit prior ſimpliciter, quàm meritum. Sed meritum debet antecedere præmium; quia meritum eſt via ad præmium, via autem eſt prior ſimpliciter, quam terminus: Ergo ſi gratia, & charitas beatifica vt eſt in Chriſto fuit principium effectiuum merendi, & terminus meriti, ſequitur, quòd idem reſpectu eiuſdem ſit abſolute loquendo, & ſimpliciter prius, & poſterius. Confirmatur hoc. Meritum eſt cauſa præmij: ergo non poteſt eſſe eius effectus: aliàs idem reſpectu eiuſdem eſſet cauſa, & effectus: ergo impoſſibile eſt, quod eadem gratia,

& charitas beatifica animæ Chriſti ſimul ſit meritum, & præmium.

12 Secundo probatur, nam hac ratione S.Thomas prima ſecundæ allegata probat, Donum perſeuerantiæ non poſſe cadere ſub merito; quia eſt principium effectiuum operis meritorij: ergo impoſſibile eſt, quod gratia conſummata, & charitas in anima Chriſti ſit principium effectiuum merendi, & terminus meriti.

13 Tertio probatur. Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit per modum naturæ, quia erat filius Dei naturalis, gratiam, & gloriam, & omnes habitus infuſos: ergo non potuit eos habere per meritum. Antecedens oſtenſum eſt ſupra quæſt. ſeptima artic.13. Conſequentia vero probatur. Quod ineſt alicui per modum naturæ, competit ei ante omnem operationem, & conſequenter ante omne meritum, quia natura præſupponitur operationi; ergo non poteſt cadere ſub merito: etenim qui meretur, ſperat præmium ſibi conferendum à præmiante, ac per conſequens neceſſe eſt, quod non præſupponatur iam habitum à natura. ſpes enim eſt de eo, quod nondum habetur, iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 8. [quod videt quis, quid ſperat?]

14 AD primum argumentum reſpondetur, quod ille actus liberi arbitrij, quo anima Chriſti in primo inſtanti conceptionis diſpoſuit ſe ad ſuam ſanctificationem, fuit quidem meritorius gloriæ corporis, quam nondum habebat, non autem gloriæ animæ, quam iam habebat: cuius ratio eſt, nam meritũ debet eſſe prius quàm præmium. Reliqui autem homines qui iuſtificantur per actum liberi arbitrij, nondum habent in re gloriam animæ, ſed ſolum in ſpe: vnde diſpoſitio vltima; ſeu præparatio ad gratiam habẽdam [eſt quidem meritoria, ſed non gratiæ, quæ iam habetur, ſed gloriæ, quæ nondum habetur,] vt in ſolutione ad primum allegata dicit ſanctus Thomas. p. 2. qu. 112.ar.2. Eſt & alia differentia; quia in nobis gratia, & charitas conſummata non eſt principium merendi, ſicut fuit in Chriſto: ideo poteſt eſſe terminus meriti procedentis à gratia inchoata, & imperfecta; in Chriſto autem nulla fuit gratia inchoata, & imperfecta à qua procederet meritum gloriæ eſſentialis animæ, vnde non eſt ſimile.

Ad ſecundum argumentum: negatur antecedens, ſuppoſito quòd gratia, & charitas beatifica fuit à principio in anima Chriſti: & ad eius probationem, Magiſter Medina infra quæſt. 19. artic.4. quæſt. 5. reſpondet, quod, quando præmium eſt vltimum ſimpliciter, non poteſt ſimul eſſe in eodem inſtanti temporis cum merito propter rationem, quam aſſignat ſanctus Thomas prima parte quæſt. 62. artic.2. quia meritum eſt à gratia imperfecta viatoris; præmium autem vltimum eſt à gratia conſummata, & comprehenſoris: implicat autem, quòd eadem gratia in eodem inſtanti temporis ſit imperfecta, & conſummata, viatoris, & comprehenſoris. Hæc autem ratio non procedit de merito, & præmio non vltimo. Hæc ſolutio eſt ſatis apparens. Sed contra illam arguitur, quia eadem prorſus difficultas procedit de merito augmenti charitatis, quod 15

quidem

quidem augmentum, eſt præmium non vltimum. Etenim, ſi in eodem inſtanti eſt meritum, & præmium ſequitur, quòd ſimul in eodem inſtanti ſit eadem charitas remiſſa, & intenſa, quod eſt impoſſibile; quia remiſſio includit negationem intenſionis;, ac per conſequens non poſſunt ſimul eidem conuenirẹ; aliàs eadem qualitas ſimul eſſet intenſa, & non intenſa, quod implicat; quia duo termini contradictorij ſimul verificarentur de eodem. Reſpondetur ergo melius ad argumentum, quod (vt ſupra dictum eſt) in caſu poſito actus meritorius charitatis, vt octo, ſecundum illam maiorem intenſionem ſupra habitum charitatis præexiſtentem, non procedit efficienter ab habitu intenſo, vt octo, qui eſt terminus eiuſdem meriti; ſed ab habitu præexiſtente, vt quatuor ſimul cum auxilio actuali intenſo, vt octo, & ideo non ſequitur, quòd idem ſimul ſit principium effectiuum merendi, & terminus meriti. Cæterum gratia, & charitas beatifica fuit in anima Chriſti principium effectiuum meriti, vt ex præmiſſis conſtat: vnde non potuit eſſe prẹmium, ſeu terminus eiuſdem meriti.

16 Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd quando via, & terminus procedunt à principijs incompoſſibilibus, tunc impoſſibile eſt, quod in eodem inſtanti aliquis ſit in via, ſeu moueatur ad terminum, & ſimul ſit in termino, Quando autem principia; ex quibus habet mobile, quòd ſit in via, & termino, non ſunt incompoſſibilia, benè poteſt mobile in eodem inſtanti temporis eſſe in via, & in termino: & quoniam principium merendi beatitudinem, & principium fruendi beatitudinem habent (ſecundum legem ordinariam) cõditiones incompoſſibiles, vt dictum eſt; ideo ſecundum eandem legem in eodem inſtanti eſſe non poſſunt. Illuminari autem, & illuminatum eſſe, & ſimiliter diſponi vltimate ad gratiam iuſtificantem, & eſſe iuſtificatum, non includunt conditiones incompoſſibiles. Vnde in eodem inſtanti temporis eſſe poſſunt, & ſufficit quòd illuminari ordine naturæ præcedat illuminatum eſſe: & per hæc patet ſolutio ad primam confirmationem.

Ad ſecundam confirmationem 17
ex auctoritatibus ſancti Thomæ quidam Thomiſt. inter quos eſt Medina reſpondent, quod ſanctus Thomas mutauit ſententiam. Ferrarien. 3. contra gentes cap. 110. & Bergomenſis in tabula Aurea, dubio 154. reſpondet, quod ſanctus Thomas ibi loquitur non ex propria ſententia, ſed ex ſententia illorum, qui tenent, in Angelis gratiam præceſſiſſe duratione gloriam, quam tamen ſententiam ſanctus Doctor non tenet. Caietanus autem prima parte, quæſt. 61. art. 4. reſpondet, quod S. Tho. in illo quodlibeto apertè loquitur de merito, vt eſt in termino, quod ſimul eſſe poteſt cum præmio: non autem loquitur de merito viæ, ſicut loquitur in alijs pluribus locis: Quæ explicatio videtur colligi ex ipſo contextu, vbi reſpondens ad primum argumentum, quo probabatur eſſe omnino impoſſibile quòd Angelus in eodem inſtanti habuerit beatitudinem, & eam meruerit, quia nimirum eſt impoſſibile idem

Digitized by Google

eſſe perfectum ſimul, & imperfectum, ait, [quod non oportet ponere idem ſimul eſſe perfectum, & imperfectum; ſed idem ſimul eſſe perfectum, & terminum imperfectionis, vel nunc primo eſſe perfectum,] & in ſolutione ad 2. ſubdit, quod Angelus meretur, vt viator, non quaſi diſtans à termino, ſed vt in termino viæ exiſtens.] & ex hoc concludit, Angelum in primo inſtanti, quo fuit beatus, ſuam beatitudinem meruiſſe. Sed ex his ſolutionibus reſpóſio Capreoli magis placet, quam ſequitur magiſter Bañes prima parte qu. 62. art. 4. quod nimirum S. Thomas mutauit ſententiam art. 4. allegato, vbi expreſſe dicit, eſſe impoſſibile, quòd Angelus in eodem inſtanti ſimul fruatur, & ſuam fruitionem mereatur, & ex hoc concludit, quod gratiam habuit Angelus antequam eſſet beatus, per quam bea-

18 titudinem meruit. Secundo reſpondetur, quod S. Thomas in illo articulo nono allegato loquitur de præmio, quod non eſt principium meriti, nimirum de beatitudine Angelis collata, quæ quidem non fuit in illis principium meriti, ſed terminus; & eodem modo intelligendus eſt Caietanus: Angeli enim fuerunt verè viatores comparatione beatitudinis eſſentialis, & ideo potuerunt per gratiam inchoatam mereri gratiam conſummatam, & gloriam, quæ explicatio colligitur ex contextu eiuſdem art. 8. addit enim S. Doctor, [quod meritum Angeli fuit non præexiſtente beatitudinis perfectione, ſed quaſi exiſtens in ipſo fieri beatitudinis, ſed poſtmodum mens Angeli eſt tantum beata, & non beatitudinem meretur.] Et ponit exemplum in contritione, [quia in eodem inſtanti eſt terminus præparatorius ad gratiam, & gratiæ infuſio.] ſentit ergo S. Thomas, quòd meritum Angeli non proceſſit efficienter à gratia conſummata, & beatitudine, quam meruit: aliàs prius habuiſſet gloriam, quam meruiſſet illam, quod tamen impugnat ibi S. doctor. Præterea idem patet exemplo contritionis, quæ quidem, vt eſt præparatio ad gratiam habitualem, non procedit effectiuè ab ipſa gratia habituali, ſed à libero arbitrio moto à Deo auxilio actuali præuenientis gratiæ. In Chriſto autem gratia, & charitas beatifica fuit principium effectiuum meriti, vt dictum eſt, vnde non potuit eſſe terminus eiuſdem meriti, aut eſſe 19

ſimul cum illo. Sed objicies. quia Obiect. S. Thom. 1ª p. q. 62. art. 4. c. ait, quòd gratia imperfecta, eſt principium meriti. Ergo gratia, & charitas beatifica non fuerunt in Chriſto principium meriti. Reſpondetur, quod S. Thom. loquitur ibi de gratia, qua quis meretur ſibi beatitudinem eſſentialem, Chriſtus autem non meruit ſibi beatitudinē animæ. Vnde meritum eius potuit procedere à gratia perfecta, & charitate beatifica.

Ad quartum reſpondetur facile ex ſupra dictis, quòd contritio vt eſt diſpoſitio ad gratiam, & vt eſt meritoria gloriæ quatenus informata gratia, non habet conditiones repugnantes pro eodem inſtanti temporis, ſicut habet meritum beatitudinis, & ipſa beatitudo; & idem dicendum de alijs mutationibus inſtantaneis, vnde non eſt ſimile.

Ad quintum negatur antecedēs, 20 ad probationem, M. Bañes 2. 2. q. 24. art. 6.

24. art. 6. ad 7. fatetur, quod vltima diſpoſitio meritoria augmenti habitus, vt octo, procedit in caſu argumenti effectiuè ab ipſo habitu intenſo, vt octo, ſicut in prima infuſione habitus gratiæ, vltima diſpoſitio procedit effectiuè à prima gratia habituali: ſed hanc ſententiam tanquam aduerſam doctrinæ S. Thomæ impugnaui lib. 7. de Auxilijs diſp. 66. n. 8. & ex dictis in 3. concluſione huius diſputationis manet ſufficienter excluſa. Vnde ad argumentum reſpondetur, quòd illa maior intenſio actus ſupra habitum gratiæ præexiſtentis non procedit efficienter ab habitu intenſo, vt octo, qui eſt terminus meriti, ſed ab habitu præexiſtente intenſo, vt quatuor, vel vt quinque, qui quidem habitus cum auxilio actuali præuenientis gratiæ intenſo vt octo, habet ſufficientem, & proportionatam virtutem, vt producat actum intenſum, vt octo, quo meretur augmentum habitus: & ſic conſonãt omnia, quia iuxta hanc ſolutionem, nec excedit effectus virtutem ſuæ cauſæ, nec eſt idem ſimul principium merendi, & terminus eiuſdem meriti.

21 Ad primam confirmationem reſpondetur, in anima Chriſti non eſſe conſtituendum duplicem actum charitatis, ſed vnicum dumtaxat regulatum per ſcientiam beatam, & per iſtum actum meruit, vt ex præmiſſis conſtat. Vnde fieri non potuit, vt per huiuſmodi actum mereretur gloriam animæ, & dilectionem beatificam, vel fruitionem ſummi boni; quia tunc idem eſſet principium effectiuum merendi, & terminus meriti.

22 Secundo reſpondetur, quòd dato, & non concesso, Chriſtum meruiſſe per actum charitatis regulatum ſcientia indita, adhuc non poſſet per eundem actum mereri gloriam animæ; eo quod habuit illam per modum naturæ, & conſequenter ante omnem operationem meritoriam, vt dictum eſt: & ideo per nullum actum potuit illam mereri, quia, vt quodlibet. 9. art. 4. in corpore dicit ſanctus Thomas. [Non videtur conueniens, vt meritum ſequatur ad præmium, cum magis meritum ſit diſpoſitio ad præmium.] Poteſt etiam aſſignari alia ratio huius; nam iuxta ſententiam, quæ aſſerit, actum charitatis meritorium regulari per ſcientiam inditam, non potuit gloria animæ Chriſti cadere ſub merito, aut eſſe terminus meriti comparatione actus meritorij regulati per eandem ſcientiam inditam: cuius ratio eſt; nam gloria animæ, & charitas beatifica fuit in anima Chriſti prior ordine rationis, & cauſalitatis, quàm ſcientia indita. hæc enim ſcientia fuit quid conſequens ad ſcientiam beatam; ergo ſcientia beata fuit in Chriſto ante omne meritum: ergo non potuit eſſe terminus meriti.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod, vt diſp. 31. viſum eſt, operationes Chriſti humanæ etiam de potentia Dei abſoluta non potuerunt eſſe meritoriæ præmij ſupernaturalis proprie loquendo per ſolam gratiam vnionis, abſque gratia inhærente, ſaltem per modum motionis tranſeuntis, propter rationes ibi aſſignatas. Secundo reſpondetur iuxta aliam ſententiam, quæ affirmat, ſolam gratiam vnionis eſſe ſufficientem, vt operationes Chriſti eſſent meritoriæ; quod, ſi anima Chriſti non habuiſset 23

buiſset

buiſſet à principio ſuæ creationis gloriam eſſentialem, potuiſſet illã mereri, & ſimiliter alios habitus infuſos per bona opera procedentia à ſuppoſito infinitè grato mediante natura humana ſibi vnita hypoſtaticè; quia tũc charitas beatifica non fuiſſet principium merendi, neque in eodem inſtanti cum merito, & conſequenter eſſe poſſet terminus meriti.

24 Ad ſextum reſpondetur, gloriam poſſe conferri alicui pluribus titulis non habentibus inter ſe repugnantiam, & hoc modo ordinantur prædeſtinati duplici titulo ad beatitudinem, ſcilicet ex electione, & prædeſtinatione gratuita, & ex meritis gratiæ; & ſimiliter gloria corporis data eſt Chriſto pluribus titulis; hoc eſt pluribus operibus meritorijs, vt infra q.34. art.3. ad 3. dicit S.Thomas. Habere autem gloriam à principio per modum naturæ, & eam mereri per actum charitatis regulatum ſcientia beata, vel ſcientia indita, ſunt duo tituli incompoſſibiles: vnde non potuit Chriſtus vtroque titulo eam poſſidere, ſed altero dumtaxat. Vnde S.Thomas quodlibeto nono art. 4. in corpore, excludens ſententiã eorum, qui dicunt Angelos numquam beatitudinem meruiſſe, ait: [Hoc non videtur competere niſi ſoli Chriſto, qui eſt filius naturalis, vt hæreditatem diuinæ fruitionis ſine merito habeat.]

25 Ad ſeptimum reſpõdetur, quòd, vt Diſput. 39. de Auxilijs, num. 6. oſtendimus, Chriſtus meruit nobis beneuolentiam diuinam, & efficacem electionem ad gloriam: non quidem quantum ad abſolutum ipſius actus prædeſtinantis, quod eſt quid increatum; ſed quantum ad reſpectiuum, quod connotat, ſeu quantum ad terminationem ad tales, vel tales perſonas, & ad hoc vel illud obiectum. Pro cuius maiori explicatione aduertere oportet, quòd, vt ſæpè docet S. Thomas, & cum illo Caietanus, & Ferrarienſis, diuinę volũtatis ex parte actus volendi nulla poteſt ratio aſſignari extra Deum, ſed ex parte obiecti voliti, vnum poteſt eſſe ratio alterius, ſicut partes vniuerſi ſunt volitæ à Deo propter totum, ad cuius perfectionem ordinantur: & hoc modo voluit Deus cæteris prædeſtinatis hoc bonum, quod eſt vita æterna, propter merita Chriſti præuiſa, vt in eadem Diſput. 39. explicatum eſt. Secundo reſpondetur, 26 illam propoſitionem aſſumptam, qui poteſt mereri maius, poteſt mereri & minus, eſſe falſam, niſi cætera ſint paria: ſicut etiam iſta eſt falſa: Qui poteſt facere maius, poteſt facere & minus: etenim homo poteſt generare hominẽ, quod eſt maius, non tamen poteſt generare cuniculum, vel formicã, quod eſt minus. Proportionabiliter in præſenti, Chriſtus Dominus potuit mereri incarnationem Patris, ſi ad eam obtinendam ordinaſſet proprium meritum, & tamen non potuit mereri gloriam animæ, quod eſt minus: & ratio eſt, quia cætera non ſunt paria: etenim gloria animæ, & charitas beatifica anteceſſit omne meritum Chriſti, & fuit principium effectiuum eiuſdem meriti, & ideo non potuit eſſe terminus illius, quia præmium non debet eſſe prius, quàm meritum, vt dictum eſt. Cæterum incarnatio Patris, ſi ad eam obtinendam ordinaſſet Chriſtus proprium meritum, eſſet poſterior ipſo merito, & con-

Digitized by Google

& conſequenter non eſſet principium eiuſdem meriti: vnde potuit eſſe terminus illius, & quantum ad hoc cætera non ſunt paria.

DISPVTATIO XXXXIX.

Vtrum Christus meruerit ſibi gloriam corporis, & exaltationem humanitatis ſuæ.

1 PARS negatiua probatur. Chriſtus non meruit ſibi habitus infuſos, nec ſcientiam inditam, quia ſunt proprietates conſequutæ per modum paſſionis ad lumen gloriæ, & beatitudinem animæ, vt ſupra dictum eſt: ſed ſimiliter gloria corporis ſequitur ad beatitudinem animæ per modum paſſionis: naturale eſt enim corpus eſſe glorificatum in eo, qui habet animam beatificatam: Cum ergo Chriſtus non meruerit gloriã animæ, ſequitur, ipſum non meruiſſe gloriam corporis.

2 Secundo. Habere gloriam corporis per modum naturæ ex vi natiuitatis citra omne meritum, eſt perfectius ſimpliciter loquendo, quàm eam habere ex merito; hac enim ratione Diuus Thom. & omnes eius diſcipuli probant, Chriſtũ non meruiſſe gloriam animæ: nam perfectius eſt, & excellentius eam habere per modum naturæ à principio, quàm eam poſſidere ex meritis; ſed Chriſto etiã reſpectu gloriæ corporis attribuenda ſunt ea, quę important maiorem perfectionem ſimpliciter loquendo; ergo re vera Chriſtus non meruit gloriam corporis, ſed eam habet per modum naturæ.

3 Tertio arguitur deſtruendo rationem S. Thomæ. Ex eo enim probat, Chriſtum meruiſſe gloriam corporis: nam huiuſmodi gloria eſt aliquid minus principale, quàm eius meritum, & ideò non fuit inconueniens, Chriſtum caruiſſe gloria corporis, vt eam poſtmodum poſſideret ex meritis; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo, &c. Minor probatur: nam, ſi aliquid probaret, etiam concluderet, Chriſtum habuiſſe ex meritis habitus infuſos virtutum moralium, quod tamen eſt contra ſupradicta. Probatur eadem ratione, nam actus charitatis beatificæ, per quam Chriſtus principaliter meruit, eſt multo excellentior, & perfectior quàm ſint habitus infuſi virtutum moralium: ergo ſicut nõ fuit inconueniens, quod Chriſtus pro aliquo tempore caruerit gloria corporis, vt eam poſtmodum ex meritis haberet; ita non erit inconueniens, quod aliquando caruerit habitibus infuſis virtutum moralium, vt poſtmodum conſequeretur per propria merita huiuſmodi habitus. Eadem enim vtrobique ratio procedit.

Quarto. Gloria corporis conſequeretur in Chriſto à principio per modum naturæ ad gloriam animæ ex vi natiuitatis, niſi eſſet impedimentum: ergo Chriſtus directè, & per ſe primo non meruit gloriam corporis, ſed ablationem dumtaxat impedimenti.

Scotus in 3. diſt. 18. q. vnica, conuictus hoc argumẽto, aſſeruit, Chriſtum directè non meruiſſe gloriam corporis; ſed ſolum ablationem impedimenti. Sed pro reſolutione huius difficultatis ſit

Pri-

4 PRima concluſio. Aſſerendum eſt ſecundum fidem Catholicā, Chriſtum meruiſſe proprij corporis gloriam, ſuiq; nominis exaltationem. In hac omnes conueniunt, & habetur expreſsè in ſacris literis, præſertim Lucæ 22. [Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuā?] Et Epheſ. 4. [Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit prius in inferiores partes terræ?] & Philipp. 2. [Humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem, propter quod exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.] &c.

Secunda concluſio. Chriſtus directè meruit gloriam ſui corporis. Probatur hæc concluſio contra Scotum. Primo, nam meritum propriè loquendo, reſpicit directè bonum illud, quod redditur merenti; ſed gloria corporis fuit bonum merentis datum Chriſto propter meritum paſſionis, vt colligitur ex locis citatis: ergo. Probatur ſecundo, nam vt infra patebit, nullum fuit in Chriſto impedimentum poſitiuum ex parte animæ obſtans, ne gloria eius redundaret ad corpus: ergo reuera non meruit Chriſtus ablationem alicuius impedimenti. Si dicatur, quod paſſibilitas corporis fuit impedimentum, ne animæ gloria redundaret in corpus. Contra: nam ſuppoſito, quod anima Chriſti fuit à principio beata, prius intelligimus, quod eius gloria non redundaret in corpus, quàm quod idem corpus fuerit paſſibile: propterea enim diuina prouidentia, & diſpenſatione factum eſt, vt gloria animæ non communicaretur corpori à principio, vt Chriſtus in corpore paſſibili noſtræ redemptionis expleret myſteria, vt docet S.Thom. infra q. 14. art. 1. ergo.

5 AD primum in oppoſitum reſpondetur, quòd habitus ſciētiæ inditæ, & virtutum moralium conſequuti ſunt in Chriſto ſtatim à principio ad modū naturæ ex vnione hypoſtatica, & viſione beatifica, quia pertinebant ad perfectionem animæ in quantum rationalis, & conſequenter pertinebāt ad perfectionem ſtatus comprehenſoris ex parte eiuſdem animæ: vnde non potuit Chriſtus huiuſmodi habitus mereri propter rationem ſupra aſſignatam; quia videlicet conſequuti ſunt per modum paſſionis ad aliquid, quod fuit principium merendi. Gloria autem corporis non fuit de facto conſequuta ex vnione hypoſtatica, neque ex beatitudine animæ à principio, & ideo per merita ſequentia incarnationem potuit Chriſtus eam mereri.

6 Ad ſecundum reſpondetur, quòd omnis perfectio poſſibilis, quæ ſaluari poteſt cum fine incarnationis, tribuenda eſt Chriſto. Cum fine autem Incarnationis, qui fuit redimere hominem à peccato per paſſionem, & mortem, non erat cōpoſſibile, Chriſtum habuiſſe de facto à principio per modum naturæ gloriam corporis; alias enim non potuiſſet mori pro peccatis noſtris, nec tribuere nobis exemplū, vt ſequeremur veſtigia eius, & propterea non fuit conueniens, quod Chriſtus per modū naturæ habuiſſet à principio gloriam corporis. Secundo reſpondetur, quòd per ſe loquendo per modum naturæ debita erat Chriſto gloria corporis, tāquam aliquid conſequens ex natura rei ad ipſam gloriam animæ: & hoc

Digitized by Google

hoc ſufficit ad perfectionem, & excellentiam humanitatis Chriſti: de facto tamen non fuit ſubſequuta propter rationem ſuperius aſſignatam.

7 Ad tertium reſpondetur ex dictis, quod habitus infuſi perficiunt animam, in quantum rationalis eſt, & ideò non erat conueniens fini incarnationis, quod Chriſtus à principio caruiſſet huiuſmodi habitibus, vt eos poſtmodum haberet ex meritis: cæterum ad finem incarnationis pertinebat, vt nõ haberet gloriam corporis, vt dictum eſt, vnde non eſt ſimile.

8 Ad quartum reſpondetur, quod in Chriſto non fuit aliquod particulare impedimentum poſitiuum obſtans, ne gloria animæ redundaret in corpus, ſed detenta fuit gloria in anima, quia ſpeciali diſpenſatione, & prouidentia nõ præbuit Deus ſuum concurſum, vt communicaretur corpori ante transfigurationem, vel reſurrectionem, iuxta illud, quod in perſona Chriſti

Pſal.72 canit. Pſal.72. [Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.] Eſt exemplum in igne Babylonis, qui propterea non combuſſit tres pueros in fornace,

Dan. 3. quia ſuſpendit Deus ſuum concurſum, & non voluit cum eo concurrere ad pueros comburendos. Nec enim fuit ibi aliquod aliud impedimentum poſitiuum obſtans, ne ignis combureret eos.

De his, quæ meruit nobis Chriſtus Dominus. §. 4.

1 POſt hęc agendum eſt in vltimo loco de his, quæ meruit nobis Chriſtus Dominus: circa quod ſe offerebant tria conſideranda. Primo. Vtrum meruerit prædeſtinationem noſtram. Secundo. Vtrum meruerit gratiam primis parentibus collatam in ſtatu innocentiæ. Tertio. Vtrum meruerit nobis gratiam iuſtificantem, & alia omnia dona, quæ ad noſtram ſalutem conducunt: ſed quia duas priores difficultates diſſoluimus ex profeſſo in lib. noſtro de Auxil. Diſp. 49. ideo in pręſenti examinanda eſt ſolum tertia difficultas.

DISPVTATIO L.

Vtrum Chriſtus meruerit nobis omnia dona ſpiritualia, vt gratiam habitualem, antecedentes eius diſpoſitiones, eiuſdem gratiæ augmentum, & omnia alia bona etiam temporalia, quæ ad ſalutem animæ ordinantur.

NOtandum, omnes Theologos conuenire, quod Chriſtus meruerit nobis primã gratiam iuſtificantem. Docent enim hoc expreſſe plura Concilia, præſertim Cõcilium Mileuitanum can. 3. in hæc verba: [Item placuit vt quicumque dixerit, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, &c.] illa enim verba, per Ieſum, &c. clarè indicant, gratiam iuſtificantem ex meritis Chriſti nobis dari, & idem dicit Canon. 4. eiuſdem Concilij. Præterea in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificat. cap. 3. ſic dicitur: [Niſi in Chriſto homines renaſcerentur 1

Conc. Mileuit.

Conc. Trident.

rentur nunquam iuſtificarentur, cũ ea renaſcentia per meritum paſſionis eius gratia, qua iuſti fiunt, illis tribuatur.] & cap.6. ſubdit, iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: & ibi appellat Chriſtum omnis iuſtitiæ fontem; & cap.7. docet ſancta Synodus, quod cauſa meritoria iuſtificationis eſt dilectiſſimus vnigenitus Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. & canon. 2. eiuſdem Concilij habetur, gratiam iuſtificantem per Ieſum Chriſtum nobis dari, quod etiam colligitur ex locis Scripturæ infra allegandis. Eſt tamen magna controuerſia de diſpoſitionibus antecedẽtibus gratiam iuſtificantem, & ſimiliter de augmento gratiæ: Vtrum hæc omnia etiam dentur nobis ex meritis Chriſti.

3 Prima ſententia eſt Capreoli 3. diſt.18.quæſt.vnica, art.3. ad argumentum Scoti contra quartam cõcluſionem, vbi docet, Chriſtum non meruiſſe nobis diſpoſitiones præuiàs ad gratiam iuſtificantem; quãuis meruerit diſpoſitiones eandem gratiam cõcomitantes. Idem docet Ferrarien.4. cont.gent. cap. 55.§.an autem. Ratio potiſſima huius ſententiæ eſt; nã ex eo, quòd Chriſtus meruerit nobis gratiam iuſtificantem, non ſequitur, quod meruerit ea, quæ ipſam gratiam antecedunt: aliàs meruiſſet etiam ſuam incarnationem, quod eſt cõtra ſupra dicta, & ſimiliter meruiſſet bona temporalia, quæ præſupponuntur ad gratiam, vt intellectum, & voluntatem, quæ confertur nobis, quod non eſt admittendum.

4 Secunda ſententia eſt Driedonis lib. de captiuitate generis humani tract. 2. & 4. quod videlicet Chriſtus non meruit nobis fidem.

Tertia eſt Decani Louan. art. 3. contra Luterum, vbi docet, quod Chriſtus non meruit, vt paruulis applicetur Baptiſmus; docet etiam ibi, Chriſtum non meruiſſe omnia bona ſpiritualia, quæ iuſtificatis poſt ipſam iuſtificationem conferuntur, vt augmentum gratiæ, & gloriæ: nec eſſe neceſſariam nouam Chriſti meritorum applicationem ad huiuſmodi effectus; ſed ſufficere illam, quæ facta eſt in ipſa iuſtificatione, ſiue infuſione gratiæ habitualis: & idem dicit de remiſſione pœnæ temporalis debitę peccatis iam dimiſſis, quæ quidem fit per bona opera ſequentia ipſam iuſtificationem. Nihilominus pro huius reſolutione ſit

Prima concluſio. Chriſtus promeruit nobis omnia bona ſpiritualia, quæ poſt peccatum originale conferuntur hominibus. 5 Concluſio eſt S. Thomæ ſupra quæſt. 7. art.9.corp. vbi docet, quòd gratia Chriſti [ſe extendit ad omnes gratiæ effectus, qui ſunt virtutes, & dona, & alia eiuſmodi.] Nec docet oppoſitum in quæſt.29. de veritate art. 7. quem pro ſe allegat Ferrarienſis. Probatur ex verbis illis Apoſtoli Epheſ. 1. [Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.] id eſt *Eph. 1.* per eius merita, vt explicant communiter ſancti Patres. & cap. 4. eiuſdem epiſtolæ: [Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.] vbi non loquitur Apoſtolus tantum de gratia habituali, vt quidam interpretantur, ſed etiam de quocunque dono gratuito, & eſt ſenſus, quod Deus nihil ſupernaturale cauſat in nobis,

Digitized by Google

nobis, niſi per Chriſtum,& merita illius, vt ad Philip. 1. *Phil. 1.* [Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum, vt in illum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.] Vbi illud verbũ, (pro Chriſto) idem ſignificat, quòd pro meritis Chriſti, vt interpretatur Diuus Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 2. Colligitur etiam iſta concluſio ex Concilio Mileuitano ſupra citato,& ex Concilio Arauſicano cap. vltimo, & ex Tridentino ſeſſ.6. de iuſtificatione cap.3.5. 6. & 7. Probatur ratione. Ad excellentiam, & dignitatem humanitatis Chriſti pertinet,quod hæc omnia nobis meruerit; & ex alia parte fuit poſſibile humanitatem Chriſti habuiſſe hãc perfectionem, & excellentiam. ergo de facto fuit illi communicata.

6 Probatur ſecundo, nam aliàs ſequeretur, quod prima gratia iuſtificans non detur nobis ex meritis Chriſti; conſequens eſt contra doctrinam expreſſam Conciliorum ſupra adductam: ergo & antecedẽs. Sequela probatur. Sancti Doctores, præſertim Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctorum,& dono perſeuerantiæ,& in alijs libris,quos cõtra Pelagianos conſcripſit,inferunt contra hæreſim Pelagianam, quod gratia iuſtificans detur ſecundum merita noſtra, & ex viribus naturæ, ſi ſemel admittatur, diſpoſitiones antecedentes gratiam iuſtificantem procedere ex viribus naturæ, & non ex viribus gratiæ: ergo eadem argumentatione à contrario ſenſu poterit inferri, gratiã iuſtificantem non dari ex meritis Chriſti, ſi ſemel admittatur, diſpoſitiones antecedentes gratiam iuſtificantem non conferri nobis ex eius meritis.

7 Ex his, primo ſequitur à fortiori, Chriſtum Dominum meruiſſe nobis omnes diſpoſitiones proximas ipſam gratiam iuſtificantem concomitantes. Secundo ſequitur. Chriſtum nobis meruiſſe fidem etiam informem, & ſimiliter ſpem, & applicationem Sacramentorum, non ſolum quæ conferuntur adultis, ſed etiam paruulis; conſtat hoc ex rationibus factis. Probatur. Fides, & Spes informis diſponunt ad gratiam iuſtificantem, non quidem proximè, ſed remotè: ſed omnes diſpoſitiones etiam imperfectæ,& remotæ ſunt ab eodem agente, à quo procedit forma: cum ergo gratia iuſtificans detur nobis ex meritis Chriſti, relinquitur,etiam Fidem,& Spem informem dari nobis ex meritis Chriſti. Præterea, Chriſtus redẽmit aliquos in particulari ſecundum efficaciam,vt patet ex illo quod dixit in Euangelio, [Qui pro vobis,& pro multis effun- *Matth. 26.* detur in remiſſionem peccatorũ.] Pro vobis (& pro alijs prædeſtinatis) quo ad efficaciam,pro multis, quo ad ſufficientiam; ergo meruit illis Chriſtus Dominus applicationem mediorum, per quæ iuſtificantur, & ad vitam æternam perueniunt: ergo meruit paruulis applicationem Baptiſmi, qui illis confertur: nam per Baptiſmum re vera iuſtificantur, & ſalutem æternam conſequuntur.

8 SEcunda concluſio. Chriſtus meruit nobis gratiam præuenientem, & excitantem, & omnia auxilia ſupernaturalia etiam efficacia, & omnes motus ſupernaturales etiam indeliberatos. Iſta concluſio

cluſio eſt certa, eamq; probant efficaciter argumenta facta pro præcedenti concluſione.

Tertia concluſio. Chriſtus meruit nobis omnia bona tẽporalia, vt ordinantur ad ſpiritualia. Hac concluſionem docent viri doctiſſimi, & probatur primo: nam Eccleſia petit à Deo hæc bona per Chriſtum Dominum noſtrum, vt patet ex eius orationibus, quæ dicuntur in Miſſa, præſertim in oratione pro petitione pluuiæ: ergo quando conducunt ad bona ſpiritualia, obtinemus à Deo hæc bona per Chriſtum, non ſolum tanquam per interceſſorem, ſed etiam tanquam per cauſam meritoriam. Probatur ſecundo. Vt docet ſanctus Thomas 1.2.quæſt. 114.art.vltimo, iuſtus per gratiã poteſt mereri à Deo, & meretur bona temporalia, ſecundum quod ordinantur ad ſpiritualia: ergo Chriſtus eadem bona promeruit nobis. Probatur conſequentia: nam omne meritum hominis iuſti fundatur in meritis Chriſti, & ab illis ſumit ſuam efficaciã:ergo ſi iuſti hæc bona merẽtur: multo magis Chriſtus.

10 Quarta concluſio. Chriſtus meruit nobis augmentum gratiæ, & omnem ſatisfactionem pro pœna temporali, quæ debetur peccatis iam remiſſis: ac denique omnia dona ſpiritualia, ſeu ſupernaturalia, quæ hominibus poſt gratiam iuſtificantem conferuntur. Colligitur hæc concluſio ex Concilio Tridentino ſeſſione 6. de iuſtificatione cap. 15. vbi ſic dicitur: [Cum enim ipſe Chriſtus tanquam caput in membra, & tãquam vitis in palmites, iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent, &c.] Quibus verbis manifeſtè docet, opera meritoria, quæ ſequuntur iuſtificationem impij, & alia dona, quæ iuſtis conferuntur, fundari in meritis Chriſti. Idem docet ſancta Synodus can. 32. eiuſdem ſeſſionis, vbi diffinitur ſub anathemate, iuſtificatum per bona opera, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum.] Idem docet ſpecialiter de ſatisfactione ſeſſione 14. decreto de Sacramento Pœnitentiæ cap. 8. vbi loquens de ſatisfactionis neceſſitate, & fructu inquit, [Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exoluimus, vt non ſit per Chriſtum Ieſum, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptanter à Patre.]

Secundo probatur ex illo Ioan- 11
nis 10. [Ego veni, vt vitam ha- *Ioa.10.*
beant, & abundantius habeant.]
& Epheſ. primo: [In quo omnis *Epheſ.1*
ædificatio conſtructa creſcit.] ex quibus teſtimonijs habetur, non ſolum gratiam iuſtificantem, ſed etiam eius augmentum nobis conferri ex meritis Chriſti.

Tertio probatur. Paſſio Chriſti, & merita illius non minus operantur in Baptiſmo ſanguinis,

per

per actum dilectionis, quam in Baptiſmo aquæ, vt patet ex ſancto Thoma infra quæſt. 66. art. 12. ſed gratia quæ datur per Baptiſmum aquæ, confertur nobis ex meritis Chriſti, vt dictum eſt: ergo ſimiliter gratia quæ iuſtificatis confertur per Baptiſmum ſanguinis, datur eis ex meritis Chriſti. Confirmatur: nam abſurdum eſſet dicere, quod gloria iuſtorum, ſeu beatitudo propria, & augmentum gloriæ confertur ex meritis Chriſti, ſatisfactio autem & augmentum gratiæ abſque meritis illius conferatur.

13 Quarto probatur. Iuſtificatis remittuntur peccata venialia ex actuali applicatione meritorum Chriſti, vt patet ex illo Ioannis
Ioan. 1. primo, [Et ſanguis eius emundat nos ab omni peccato.] vbi etiam loquitur de peccatis venialibus: ergo actus charitatis, per quem poſt iuſtificationem remittuntur peccata venialia, eſt meritorius ex meritis Chriſti.

14 Quinto probatur. Fides eſt, Chriſtum prædeſtinatis meruiſſe integram ſalutem; ſed hanc non ſemper habent ex actuali ſuſceptione Sacramentorum, ſed multoties per alia opera meritoria, quæ conſequuntur, & fiunt poſt inſtans iuſtificationis; nam per huiuſmodi opera perueniunt ad vltimam ſalutem: ergo Chriſtus meruit nobis omnia dona ſupernaturalia ſuperius explicata.

15 AD argumentum factum pro ſententia Capreoli reſpondetur. Licet ex eo quod Chriſtus meruerit nobis primam gratiam iuſtificantem, non ſequatur, ipſum meruiſſe omnia, quæ antecedunt ipſam gratiam iuſtificationis, vt ſuam incarnationem, & alia quæ ſupponuntur ex parte naturæ ad prædeſtinationem, vt quod prædeſtinatus habeat intellectum, & voluntatem: nihilominus optime infertur ex illo principio, Chriſtum meruiſſe diſpoſitiones antecedentes, non ſolum ordine naturæ, ſed etiam temporis ipſam gratiam iuſtificantem; vt patet ex rationibus pro noſtra ſententia adductis.

QVAESTIO IX.

De ſcientia Chriſti in communi.

1 CVM in Chriſto Domino ſit duplex natura intellectualis, Diuina ſcilicet, & humana, ita etiã duplex ſcientia eſt in illo diſtinguenda: altera increata, quæ illi competit ratione diuinæ naturæ: altera creata, quæ conuenit ei ratione humanæ. De ſcientia diuina, & increata Chriſti agunt ex profeſſo Theologi cum ſancto Thoma 1. par. quæſt. 14. & nos de eadem ſcientia, quæ maiorem habet difficultatem, diſcuſſimus in lib. 2. de Auxilijs Diſputatione 6. & ſequentibus. Scientia autem creata, quæ humanæ Chriſti naturæ competere poteſt, eſt triplex. Prima eſt ſcientia beata, per quam eius anima videt Deum clare, ſicuti eſt in ſeipſo. Secunda eſt ſcientia indita, ſiue per ſe infuſa. Tertia eſt acquiſita, ſeu experimentalis: & de ijs ſuo ordine eſt agendum.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam præter diuinam.

2 CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur. Primò, aliàs anima Chriſti eſſet imperfectior animabus aliorum hominum, qui rerum ſcientiam, ſeu cognitionem creatã habent. Secundo, quia, cum quælibet res ſit propter ſuam operationem, vt dicitur in 2. de cælo; fruſtra haberet Chriſtus animam intellectiuã, ſi non intelligeret ſecundũ illam, quod pertinet ad ſcientiã creatam. Tertio, nam cognitio creata primorum principiorum competit naturaliter humanæ naturæ. Nihil autem naturaliũ Chriſto deficit: ergo.

DISPVTATIO LI.

Vtrum in intellectu animæ Chriſti debeat conſtitui creata rerum cognitio diſtincta à cognitione Diuina.

3 PARS negatiua probatur. Primo. De potentia Dei abſoluta potuit anima Chriſti res cognoſcere formaliter per cognitionẽ diuinã, ita nimirum, vt ipſa cognitio diuina vniretur eius intellectui creato in ratione cognitionis: ergo de facto vnita eſt. Probatur conſequentia, nam omnis dignitas, & perfectio poſſibilis communicari humanitati Chriſti, ſi non repugnat fini incarnationis, eſt illi de facto communicata; ſed maior perfectio eſſet humanitatis Chriſti cognoſcere formaliter res per cognitionem diuinam, quàm eas cognoſcere per cognitionem creatam: ergo. Antecedens autem probatur. Eſſentia diuina ita verè, & formaliter habet rationẽ actus ſecundi, ſcilicet intellectionis actualis, ſicut actus primi, ſcilicet ſpeciei intelligibilis, vt docent communiter Thomiſtæ 1. par. quæſt. 12. artic. 2. Sed in ratione ſpeciei intelligibilis vnitur intellectui beati; ergo potuit vniri intellectui animæ Chriſti in ratione actualis intellectionis.

Confirmatur idem antecedens. Verbum diuinum vnitum fuit Animæ Chriſti in ratione ſubſiſtentiæ, ſupplendo vicem ſubſiſtentiæ creatæ. Ergo ſimiliter eſſentia diuina potuit vniri intellectui animæ Chriſti, in ratione actus intelligẽdi, ſupplendo vices intellectionis creatæ. Secundo. De potentia abſoluta poteſt eſſentia diuina vniri intellectui beato in ratione viſionis beatificæ, cum id nullam implicet contradictionem: ergo potuit vniri intellectui animæ Chriſti in ratione cognitionis formalis.

4 PRima nihilominus cõcluſio ſit. In intellectu creato Chriſti Domini fuit actualis cognitio, per quã ipſe vt homo intelligebat. Cõcluſio eſt de Fide, habetur ex Ioan. nã ipſa Veritas ait, [Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo,] & cap. 13. *Ioan.8.* [Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt trãſeat ex hoc mundo ad Patrẽ.] & Matt. 22. [Cognita autem Ieſus *Matth. 22.* malitia eorum,] quæ teſtimonia apertè intelligũtur de Chriſto, vt eſt homo. Confirmatur. In ſacris literis habetur, Chriſtum Dominũ oraſſe ad Patrem, oratio autem, cum ſit actus intellectus, abſque cognitione intellectus fieri non poteſt: ergo.

5 Secunda concluſio. In intellectu animæ

animæ Chriſti fuit actualis cognitio creata. Cõcluſio habetur ex eiſdẽ locis Scripturæ. Præterea probatur: In Chriſti anima fuit intellectus creatus, cum Verbum diuinũ aſſumpſerit animam, cum omnibus eius potentijs: ergo & cognitio creata. Probatur cõſequentia, aliàs fruſtra eſſet intellectus creatus, ſi nullam habuiſſet operationem.

Præterea probatur definitionibus Conciliorum, & Summorũ Pontificum, ex quibus habetur, in Chriſto eſſe duas naturas, & duas operationes realiter inter ſe diſtinctas, diuinam ſcilicet, & humanam. Ergo fuit in illo duplex cognitio, altera diuina, altera humana, qua intellectus animæ Chriſti exijt in actum ſecundum modo ſibi connaturali, & proportionato.

6 Tertia concluſio. Intellectus animæ Chriſti ita cognouit res ſcientia creata, vt nõ potuerit formaliter de potentia abſoluta eas cognoſcere per intellectionẽ increatam, & diuinam. Ita docet Capreol. 3.d. 14.q.1.ar.1.concl.1. & communiter Thomiſtę, & probatur primo ratione Caietani, & M. Soti. Cognitio, ſeu intellectio neceſſario debet procedere efficienter ab intelligente, nã eſt actio vitalis, ſeu vita in actu ſecundo, ac per conſequens debet produci à principio vitali cognoſcente; ſed implicat cõtradictionẽ, quod cognitio increata producatur effectiuè à cauſa creata, ſeu principio vitali creato, eo quod increata cognitio eſt Deus ipſe, Deus autem non poteſt produci effectiuè ab aliquo, aliàs creatum eſſet cauſa increati, & temporale eſſet cauſa æterni, quod implicat cõtradictionem: ergo impoſſibile eſt, intellectũ animæ Chriſti cognoſcere formaliter per cognitionẽm increatam.

Caie. 1. p. q. 26. art. 3. Sotus 4. d. 49. q. 2. art. 3.

7 Cõfirmatur. Operatio vitalis eſt vita in actu ſecundo: ergo de ratione illius eſt procedere à principio vitæ in actu primo, ſcilicet ab anima, à qua procedit omnis vita, ſiue in actu primo, qualis eſt vita totius compoſiti viuentis; ſiue in actu ſecundo, qualis eſt vita operationum vitaliũ, aliàs profecto non cõpeteret intrinſecè animæ rationali eſſe principium vegetãdi, ſentiendi, loco mouendi, & intelligendi, ſi eiuſmodi actiones poſſent ab alijs potentijs non vitalibus produci. Propterea namque nõ eſt de intrinſeca ratione animæ eſſe principium non vitalium operationum, quia poſſunt ab alijs potentijs produci.

8 Si obijciatur. Cognitio producitur effectiuè à cognoſcẽte, ſed Deus poteſt per ſeipſum vices cauſæ efficientis ſupplere; ſicut poteſt mundum illuminare abſque ſole: ergo poterit ſupplere vices cõcurſus intellectus creati, & efficere, quod anima Chriſti cognoſcat formaliter per cognitionem increatam eidem intellectui vnitã in ratione cognitionis, & notitiæ. Reſpondetur. Deum quidem ſupplere poſſe per ſe ipſum vices cauſæ efficientis, quando eſt purè cauſa efficiens, non autem quando habet adiunctam rationem cauſæ formalis, vel quaſi formalis: ſicut riſibilitas eſſe non poteſt niſi in homine in ratione paſſionis; quia pendet ab eſſentia hominis, non ſolum in genere cauſæ efficientis, ſed etiam formalis. Cognitio autem dicit habitudinem ad intellectũ cognoſcentẽ non ſolum in genere cauſæ efficientis, ſed etiã formalis, vel quaſi, propter rationẽ factam, quia nimirum cum ſit actio vitalis, & immanens,

dicit intrinſecum ordinem ad principium vitale coniunctum. Vnde fieri non poteſt, vt intellectus creatus cognoſcat formaliter, niſi cognitione à ſe producta, quæ ſubinde oportet, vt ſit creata.

9 Secundo probatur ratione ſancti Tho. q.20. de verit. art. 1. in corp. Diuinitas non poteſt eſſe actus corporis, vt ea corpus formaliter viuat, aut fiat rationalis creatura: aliàs ex natura diuina, & humana fieret tertia natura, tãquã ex duobus extremis, & ita vtriuſq; naturæ veritas corrũperetur. Ergo ſimiliter diuinitas non poteſt eſſe actus animæ rationalis, vt ea formaliter ſit cognoſcens, vel ſciens. oportet ergo ponere in Chriſto cognitionem creatã diſtinctam realiter à cognitione increata, quæ eſt ipſe Deus, vel Diuinitas.

Tertio probatur. Cognitio increata cõprehendit Deum: Ergo ſi intellectus animæ Chriſti cognoſceret formalirer, aut poſſet cognoſcere formaliter cognitione increata, ſequeretur, quod aliquis intellectus creatus poſſet cõprehẽdere Deũ, & eum cognoſcere quantũ cognoſcibilis eſt; hoc autem repugnat iuxta ſententiam ſancti Thomæ, & communem Theologorum. Ergo.

S.Thom. infra q. x art. 1. & 1.p.q.12. art. 7.

10 Obiectio. Contra hãc rationẽ poteſt obijci, Eſſentia diuina vnitur immediatè intellectui beato in ratione ſpeciei intelligibilis, & per illã cognoſcit Deũ, & tamen non ſequitur ex hoc, ꝙ intellectus creatus Deũ comprehendat; Ergo ſimiliter ex eo quod intellectus animæ Chriſti cognoſceret formaliter cognitione increata, non ſequitur, quod ipſum Deum comprehẽdat.

Solutio. Reſpondetur negando cõſequentiam; & ratio diſcriminis eſt, quoniam eſſentia diuina, quatenus habet rationẽ ſpeciei intelligibilis, tenet ſe ex parte obiecti, & gerit vices illius. Vnde, ſicut obiectum, ſcilicet Deus, vt eſt in ſe ipſo, eſt cognoſcibile duobus modis, ſcilicet comprehenſiue ab intellectu increato, & non comprehenſiue ab intellectu creato: ita etiam eſſentia diuina, vt gerit vicem ſpeciei intelligibilis, eſt ratio cognoſcendi ipſum Deum vtroque modo, iuxta diuerſitatem virtutis cognoſcẽtis. Vnde quod viſio beatifica ſit comprehenſiua Dei, vel non comprehenſiua, non debet attendi ex ſpecie ipſa intelligibili, ſed ex perfectione infinita, aut finita virtutis cognoſcitiuę ipſius cognoſcentis. Et quoniam lumen gloriæ, quo intellectus creatus fit potens ad videndum quidditatiue Deum in ſe ipſo, eſt finitum, cum ſit creatum, virtus autem cognoſcitiua intellectus diuini eſt infinita, & increata; ideo eſſentia diuina vnita intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis repræſentat Deum finito modo, & inadequatè; quamuis ex ſe ſit repræſentatiua Dei in quantum cognoſcibilis eſt: intellectui autem Diuino repræſentat Deum infinito modo, & eſt ratio cognoſcendi ipſum, in quantum cognoſcibilis eſt. Hæc autem ratio non procedit de eſſentia diuina, vt habet rationem notitiæ, ſeu actualis cognitionis; quia cognitio habet rationem actus ſecundi vitalis. Vnde dicit intrinſecum ordinem ad principium intrinſecum vitale, ac per conſequẽs debet illi proportionari, & coaptari, ita nimirũ, vt tota perfectio, quæ eſt in cognitione præexiſtat cauſaliter in virtute cognoſcẽtis; Vnde oportet, ꝙ ſicut cognitio eſt infinita,

Digitized by Google

infinita, ita & virtus cognoſcentis ſit infinita, ac per conſequens ſit comprehenſiua Dei. & ideo, ſi intellectus creatus formaliter cognoſceret Deum cognitione increata, per talem cognitionem cõprehenderet illũ, & cognoſceret in quantum cognoſcibilis eſt.

11 AD primum argumentum reſpondetur, quod non potuit communicari intellectui animæ Chriſti, vt cognoſceret res formaliter cognitione increata, propter rationes adductas in tertia concluſione. Ad impugnationem negatur conſequentia, ratio diſcriminis patet ex rationibus adductis pro tertia concluſione. Similiter dicendum, ad confirmationem, quod ſubſiſtentia non eſt actio vitalis, aut immanens, ſed eſt terminus naturæ; cognitio autem eſt actio vitalis dicens intrinſecum ordinem ad principium vitale cõiunctum; vnde Verbum diuinum potuit immediatè vniri hypoſtaticè humanitati, & ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ, vt ex dictis Diſput. 11. & 21. conſtat: eſſentia autem diuina vniri non poteſt intellectui creato, in ratione actualis cognitionis, nec ſupplere vices ſcientiæ humanæ.

12 Ad ſecundum argumentum negatur antecedens, nam eo admiſſo ſequeretur, cognitionem illam eſſe infinitam, & finitam, increatam, & creatam, comprehenſiuam Dei, & non comprehenſiuã. Quod enim ſit infinita, increata, & comprehenſiua Dei conſtat ex hypotheſi. Quod autem ſimul etiam eſſet finita, creata, & non comprehenſiua Dei, probatur ex dictis, quia illa cognitio tunc eſſet actus vitalis intellectus creati cognoſcentis: ergo procederet efficienter ab intellectu creato, vt à principio intrinſeco vitali: ergo eſſet cognitio finita, creata, & non comprehenſiua Dei, ſicut intellectus ipſe, à quo procedit, finitus eſt, & creatus: Actus enim ſecundus non poteſt excedere virtutem, & perfectionem actus primi, neque aliquid increatum à cauſa creata efficienter procedere.

Sed contra hoc eſt argumentum. 13 Deus poteſt ponere intellectionem **Obiect.** Petri in meo intellectu, licet ſit actio vitalis Petri. Ergo poterit facere, quod intelligam per illam: ergo ſimiliter poterit efficere, quod intellectus animæ Chriſti intelligeret formaliter intellectione increata. Reſpondetur negando cõ- **Solutio.** ſequentiam; nam impoſſibile eſt, quod ego intelligam formaliter intellectione non procedente à meo intellectu, quoniam intellectio eſt actio vitalis, ac per conſequens debet procedere à principio vitali coniuncto, & in illo manere: etenim me intelligere nihil aliud eſt, quàm intellectionem in me manẽtem elicere. Vnde, quemadmodum albedo, ſi per potentiam Dei poneretur in Angelo, non faceret illum album: ita ſi intellectio Petri poneretur in meo intellectu, non faceret me intelligentem; quia ſicut Angelus non eſt capax denominationis procedentis ab albedine; ita intellectus non poteſt denominari intelligens, niſi ab intellectione à ſe procedente, vt à principio vitali coniuncto.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam, quam habent Beati, vel comprehenſores.

1 Concluſio eſt affirmatiua. Probatur. Illud, quod eſt in potētia, reducitur in actum, per id, quod eſt actu; homo autem eſt in potentia ad ſcientiam beatorum, & per Chriſtum reducitur in actum, iuxta illud Hebr. 2. [Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.] Ergo oportuit, quod ſcientia beata excellentiſſimè Chriſto homini conueniret.

Heb. 2.

DISPVTATIO LII.

Vtrum anima Chriſti habuerit ſcientiam beatam ab inſtanti ſuæ creationis, & toto tēpore, quo fuit in corpore mortali.

2 Pars negatiua probatur. Primo ex illo Lucæ 2. [Ieſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.] qui autem habent ſcientiam beatam proficere non poſſunt ſapiētia, & gratia, cum ſint in termino: vnde S. Thom. propter hanc rationem 2. 2. q. 24. art. 4. docet, quod ſola charitas viæ augeri poteſt: ergo videtur quod Anima Chriſti nō habuerit ſcientiam beatam ab inſtanti ſuæ creationis.

Luca 2.

Secundo. Si Anima Chriſti fuit beata toto tempore, quo fuit vnita corpori mortali, ſequeretur qđ nihil ſibi, aut nobis potuerit mereri: conſequens non poteſt admitti: ergo. Antecedens probatur. Meritum potiſſimè cōſiſtit in actu libero charitatis, per quem actus aliarum virtutum referuntur in vltimū finem, & fiunt meritorij vitæ æternæ: vnde S. Tho. 1. 2. q. 114. art. 4. docet, quod gratia ſit principiū meriti principalius per charitatem, quàm per alias virtutes: ſed actus charitatis animæ beatæ non poteſt eſſe meritorius, quia eſt actus ſimpliciter neceſſarius, & nō liber, vtpote ad viſionem beatificam conſequutus; beati enim non poſſunt nō diligere Deum. ad meritum autem neceſſario reqritur libertas actus, qa naturalibus, ſeu neceſſarijs nec meremur, nec demeremur: ergo.

3 Tertio: Anima Chriſti meruit ſibi ſcientiam beatam: ergo non potuit eā habere ab inſtanti ſuę creationis. Patet cōſequentia: implicat enim, quod prēmium præſertim vltimum ſit ante meritum, eo quod meritum eſt via ad præmium, aliàs prius eſſet, quieſcere in termino, quàm moueri ad terminum: & antecedēs probatur. Vt docet S. Tho. infra q. 19. art. 3. in corp. perfectius eſt habere aliquid ex merito, quam ſine merito: nam habere aliquid ex merito, eſt habere illud quodāmodo per ſeipſum, habere autem ſine merito, eſt illud habere ab alio. Id autem quod eſt perfectius tribuendum eſt Animæ Chriſti, & hac ratione. S. Tho. infra q. 34. art. 3. probat, Animam Chriſti in primo inſtanti ſuæ creationis fuiſſe ſanctificatam propria diſpoſitione liberi arbitrij, quia perfectius eſt ſic ſanctifi-

ſtificari, quàm ſine diſpoſitione propria: ergo.

4 Quarto. Summum gaudium non poteſt ſimul compati cum ſumma triſtitia, vt patet ex illo Matth. 26. [Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.] Ergo ſaltem pro eodem tempore, ſcilicet tempore paſſionis, in quo habuit ſummam triſtitiam, non fuit in anima Chriſti gaudium beatificũ: ergo nec ſcientia, ſeu viſio beatifica, etenim gaudium beatificum conſequitur neceſſario viſionem beatificam, ita vt ab ea ſeparari non poſſit. *Matth. 26.*

5 PRima nihilominus cõcluſio ſit. De Fide eſt, Animam Chriſti poſt mortem vidiſſe Deum per eſſentiam, & habuiſſe ſcientiam beatam. Hanc concluſionem probat ex profeſſo Magiſter Canus lib. 12. de locis, cap. 14. & conſtat ex Concilio Florentino, in decreto Fidei, vbi definitur [Illorum animas, quæ poſt Baptiſmum ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exules corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum, & vnum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius] Ergo multo magis debet hoc verificari de Anima Chriſti, [Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.] *1. Pet. 2*

6 SEcunda concluſio. Etiam eſt de Fide, animam Chriſti ante paſſionem, & mortem, vidiſſe Deum per eſſentiam. Probant hoc efficaciter loca Scripturæ, quæ adducit Magiſter Medina in hoc articulo, & infra quæſt. 34. art. 4. præſertim illud Ioannis 3. [Qui de cælo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur,] & cap. 8. [Ego, quod vidi apud Patrem, loquor.] Quæ teſtimonia apertè intelliguntur de Chriſto ſecundum quod homo, & Ioannis 1. [Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.] Plenitudo autẽ gratiæ, & veritatis habetur ſimpliciter per viſionem beatificam, & non ante illam: ergo. *Ioan. 3.* *Ioan. 1.*

7 TErtia cõcluſio. Anima Chriſti à primo inſtanti conceptionis ipſius Chriſti habuit perfectiſſimè ſcientiã beatorum, ſeu comprehenſorũ. Concluſio eſt expreſſa S. Tho. infra, q. 34. art. 4. quã probat ex illo Pſal. 64. [Beatus quẽ elegiſti, & aſſumpſiſti:] ſed in primo inſtãti cõceptionis fuit aſſumpta natura humana à Verbo: ergo in eodem inſtanti fuit beata. Beatitudo autem habetur per ſcientiam comprehenſorum: ergo. Præterea probatur ex illo Pſal. 21. [De vẽtre matris meæ Deus meus es tu,] ex quo teſtimonio Euſebius Cæſarien. lib. 10. Demonſtrationum Euangelicarũ cap. 8. probat noſtram concluſionem, ait enim: [Cum adhuc intra cellam geſtantis me in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam.] Et S. Bernardus hom. 2. ſuper, Miſſus eſt, expendens illud: (Fœmina circumdabit Virum) ait: [Vir erat Ieſus, nec dum etiam natus, ſed ſapientia non ætate; animi vigore, non viribus corporis, maturitate ſenſuum, nõ corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit ſapientiæ, vel potius nõ minus fuit ſapientia Ieſus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, ſiue vagiens *Pſal. 64* *Pſal. 21* *Euſ. Cæſ.* *S. Bern.* *Hier. 31.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam, quam habent Beati, vel comprehenſores.

1 Concluſio eſt affirmatiua. Probatur. Illud, quod eſt in potẽtia, reducitur in actum, per id, quod eſt actu; homo autem eſt in potentia ad ſcientiam beatorum, & per Chriſtum reducitur in actum,
Heb. 2. iuxta illud Hebr. 2. [Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.] Ergo oportuit, quod ſcientia beata excellentiſſimè Chriſto homini conueniret.

DISPVTATIO LII.

Vtrum anima Chriſti habuerit ſcientiam beatam ab inſtanti ſua creationis, & toto tẽpore, quo fuit in corpore mortali.

2 PARS negatiua probatur. Primo ex illo Lucæ
Luca 2. 2. [Ieſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.] qui autem habent ſcientiam beatam proficere non poſſunt ſapiẽtia, & gratia, cum ſint in termino: vnde S.Thom. propter hanc rationem 2.2.q.24.art.4.docet, quod ſola charitas viæ augeri poteſt: ergo videtur quod Anima Chriſti nõ habuerit ſcientiam beatam ab inſtanti ſuæ creationis.

Secundo. Si Anima Chriſti fuit beata toto tempore, quo fuit vnita corpori mortali, ſequeretur qđ nihil ſibi, aut nobis potuerit mereri: conſequens non poteſt admitti: ergo. Antecedens probatur. Meritum potiſſimè cõſiſtit in actu libero charitatis, per quem actus aliarum virtutum referuntur in vltimũ finem, & fiunt meritorij vitæ æternæ: vnde S.Tho. 1.2.q. 114.art.4.docet, quod gratia ſit principiũ meriti principalius per charitatem, quàm per alias virtutes: ſed actus charitatis animæ beatæ non poteſt eſſe meritorius, quia eſt actus ſimpliciter neceſſarius, & nõ liber, vtpote ad viſionem beatificam conſequutus; beati enim non poſſunt nõ diligere Deum. ad meritum autem neceſſario reqritur libertas actus, qa naturalibus, ſeu neceſſarijs nec meremur, nec demeremur: ergo.

Tertio: Anima Chriſti meruit ſibi ſcientiam beatam: ergo non potuit eã habere ab inſtanti ſuę creationis. Patet cõſequentia: implicat enim, quod pręmium præſertim vltimum ſit ante meritum, eo quod meritum eſt via ad præmium, aliàs prius eſſet, quieſcere in termino, quàm moueri ad terminum: & antecedẽs probatur. Vt docet S.Tho. infra q.19.art.3.in corp. perfectius eſt habere aliquid ex merito, quàm ſine merito: nam habere aliquid ex merito, eſt habere illud quodãmodo per ſeipſum, habere autem ſine merito, eſt illud habere ab alio. Id autem quod eſt perfectius tribuendum eſt Animæ Chriſti, & hac ratione. S.Tho. infra q.34.art.3. probat, Animam Chriſti in primo inſtanti ſuæ creationis fuiſſe ſanctificatam propria diſpoſitione liberi arbitrij, quia perfectius eſt ſic ſan- 3

ctifi-

tificari, quàm ſine diſpoſitione propria: ergo.

4 Quarto. Summum gaudium non poteſt ſimul compati cum ſumma triſtitia, vt patet ex illo Matth. 26. [Triſtis eſt anima mea vſque ad ad mortem.] Ergo ſaltem pro eodem tempore, ſcilicet tempore paſſionis, in quo habuit ſummam triſtitiam, non fuit in anima Chriſti gaudium beatificũ: ergo nec ſcientia, ſeu viſio beatifica, etenim gaudium beatificum conſequitur neceſſario viſionem beatificam, ita vt ab ea ſeparari non poſſit.

Matth. 26.

5 PRima nihilominus cõcluſio ſit. De Fide eſt, Animam Chriſti poſt mortem vidiſſe Deum per eſſentiam, & habuiſſe ſcientiam beatam. Hanc concluſionem probat ex profeſſo Magiſter Canus lib. 12. de locis, cap. 14. & conſtat ex Concilio Florentino, in decreto Fidei, vbi definitur [Illorum animas, quæ poſt Baptiſmum ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exules corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum, & vnum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius] Ergo multo magis debet hoc verificari de Anima Chriſti, [Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.]

1. Pet. 2

6 SEcunda concluſio. Etiam eſt de Fide, animam Chriſti ante paſſionem, & mortem, vidiſſe Deum per eſſentiam. Probant hoc efficaciter loca Scripturæ, quæ adducit Magiſter Medina in hoc articulo, & infra quæſt. 34. art. 4. præſertim illud Ioannis 3. [Qui de cælo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur,] & cap. 8. [Ego, quod vidi apud Patrem, loquor.] Quæ teſtimonia apertè intelliguntur de Chriſto ſecundum quod homo, & Ioannis 1. [Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.] Plenitudo autẽ gratiæ, & veritatis habetur ſimpliciter per viſionem beatificam, & non ante illam: ergo.

Ioan. 3. *Ioan. 1.*

7 TErtia cõcluſio. Anima Chriſti à primo inſtanti conceptionis ipſius Chriſti habuit perfectiſſimè ſcientiã beatorum, ſeu comprehenſorũ. Concluſio eſt expreſſa S. Tho. infra, q. 34. art. 4. quã probat ex illo Pſal. 64. [Beatus quẽ elegiſti, & aſſumpſiſti:] ſed in primo inſtãti cõceptionis fuit aſſumpta natura humana à Verbo: ergo in eodem inſtanti fuit beata. Beatitudo autem habetur per ſcientiam comprehenſorum: ergo. Præterea probatur ex illo Pſal. 21. [De vẽtre matris meæ Deus meus es tu,] ex quo teſtimonio Euſebius Cæſarien. lib. 10. Demonſtrationum Euangelicarũ cap. 8. probat noſtram concluſionem, ait enim: [Cum adhuc intra cellam geſtantis me in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam.] Et S. Bernardus hom. 2. ſuper, Miſſus eſt, expendens illud: (Fœmina circumdabit Virum) ait: [Vir erat Ieſus, nec dum etiam natus, ſed ſapientia non ætate; animi vigore, non viribus corporis, maturitate ſenſuum, nõ corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit ſapientiæ, vel potius nõ minus fuit ſapientia Ieſus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, ſiue vagiens

Pſal. 64 *Pſal. 21* *Euſ. Cæſ.* *S. Bern.* *Hier. 31.*

giens in præſepio, ſiue iam grandiuſculus interrogans Doctores in templo, ſiue iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu ſanctò. Neque fuit hora in quacunque ætate ſua, qua de plenitudine illa, quam in ſui Conceptione accepit in vtero; vel aliquid diminueretur, vel aliquid eidē adijceretur: ſed à principio perfectus, à principio, inquam plenus fuit ſpiritu ſapientiæ, & intellectus &c.]

Ratione probatur. Natura humana à primo inſtanti Conceptio-
8 nis Chriſti fuit eleuata ad ſupremū eſſe, ſcilicet adeſſe perſonale Verbi Diuini: Ergo ab eodem inſtanti debuit eleuari ad ſupremā operationem ſibi poſſibilem: ſcientia autem comprehenſorum, ſeu viſio beata eſt ſuprema operatio poſſibilis communicari animæ Chriſti: Ergo habuit illam à principio ſuæ creationis. Confirmatur. Anima Chriſti à primo inſtanti conceptionis
9 fuit magis coniuncta fonti gratiæ; quàm nunc ſit: aut vnquam fuerit aliquis beatus, ergo conueniens fuit, quod à primo inſtanti ſuæ creationis fuerit ei vnita per viſionem beatificam. Notandum tamen hāc concluſionem non eſſe de fide, ita vt eam negare ſit hæreſis; nam loca ſcripturæ quæ pro ſecunda concluſione adducuntur, poſſunt abſq; hæreſi explicari, ita vt intelligantur in hoc ſenſu, quod ſcilicet Anima Chriſti fuerit beata, etiā quando vnita erat corpori mortali, ſiue à primo inſtanti conceptionis Chriſti, ſiue poſtmodum fuerit beatitudinem conſequuta. Eſſet tamen magna temeritas negare, quod à primo inſtanti Conceptionis Chriſti fuerit beata. Ita dicit Palatius in 3.diſtinct. 14. quamuis alij Theologi velint id eſſe erroneum, & proximum hæreſi.

10 AD primum Argumentum reſpondetur cum S. Thoma ſupra q. 7. art. 12. ad 3. quòd in ſapientia, & gratia aliquis poteſt proficere dupliciter: Vno modo ſecundum ipſos habitus ſapientiæ, & gratiæ augmentatos, & ſic Chriſtus in eis non proficiebat. Alio modo ſecundum effectus, in quantum ſcilicet aliquis ſapientiora, & virtuoſiora opera facit, vt ſe verū hominem demonſtraret, & in his quæ ſunt ad Deum, & in his quæ ſunt ad homines] & ſic profecit Chriſtus. eādem explicationem adhibet S. Chriſt. lib. 1. in Ioan. cap. 17. [Quid (inquiens) accedere poteſt ad plenum, vltra quod nihil eſt? ſed non vt Verbum, & Deus profeciſſe intelligitur: verum quia magis eum in dies homines admirabantur, illorum potius de Ieſu opinio, quàm illius perfecta creſcebat gratia, vt magis in dies cognoſcentes, magis illum procedere, ac gratia creſcere arbitrarentur] & S. Damaſcenus lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 22. ait. [Proficere autem ſapientia, & ætate, & gratia idcirco dicitur, quod ætate quidem creſceret, per ætatis autem incrementum ſapientiam eam, qua præditus erat, in lucem proferret; ac præterea, quod hominum in ſapientia, & gratia progreſſum paternæque voluntatis expletionem, hoc eſt hominum pietatem, ac Dei cognitionem, & ſalutem profectū ſuum duceret, atque vbique, quod noſtrum erat, ſibi aſciſceret. & ſanctus Bernardus ſuper Euangelium miſſus eſt Homil. 2. [Nec te moueat, quod de illo legis in alio loco;

S.Chryſ.

S.Damaſ.

S.Bernar.

Ieſus

Ieſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum homines; nam quod de ſapientia, & gratia hic dictum eſt, nõ ſecundum quod erat: ſed ſecundum quod apparebat intelligendum eſt: nõ quia videlicet aliquid nouum ei accideret; quod ante non haberet; ſed quod accidere videretur, quando volebat ipſe, vt videretur.]

11 Ad ſecundum negatur maior: ad probationem reſponſum eſt ex profeſſo in tractatu de merito Chriſti, vbi oſtenſum, qualiter actus charitatis fuerit in Chriſto liber, & meritorius ſibi, & nobis. Pro nunc dicimus, quod, licet actus charitatis ſecundũ quod terminabatur ad Deum, & ſequebatur ad viſionem Beatificam non fuerit liber in Chriſto; ſed neceſſarius: nihilominus ſecundum quod referebat actus aliarum virtutum ad ſalutem generis humani, tanquam ad finem proximum, & in Deum tanquam in finem vltimum, ſub hac ratione erat actus liber ea libertate, quæ ſufficit ad meritum, vt ex præmiſſis diſp. 45. & 46. conſtat.

12 Ad tertium reſpondetur, Animam Chriſti habuiſſe ſcientiã beatam per modum naturæ, & non ex merito, ſicut ſupra de gratia dictũ eſt: & ad impugnationem dicendũ, illam propoſitionem, perfectius eſt habere aliquid ex merito, quam ſine merito, eſſe intelligendum per ſe loquendo, niſi in caſu, quo habere illud ex merito priuat maiori perfectione; qualis eſt habere illud per modum naturæ, & nunquam caruiſſe perfectione illa. Et quoniam, ſi Anima habuiſſet beatitudinem ex merito, oporteret, quod pro aliquo tempore caruiſſet illa, ideo perfectiori modo habuit beatitudinem, quam ſi ex merito obtinuiſſet illam.

Ad quartum eſt prima ſolutio, quam ſequitur Magiſter Canus loco ſuperius allegato, & Gregorius de Valentia 3. p. diſp. 1. q. 4. puncto 2. §. [Quando vero Chriſtus.] Nimirum miraculoſe factũ fuiſſe, vt ad tempus per aliquot horas ſuſpenderetur delectatio in anima Chriſti, quæ ex viſione beatifica in voluntate neceſſario reſultat, vt daretur locus ſummæ triſtitiæ, quam pro nobis tempore paſſionis voluntariè ſuſtinuit: Sed hæc ſolutio facile impugnatur. Primo; quia in miſterio Incarnationis, non eſt conſtituendum nouũ miraculum abſque neceſſitate, & magno fundamẽto; Secundò, quia non eſt ſubtrahenda pro aliquo tempore ab Anima, & voluntate Chriſti aliqua perfectio beatitudinis, quæ reperitur in omnibus beatis. Delectatio autem voluntatis pertinet ad perfectionem beatitudinis animæ, & quidam exiſtimant, eſſe à viſione beatifica inſeparabilem, quia fieri non poteſt, vt voluntati repræſentetur ſummum bonum, nempe Deus clare viſus, & non delectetur, & quieſcat in illo. Vnde, ſi Anima Chriſti pro aliquo tempore caruit eiuſmodi delectatione, & gaudio, ſequeretur, etiam fuiſſe priuatam pro eodem tempore viſione beatifica, quod tamen non poteſt admitti. Secunda ſolutio, eſt aliorum, quod naturaliter loquendo, eſt impoſſibile, ſummam lætitiam ſimul compati cum ſumma triſtitia, tamen de potentia Dei abſoluta poſſunt eſſe ſimul in eodem, etiam ſi inter ſe contrarietatem habeãt, & pro hac ſententia referunt Paludanum in 3. diſt. 15. q. 2. art. 2. & alios plures

13 Prima ſolutio.

14 2. ſolut. M. Vazq. diſp. 73. n. 26. & 28.

plures Auctores.Sed cōtra hanc ſolutionem eſt efficax argumentum; quia, licet ſūma delectatio,& ſumma triſtitia, cōparatione eiuſdē obiecti opponantur contrariè: tamē includunt,aut ſaltem inferunt contradictionem; quia triſtitia importat actum per modum receſsus, & fugæ; delectatio autem importat actum per modum acceſſus,& proſequutionis. contradictoria autem per nullam potentiam poſſunt verificari de eodem. Confirmatur. De potentia Dei abſoluta fieri non poteſt, vt quis recedat à termino à quo, & ſimul quieſcat in illo, eo quod receſſus ab vno termino includit negationē quietis in eodem termino. Ergo ſimiliter, eſt impoſſibile, quod voluntas per ſummam delectationem quieſcat in aliquo obiecto: & per ſummam triſtitiam fugiat, & recedat ab eo.

15 Tertia & legitima ſolutio. Reſpondetur ergo melius ad argumentum cum S. Thoma infra q. 46. art. 8. ad primum, quod ſummum gaudium, & ſumma triſtitia, ſeu dolor, poſſunt eſſe ſimul in eodem, quando verſantur circa diuerſa;nā obiecta tunc nō cōtrariantur inter ſe, quia non ſunt de eodem. Vnde voluntas Chriſti etiam in tempore paſſionis ſummè gaudebat, & delectabatur de viſione beatifica, & ſummè dolebat, & triſtabatur de peccatis generis humani, pro quibus patiebatur, & de ingratitudine Iudæorum, quorum malitia redemptio generis humani in eorum caput,& maiorem damnationem erat conuertenda. Hac enim ex cauſa [videns ciuitatē fleuit ſuper illam dicens, quia ſi cognouiſſes & tu,] & iterum cum ſequeretur illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum, conuerſus ad illas Ieſus dixit.[Filię Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerūt.Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos, & collibus: operite nos; quia ſi in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?]

Luc.19. *Luc.23.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam Inditam, vel infuſam

1 CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur. Decens fuit,vt natura humana aſſumpta à Verbo Dei imperfecta nō eſſet;ſed ſi non habuiſſet à principio ſcientiam inditam, vel infuſam fuiſſet aliquando imperfecta; nam fuiſſet in potentia ad ſpecies intelligibiles, & ad cognitionem ſibi connaturalem, per quam cognoſcuntur res impropria natura per ſpecies intelligibiles humanæ menti proportionatas: ergo.

2 NOtandum, quod, quamuis ſcientia indita,& infuſa indifferenter à S. Thoma pro eodem accipiantur, vt ſignificat ſcientiā diſtinctam ab illa, quæ per propriū actum acquiritur: Nihilominus,vt bene annotauit Caiet. in principio huius articuli, ſcientia illa, quæ ſimul cum natura cauſatur à Deo, dicitur propriè Indita; quia eſt comes naturæ, vt illius proprietas naturalis, qualis fuit ſcientia Angelorum. ſcientia autem infuſa illa appellatur, quæ alia actione à productione naturę communicatur im-

me-

mediatè à Deo, quamuis ſimul tem pore habeatur cum natura. Quia ergo ſcientia hæc comitatur naturaliter Animam Chriſti, non quidem, vt creatam, ſed vt à Verbo aſſumptã; ſicut de gratia habituali ſupradictum eſt: ideo poteſt dici propriè ſcientia indita, ſicut, & ſcientia Angelorum: & intelligitur concluſio S. Thom. de ſcientia per ſe infuſa; Vtrum autem in eo fuerint ſcientiæ naturales infuſæ per accidens; quales fuerunt in primo parente à principio ſuę creationis, patebit art. 4.

3 Obiectio Sed contra concluſionem S. Thomæ ſe offert argumentum. Impoſſibile eſt duas ſimilitudines eiuſdẽ obiecti ſimul eſſe in eadem parte ſubiecti; ergo ſimiliter eſt impoſſibile, duas notitias eiuſdem rei ſimul eſſe in eodem intellectu. Probatur conſequentia; quia notitia, ſeu cognitio fit per aſſimilationẽ. Cum ergo anima Chriſti habuerit à principio notitiam, ſeu ſcientiam beatam omnium rerum, quæ cognoſci poſſunt per ſcientiam inditam, vel infuſam, videtur, quod ſciẽtia indita, vel infuſa non ſit in eius anima conſtituenda.

4 Conf. Confirmatur. Implicat contradictionem vnam potentiam ſimul habere duas operationes, ſicut eſt impoſſibile vnam quantitatem ſimul terminari duabus figuris: ſed anima Chriſti ſemper fuit in actu ſcientiæ beatæ: ergo, ſi in illo conſtituatur ſcientia indita diſtincta à ſcientia beata, numquam poſſet eſſe in actu eiuſdem ſcientiæ inditæ, ac per conſequens fruſtra conſtituitur in illo.

Reſpõſi. Reſpondetur, quod quando ſimilitudines ſunt eiuſdem rationis, non poſſunt plures eiuſdem obiecti ſimul eſſe in eodem: ſecus autem contingit, quando ſunt diuerſarum rationum; nam in Angelis ſimul eſt cognitio matutina, & veſpertina eiuſdem obiecti, vt docet S. Tho 1. p. q. 58. art. 6. & q. 8. de verit. art. 16. & 17. ſcientia autem beata, & indita fit per ſimilitudines diuerſæ rationis; etenim ſcientia ſeu cognitio beata fit per ſimilitudinem increatam, ſcilicet per eſſentiam diuinam vnitam intellectui beato in ratione ſpeciei intelligibilis: ſciẽtia autem, ſeu cognitio indita fit per ſimilitudinem creatam: vnde non inconuenit, quod iſtæ duæ cognitiones ſimul fuerint in intellectu animæ Chriſti. Colligitur hæc ſolutio ex S. Thoma qu. 20. de verit. art. 3. ad 4. & in 3. ſententiarum diſtinct. 14. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 2. argumentum.

Ad confirmationem reſpondetur, quod vt 1. q. 58. art. 7. ad 2. dicit S. Thomas [duæ operationes 5 poſſunt ſimul eſſe vnius potentiæ, quarum vna ad aliam refertur: vt patet, cum voluntas ſimul vult, & finem, & ea quæ ſunt ad finem; & intellectus ſimul intelligit principia, & concluſiones per principia; quando iam ſcientiam acquiſiuit] Cognitio autem indita, vel infuſa in anima Chriſti, refertur ad cognitionem beatam, & in ea altiori modo, & eminentiori continetur, ſicut de cognitione veſpertina Angelorum in ordine ad matutinam dicit Auguſtinus lib. 4. ſuper Geneſim cap. 23. vnde nihil prohibet vtranque eſſe in anima Chriſti.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam acquiſitam.

1 CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur. In anima Chriſti nō ſolū fuit intellectus poſſibilis, ſed etiam intellectus agens, ſicut eſt in alijs hominibus, aliàs natura humana Chriſti eſſet imperfecta, neque aſſumpſiſſet Verbum omnia, quæ in noſtra natura plantauit. Munus autem proprium, ſeu propria operatio intellectus agentis, eſt facere ſpecies intelligibiles actu, abſtrahendo eas à phantaſmatibus, vt dicitur 3. de anima textu 18. ergo per intellectum agentē abſtraxit anima Chriſti ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, aliàs fruſtra eſſet in illo intellectus agens; ſed per huiuſmōdi abſtractionem habetur ſcientia acquiſita, quam quidem experimentalem cognitionem vocant. Ergo talis ſcientia fuit in anima Chriſti.

2 NOtandum, de fide eſſe, quod in Chriſto fuerit cognitio experimentalis ſingularium. Probat hoc efficaciter locus adductus à S. Thom. in argumento, ſed contra huius articuli ex c. 5. ad Hebræos: [Cū eſſet filius Dei didicit ex his, quæ paſſus eſt obedientiam.] Eſt tamen difficultas, num pręter experimentalem cognitionem ſingularium, quæ non eſt propriè ſcientia, ſit in anima Chriſti ſcientia acquiſita rerum naturalium, quæ propriè ſit ſcientia diſtincta ab infuſa, quæ tamen, diſputatione ſequenti diſcutienda eſt.

DISPVTATIO LIII.

Vtrum in anima Chriſti fuerit ſcientia aliqua acquiſita proprijs actibus.

PARTEM negatiuā defendit Scotus in 3. ſent. diſtin. 14. q. 3. Durandus, q. 4. S. Bonau. art. 3. q. 2. in corpore, & ad 2. & probatur ex S. Thoma in 3. ſentent. diſtinct. 14. q. vnica art. 3. præſertim quæſtiuncula 4. vbi ſolum conſtituit in Chriſto ſcientiam per ſe infuſam in diuiſam in plures habitus, per quam, docet, cognouiſſe res in proprio genere. 3

Secundo probatur ratione Paludani. In Chriſto fuit duplex ſcientia infuſa, altera per ſe infuſa altioris ordinis à ſcientia indita Angelis. Altera per accidens infuſa, quæ non diſtinguitur ſpecie à ſcientia humana induſtria acquiſita, ſed ſolum ex parte cauſæ efficientis, ſicut diſtinguūtur Adam productus à Deo ex limo terræ, & alius homo per ſeminalem propagationem genitus. Ergo Chriſtus nullum habitum ſcientiæ poſtmodum acquiſiuit, aliàs enim duo accidentia ſolo numero differentia ſimul eſſent in eodem ſubiecto. Antecedēs autem probatur. Primo parenti fuerunt à principio infuſæ per accidens omnes ſcientiæ naturales, quia fuit doctor humani generis. Sed etiam Chriſtus Dominus fuit doctor, & præceptor totius generis huma-

humani dicitur enim Iſaiæ 30. [Et non faciet auolare à te doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.]& c.55.[Ecce teſtem populis dedi eum,ducem,ac præceptorem gentibus.] Ergo etiā Chriſto fuerunt infuſæ per accidens omnes ſcientiæ naturales.

4 Tertio. Chriſtus nullam virtutem moralem acquiſiuit,ergo nec ſcientiam naturalem; probatur conſequentia. Ideo Chriſtus nullam virtutem moralem acquiſiuit, quia omnes fuerunt ſibi à principio per accidens infuſæ: ſed etiam omnes ſcientiæ naturales fuerunt à principio intellectui animæ Chriſti per accidens infuſæ, aliàs pro aliquo tempore fuiſſet imperfecta; nam fuiſſet in potentia ad ſcientias, & cognitionem rerum naturalium:illud autem, quod eſt in potentia,eſt quodam modo imperfectum, vt art.3.huius quæſtionis docet S.Thomas:ergo.

5 Quarto arguitur deſtruendo rationem S.Thomæ: ex eo enim probat,Chriſtum habuiſſe ſcientias acquiſitas, quoniam aliàs intellectus agens fruſtra eſſet in anima illius; ſed hæc ratio innititur falſo principio.Ergo.Minor probatur.Etiam ſi intellectus agens animæ Chriſti non faceret ſpecies actu intelligibiles abſtrahendo eas à phantaſmatibus, nihilominus haberet aliā operationem, nam illuminaret prima principia immediatè, & concluſiones mediatè. Item etiam deſeruiret ad vſum ſcientiæ infuſæ per accidens: ergo adhuc non eſſet ocioſus, vt vult S.Thomas.

Confirmatur primo. In beatis manet intellectus agens ad perfectionem animæ, & ſimiliter virtus augmentatiua manet in viris, qui iam ad perfectum augmentum corporis peruenerunt,etiam ſi nullam ſint operationem habituræ: ergo ſimiliter eſt conſtituendus intellectus agens in anima Chriſti propter eius perfectionem, etiam ſi nullam eſſet in illo operationem habiturus.

Confirmatur ſecundo. Scientia cum ſit vniuerſalium non poteſt verſari immediatè circa ſingularia: de ſingularibus enim, cum ſint corruptibilia,non habetur ſcientia, ſed experientia. Ergo,ex eo quod fuerit in animaChriſti intellectus agēs, non rectè colligit S.Thomas,eſſe in illo ſcientiam experimentalem.

6 Oppoſitam ſententiam tenet ſanctus Thom.in hoc art. quā ſequitur Marſilius in 3.ſent. q.10.art.2. p.4. concluſione 5.& communiter Thomiſtæ, præſertim Capreolus diſtin. 14.q.vnica ar.1.conc.2.quos ſequitur M. Vaſquez diſp. 55. cap. 2. & M.Cabrera in hoc art. diſp. vnica. Pro cuius explicatione aduertere oportet,quod dupliciter poteſt dici aliqua ſcientia infuſa.Primo modo per ſe,quia nimirū acquiri nō poteſt per actus proprios noſtros, ſed ſolum producitur effectiuè à Deo per eius operationem, & infuſionem. Et hæc ſcientia ſpecie diſtinguitur à ſcientia per ſe acquiſita, licet verſentur circa idem obiectū materiale, quia ratio formalis vtriuſque ſcientiæ eſt diuerſa, vt prima 2. q. 63. art. 4. docet S.Thom. præſertim in ſolutione ad 3. Secundo poteſt eſſe infuſa per accidens.

PRima concluſio. Anima Chriſti habuit à principio ſcientiam inditam, ſeu per ſe infuſam omniū rerum ab intellectu creato cognoſcibilium.Concluſio hæc ſtatuitur à S.Thoma art.3.huius quæſtionis, & 7

præter

præter rationem ibi aſſignatam, ſic probari poteſt. Conueniens fuit, vt anima Chriſti omnibus modis eſſet perfecta, quantum ad hoc, quod vtraque eius potentialitas, naturalis videlicet, atque obedientialis perfectiſſimè ſit reducta in actũ, reſpectu omnium cognoſcibilium extra Verbum: ſed hæc potentialitas perfectiſſimè reducitur in actũ per ſcientiam inditam, ſeu per infuſam, ergo conuenienter ſcientia hæc per ſe infuſa ponitur in anima Chriſti. Minor probatur. Anima Chriſti ex ſe non ſolum erat in potentia obedientiali comparatione obiectorum ſupernaturalium; ſed etiam erat in potentia naturali in ordine ad obiecta naturaliter cognoſcibilia: ſed vtraque potentia reducitur in actum per ſcientiam inditam, nam cum ſit altioris ordinis, & eminenter contineat perfectionem ſcientiarum omnium naturalium; per illam non ſolum cognouit omnia obiecta ſupernaturalia, ſed etiam naturaliter cognoſcibilia à quocunq; intellectu creato.

8 Præterea probatur ex locis ſcripturæ, dicitur enim Lucæ 2. [Cum eſſet Ieſus annorum duodecim, &c. parentes eius poſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes ſuper prudentia, & reſponſis eius,] Conſtat autem hæc proceſſiſſe ex ſcientia indita. *Ioan. 7.* Vnde Ioan. 7. mirabantur Iudæi dicentes, [quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit. Reſpondit eis Ieſus, & dixit: mea doctrina non eſt mea; ſed eius qui miſit me,] hoc eſt, non illam humana induſtria acquiſiui, non ab homine illam accepi, neque didici, ſed a patre meo indita mihi fuit; & ad Hebr. 10. [Ideo ingrediens mundum dicit, Hoſtiã, & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, &c. tunc dixi ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.] Hæc autem cognoſcere non potuit anima Chriſti per ſcientiam acquiſitam à rebus ipſis acceptam, aut per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, quia potentiæ eius exteriores per ſenſus, dum erat clauſus in vtero Virginis, non poterant eiuſmodi ſpecies recipere: ergo id cognouit per ſcientiam inditam.

Sed contra rationem factam eſt argumentum. Per ſcientiã beatam expletur, & ſatiatur omnis potentialitas intellectus animæ Chriſti obedientialis in ordine ad obiecta ſupernaturaliter cognoſcibilia, & per ſcientias acquiſitas ſatiatur eius potentialitas naturalis in ordine ad cognoſcibilia naturaliter. Ergo non eſt neceſſariũ conſtituere in illo ſpecialẽ ſcientiã inditam, & per ſe infuſam, vt vtraque potentialitas animæ Chriſti reduceretur ad actum. 9 Obiectio. Reſpondetur, quod, licet per ſcientiam beatam ſatietur potentialitas animæ Chriſti in ordine ad obiecta ſupernaturalia, quãtum ad numerum obiectorum: non tamen expletur quantũ ad modum cognoſcendi eadẽ obiecta. Ete nim duplex potentialitas obedientialis erat in anima Chriſti in ordine ad obiecta ſupernaturaliter cognoſcibilia. Prima erat ad cognoſcendum hæc obiecta in Verbo, & hæc potentia obedientialis expleta fuit, & ſatiata per ſcientiam beatã. Altera erat ad cognoſcendum eadem obiecta extra Verbum. Vt ergo hæc potentialitas reducatur ad actum Reſponſio.

actum, neceſſe eſt ponere in anima Chriſti ſcientiam inditam, & per ſe infuſam, per quam extra Verbum cognoſceret eiuſmodi obiecta ſupernaturalia, nam per ſcientias naturales, ſiue acquiſitas ea cognoſcere non poterat. Vnde ad ſatiandum potentiam obedientialem intellectus animæ Chriſti neceſſe eſt ponere in illo ſcientiam inditam. Idem proportionabiliter dicendum eſt de potentia naturali: ad cuius euidentiam aduertere oportet, quod vt 1. parte quæſt. 89. art. 1. ad 3. & art. 3. in corp. docet ſanctus Thomas, anima rationalis ſeparata à corpore cognoſcit res per ſpecies ſibi infuſas immediatè à Deo, quæ ſunt quædam participatio luminis diuini, quarum anima fit particeps, ſicut & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ quamuis inferiori modo, & hic modus cognoſcendi eſt animæ rationali naturalis pro illo ſtatu; cæterum dum eſt in corpore, eſt ei connaturale cognoſcere res per ſpecies acceptas ab obiectis, & factas intelligibiles actu virtute intellectus agẽtis. Vnde duplex etiam potentialitas naturalis cõſideratur in anima: altera ad cognoſcendum res naturaliter cognoſcibiles p ſpecies acceptas ab obiectis, & hæc potentialitas cõpetit animæ dum eſt in corpore: altera ad cognoſcẽdum eaſdẽ per ſpecies infuſas dum ſubſiſtit à
10 corpore ſeparata. Dicendum eſt ergo quod, quamuis potentia naturalis intellectus animæ Chriſti per ſcientias naturales, ſeu acquiſitas reducatur in actum ſufficienter quãtum ad numerum obiectorum, non tamen quantum ad modum cognoſcendi naturalẽ, qui poteſt ei competere extra corpus. Etenim anima ſeparata à corpore nõ poteſt res naturales cognoſcere per ſpecies ab obiectis acceptas: ſed tantũ per ſpecies inditas, vel infuſas. Vt ergo hæc potentialitas naturalis reduceretur in actum à principio ſuæ creationis, neceſſe fuit ponere in intellectu animæ Chriſti ſcientiam per ſe infuſam. Poteſt, & alia ratio huius aſſignari ex parte vnionis hypoſtaticę, & viſionis beatificæ animæ Chriſti. Etenim, vt docet ſanctus Tho. infra, qu. 11. art. 2. in corpore; hæc eſt conditio animæ comprehenſoris, vt nullo modo ſubdatur ſuo corpori, aut ab eo dependeat, ſed totaliter ei dominetur: vnde, & poſt reſurrectionem ex anima gloria redundabit ad corpus: ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantaſmata conuerti, quod eſt corpori obligata, & quodam modo ei ſubiecta, & ab eo dependens. & ideo animæ beatæ, & ante reſurrectionem, & poſt intelligere poſſunt abſque conuerſione ad phantaſmata.]

Cum ergo Chriſtus fuerit ſimul 11
viator, & comprehenſor, vt qu. 15. art. 10. docet ſanctus Doctor, relinquitur, in eius anima dum erat vnita corpori mortali fuiſſe potentiã ad cognoſcendum res extra Verbum per ſpecies non acceptas à corpore, ſed à Deo infuſas, & per ſcientiam inditam: per quam ſine conuerſione ad phantaſmata res naturales cognoſcere valeat. Tertia ratio huius deſumitur ex eadem vnione hypoſtatica. Sicut enim gratia habitualis dicitur naturalis animæ Chriſti ſecundum quod vnitur Verbo hypoſtaticè, vt dictum eſt: ita ſcientia indita, ſeu per ſe infuſa conſequitur naturaliter ad animam Chriſti, non vt creatam, ſed vt a Verbo aſſumptam,

ſumptam, vt in art. 3. ait Caietanus. Vnde Anima Chriſti, vt vnita Verbo habebat quodam modo potentiam naturalem ad ſcientiam inditam, qua propter niſi hæc potentia fuiſſet reducta in actum maneret imperfecta aliqua potentia naturalis in eadem Anima.

12 SEcunda concluſio. In Chriſto Domino nulla fuit ſcientia naturalis infuſa per accidens, ſed eas per inuentionem, & proprium actum ſucceſſu temporis acquiſiuit abſtrahendo ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. Concluſio eſt S. Thomæ in hoc art. Caiet: & communis Thomiſtarum. Eam probat efficaciter ratio Sãcti Thomæ. Præterea probatur. Maior perfectio eſt ſcientias propria induſtria generabiles per ſe acquirere mouendo ſe ad illas per actus proprios, quã eas recipere per infuſionẽ ab alio. Sed id quod eſt perfectius tribuendum eſt Animæ Chriſti: Ergo per proprios actus acquiſiuit ſcientias naturales, ac per conſequens non habuit eas per infuſionem à principio. Implicat enim, quod quis ſcientiam ſibi per accidens infuſã poſtmodum per proprios actus acquirat.

13 AD primũ argumentũ quidam reſpõdent, S. Thomam in hoc articulo retractaſse (quã in 3. ſent. tenuit) ſentẽtiam ſed hoc abſq; fundamẽto aſseritur, nã loco allegato docet quidẽ in Chriſto fuiſse ſcientiã per ſe infusã vniuerſaliorem, & perfectiorẽ, quã ſit ſcientia indita Angelis. non tamen negat, eſse in illo ſcientiam acquiſitã ſeu experimentalem: quin potius id expreſſe affirmat, art. 3. allegato quæſtiunc. 5. ad. 1. & 4. argumentum.

Ad ſecundũ reſpõdetur, in Chriſto nullam fuiſſe à principio ſciẽtiã per accidens infuſam: ſed ſolum infuſam per ſe. Ad probationem dicendum, ꝙ Adã fuit quidem humani generis doctor, ſed in temporalibus rebus, & naturalibus. Chriſtus autem in ſupernaturalibus, & miſterijs gratiæ. dicit enim Apoſtolus. [Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cœlo cæleſtis] & ipſa veritas ait, [qui de terra eſt de terra loquitur, qui de cælo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit, & audiuit hoc teſtatur,] & ideo à principio fuerunt primo parenti infuſæ per accidens omnes ſcientiæ naturales eiuſdem rationis cum noſtris, non autem fuit illi collata aliqua ſcientia ſupernaturalis ſeu per ſe infuſa. Intellectui autem animæ Chriſti è conuerſo nulla fuit ſcientia naturalis infuſa per accidẽs, ſed ſolum ſcientia indita, ſeu per ſe infuſa diuerſæ rationis à ſcientijs acquiſitis. 14

Ad tertium, admiſſo antecedente, negatur conſequentia, quia neceſſe fuit, vt anima Chriſti haberet moderatas paſſiones, per virtutes morales ſibi à principio per accidens infuſas: ideo non acquiſiuit eas proprijs actibus, aliàs caruiſſet pro aliquo tempore virtutibus moralibus, & ideo non habuiſſet moderatas paſſiones, etenim: virtutes ꝑ ſe infuſæ compatiuntur ſecũ exorbitãtes paſſiones. Nõ tamen oportuit, quod infunderẽtur illi per accidens ſciẽtiæ naturales; quoniã maior perfectio animæ Chriſti fuit, illas per ſe acquirere, vt ſupra dictũ eſt. 15

Sed dices. Etiam anima Chriſti habuiſſet aliquando ignorantiam, niſi à principio fuiſſent illi infuſæ per accidens omnes ſcientiæ naturales. Ergo ne admittamus pro aliquo

quo tempore imperfectionem aliquam in Anima Chriſti. Dicendum ergo eſt, omnes ſcientias naturales fuiſſe illi infuſas per accidens. Reſpondetur, nullam fuiſſe imperfectionem, aut ignorantiam in Anima Chriſti, licet non habuerit ſcientias naturales infuſas per accidens, quia & per ſcientiam beatam, & per ſcientiam inditam, & per ſe infuſam cognoſcebat omnia, quæ per alias ſcientias naturales erant cognoſcibilia.

17 Ad quartum reſpondetur primo, rationem ſancti Thomæ conuincere, quod, ſi omnes ſcientiæ naturales fuiſſent infuſæ per accidens Animę Chriſti intellectus eius agens eſſet fruſtra comparatione principalis operationis, quæ eſt abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, & eas facere actu intelligibiles. Obiect. Sed contra hanc ſolutionem vrget argumentum. Adæ fuerunt infuſæ per accidẽs à principio omnes ſcientiæ naturales, vt 1. parte, quæſt. 94. articulo 3. dicit ſanctus Thomas, & conſequenter intellectus agens non habuit in illo principalem operationem, quæ eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus: & tamen intellectus agens non fuit in illo fruſtra, quia Deus, & natura nihil faciunt fruſtra: ergo idem erit dicendum de intellectu agente Animæ Chriſti. Nec ſatis eſt reſpondere, quod intellectus agens habuit in Adam aliam operationem ſecundariam, quam diximus, habuiſſe in Anima Chriſti. Etenim potentia, ſicut & habitus ponuntur propter primariam & principalem operationem, ad quam per ſe primo ordinantur, qua deficiente ponuntur fruſtra. Hac enim ratione ſanctus Thomas ſupra quæſt. 7. artic. 4. in corpore, docet in Anima Chriſti non fuiſſe virtutem Spei, quia non potuit in illo habere actum, ad quem per ſe primo ordinatur: nam à principio habuit beatitudinem Animæ, ad quam ſperandam ponitur principaliter virtus Spei.

Tota huius argumenti ſolutio 18 pendet ex legitima intelligentia illius propoſitionis: Potentia operatiua, quæ caret ſua operatione, ponitur fruſtra, quæ quidem propoſitio debet intelligi, dum tamen concurrant circumſtantiæ requiſitæ, vt eidem potentiæ conuenire debeat ſua operatio; ita vt ſenſus ſit. Potentia operatiua, quæ caret ſua operatione, vbi, & quando, & in quo eam habere debet, ſit fruſtra; cuius ratio eſt, nam cum potentiæ, de quibus in præſenti fit ſermo, ſint partes naturæ humanæ ad eius integritatem pertinentes, non propterea dicendæ ſunt fruſtra reperiri in eadem natura, quia non poſſunt exercere ſuas operationes, niſi adſint tales circumſtantiæ, quæ poſtulent earundem operationum exercitium, quod & ſanctus Hieronymus epiſtola 61. ad Pammachium non obſcurè deſignauit, dum loquens de mẽbris corporis humani integrantibus poſt reſurrectionem eius naturam, inquit. Nec ſatis ſuperflua videbitur membrorũ reſurrectio, quod caritura ſunt effectu ſuo, cum adhuc in vita poſiti nitamur opera non implere membrorum.] Quia ergo in Anima Chriſti, dum erat in hac vita mortali, concurrebant omnes circumſtantiæ requiſitæ, vt eius intellectus agens deberet exercere ſuam propriam operationem abſtrahendo ſpecies

intelligibiles à phantaſmatibus, eo quod non fuerunt ſibi à principio per accidens infuſæ: ideo rectè colligit ſanctus Thomas, quod intellectus agens eſſet fruſtra in anima Chriſti, ſi eiuſmodi operatione careret. Hæc autem ratio non procedit de primo parente, quia non erat ſubiectum capax in quo intellectus agens poſſet, aut deberet abſtrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, eo quod fuerunt ſibi à principio ſuæ creationis infuſæ per accidés propter rationem ſuperius aſſignatam, de qua videndus eſt S. Thom. 1. p. quæſt. 94. art. 3. allegato, & q. 18 de veritate art. 2. & 4.

19 Ad primam confirmationem reſpondetur, quod intellectus agens animæ beatæ habuit ſuam propriā operationem, vbi, & quando eam debuit habere, nimirum in via quando erat vnita corpori mortali: In patria autem non eſt capax talis abſtractionis, vnde non eſt fruſtra in ea intellectus agens. Idem dicendum proportionabiliter de virtute augmentatiua manente in viro perfecto. Habuit enim propriam operationem tempore debito, & à natura determinato ad augmentum viuentis.

20 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, ſcientiam acquiſitam, quam ponimus in anima Chriſti, verſari immediatè circa vniuerſalia, ſicut & ſcientiæ naturales, quas nos acquirimus miniſterio intellectus agentis: dicitur tamen experimentalis, quia miniſterio intellectus agentis, à rebus ſingularibus per experientiam tanquam ab obiectis acquiſiuit ſpecies vniuerſales.

QVAESTIO X.

De ſcientia Beata Anima Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum Anima Chriſti comprehenderit Verbum, ſiue Diuinam naturam.

COnclusio eſt negatiua. Probatur. Impoſſibile eſt, quod aliqua creatura comprehendat diuinam eſſentiam, vt 1. p. q. 12. art. 7. oſtenditur: quia infinitum non comprehenditur à finito; ſed anima Chriſti manſit intra limites creaturæ finitæ, & limitatæ: ergo, &c. 1

NOtandum, quod vt 1. p. q. 12. art. 7. ad primum docet, S. Thomas, comprehenſio accipitur dupliciter: vno modo ſtrictè, & propriè ſecundum quod aliquid concluditur in comprehendente: & ſecundum hoc cognitio comprehenſiua illa dicitur, qua aliquid cognoſcitur ſecundum omnem rationem, qua cognoſcibile eſt, vt in corpore eiuſdem articuli, & 3. contra gentes, cap. 55. explicat S. Doctor. Alio modo comprehenſio largius ſumitur, ſecundum, quod cōprehenſio in ſequutioni opponitur: qui enim attingit aliquē, quando iā tenet ipsū: comprehendere eum dicitur. Concluſio ergo huius articuli intelligitur de cōprehenſione in priori acceptione: nā in ſecūda certiſſimum eſt, animam Chriſti, ſicut & cuiuſlibet alterius beati comprehendere diuinam eſſentiā ſecundū illud Canticor. 3. [Tenui eum, nec dimittā.] *Cant. 3*

De

Digitized by Google

De hac enim cōprehenſione ait Apoſtolus *Phil. 3.* Phil. 3. [Sequor autem, ſi quomodo comprehēdam:& 1.Cor. *1.Cor. 9* 9.[Sic currite, vt comprehēdatis.]

Notandum ſecundo, concluſionē huius articuli, intellectā de cōprehenſione in prima acceptione, eſſe de fide;quãuis aliqui de hoc multū dubitēt. Probatur ex illo Hieremiæ *M. Vaſquez 1.p. d.52. c.2 & diſ. 53 c.2.* 32.[Fortiſſime, magne,potens, Dñs exercituum,nomen tibi,magnus cō ſilio,&incōprehenſibilis cogitatu:] ergo comprehendi non poteſt. Et c. firmiter de ſumma Trinit. & fide catholica dicitur, [Firmiter credimus,& ſimpliciter cōfitemur, quod vnus ſolus eſt verus Deus,æternus, immenſus, & incōmutabilis,incomprehenſibilis,omnipotens, & ineffabilis,] & in Conc.Baſilienſi ſeſſ. 22. *Thom. 4. Concil. pag. 476. in impreſsione Venet.* inter alias propoſitiones libelli fratris Auguſtini de Roma Archiepiſcopi Nazareni hæc damnatur,tanquam erronea in fide. [Anima Chriſti videt Deum tam clare, & intenſe, quantum clare, & intenſe Deus videt ſe ipſum.] Vnde in partibus Aragoniæ Anno Domini 1317. vt videre licet in 2.p. directorij inquiſitorum Fratris Nicolai Eylmerici ordinis Prædicatorum, quæſt. 11. inter errores Arnaldi de Villa noua medici damnatos per inquiſitores, in ſecundo loco refertur hic. [Quam cito Anima Chriſti fuit vnita diuinitati, ſtatim ipſa anima ſciuit omnia, quæ Deus ſcit.] Sed quoniam in 1.p.q. 12. art.7. oſtendit ex profeſſo S. Thom. & eius diſcipuli; nullum intellectum creatū etiam de potentia abſoluta poſſe Deum comprehendere, diuinam eſſentiam tam perfecte cognoſcēdo quantum cognoſcibilis eſt: nō oportet in præſenti pluribus concluſionem huius articuli probare.

Obiect. Vnum tamen argumentū, quod ſolet obijci contra concluſionem S.Thomæ eſt diſſoluendum, & deſumitur ex auctoritate S. Iſidori, quam adducit S. Thom. in argum. 1.huius articuli, ex lib. 1. de ſummo bono c. 3.vbi ait.[Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & humanitati aſſumptæ,] quæ verba intelligi non poſſunt, niſi de notitia comprehenſiua in prima ſignificatione; nam in ſecunda etiam alij beati vident Trinitatē,& eā comprehendunt. Hunc fuiſſe Iſidori ſenſum oſtenditur ex verbis antecedentibus: nam, vt ſignificaret,Deum eſſe incomprehēſibilem ab omni creatura, inquit, [Videre etiam eius eſſentiam plane non valet; quam nec ipſa perfectio Angelica attingit in totum,] vbi manifeſtum eſt, particulam [in totum] comprehenſionem ſignificare, qua Deus cognoſcitur,quantum cognoſcibilis eſt. Ergo,per verba ſubſequentia iam inducta,in ſenſu,quo negauit Trinitatem eſſe viſibilem,ſeu comprehenſibilē à qualibet creatura,concedit,eſſe notam ipſi Deo, & humanitati aſſumptæ.

Reſpondetur. In cap. illo tertio al- *Reſponſ.* legato,non habentur prædicta verba: ſed hæc [Trinitas ſibi ſoli integre nota eſt, & humanitas a Chriſto ſuſcepta,]vt patet ex nouiſſima editione,quę apud nos extat,& ſenſus eſt: ſolum Deum comprehendere myſterium Trinitatis, & myſteriū incarnationis, ſeu Verbum Diuinum in duabus naturis ſubſiſtēs, quod veriſſimum eſt. Reperiuntur tamen formaliter illa verba in eodē Iſid.c.42.in Exod. & vt difficultatē effugiant,quidam exiſtimant, textum eſſe vitiatū:ſed hoc non poteſt dici, quoniam ſcholiaſtes Iſidori affirmat, non eſſe dubitandū de veritate prædictæ lectionis, cū in octo codicibus manuſcriptis habeatur.

Digitized by Google

Vnde interpretandus eſt Iſidorus cum S.Thoma ſupra q.10.art.1. ad 1. [quod humanitas aſſumpta comparatur Trinitati in ſui cognitione, non ratione cõprehenſionis, ſed ratione cuiuſdam excellentiſſimæ cognitionis præ cæteris creaturis.]

ARTICVLVS II.

Vtrum Anima Chriſti in Verbo cognouerit omnia.

1 PRIMA Concluſio. Anima Chriſti omnia in Verbo cognouit, quæ quocunque modo ſunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata, à quocunq; ſecundũ quodcunque tempus. Probatur. Omnis beatus cognoſcit in Verbo omnia, quæ ad ipſum ſpectant; ſed ad Chriſtum ſpectat cognoſcere omnia prædicta: primo, quia omnia ſunt ei ſubiecta. Secundo: Nam ipſe eſt omnium Iudex conſtitutus à Deo; quia filius hominis eſt, vt dicitur Ioan.5. ergo.

Secunda Concluſio. Anima Chriſti non cognouit in Verbo omnia, quæ ſunt in potentia diuina. Probatur; nam hoc eſſet comprehendere diuinam virtutem, ac per conſequens Diuinam eſſentiam, quod eſt impoſſibile.

Tertia concluſio. Anima Chriſti ſcit in Verbo omnia, quæ ſunt in potentia cuiuslibet creaturæ. Probatur. Anima Chriſti comprehendit in Verbo eſſentiam omnis creaturæ; ego cõprehendit cuiuslibet creaturæ potentiam, & virtutem: ergo, & omnia, quę ſunt in potẽtia illius.

2 CIrca primã concluſionẽ videndus eſt S.Tho. & eius expoſitores 1.p.q.12.art.6. ibi enim explicatur ex profeſſo, qualiter quilibet beatus clare, & diſtincte videat in Verbo omnia, quæ ad ipsũ ſpectãt: & id à fortiori conuenire debet animæ Chriſti, quæ alijs beatis conceduntur quãtum ad cognitionem in Verbo eorũ, quæ pertinent ad propriam dignitatem, & ſtatum.

Secunda concluſio ſatis manet 3
probata ex dictis articulo præcedenti. Circã tertiã concluſionẽ, notandum, illam eſſe intelligendam de his, quę ſunt in potẽtia creaturę actu exiſtentis pro aliqua mẽſura, vel differentia tẽporis. nõ enim cognoſcit anima Xpi in Verbo omnia, quæ ſunt in potẽtia cuiuslibet creaturæ poſſibilis, aliàs cognoſceret omnẽ creaturã poſſibilẽ, ac per cõſequens cõprehenderet diuinã virtutẽ, & potentiam, & conſequenter eius eſſentiã. Pręterea, q̃ loca ſcripturæ in quibus aſſeritur, humanitati Chriſti eſſe omnia ſubiecta, vel Xp̃um eſſe iudicẽ viuorũ, & mortuorum, non extenduntur ad creaturas omnes poſſibiles: ſed actu exiſtentes pro aliqua menſura. Non enim iudicabit Chriſtus homines, aut Angelos poſſibiles, nec pro operibus poſſibilibus, quæ feciſſent, ſi diutius vixiſſent, vt pluribus in locis docet S.Aug. ſed ſecundum ea, quæ geſſerũt in corpore, vt dicitur 2.Cor.5. Propter eandẽ rõnem non pertinet ad dignitatem animę Xpi, vel ad iudiciariã eius poteſtatẽ cognoſcere in Verbo omnes cogitationes, aut operationes poſſibiles hominũ actu exiſtẽtiũ, in aliqua differentia tẽporis: ſed eas, quæ de facto ſunt, fuerũt, vel erunt, quia de ijs ſolum iudicaturus eſt viuos, & mortuos: quamuis negandum non ſit multas earum cognoſcere; nam & nos aliquas cognoſcimus per diuinam Theologiam.

DISPVTATIO LIIII.

Vtrum re vera Anima Chriſti omnia in Verbo cognouerit, an vero pro aliquo tempore ignorantia alicuius rei laborauerit.

4 IN hac parte eſt nobis duplex cõcertatio: altera cum hæreticis, altera cum Catholicis. Inter hæreticos namq; ſunt, qui dixerint abſolutè, Chriſtum Dominum non omnia cognouiſſe; ſed ignorantia in multis; ſicut & nos, laboraſſe. & in primis Gnoſtici, vt refert Irenæus lib. 1. cap. 17. Chriſtum ignorantem, & quaſi ſub cuiuſdam Pędagogi ferula Alphabetũ diſcentem finxerunt. Ariani, vt refert Athanaſius oratione 4. contra Arianos, & Ambr. de fide lib. 5. c. 8. negauerunt Chriſtum omnia nouiſſe. Celſus, vt ait Orig. exiſtimauit Chriſtum non præſciuiſſe quæ paſſurus erat. Agnoitæ, vt refert ſanctus Gregorius Magnus lib. 8. Epiſt. 42. & Iſidor. lib. 8. Ethimolog. aſſeruerunt, Chriſtum ignoraſſe diem Iudicij, quem errorem ſequutus eſt Martin. Luth. concione in Natali Domini, Zuinglius ad cap. 24. Matthæi; vbi ait, Chriſtum ſecundum, quod homo diem vltimum neſcire. Conuincebantur ad hoc ſequ. arg.

Orig. lib. 2. contra Celſum.

5 PRimo auctorit. Marci 13. cap. [De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neq; Filius, niſi pater,] & Luc. 2. [Ieſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines:] ergo aliquando habuit ignorantiam. qui enim ſcit omnia, proficere vtique in ſapientia non poteſt. Item etiam Ioannis 15. interrogauit Chriſtus [vbi poſuiſtis eũ?] ergo ignorabat, vbi eſſet poſitus Lazarus.

Marci 13. *Luc. 2.* *Ioa. 15.*

Secundo eſt argumentum Celſi apud Orig. Si Chriſtus pręſciuit, quę paſſurus erat, aut vitare potuit, aut non. ſi potuit, & non vitauit imprudens fuit. ſi non potuit, nec impotens, aut imprudens fuit, ergo non præſciuit, quæ paſſurus erat, & ita non habuit omnium ſcientiam.

Orig. lib. 2. contra Celſum.

Tertio arguunt Agnoitæ, Verbum accepit corruptibile corpus, vt pro nobis moriendo, nos à morte liberaret; ergo accepit etiam noſtram ignorantiam, ideſt mentem humanam ignorantem, vt nos ab ignorantia liberaret.

Quarto. Si Chriſtus ſcit omnia, ſequitur, quod ſcientia eius ſit ita perfecta, ſicut eſt ſcientia Dei, ac per conſequens talis ſcientia erit infinita, & comprehenſiua eſſentiæ Diuinæ, quod eſt inconueniens. 6

Inter Catholicos vero fuerunt nonnulli, qui, vt referunt S. Tho. & Alphonſus Toſtatus Abulenſis, aſſeruerunt, quòd licet Chriſtus in quãtũ Deus, ſciat omnia, ſicut & Pater, & Spiritus ſanctus, quorum ſcientia eſt vna, & eadem; tamen in quãtum homo non ſcit omnia; ac per conſequens exiſtimant, animam Chriſti diem Iudicij ignorare. Conuincuntur, primo & quarto argumento, ex factis à principio.

S. Thom. in compendio Theolog. c. 242. Toſtat. ad c. 24 Matt. q. 209.

Vt autem noſtram in hac parte ſententiam proferamus, diſtinguenda eſt in Chriſto duplex ſcientia; ſicut & duplex natura. Altera eſt ſcientia increata, quæ illi competit ſecundum naturam diuinam. Altera creata, quæ communicata eſt animę

Chriſti, & eius humanitati, ſiue ſit ſcientia beata, ſiue ſcientia indita, vel infuſa. Sit ergo

7 PRima Concluſio. Abſolutè dicendum eſt, Chriſtum Dominũ omnia ſcire, nullamque in eo fuiſſe vnquam ignorantiam. Hæc concluſio, vt iacet eſt de fide, habetur enim expreſſa in ſacris litteris, præ-

Ioa.16. ſertim Ioa.16. [Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, vt quis te interroget.] & c.21. dixit Petrus Apoſt. ad Ieſum. [Domine tu omnia ſcis, tu ſcis, quia amo te,] &

Coloſ.2. ad Coloſ.2. [In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.] Ex quo teſtimonio probãt noſtrã concluſionem tãquam de fide, inter patres Græcos Ioa. Damaſc. lib.3. fidei orthodoxæ cap.21. Iſid. Peluſiota lib.1. Epiſt.117. Inter Latinos Hylar. lib.9. de Trinit. Ambr. de fide lib.5. c.8. Hieron. ad cap.24. Matth. in illa verba, De die autem illa. Fulg. reſponſione 3. ad Ferran. Diaconum. Beda ad cap.13. Marci in illa verba. De die autem illa, & Bernard. tractatu de duob. gradib.

8 humilitatis, & ſuperbiæ. Item etiã

Iſai.11. Iſaiæ 11. [Egredietur virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus; ſpiritus cõſilij, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ, & pietatis,] quod teſtimoniũ eleganter pro noſtra concluſione expendit S. Ber.

S. Bern. homil.2. ſuper miſſus eſt. [Non fuit (inquiens) hora in quacumq; ætate ſua, qua de plenitudine illa, quã in ſui cõceptione accepit in vtero, vel aliqd minueretur, vel aliqd eidẽ adijceretur, ſed à principio pfectus, à principio in quã plenus fuit ſpiritu ſciẽtiæ, & intellect⁹, &c.] Præterea Ioa.1. [vidimus, inquit, gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre plenũ gratiæ, & veritatis,] & infra. [Et de plenitudine eius nos omnes accepimus,] Vbi Chriſto tribuitur plenitudo veritatis, & ſcientiæ. plenum autem dicitur, cui nihil deeſt, Ergo Chriſtus Dominus habuit pleniſſimam rerum omnium ſcientiã. ſic explicat hunc locum Cyrillus Alexandr. lib.1. in Io. c.17.

Præterea probatur ratione. Chriſtus Dñs eſt verus Deus eiuſdẽ naturæ cum patre, & Spiritu ſancto, vt efficaciter probat S. Ioan. in diſcurſu totius Euang.17. rationibus, quas nos ſuper c.9. Iſaiæ.n.55. & ſequentibus ſigillatim expendimus; ſed Deus omnia ſcit, vt oſtendit ſanctus Thomas, 1.p.q.14. per totam, & conſtat ex illo Heb.4. [omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius, nec eſt aliqua creatura inuiſibilis in conſpectu eius:] ergo. 9 *Ioan.1.* *Heb.4.*

Secunda concluſio. Chriſtus Dominus non ſolum in quantum Deus ſcientia increata: ſed etiam in quantum homo ſcientia creata ſcit omnia, nec vnquã habuit alicuius rei ignorantiam. Concluſio eſt S.Tho. & Abulenſis locis ſuperius allegatis, ſed præſertim in hoc artic. vbi loquitur expreſsè de anima Chriſti, & conſequenter de Chriſto in quantum eſt homo. Eodem modo loquitur Gloſa ordinaria allegata in arg. ſed contra huius art. S.Bern. & alij doctores ſupra allegati, necnon Euſebius Cæſarienſ. lib.10. de monſtr. Euang. c.8. vbi explicans illud pſalmi 21. [De vẽtre matris meæ Deus meus es tu] apertè docet, Chriſti animam in vtero Virginis perfectiſſimam cognitionem, & conſtantiã habuiſſe, immo, & Deũ vidiſſe.] 10 *Euſebius Cæſar.*

Ad 1. arg. reſpondetur, quod tangit difficultatẽ. An Chriſtus, ſecundum 11

Digitized by Google

dum quod homo, ſciat diem iudicij per ſcientiam creatam exiſtentē in anima illius. Breuiter dicendum, quod ſi illud verbum (ſecundum quod homo) accipiatur ſpecificatiuè, aſſerendum eſt, illum per ſcientiā creatam, certo ſcire diē iudicij in particulari, quamuis lumine ſu-
11 pernaturali diē illum cognoſcat, quia tunc ſenſus eſt, humanitate Chriſti, ſeu Chriſtum in humanitate diē iudicij cognoſcere, quod veriſſimum eſt; quia cū Chriſtus ſecundū quod homo, ſit iudex viuorū, & mortuorum, ad eius dignitatem, & iudiciariā poteſtatē plane pertinet, diē ſtatutum iudicij cognoſcere. Probatur hæc veritas ex Epiſt. Sophroni Patriarchæ Hieroſol. ad Sergium Patriarchā Conſtantinop. quę habetur in 5. Conc. Conſtantin. actione 21. approbata à Concil. actione 14. Ait enim, eū qui docet Chriſtū ignorare diē iudicij, hoc ipſo confiteri ipſum eſſe purum hominem] erroneū ergo eſt id negare. Et ad locum Mar-
12 ci 13. [De die autem illa, &c.] Reſpondetur, locū iſtum habere multas interpretationes, de quibus videndus eſt Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. ſanctæ adnot. 105. Duæ tamē ſunt magis apparentes, Prima eſt S. Aug. lib. 1. de Trin. c. 12. & lib. 83. quæſtion. q. 60. quod ſcilicet ideo filius dicitur neſcire diē iudicij, quia non facit hominē aliquem, aut Angelum ſcire diem illū, ſicut è conuerſo ex perſona Dei dicitur, Gen.
Gen. 22 22. [Nūc cognoui, quod timeas Dominū,] ideſt cognoſcere alios feci, vt explicat idem Auguſt. tom. 4. lib. de eſſentia diuinitatis. Hanc explicationē amplectitur S. Tho. in compendio Theolog. c. 242. & Caſſiod. ad Pſal. 9. & eā proſequuti ſumus in comment. ſuper Iſaiā, c. 7. nu. 31.

Cōtra hāc explicationem obijcit Obiect.
Rupertus Tuitiēſis lib. 1. de operib' ſpiritus ſancti c. 29. quòd aduerſus contētiones Arianas, non hoc ſatiſfacit: nā neque Pater nos ſcire facit diē iudicij, non ergo ideo filius dicitur neſcire diē iudicij. Vnde aliā habet explicationem, ſecundū quā filius dicitur neſcire, nimirum per experientiā, & eadē videtur explicatio Chryſoſt. ſermone de Trinit. vbi ait. [Pater, qui non iudicat quēquam, ſed omne iudicium dedit filio, ſcit diem tam cognitione, quā opere: filius autem, qui venit, vt ſaluet mundū, & non vt iudicet, ſcit eū ſpeculatiua notitia;] Quia autē nōdum iudicauit ideo dixit, ignorat diem, notitiā operatiuā ſignificans. & adducit Chryſoſtomus in huius confirmationem illud Geneſ. 29. [& *Gen.* 29
cognouit Abraham Saram vxorem ſuā,] ſcilicet per experientiā opere cognoſcendo, nā prius ſciebat ſpeculatiuè. Sed quidquid ſit de hoc, ad obiectionem factam dicēdum, quod ſcientia, quam habet filius, & Spiritus ſanctus diei iudicij eſt illis à patre, ideo dixit, ſed ſolus Pater.

Secūda explicatio, & magis pro- 13
pria eſt S. Baſilij Epiſt. ad Amphiloquium, quod nimirum ſolus pater ſcit diem iudicij à ſe ipſo, filius autem non ſcit illam diem à ſe ipſo, ſed à patre, quia nō habet eſſe à ſe, ſed à Patre: Vnde, & ipſe ait. [Doctrina mea nō eſt mea, ſed eius, qui miſit me Patris,] ideſt, non habeo eam à me, ſed à Patre, ſicut alio in loco ait. Ioan. 14. [Omnia quæ *Ioa.* 14.
habet Pater mea ſunt] hoc eſt mihi per æternam generationem communicata, & Ioann. 5. [Filius *Ioan.* 5.
non poteſt à ſe facere quidquam.] Sicut ergo filius nō poteſt è ſe facere quidquam, quia non habet

 eſſe

eſſe à ſe,ſed à Patre, ita etiam non poteſt à ſe quidquam ſcire: quia non à ſe procedit,ſed à Patre. Confirmari poteſt hæc explicatio ex Concilio Florentino in decreto Fidei; vbi ſic dicitur, [Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrē, hoc ipſum quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt.]

Cõc.Flo.

14 Ad alium locum ex Lucæ cap.2. iam ſupra Diſput.52. ad primum argumentum oſtenſum eſt,qualiter verba illa, [Ieſus autem proficiebat ſapientia,]ſint intelligenda. Ad locum ex Ioannis cap. 11. reſpondet S.Gregorius Magnus lib.8.epiſtola 42.ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, [Si Agnoitæ negant ſciſſe Dominũ vbi fuerat Lazarus ſepultus,atque ideo requiſiſſe,proculdubio compellerentur fateri, quia neſciuit Dominus in quibus locis ſe Adam, & Eua poſt culpam abſconderant, cum in Paradiſo dixerit, Adam vbi es?] aut cum Caim corripuit dicens, vbi eſt Abel frater tuus? qui ſi neſciebat cur protinus adiunxit; ſanguis fratris tui de terra clamat ad me?] Chriſtus ergo, ſicut dicit S.Thom. lect. 5.ſuper cap. 11.Ioannis, non vt ignorans interrogat, ſed dum à populo ſepulchrum ſibi oſtenditur, vult eos confiteri Lazarum mortuum, & ſepultum, vt ſic miraculum ab omnium ſuſpicione eripiat. Aſſignat etiam ibi ſanctus Doctor duas huius interrogationis rationes myſticas: vna eſt, quia,qui interrogat videtur neſcire ea,de quibus interrogat. Per Lazarum autem in monumento, ſignãtur mortui in peccatis. Oſtendit ergo Dominus, ſe ignorare locum Lazari dans per hoc intelligere,quod quaſi neſciat peccatores,ſecundum illud Matthæi 7. [Non noui vos] & Geneſ.3. [Adam vbi es?] Alia ratio eſt,quia quod aliqui à peccato reſurgant ad ſtatum iuſtitiæ diuinæ, eſt ex profundo prædeſtinationis diuinæ, quod quidem profundum homines ignorant, Rom.11. [Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?] & Hierem.23. [Quis enim affuit in conſilio Domini, & vidit, &c.] & ideo Dominus hoc innuens ad modum neſcientis ſe habuit, cum & ipſi hoc neſciamus.]

Gregor. Magn.

Mat.7. *Gen.3.* *Rom.11* *Hiere. 23.*

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, Chriſtum præſciuiſſe, quæ paſſurus erat; ſcriptum eſt enim: [Ieſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit,&c.] & iterum: [Sed hæc eſt hora veſtra,& poteſtas tenebrarũ,] Potuit etiam impedire, ne Iudæi interficerent illum. ipſe enim ait Petro: [An putas,quod non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?quomodo ergo implebuntur Scripturæ?] Non tamen ſequitur, quod fuerit imprudens non impediendo, ſed potius ſapientiſſimus & miſericors: quia per mortem ſuam nos à poteſtate dæmonis, & ab æterna morte liberauit. 15

Ioa.18. *Luc.22.* *Matth. 26*

Ad tertium reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſcriminis eſt; nam aſſumptio carnis corruptibilis erat neceſſaria ad finem incarnationis, qui fuit hominem per mortem Chriſti redimere, ignorantia autem non erat ad finem iſtum aliquid conducens; ſed po- 16

potius, quodammodo repugnans: & ſi argumentum aliquid probaret, etiam concluderet, Chriſtum aſſumpſiſſe carnem peccatricem, aut peccato ſubiectam, vt nos à peccatis noſtris liberaret, quod tamen eſt magnum incõueniens. Solutio eſt S. Thom. queſt. 20. de verit. art. 4. ad 11. vbi ait: [Filius Dei nõ aſſumpſit omnes illos defectus, qui potuerunt ei ineſſe ſine impedimẽto humanæ redemptionis: ſed hoc eſt verum, quod illos tantũ aſſumpſit, quorum aſſumptio ad redemptionem humani generis competens erat: & tamen, quæcumque neſciẽtia eſſet defectus redemptionem humani generis impediens, quia in redemptore, per quem gratia, & veritas per totum humanum genus diffundenda erat, requirebatur plenitudo gratiæ, & veritatis, cui quilibet ſcientiæ defectus præiudicare poterat.]

17 Ad quartum reſpondetur, ſolũ concludere, quod ſcientia Chriſti in quantum Deus ſit infinita, & cõprehenſiua eſſentiæ diuinæ: non tamen id probat de ſcientia, quę illi competit, ſecundum quod homo: nam per hanc ſcientiam non cognoſcit omnia, quæ ſunt in potentia ſolius Dei, ſed ea quæ ſunt actu pro aliqua menſura, & ſimiliter quæ ſunt in potentia creaturæ, vt in hoc art. docet S. Thomas: Sed dices: ergo anima Chriſti per ſcientiam creatam cognoſcit omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, ac per conſequens erit ita perfecta, ſicut eſt in Deo ſcientia viſionis. Reſpondetur cum S. Thoma ad 3. huius articuli, quod licet ſcientia Animæ Chriſti, quã habet in Verbõ, parificetur ſcientiæ viſionis, quam habet Deus in ſeipſo, quantũ ad numerum ſcibilium, ſcientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, ſcientiam animæ Chriſti, quia lumen gloriæ, quo anima Chriſti cognoſcit res, eſt finitum, in Deo autem, eſt ſimpliciter infinitum, & modo infinito attingit ſcientia viſionis omnia quomodolibet exiſtentia.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima Chriſti in Verbo cognouerit infinita.

Prima concluſio. Anima Chriſti non ſcit infinita actu. Probatur, quia non ſunt infinita actu, etiam ſi accipiantur omnia, quæcumque ſunt in actu, ſecundum quodcumque tempus, eo quod ſtatus generationis, & corruptionis non durat in perpetuum. 1

Secunda concluſio. Anima Chriſti in Verbo ſcit infinita in potentia. Probatur, nam vt articulo præcedenti dictum eſt, Anima Chriſti cognoſcit in Verbo omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ; ſed in potentia creaturæ ſunt infinita in potentia: ergo.

Tertia concluſio. Hæc ſcientia, qua Anima Chriſti cognoſcit infinita in potentia, non eſt ſcientia viſionis; ſed ſimplicis intelligentiæ. Supponit S. Thomas hanc concluſionem ex dictis in prima parte, 1. p. q. 14. nã cognitio qua cognoſcũtur poſſibilia, quæ nunquam ſunt eſſe habitura, eſt ſimplicis intelligẽtiæ.

DI-

DISPVTATIO LV.

Vtrum Anima Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcat in Verbo infinita in actu.

1 SVpponendum eſt in hac parte, nos loqui poſſe de cognitione, vt terminatur ad entia; quæ per ſe ſubſiſtunt, vel quatenus terminantur ad accidentia, quæ exiſtunt in alio.

Prima ergo ſententia eſt Richardi in 3.diſt.14.art.2. quæſt.3. Scoti eadem diſtinctione,quæſt.2.& aliorum,qui nihil diſtinguendo de ſubſtantijs, vel accidentibus docent abſolutè,Animam Chriſti per ſciētiam beatam, non cognoſcere in Verbo infinita in actu. Probatur hæc ſententia

Primo,auctoritate S.Tho.tum in hoc articulo,tum etiam de verit.q. 2. art. 4. vbi docet abſolutè, quòd Anima Chriſti non cognoſcit in Verbo infinita in actu: ſed tantum in potentia. Et aſſignat rationem [quia non ſunt infinita in actu,etiã ſi accipiantur omnia quæcumque ſunt in actu, ſecundum quodcumque tempus.] Et 1.contra gentes, cap.69. §. fit etiam, loquens de ſcientia Dei,ait. [Sciendum eſt tamen, quod Deus infinita non cognoſcit ſcientia viſionis, vt verbis aliorum vtamur,quia infinita non ſunt actu, neque fuerunt, neque erunt.] quia non eſt dabile infinitum in actu.

2 Secundo. Deus non cognoſcit infinita in actu:ergo à fortiori Anima Chriſti, etiam per ſcientiam beatam non poterit infinita in actu cognoſcere. Antecedens probatur. Infinita non coexiſtunt æternitati, nec poſſunt illi ſimul coexiſtere, etenim ideo non poſſunt coexiſtere in aliqua differentia temporis, quia ſequeretur hoc inconueniens, quod nimirum pro aliquo tempore daretur aliqua collectio indiuiduorum, quæ non eſſet in ſpecie determinata numeri, eo quod numerus conſtituitur in ſpecie determinata per vltimam vnitatem. Collectio autem infinita non habet vltimam vnitatem: ſed hoc idem inconueniens ſequitur ex hoc, quod aſſeramus,infinita ſecundum numerum, coexiſtere actu in æternitate: nam etiam daretur in menſura æternitatis aliquis numerus, qui ad nullam determinatam ſpeciem numeri pertineret. Ergo impoſſibile eſt, quod Deus cognoſcat actu infinita ſimul exiſtentia in æternitate.

Confirmatur primo. Illa dumtaxat coexiſtunt æternitati,quæ eſſe habent in aliqua differentia temporis præteriti, præſentis,vel futuri: ſed in nulla differentia temporis erunt actu infinita, etiam ſucceſſiuè: nã, vt producantur in eſſe, requiritur tempus infinitum,quod eſt impertranſibile: ergo. 3

Confirmatur ſecundo. Ad veritatem propoſitionis affirmatiuę de futuro requiritur, quod ſit habitura aliquando vnam propoſitionem de ineſſe veram. Ideo namque hæc propoſitio,Antichriſtus erit, nunc eſt vera: quia in aliquo tempore futuro hæc propoſitio erit vera, Antichriſtus eſt: ſed iſta propoſitio, erunt infiniti homines,vel infinitæ cogitationes, nunquam eſt habitu-

bitura vnam propoſitionem de ineſſe veram; quia nunquam erit verum dicere, ſunt infinitæ cogitationes. Ergo illa propoſitio de futuro non eſt vera. Ergo in æternitate non exiſtunt actu infinitæ cogitationes, ac per conſequens non poterunt in Verbo ſimul intuitiue cognoſci ab Anima Chriſti.

4 Tertio, Vel Anima Chriſti cognoſcit in Verbo infinita in actu ſucceſſiuè pluribus actionibus; aut vnica cognitione. Primum non poteſt dici: quia æternitas, qua menſuratur cognitio beata, nullam admittit ſucceſſionem, ſed eſt tota ſimul. Quod vero non cognoſcat ſimul infinita in actu vnica cognitione, probatur. Creatura non poteſt plura ſimul cognoſcere, quã Deus poſſit ſimul facere, aliàs ſcientia creaturæ eſſet perfectior, & ad plura ſe extenderet, quàm ſe extendat omnipotentia Dei: ſed implicat cõtradictionem, quod Deus producat infinitum in actu ſecundum numerum, quia tale infinitum non eſt dabile, vt probat Ariſtoteles .3. phyſicorum c. 6. & præterea: quia producto infinito, ſecundum numerum potentia Dei eſſet exhauſta, eo quod numero infinito nulla poteſt fieri additio. Ergo.

5 Quarto. Cũ dicitur, Animã Chriſti ſimul cognoſcere in Verbo cognitione actuali infinita in actu, vel id intelligitur de cognitione confuſa, aut de cognitione determinata, qua cognoſcitur res in particulari: Neutrum poteſt dici. Ergo. Minor, quod ad primam partem probatur. Tum quia cognitio confuſa eſt valde imperfecta, & indecens Animæ Chriſti. Tum etiam, quia eiuſmodi cognitio, ſi eſt in Anima Chriſti, competit illi in quantũ eſt omniũ Iudex: cognitio autem Iudicis oportet, vt ſit diſtincta ſingulorum in particulari. Quoad ſecundam vero partem probatur. Ad cognoſcendum actu diſtinctè, & in particulari infinita, requiritur lumen, & virtus infinita intenſiuè in potentia cognoſcente; etenim ad cognoſcendum vnum obiectum, requiritur virtus, & lumen, vt vnum, verbi gratia, & ad cognoſcendum ſimul duo obiecta requiritur lumen perfectius intenſum, vt duo, & ad cognoſcendũ ſimul quatuor obiecta requiritur lumen magis intenſum, & perfectum, & ſic proportionaliter iuxta pluralitatem obiectorum, quæ actu ſimul cognoſcuntur, oportet, vt lumen ſit magis perfectum ſecundum intenſionem. Ergo ad ſimul cognoſcendum actu infinita obiecta, requiritur lumen infinitè intenſum: Implicat autem, quod lumen creatum ſit infinitum ſecundum intenſionem, & perfectionem intrinſecam. Ergo.

Confirmatur. Eo attentio debet eſſe remiſſior, quo pluribus obiectis applicatur, nam pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Ergo ſi applicatur obiectis actu infinitis, debet eſſe attentio infinite remiſſa; implicat autem dari attentionem infinite remiſſam, ſicut & infinite intenſam. Ergo.

Secunda ſententia eſt aliorum, 6
qui expreſſe docent, animam Chriſti, ne dum non cognoſcere in Verbo infinita in actu in genere ſubſtantiæ, ſed nec in genere accidentium: itaque non cognoſcit in Verbo cogitationes actu infinitas. Cõuincuntur ſequentibus argumentis.

Quinto arguitur. Multitudo cogita-

gitationum, quæ erit in beatis, nō eſt in ſe infinita in actu, ſed ſolum in potentia; Ergo, vt obiecta ſcientiæ beatæ Animæ Chriſti, non erit infinita in actu, ſed ſolum in potentia, ac per conſequens per ſcientiam beatam non cognoſcit Anima Chriſti infinita in actu. Conſequentia eſt nota: quia illa multitudo cognoſcitur, ſicut eſt in ſe. Ergo, ſi eſt in ſe infinita in potentia, cognoſcitur, vt infinita in potentia, & non vt actu infinita. Antecedens autem probatur. Vt Ariſtoteles docet 3. phyſ. cap. 6. infinitum in potentia eſt illud, cui addi ſemper poteſt, ſic enim ait, [vt ſemper aliud, atque aliud ſumatur, & id quod ſumitur ſit quidem finitū, ac aliud, atque aliud ſemper:] ideſt ſemper poteſt ei addi aliud, atque aliud: & ponit exemplum in die, cuius aliquid actu eſt, ſcilicet inſtans, ſed illi poteſt fieri additamentum, ſine termino, quia tempus ſicut & continuū eſt diuiſibile in infinitum. Infinitum autem in actu dicitur multitudo rerum, quæ ſimul ſunt, in qua non poteſt prima, aut vltima aſſignari: ſed collectio omnium cogitationum Angelorū, & hominum ita ſe habet, vt cogitationes, quæ ſunt in actu ſint finitæ, quæ autem ſine termino poſſunt addi, ſunt in potentia; ergo ex ea parte, qua illæ cogitationes ſunt infinitæ, ſunt reuera in potentia infinitæ.

17 Confirmatur. 1. Ratio infiniti, quæ eſt non habere terminum, conuenit huic multitudini, ſecundum id quod eſt in potentia, hoc eſt, ſecundum vnitates, quæ in infinitum poſſunt ei addi: Ergo hæc multitudo eſt infinita in potentia;

Confirmatur ſecundo. Multitudo illa cogitationum ſolum eſt infinita ſecundum additionem vnius cogitationis ad aliam: infinitum autem ſecundum additionem ſolum eſt infinitum in potentia, vt docet Ariſtoteles loco in argumento allegato. Ergo.

Sexto. Multitudo cogitationum Angelorum, & hominum non habet, quod ſit actu infinita ſecundū ſe antecedenter ad cognitionem, qua ab Anima Chriſti cognoſcuntur in Verbo, neque conſequenter ad eandē cognitionem; Ergo nullo modo obijciuntur cognitioni Animæ Chriſti, vt actu infinitæ. Antecedens quo ad primam partem probatur: nam cogitationes illæ ſecundum ſe antecedenter ad cognitionem fient ſucceſſiue; Ergo implicat, quod ſint ſimul. Etenim fieri ſucceſſiue, & eſſe omnes ſimul, ſunt duo modi eſſendi repugnantes inter ſe. Ergo antecedenter ad cognitionem non ſunt actu infinitæ, ſed ſolum in potentia. Quo ad ſecundam partem probatur, quia ex cognitione nihil poteſt redundare in obiectum cognitum, niſi denominatio extrinſeca. Ergo, ſi conſequenter ad cognitionem multitudo illa cogitationum eſt infinita in actu, ſequitur quod ſola denominatione rationis ſit actu infinita, in re autem ſolum ſit infinita in potentia, Ergo re vera Anima Chriſti ſolum cognoſcit in Verbo infinita in potentia. 18

Confirmatur primo. Infinitas in hac multitudine eſt aliquid reale conueniens illi ſecundum ſuum eſſe reale, quatenus eſt quantitas diſcreta; Ergo eſt eiuſdem rationis, ſiue ſumatur multitudo cogitationum, ſecundum ſe, ſiue, vt obijcitur cognitioni in Verbo. Cū 19

ergo

ergo ſecundum ſe cogitationes illæ ſint infinitæ ſolum in potentia, relinquitur, quod ab Anima Chriſti cognoſcantur in Verbo, vt infinitæ ſolum in potentia.

Confirmatur ſecundo. Eſſe in actu & in potentia, vel ſimul eſſe, & ſucceſſiuè ſunt modi, & determina-
4 tiones ipſius eſſe. Ergo, ſi multitudo cogitationũ ſecundũ eſſe reale, partim eſt in actu, partim in potentia, quæ ſucceſſiuè reducenda eſt ad actum; ſequitur quod etiam vt obiecta cognitioni habeat prorſus eundem modum eſſendi, partim in actu, & partim in potentia. Probatur conſequentia: quia per hoc, quòd multitudo illa obijciatur cognitioni, non mutatur eſſe illius, ac per conſequens nec modus eſſendi in actu, vel in potentia. Tertia ſententia eſt multorum Thomiſtarum, & à nobis explicanda, & defendenda, quæ conſiſtit in duabus concluſionibus.

20 PRima concluſio. Si loquamur de ſubſtantijs, & accidentibus permanentibus, Anima Chriſti non cognoſcit in Verbo infinita in actu; ſed ſolum in potentia. Hanc concluſionem ſolum intendit docere ſanctus Thomas locis in primo argumento allegatis, & ratio illius euidens eſt; quia etiam in æternitate nõ datur numerus ſubſtantiarum, aut rerum permanentium actu infinitus. Eandem concluſionem probant efficaciter aliqua argumenta ex factis à principio.

21 Secunda concluſio. Si loquamur de accidentibus ſucceſſiuis, videlicet de cogitationibus futuris, Anima Chriſti cognoſcit in Verbo per ſcientiam viſionis infinita in actu. Hæc concluſio eſt expreſſa ſancti Thomæ in hoc articulo, & alijs pluribus in locis; eam defendit Capreolus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. Ferrarienſis 1. contra Gent. cap. 69. loquens de cognitione Dei, Caietanus hic, & communiter Thomiſtæ. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod licet cogitationes cordium fiant ſucceſſiuè in propria menſura, tamen in menſura æternitatis, qua menſuratur viſio beatifica Animæ Chriſti, ſimul exiſtunt, non ſolum obiectiuè, ſed etiam ſecundum proprias exiſtentias, quas habuerunt, & habent, vel habituræ ſunt in propria menſura, vt lib. 2. de Auxilijs Diſputatio 8. multis teſtimonijs ſacrarum litterarum ſancti Thomæ, & rationibus Theologicis oſtendi. Quo ſuppoſito probatur concluſio. Anima Chriſti per ſcientiam beatam, ſeu per ſcientiam viſionis cognoſcit omnia, quæ Deus cognoſcit intuitiuè, vt docet ſanctus Thomas q. 10. artic. 2. & ratio eſt; quia vt docent communiter omnes Theologi cum ſancto Thoma 1. par. quęſt. 12. artic. 6. quilibet beatus videt in Verbo ea omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum: at qui ad ſtatum Chriſti, quatenus eſt homo, pertinet cognoſcere omnia, quæ fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis, quæ quidem cognoſcuntur à Deo per ſcientiam viſionis, & preſertim cogitationes cordium: nam Chriſtus vt homo eſt iudex viuorum, & mortuorum; ſed ea quæ Deus ſcit ſcientia viſionis ſunt actu infinita, vt probat ſanctus Thomas 1. part. quæſt. 14. artic. 12. ergo anima Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcit actu infinita.

Se-

Secundo probatur. Cogitationes cordium conſtituunt vnum infinitum in actu, ſi in eo comprehendãtur, omnes, tam præteritæ, quam præſentes, & futuræ. etenim cogitationes, quas extra Verbum habebunt beati, ſunt infinitæ, cum nullum ſint habituræ finem, & idem eſt de cogitationibus damnatorũ; ſed has omnes cogitationes videt in Verbo Anima Chriſti: ergo videt cogitationes actu infinitas. Confirmatur. In menſura æternitatis hæc propoſitio eſt vera, cogitationes infinitæ ſimul ſunt in actu; omnia enim futura in quacumque menſura inferiori, ſimul exiſtunt actu in vno inſtãti indiuiſibili æternitatis, vt dictum eſt: cum æternitas nullam prorſus habeat ſucceſſionem, ſed ſit tota ſimul, vt 1.par.quæſt.10.art.1.docet ſanctus Thomas. Cum ergo viſio beatifica Animæ Chriſti menſuretur æternitate, & per eam cognoſcat intuitiuè omnia, quæ actu exiſtunt in eadem æternitate, ſeu quæcumque Deus ſcit ſcientia viſionis; relinquitur, Chriſtum per ſcientiam beatam intuitiuè ſimul infinita cognoſcere.

33 Tertio, probatur ratione deſumpta ex ſancto Thoma art. præcedenti. Poſſibile fuit communicari Animæ Chriſti, vt cognoſceret intuitiuè, diſtinctè, & perfectè infinitas cogitationes Angelorum, & hominum futuras poſt diem Iudicij in tempore diſcreto. Ergo de facto fuit hæc perfectio ei communicata. Antecedens patet; quia id nullam inuoluit repugnantiam, nec ex parte Dei, cum ſit omnipotens, nec ex parte Animæ Chriſti. Conſequentia verò probatur, quia, vt ſupra dictum eſt, omnis potentialitas, tam naturalis, quam obedientialis fuit in Anima Chriſti reducta ad actum. nam ad perfectionem Animæ Chriſti pertinet, vt, quidquid perfectionis potuit communicari puræ creaturæ, fuerit de facto illi communicatum.

Tertia concluſio. Hæc cognitio infinitarum cogitationũ, quam Anima Chriſti habet in Verbo, non eſt cognitio ſolum habitualis, ſed actualis. Itaque vnico actu ſimul intuetur in Verbo Anima Chriſti omnes huiuſmodi cogitationes infinitas. Concluſio eſt contra Scotum in 3. diſt. 14. quæſt. 2. vbi docet, quod per ſcientiam beatam, poterat Anima Chriſti, quidquid vellet, cognoſcere ex illis cogitationibus conuertendo ſe ad Verbum, quamuis non ſemper omnes illas cogitationes ſpeculetur in actu; & eodem modo ait, Animam Chriſti habitualiter cognoſcere in Verbo alia omnia, quæ à Deo poſſunt produci, ſi nimirum vellet ſe ad ea aduertere. Addit tamẽ, quod non poterat vnico actu hæc omnia ſimul cognoſcere, ſed ſolum ſucceſſiuè. Noſtram tamen concluſionem docet expreſſe ſanctus Thomas quæſt. 20. de veritate artic. 5. in corpore, & probatur eius ratione. [Anima Chriſti, & quilibet beatus, quantum ad viſionem beatam, qua videt Verbum, & res in Verbo, nõ patitur ſucceſſionem in intelligendo: quia ſecundum Auguſt. in 14. de Trinit. in patria non erunt volubiles cogitationes: vnde oportet ponere, quod Anima Chriſti, omnia quæ habitu videt in Verbo, actu in eo videat. Et huic cõſonat dictum Philo. qui vult fœlicitatem non eſſe ſecundum habitum tantum, ſed ſecundum actum.] 34

Cap.16 med.to.3

1.Ethi.c. 8.tom.5.

Ad

25 AD primum Argumentum ex factis à principio reſponde-ſpondetur. Cum S. Thomas ait, Animam Chriſti non ſcire infinita in actu, loquitur de ſubſtantijs, & rebus permanentibus: quæ explicatio colligitur ex ipſo contextu: nã 1. contra gent. citato aſſignãs rationem, quare nõ ſint infinita actu, inquit: quia generatio ex neutra parte eſt infinita ſecundum fidem catholicã; generatio autem ad ſubſtantiam terminatur, vt dicitur in libris de generatione.

Ad ſecundum reſpondetur. Licet Deus nõ cognoſcat ſubſtãtias actu infinitas, cognoſcit tamen infinitas cogitationes Angelorum, & hominum, quæ ſine termino poſt diem Iudicij multiplicabuntur, & idem dicendum de Anima Chriſti. Ad impugnationem dicendum, ex eo quod aſſeratur infinitas cogitationes actu exiſtere in æternitate, non ſequi illud inconueniens, quod ſequitur ex eo, quod ponatur infinita actu exiſtere in propria menſura, & diſcrimen conſiſtit in hoc. Etenim quando aliquid exiſtit in propria menſura, & ſibi adæquata dicitur abſolute, & ſimpliciter eſſe; Vnde ſi in propria menſura actu exiſterent infinitæ cogitationes, daretur ſimpliciter infinitum in actu, & exiſteret ſimpliciter aliquis numerus, qui non pertineret ad ſpeciem numeri determinatam. Cæterum ea, quæ ſolum exiſtunt in æternitate, & non habent eſſe ſimul in propria menſura, non dicuntur ſimpliciter exiſtere, vel coexiſtere inter ſe, ſed ſolum cum addito, eo quod æternitas eſt menſura communis, inadæquata, & indiuiſibilis eminenter continens omnes alias inferiores menſuras. Vnde ex hoc quod dentur infinitæ cogitationes actu exiſtentes in æternitate, non ſequitur, quod detur ſimpliciter in rerum natura aliquod infinitum in actu.

Ad primam confirmationem re- 26
ſpondetur. Vt infinitæ cogitationes actu exiſtant ſimul in æternitate, non requiritur, quod detur aliquod tempus in quo ſimul exiſtant inter ſe; Etenim Adam, & Antichriſtus ſimul exiſtunt in æternitate, cum tamen in propria menſura nõ coexiſtant inter ſe: ſed ſufficit, quod ſignata qualibet cogitatione ex illa infinita multitudine, detur aliquod tempus (ſaltem diſcretum) in quo ſit verum dicere, quod illa cogitatio actu exiſtit in rerum natura. Vnde omnes cogitationes, quæ fiunt ſucceſſiuè in propria menſura, ſimul habent eſſe in æternitate, & omnes ſimul attinguntur in Verbo per ſcientiam beatam quam habet Anima Chriſti.

Ad ſecundam confirmationem 27
reſpondetur. Quando propoſitio affirmatiua de futuro eſt immediatè reducibilis ad propoſitionem de ineſſe, tunc ad eius veritatem, neceſſario requiritur, quod in propria menſura ſit habitura vnam propoſitionem de præſenti veram; non autem, quando non eſt immediatè reducibilis. Illa autem propoſitio (infinitæ cogitationes erũt) non poteſt immediatè reduci ad ſuam de ineſſe, aut per illam probari, quia copula eſt pluralis numeri, quæ importat vniuerſalitatem cogitationum, quæ erunt ſucceſſiuè. Vnde reducenda eſt prius ad ſuas ſingulares, & poſt modum quælibet propoſitio ſingularis poterit probari per ſuam de ineſſe; vt ſi dicamus: hæc cogitatio erit, & ſimiliter

Digitized by Google

militer hæc, & ſic de ſingulis in infinitum. Poſtea vero quælibet propoſitio ſingularis de futuro, poterit probari, & verificari per ſuam propoſitionem de præſenti. etenim pro tempore diſcreto, quo illa cogitatio erit, verum erit dicere, hæc cogitatio eſt: & idem dicendum de quacumque alia cogitatione ſignata.

28 Ad tertium reſpondetur, Animam Chriſti non ſucceſſiue, ſed vnica actione ſimul cognoſcere cogitationes actu infinitas. Ad impugnationem negatur antecedens, & ratio eſt, quia modus cognitionis, præſertim in Verbo, eſt longe diuerſus à modo, quo res cognitæ ponuntur in eſſe in propria menſura. Res enim cognitæ adunantur in intellectu, & cognoſcuntur ſecundum quod ſunt in illo, quia omne quod cognoſcitur per modum cognoſcentis cognoſcitur, & ſecundum quod per ſpeciem intelligibilem repræſentatur. Eſſentia autē diuina vnita intellectui Animæ Chriſti in ratione ſpeciei intelligibilis, ſimul repræſentat Animæ Chriſti omnes cogitationes, quæ in tempore diſcreto erunt ſine termino. Vnde, quāuis eiuſmodi cogitationes non poſſint ſimul produci, ſimul tamen cognoſcuntur ab Anima Chriſti. Poteſt etiam aſſignari alia differentia, quæ ſequitur ex prima; nam productio cogitationum, quæ erunt ſine termino, menſuratur tempore diſcreto, & ſucceſſiuo, quod eſt impertranſibile, & ideò talis productio non poteſt eſſe ſimul, neque etiam poteſt aſſignari inſtans, in quo infinitæ cogitationes ſint productæ, ſed ſemper reſtant aliæ plures in infinitum producendæ. Cæterum cognitio beata Animæ Chriſti menſuratur æternitate participata, in qua ſimul exiſtunt omnes cogitationes, quæ ſucceſſiue fient ſine termino in propria menſura: vnde vnica & eadem cognitione beatifica, poteſt Anima Chriſti ſimul omnes illas cogitationes intuitiue cognoſcere.

Ad quartum dicendum, cognitionem, qua Anima Chriſti cognoſcit in Verbo infinitas cogitationes eſſe diſtinctam, & in particulari. Ad impugnationem reſpondetur cum S.Thoma quæſt. 20. de verit. art. 4. ad 2. quod cognitio Animæ Chriſti, non eſt infinita per ſe, quamuis infinita cognoſcat. Cognoſcit enim illa infinita, finita efficacia, vnde non remanet infinita, niſi materialiter. Hanc ſolutionem proſequitur Capreolus in 3.Senten. diſt.14.quæſt.2.art.3.circa finem, in reſponſione ad argumenta Adam, & patebit amplius diſputatione ſequenti. 29

Ad confirmationem, qua Scotus conuincitur, reſpondetur, quod quando plura in ſeipſis cognoſcuntur immediate per ſpeciem propriam, & ſibi adæquatam, eo attentio ad ſingula eſt remiſſior, quo ad plura extenditur cognitio: non autē quando illa plura cognoſcuntur in alio obiecto prius cognito, per vnam, & eandem ſpeciem, vt contingit in ſcientia beata Animæ Chriſti, quippe quæ illas cogitationes infinitas cognoſcit in Verbo prius cognito, & per vnam ſpeciē, ſcilicet per eſſentiam diuinam, quæ eſt omnium ſimilitudo perfecta. Quo fit, infinitatem illam cognitionis, ſolum eſſe infinitatem extenſiuam, & extrinſecam, non autem intrinſecam, & intenſiuam.

Ad

30 Ad quintum reſpondetur; Multitudinem cogitationum Angelorum, & hominum, quæ erit poſt diem Iudicij, eſſe quidem infinitam in potentia, ſecundum quod erunt in propria menſura vna poſt aliam. Cæterum quatenus habent eſſe in æternitate, qua menſuratur cognitio beata Animæ Chriſti, ſunt actu infinita, eo quod quidquid eſt in potentia creaturæ reducenda ſucceſſiuè ad actum in menſura inferiori, ſimul eſt actu in æternitate, abſque vlla ſucceſſione, vt dictum eſt.

Ad primam confirmationem reſpondetur. Ratio infiniti conuenit quidem illi multitudini, ſecundum id, quod eſt in potentia, in ordine ad propriam menſuram; cæterum in menſura æternitatis omnes illæ cogitationes futuræ exiſtunt in actu, vt dictum eſt. Vnde in menſura æternitatis ſunt infinitę in actu.

31 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur ſimiliter, multitudinem illam eſſe infinitam ſecundum additionē, quatenus exiſtit in propria menſura, in qua vna cogitatio numeratur poſt aliam; & ſic eſt infinita in potentia. Anima autem Chriſti non ſic cognoſcit in Verbo cogitationes infinitas, quaſi numerando vnam poſt aliam; ſed omnes ſimul cognoſcit pro vt exiſtunt in æternitate, ſicut de ſcientia Dei dicit S.Thom. 1.p. q.14. art.12. ad 1.

Ad ſextum reſpondetur. Multitudo cogitationum habet antecedenter ad cognitionē Animæ Chriſti, quòd ſint actu infinitæ, pro vt exiſtunt in menſura æternitatis. Ad impugnationem dicendum, quod illæ cogitationes fiunt ſucceſſiuè in propria menſura; ſed in æternitate ſimul exiſtunt abſque vlla ſucceſſione. Illi autem modi eſſendi ſimul, & ſucceſſiuè, & ſimiliter modi eſſendi in actu, & in potentia, ſunt quidem repugnantes, ita vt ſimul competere nō poſſint eidem, comparatione eiuſdem menſuræ.

32 Ad primam confirmationem reſpondetur, infinitatem illarum cogitationum eſſe aliquid reale actu conueniens illis cogitationibus, ſecundum eſſe diſcretum, quod habent in menſura æternitatis, & ſecundum illudmet eſſe obijciuntur cognitioni, qua ab Anima Chriſti cognoſcuntur in Verbo.

Ad ſecundam confirmationem reſpōdetur ſimiliter. Multitudo cogitationū ſecūdum eſſe reale, quod habet in æternitate, non eſt partim in actu, & partim in potentia, ſed tota ſimul eſt in actu: quamuis in propria mēſura multitudo illa partim ſit in actu, partim in potentia reducenda ſucceſſiuè ad actum.

33 Difficultas autem eſſe poteſt de modo, quo anima Chriſti per ſciētiam beatā certo cognoſcat futura omnia contingentia, præſertim libera. Ad quod breuiter dicendū, q; ea cognoſcit; tū prout actu exiſtūt in æternitate; tum etiā prout exiſtunt in decreto diuinæ voluntatis, tanquam in prima cauſa efficiente omniū, quæ quomodocumq; habēt eſſe. Pro cuius explicatione ſupponendū eſt, futura contingentia duplici ratione ſubiacere infallibili Dei cognitioni. Primo quidē propter actualem exiſtentiā, quā habēt in æternitate, antequā fiant in propria menſura: ſecūdo quatenus ſunt in ſuis cauſis determinatis, præſertim in decreto abſoluto voluntatis diuinæ, quo omnia quæcūq; voluit fecit in cælo, & in terra. Licet enim

Digitized by Google

in cauſa cōtingenti, vt contingens eſt, non poſſit certo, & infallibiliter cognoſci determinatus effectus; tñ in prima cauſa libera, quę ſe determinauit ad alterā partē; & ſimiliter in cauſa ſecunda contingēti determinata, & cōpleta, quæ impedienda nō eſt per cōcurſum alterius cauſe, poteſt certo cognoſci futurū cōtingens, & liberū. Et quidē quod Deus cognoſcat futura cōtingētia, prout actu exiſtūt in æternitate sm̄ proprias exiſtentias, cōſtat ex ijs, quæ diximus in lib. de Auxil. Diſput. 9.

34 Quod autē ea cognoſcat etiā, prout ſunt in decreto diuinę volūtatis, tanquā in cauſa efficiente, & in alijs cauſis medijs, per quas Deus producit eiuſmodi futura cōtingētia, videtur expreſſe docere S.Thom. 1. cōtra gentes, c.50. in 1. ratione, vbi ait: [Nihil in aliqua re eſſe poteſt, ꝙ non ſit ab eo cauſatū, vel mediatè, vel immediatè; cognitā autē cauſa cognoſcitur eius effect⁹: quidq̄d igitur eſt in quacūq; re pōt cognoſci cognito Deo, & omnibus cauſis medijs, quæ ſunt inter Deū, & res. Sed Deus ſeipſum cognoſcit, & oēs cauſas medias, quæ ſunt inter ipſū, & rē quamlibet; ꝙ enim ſeipſū perfectè cognoſcat, iā oſtēſum eſt: ſeipſo autē cognito cognoſcit, quod ab ipſo immediatè eſt; quo cognito cognoſcit iterū, quod ab illo mediatè eſt, & ſic de oībus cauſis medijs vſq; ad vltimū effectū.] Et in 2. ratione ſubdit: [Omne ꝙ agit per intellectū habet cognitionē de re, quam agit sm̄ propriam facti rōnem, quia cognitio facientis determinat formā facto. Deus autē cauſa eſt rerū per intellectū; cum ſuū eſſe ſit ſuū intelligere: vnūquodq; aūt agit in quātū eſt actu: cognoſcit igitur cauſatum ſuū propriè, ſcilicet ꝙ eſt diſtinctū ab alijs.] Idē docet expreſſe c. 67. ratione 3. cuius verba ſunt: [Sicut ex cauſa neceſſaria ſequitur effect⁹ certitudinaliter; ita ex cauſa cōtingenti cōpleta, ſi nō impediatur; ſed cū Deus cognoſcat omnia (vt ex ſupradictis patet) ſcit nō ſolū cauſas contingentiū, ſed & ea quibus poſſunt impediri; ſcit igitur per certitudinē, an cōtingentia ſint, vel non ſint.] & c.68. loquēs in particulari de motibus voluntatis, ſic ait in princ. cap. [Deinde oportet oſtēdere, ꝙ Deus cogitationes mentiū, & volūtates cordiū cognoſcat in virtute cauſæ, cū ipſe ſit vniuerſale eſſendi principium: Omne enim quod quocūque modo eſt, cognoſcitur à Deo: in quantū ſuā eſſentiā cognoſcit (vt ſupra oſtēſum eſt.) ens autē quoddā in anima eſt, quoddā in rebus extra animā: cognoſcit igitur Deus omnes huius entis differētias, & quæ ſub eis cōtinentur.] Et in 3. ratione ſubdit: [Sicut eſſe ſuum eſt primum, & per hoc omnis eſſe cauſa, ita ſuum intelligere eſt primū, & per hoc omnis intellectualis operationis cauſa; ſic igitur Deus cognoſcendo ſuū eſſe, vel intelligēdo, cognoſcit eſſe cuiuſlibet rei; ita cognoſcēdo ſuū intelligere, & velle cognoſcit omnē cogitationē, & voluntatē.] Vnde in fine cap. cōcludit: [Dñium autē, ꝙ habet volūtas ſupra ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnū, & violentiā cauſæ exterius agētis; non autē excludit influentiā ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari: & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ Deus eſt reſpectu motuū voluntatis: vt ſic Deus ſeipſum cognoſcēdo huiuſmodi cognoſcere poſſit.] Idē colligitur ex 35
S.Doct.

S.Doct.2.2.q.171.art.6.ad 2. cuius verba ſunt:[Diuina præſcientia reſpicit futura ſecundũ duo, ſcilicet ſecundũ quod ſunt in ſeipſis,in quã tum ſcilicet ipſa præſentialiter intuetur; & ſecundum quod ſunt in ſuis cauſis; in quantũ ſcilicet videt ordinẽ cauſarũ ad effectus.] quod intelligendum eſt de cauſis etiã ſecundis determinatis, & nõ impeditis,vel impediendis,vt indicant illa eius verba (in quantum ſcilicet videt ordinẽ cauſarũ ad effectus.)ex quibus habetur, quod ſi habitudo cauſæ ad ſuum effectum ſit omnino contingens,non poteſt in illa,vt ſic certo cognoſci determinatus effectus;tamen ſi habitudo cauſæ ad effectũ non ſit omnino contingẽs,ſed habeat aliquã neceſſitatẽ infallibilitatis;q̃a nimirum,licet cauſa cõtingẽs poſſit impediri per concurſum alterius cauſæ, ne p̃ducat determinatũ effectum; tñ de facto nõ impeditur:tunc in cauſa etiã contingenti poteſt certo cognoſci effectus futurus. Quæ explicatio congruit cũ doctrina eiuſdẽ S.Doct. 1. cõtra gentes,c.50.allegato,& c.67. in rõne 3. cum ait, quod [ex cauſa cõtingenti cõpleta, ſi nõ impediatur,ſeq̃tur effect' certitudinaliter.]

36 Nec obſtat,ꝙ in 1.Sentent.d.38. art.5.in reſponſ.ad 3.& ad 6.ait: ꝙ cõtingens nõ refertur ad cognitionẽ diuinã [niſi ſm̃ quod eſt in eſſe actuali,]& in ſolut.ad 4.ſubdit:[res nõ ponitur ſubiacere ſcientię diuinæ, niſi dũ eſt in actu, ſm̃ quod determinationẽ,& certitudinẽ habet: ipsã enim neceſſe eſt eſſe,dum eſt.] & idẽ docet 1.cont.gent. c.67. vbi per illã præpoſitionẽ (niſi) videtur excludere omnẽ aliũ modũ certę, & infallibilis cognitionis. Reſpondetur enim, S.Doct.per dictam particulam (niſi) ſolum excludere certã,& infallibilẽ cognitionem futuri, quatenus eſt in cauſa cõtingẽti, vt eſt cõtingẽns,de qua procedebat 17
diſputatio,vt ex præmiſſis conſtat. Cum ergo ſciẽtia,qua anima Chriſti videt res in Verbo, menſuretur æternitate,in qua ſimul exiſtũt omnia, quæ ſucceſſu temporis fient in menſuris omnibus inferioribus; & etiã videat in Verbo decretum Diuinæ voluntatis, quo ſtatuit, vt per tales cauſas cõtingentes tales effectus fiant in tẽpore, relinquitur, ꝙ per eandẽ ſcientiã certo cognoſcat futura omnia contingẽtia;& prout actu exiſtunt in æternitate, & prout præexiſtunt in ſuis cauſis completis, determinatis, & non impeditis,nec impediendis per concurſum aliarum cauſarum. Vid.diſp. 10 de Auxilijs.

DISPVTATIO LVI.

Vtrum ſcientia beata Animæ Chriſti in ratione ſcientiæ,ſiue in ratione cognitionis,dicenda ſit infinita ſimpliciter.

QVidam dixerunt,ꝙ,quamuis in ratione entis ſcientia beata Animæ Chriſti nõ ſit infinita ſimpliciter, cum ſit ens creatum; nihilominus in ratione ſcientiæ eſt ſimpliciter infinita. Probari poteſt hæc ſententia. Primo.Cognoſcere vnum obiectum eſt aliqua perfectio ſcientiæ; cognoſcere duo obiecta eſt maior perfectio: ergo proportionabiliter debet creſcere in ſua perfectione cognitio ſcientifica, iuxta maiorem numerum obiectorum, quæ per illã attinguntur.Cum ergo cognitio beata animæ Chriſti attingat in Verbo infinita obiecta ſm̃ numerum, relinquitur,eſſe infinitã 1 1.Arg.

ſimpliciter in ratione ſcientiæ. Si dicatur, argumentum ſolum concludere, infinitatem illam cognitionis, ſolũ modo eſſe infinitatem extenſiuam, & extrinſecam; non autem intrinſecam, & intenſiuam. Contra hoc eſt;

2 Secundum argumentum. Perfectio extenſiua cognitionis fundatur in perfectione intenſiua luminis, & eam præſupponit; Ideo namque potentia Dei eſt infinita ſecundum entitatem ſuã, & perfectionem intrinſecam, quoniam poteſt ſe extendere ad producendum infinita obiecta ſimpliciter: ergo extenſio cognitionis ad infinita obiecta, præſupponit infinitam intenſionem luminis.

Tertio arguitur. Meritum, & ſatisfactio Chriſti, quamuis in ratione entis ſint finita; tamen in ratione meriti, & ſatisfactionis ſunt infinita ſimpliciter, ideſt ſine addito, quia procedunt à ſuppoſito infinitè grato. Ergo ſimiliter ſcientia beata Animæ Chriſti erit ſimpliciter infinita in ratione ſcietiæ, quia per illam attingit infinita obiecta. Probatur conſequentia: quia, cum habitus ſpecificentur per actus, & actus per obiecta, multo magis debet infinitas obiecti cogniti cõmunicare infinitatẽ cognitioni, in ratione cognitionis, quã infinitas ſuppoſiti operãtis cõmunicet infinitatẽ merito, & ſatisfactioni in ratione ſatisfactionis, & meriti.

Confirmatur. Gratia habitualis in ratione gratiæ in Anima Chriſti, eſt ſimpliciter infinita vt diſp.33. & 34. oſtensũ eſt: ergo ſimiliter ſciẽtia beata Animæ Chriſti, in ratione ſcientiæ, erit ſimpliciter infinita.

3 Quarto. Lumen ſolis dicitur ſimpliciter infinitũ in ratione luminis; quia ex eo deriuatur quidquid lucis reperitur in alijs rebus inferiobus: ſed etiam ex ſcientia beata Animæ Chriſti deriuatur quidquid perfectionis reperitur in omnibus alijs ſcientijs, & cognitionibus, vt patet ex cap. 1. Ioanis, qui poſtquam dixit: [vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis] ſubdit: [Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.] ergo. *Ioan. 1.*

Oppoſitam ſententiam docet S. Thom. q. 20. de veritate art. 4. Caietanus in hoc articulo in reſponſione ad argumenta Adam §. ſed ex hac littera: &, 1. p. q. 10. art. 3. ad 2. & q. 12. art. 10. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod vt art. 4. allegato ad 10. & 14. dicit S. Thomas [ſcientiæ quantitas, quæ attenditur ſecũdum numerum ſcitorum, eſt ei quaſi per accidẽs, & materialis, & præcipue quando in multis ſcitis eſt vna ratio ſciendi: ſecus enim eſſet, ſi diuerſis rationibus cognoſcerentur: ſed illa quantitas, quæ eſt ex efficacia cognitionis, ſcientiæ per ſe compecit: quia talis quantitas attenditur ſecundum exitum operationis intellectualis ab intellectuali virtute] Vnde, ſicut cõtingit quod obiectum ſit infinitum ſecundum eſſentiam, & tamen cognitio ſit finita ſimpliciter; quoniam à potentia finita procedit, & lumine, ac modo finito obiectum illud attingitur, vt patet in viſione beatifica, qua Deus à creaturis intellectualibus cognoſcitur, vt eſt in ſe: ita etiam euenire poteſt, quod cognitio feratur in obiectum infinitũ ſecũdũ numerũ, & tamẽ cognitio ſit abſolutè, & ſimpliciter finita propter finitam efficaciã cognoſcẽtis. Et ex hoc principio. *S. Thom.*

cipio. S. Thomas eodem art. 4. ad 1. argumentum concludit, quod ſi ſpecies vniuerſalis hominis, verbi gratia, eſſet perfecta ratio cognoſcendi quodlibet ſingulare in ſua ſingularitate, tunc intellectus noſter dato, quod eſſent infiniti homines, tamen cognoſceret infinita materialiter per vnam naturam finitam, quæ eſt humana natura: in infinitis enim hominibus, quamuis ſit infinitum ſecundum quantitatem, vel materiam, non tamen eſt infinitum ſecundum ſpeciem, quod patet ex hoc, quod adhuc extra infinitos homines, poſſunt eſſe aliæ ſpecies: Proprium autem obiectum intellectus eſt natura ſpeciei, non autẽ materia. Similiter qui cognoſceret per animalis naturam, omnes ſpecies animalis in ſua ſpecialitate, dato, quod ſpecies animalis eſſent in actu infinitæ, adhuc cognoſceret infinitam ſpeciem: ſed finitã naturam, quia præter naturam animalis, adhuc eſt natura lapidis.]

4 Dicendum eſt ergo; Scientiam beatã Animæ Chriſti etiam in eſſe cognitionis, & in eſſe ſcientiæ non eſſe ſimpliciter infinitam, ſed ſecundum quid, & extrinſecè. Probatur. Scientia in ratione ſciẽtiæ, non deſumit ſuam infinitatem, aut perfectionem à ſuppoſito operante, nec ex infinitate materiali obiecti, ſed ex perfectione luminis, per quod cognoſcitur, & ex efficacia virtutis cognoſcentis: ſed virtus cognoſcitiua Animæ Chriſti, & ſimiliter lumen gloriæ, quo videt Deum, ſicuti eſt, vel infinitas cogitationes in Verbo, eſt ſimpliciter finitum, & limitatum; cum ſit quid creatũ, & ſolum habet quãdam infinitatem extrinſecã ex parte obiecti cogniti; quia nimirũ terminatur ad Deũ infinitum, & extenditur ad cognoſcendas infinitas cogitationes in Verbo: ergo ſcientia beata Animæ Chriſti, etiam in ratione ſcientiæ, eſt ſimpliciter finita.

5 Confirmatur ratione ſancti Thomæ in præallegata ſolutione ad primum. In infinitis hominibus, (vel cogitationibus) quamuis ſit infinitum ſecundum quãtitatem, vel materiam; non tamen eſt infinitum ſecundum ſpeciem, nam extra infinitos homines, vel cogitationes ſunt aliæ quàm plures ſpecies, & in infinitum multiplicari poſſunt: ergo, quamuis Anima Chriſti cognoſcat in Verbo infinitas cogitationes, in ſua ſingularitate, adhuc talis cognitio etiam in ratione cognitionis non eſt ſimpliciter infinita. Probatur conſequentia. Quia, vt ſcientia ſit infinita in ratione ſcientiæ, oportet, quod per illam cognoſcatur quidquid eſt ſcibile, vel cognoſcibile: ergo, cum ſcientia beata Animæ Chriſti non ſe extendat ad cognoſcendum in Verbo quidquid eſt ſcibile, vel cognoſcibile, relinquitur, quod in ratione ſcientiæ nõ ſit ſimpliciter infinita.

6 Secũdo probatur. Impoſſibile eſt, quod ſcientia ſit infinita ſimpliciter in ratione ſcientiæ, quin ſit etiã infinita in ratione entis: etenim ad infinitatẽ ſciẽtiæ, oportet quod per illã cognoſcatur Deus, & quidquid eſt in potẽtia Dei, ac per cõſequẽs, quod per illã cõprehendatur Deus infinitus, qui tamen comprehendi non poteſt, niſi ab intellectu increato, & infinito ſecundũ eſſentiã, vt 1. p. q. 12. art. 7. docet S. Thomas. Sed ſciẽtia beata Animæ Chriſti non eſt infinita, ſecundum eſſentiam; ergo neque in ratione ſcientiæ eſt ſimpliciter infinita.

Tertio. Alia accidentia, quę cōcomitantur Animam Chriſti, & ſequuntur eius naturam, vt intellectus, volūtas, riſibilitas, &c. nō ſunt infinita ſimpliciter in proprio genere, vel ſpecie; eo quòd infinitas ſuppoſiti diuini, non redundat in infinitatem horum accidētium; ſed habet ſe concomitanter, & extrinſece in ordine ad illa, vt ſupra dictū eſt, cum de infinitate gratiæ Chriſti ageretur: ſed ſimiliter infinitas cogitationum, quas Anima Chriſti videt in Verbo, habet ſe concomitanter, & materialiter in ordine ad ſcientiam beatam ipſius Animæ: ergo ſcientia beata animæ Chriſti, etiam in eſſe ſcientiæ, non eſt ſimpliciter infinita.

7 Quarto. Ratiò ſpecifica ſcientiæ in ratione ſcientiæ ſumitur ex obiecto eius primario, non autem ex ſecundario: ergo ſimiliter perfectio intrinſeca. Sed ſcientia beata Animæ Chriſti in ordine ad obiectum primarium, quod eſt Deus, eſt ſimpliciter finita in ratione ſcientiæ; quia modo finito, & efficacia finita cognoſcit Deum, cum non comprehendat, nec cognoſcat illum, quantum cognoſcibilis eſt: ergo, etiam ſi extendat ſe ad obiectum ſecundarium infinitum ſecūdum numerum, nimirum ad cogitationes infinitas in actu, adhuc talis ſcientia erit ſimpliciter finità.

8 AD primum argumentū reſpondetur ex dictis Diſp. præcedēti. Quando obiecta cognoſcuntur immediate in ſe ipſis, & per propriā ſpeciem, & ſibi adæquatā, tunc, quo plura ſimul diſtinctè cognoſcuntur, eo cognitio eſt perfectior; non autem quando ſunt obiecta ſecundaria, & cognoſcuntur in alio obiecto primario, prius cognito: tunc enim perfectio cognitionis intrinſeca non debet creſcere, vel attēdi iuxta numerum obiectorum, quæ ſecundario cognoſcuntur, eo quod materialiter ſe habent ad ſcientiā, vt ſupra dictum eſt: ſed ex modo perfectiori, quo obiectum primarium penetratur. Ex perfectiori namque penetratione obiecti primarij prouenit extenſio cognitionis ad plura obiecta ſecūdario cognita. Quia ergo Anima Chriſti non videt infinitas cogitationes in ſe ipſis immediatè, ſed in eſſentia diuina, tamquam in obiecto primario, in quo eminenter continentur; ideò non ſequitur, quod talis cognitio ſit infinita ſimpliciter etiam in ratione cognitionis. Solutio eſt Caiet. 1. par. cit. §. ad ſecundum vero. & habet fundamentum in S. Thom. q. 20. de verit. art. 4. citato. ad decimum argumentum. Caiet.

9 Secundo reſpondetur, argumentum ſolum concludere, cognitionē, quæ extenditur ad obiecta infinita ſimpliciter, & in omni genere eſſe infinitā in ſua intrinſeca perfectione; quia talis cognitio comprehenderet eſſentiam diuinam, cum extenderet ſe ad omnia, quæ ſunt in actu, & in poteſtate virtutis diuinæ: cognitio autem Animæ Chriſti in Verbo non attingit infinita in omni genere, vel ſpecie; ſed ſolum cum limitatione ad talem ſpeciem cogitationum. Sed extra cogitationes infinitas ſunt aliæ infinitæ creaturæ poſſibiles, quas non cognoſcit in Verbo Anima Chriſti, vt dictum eſt: aliàs comprehenderet eſſentiā Diuinam, quod eſt contra præmiſſa; vnde non ſequitur, quod eiuſmodi cognitio ſit infinita, nec quod per illā Anima Chriſti videat Deū infinitè; nam ad hoc requiritur, quod

quod videat omnia, quæ virtute continentur in potentia Dei, quorum valde exigua pars eſt tota collectio cogitationum.

10 Ad ſecundum reſpondetur ſimiliter, quòd extenſio cognitionis ad obiecta infinita in omni genere, abſque vlla limitatione præſupponit infinitam perfectionem intrinſecam cognitionis beatificæ: quia per illam comprehenditur obiectū eius primarium, ſcilicet Deus ipſe, ex cuius comprehenſione procedit, quod cognoſcantur omnia quæ actu, & potentia ſunt in illo. Cæterum cognitio, quæ ſolum extenditur ad infinita in determinato genere, vel ſpecie, qualis eſt ſcientia beata animæ Chriſti, non ſupponit infinitā perfectionem intrinſecam illius ſcientiæ; ſed ſolum perfectionē finitam ſuperioris ordinis, ad quam nulla alia ſcientia creata aliorum hominum, vel Angelorum poteſt pertingere. Et ratio huius eſt; quia ſicut lumen ſolis eſt fons, & caput à quo deriuatur lumen ad omnia aſtra inferiora, ita ſcientia Animæ Chriſti ſe habet comparatione aliorum: nàm eſt in illo tanquam in capite omnium prædeſtinatorum, & totius Eccleſiæ, ſecundum illud Epheſ. 1.

Eph. 1. [Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.] Vnde, ſicut lumen aliorum aſtrorum quantumcumque creſcat, peruenire non poteſt in ſua claritate, & perfectione ad lumen ſolis, licet claritas ſolis ſit ſimpliciter in ſua intenſione & perfectione finita: ita ſcientia beata Animæ Chriſti, licet ſit finita ſimpliciter, habet tamen perfectionem alterius rationis, ad quam nulla alia ſcientia creata poteſt pertingere. Solutio eſt Caiet. 1. par. q. 12. art. 10. cit.

Sed contra obijcitur. Omnes viſiones beatificæ ſunt eiuſdē ſpeciei atomæ, & ſimiliter lumen gloriæ, eſt eiuſdē rationis in Anima Chriſti, & in alijs beatis; vt docet idem Caiet. art. 3. §. in ſolut. ad 3. quia habent idem obiectum formale: ergo ſolutio nulla. Reſpondetur cum eodem Caiet. 1. par. citata, quod lumen gloriæ, & ſimiliter viſio beatifica non dicitur ſuperioris ordinis, quia ſit alterius ſpeciei in anima Chriſti; ſed quia habet perfectionem alterius rationis, eo quòd eſt caput ſuper omnem Eccleſiam: ſicut charitas viæ, & charitas Patriæ ſunt eiuſdem ſpeciei atomæ, & tamen charitas Patriȩ habet perfectionem alterius rationis, ad quam charitas viæ, quantumcumque creſcat, peruenire non poteſt, vt 2. 2. q. 24. art. 7. ad 3. dicit S. Thomas. 11 Obiect.

Ad tertium cum ſua confirmatione reſpondetur, negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt; nam gratia habitualis, ſatisfactio, & meritum in ratione gratiæ, ſatisfactionis, & meriti participat valorem moralem à ſuppoſito operante. Vnde in Chriſto Domino, quia ſuppoſitum erat ſimpliciter infinitum, etiam gratia in ratione gratiæ, & principij merendi, & ſatisfaciendi erat ſimpliciter infinita; ita vt maior de potentia Dei abſoluta dari non poſſet: & ſimiliter ſatisfactio, & meritum in genere ſatisfactionis, & meriti erant ſimpliciter infinita, vt ſupra dictum eſt. Scientia verò, quia eſt habitus ſpeculatiuus, non participat à ſuppoſito diuino infinitatem in ratione ſcientiæ: ſed ſolum poteſt eam habere ab obiecto formali, & lumine, quo attingitur obiectum. Hanc autem infinitatem ſolum habet ſcien- 12

tia increata, per quam cognoſcitur Deus, in quantum cognoſcibilis eſt: vnde non eſt ſimile.

Ad quartum reſpondetur, lumen ſolis non habere infinitatem ſimpliciter; ſed ſecundũ quid, in quantum ab eo participatur aliorum aſtrorum claritas, & in eo continetur quidquid pertinet ad rationem luminis in inferioribus. & idẽ dicendum proportionabiliter de ſcientia beata Animæ Chriſti.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Anima Chriſti videat Verbum, ſiue Diuinam eſſentiam clarius, quàm alia creatura.

1 COncluſio eſt affirmatiua. Probatur in argumento, ſed cõtra:
Eph. 1. nã ad Epheſ. 1. dicitur, quod [Deus conſtituit Chriſtum ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, &c.] Secundo, in corpore. Anima Chriſti eſt propinquior fonti gratiæ, à qua deriuatur lumẽ gloriç, & viſio beatifica, vtpote Verbo in perſona hypoſtaticè vnita: ergo plenius participat lumen gloriæ.

2 IN ſolutione ad 2. docet S.Tho. quod gradus in viſione beatifica, attenditur magis ſecundum ordinem gratiæ, quàm ſecundum ordinem naturæ. Circa quod eſſet diſputandum, an intellectus naturaliter perfectior cum æquali lumine gloriæ, producat viſionem beatificam magis intenſam, quàm alius; ſed de hoc egi ex profeſſo lib. 3. de Auxilijs Diſput. 63. vbi ſententiam Caietani in hac parte explicaui, & rationibus, quæ contra illum adducuntur, ſatisfeci. Reſolutio huius difficultatis conſiſtit in hoc, quod cæteris paribus ex parte luminis gloriæ, intellectus naturaliter perfectior, producet viſionem beatificam magis perfectam ex parte ſubiecti; non tamen magis intenſam: quæ ſententia eſt valde conformis doctrinæ S. Thomæ, vt ibidem probaui: nec oppoſitum huius dicit Caietanus in hoc articulo, quin potius expreſſe docet noſtram ſententiam. non enim ait, quod Angelus cum æquali lumine intenſius videret Deum, quam homo; ſed ſolum, inquit, quod videret perfectius, quod de perfectione ex parte ſubiecti elicientis viſionem beatificam intelligendum eſt, eo modo quo S.Thom. 1.2.q.4.art.5. in corpore docet, quod poſt reſurrectionem, quando anima vnietur corpori, viſio beatifica cuiuſcumque beati erit perfectior, quàm nunc ſit, cum anima eſt à corpore ſeparata.

QVAESTIO XI.

De ſcientia indita, vel infuſa Animæ Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſecundum ſcientiam inditam, vel infuſam Chriſtus omnia ſciat.

PRima concluſio. Anima Chriſti ſecundum ſcientiam inditam, cognouit quęcumque ab homine cognoſci poſſunt, per virtutem luminis intelle- 1

ctus

ctus agentis, ſicut ſunt quæcumque pertinēt ad ſcientias humanas.

Secunda concluſio. Per eandem ſcientiam cognouit Chriſtus omnia illa, quę per reuelationem diuinam hominibus innoteſcunt; ſiue pertineant ad donum ſapientiæ, ſiue ad donum prophetiæ, ſiue ad quodcumque donum Spiritus ſancti. Probatur vtraque concluſio, vt dictum eſt quæſt. 9. art. 1. conueniens fuit, vt anima Chriſti omnino eſſet perfecta, per hoc quod omnis eius potentialitas, tam naturalis, quam obedientialis ſit reducta ad actum. Vtraque autem potentialitas animæ Chriſti fuit reducta in actum per hanc ſcientiam diuinitus inditam: ergo talis ſcientia eſt in illo conſtituenda.

Tertia concluſio. Anima Chriſti per hanc ſcientiam inditam, ipſam Dei eſſentiam nō cognouit, ſed ſolum per ſcientiam beatam.

Circa rationem primæ, & ſecundæ concluſionis, recolenda ſunt, quæ diximus Diſput. 51. vbi oſtendimus, Animam Chriſti, vtpote beatam, etiam dum erat vnita corpori mortali, poſſe naturaliter cognoſcere per ſpecies inditas à Deo, ſubſtātias ſpirituales, ſicut poſſunt aliæ animæ, præſertim beatorum ſeparatę à corpore, quod etiam docet expreſſe S. Thomas in ſolutione ad ſecundum huius articuli. Quo fit, vt potentialitas, quæ per ſpecies infuſas reducitur ad actum, competit naturaliter Animæ Chriſti, ſecundum quod eſt beata. & ſic patet efficacia, quam habet ratio S. Thomæ ad probandā primam concluſionem, de qua etiam agendum eſt Diſp. ſequēti.

DISPVTATIO LVII.

Vtrum Anima Chriſti per ſcientiam inditam cognoſcat omnia, quæ ab intellectu creato poſſunt naturaliter cognoſci.

PARS negatiua probatur. Primo. Sciētia diuinitus indita animæ Chriſti eſt ordinis ſuperioris ad res naturales: ergo non verſatur circa illas; ſcientia enim, cū ſpecificetur ab obiecto, debet eſſe eiuſdem ordinis cum illo. 3

Secundo. Potentia, quæ eſt in Anima Chriſti ad cognoſcendum res viribus naturę cognoſcibiles eſt naturalis; ergo non debet reduci in actum per ſcientiam ſupernaturalem, ſeu per ſe infuſam, ſed per acquiſitam, vel infuſam per accidens. potentia enim, & actus debēt proportionari: non ergo cognoſcit Anima Chriſti per ſcientiam inditam res naturales.

Tertio. Anima Chriſti per ſcientiam inditam, non cognoſcit diſtinctè indiuidua naturæ ſpecificæ, & tamen hæc poſſunt cognoſci ab intellectu creato viribus naturæ: ergo. Maior probatur. Omnis cognitio debet fieri mediante ſpecie intelligibili: ſed Anima Chriſti non habet ſpecies cuiuſlibet indiuidui ordinis naturalis; etenim ſpecies illi infuſæ, quibus cognoſcit naturas vniuerſales, non poſſunt repræſentare ſingularia ſecundum proprias, & particulares rationes: ergo per ſpeciem naturæ communis non cognoſcit ſingularia: nec etiam ea cognoſcit per adæquatā, & propriam ſpeciem cuiuſlibet indi- 4

Digitized by Google

indiuidui: nam oporteret ponere in Anima Chriſti infinitas ſpecies intelligibiles, præſertim reſpectu cogitationum cordiũ quæ ſunt infinitæ. Hoc autem eſt incoueniens. Ergo.

Conf. Confirmatur. Cognitio ſingularium non perficit intellectum, vt p. p. q. 12. art. 8. docet. S. Thomas: ergo non pertinet ad perfectionem Animæ Chriſti cognoſcere huiuſmodi ſingularia; ergo non cognoſcit ea per ſciẽtiam Inditam, vel infuſam. Probatur conſequentia: nam ſcientia infuſa ponitur in Anima Chriſti, vt intellectus eius perficiatur, quantum ad cognitionem rerum in proprio genere.

Quarto. Anima Chriſti nõ cognoſcit per ſcientiam inditam cogitationes cordium: nã ſolus Deus ſcrutator eſt cordium, vt dicitur Pſalmo 7. & Hierem. 17. & tamen eiuſmodi cogitationes naturaliter cognoſcuntur ab his, qui producunt eas, vt patet ex illo 1. Cor. 2. [Nemo ſcit, quæ ſunt in homine niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt] ergo per ſcientiam inditam nõ cognoſcit omnia cognoſcibilia viribus naturæ. Sit nihilominus

PRima concluſio. Anima Chriſti per ſcientiam inditam ſcit omnia, quæ à quocunque intellectu creato hominum, vel Angelorum viribus naturæ cognoſci poſſunt. Itaque omnia naturaliter cognoſcibilia clauduntur ſub obiecto materiali ſcientiæ inditæ Animæ Chriſti. Concluſio eſt S. Thomæ in hoc articulo, quam etiam docet Durandus in 3. ſent. d. 14. q. 3. n. 6. vbi affirmat, ſcientiam infuſam Animæ Chriſti potuiſſe extendi ad cognitionem omnium rerum naturalium. Probatur. Chriſtus ſecundum quod homo, eſt ſuperior omnibus alijs hominibus, & Angelis, eo quod eius humanitas ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi: ergo conueniens fuit eſſe ſuperiorem in cognitione omnium obiectorum naturalium, non ſolum quantum ad eorum cognitionem in Verbo, ſed etiam in proprio genere. Hanc autem cognitionem rerum naturaliũ in proprio genere, non habet Anima Chriſti, niſi per ſcientiam inditam, nam per experimentalem, non potuit ſaltem à principio omnia naturalia cognoſcere: ergo per ſcientiam inditam, cognouit omnia cognoſcibilia viribus naturæ. Præterea. S. Thomas ſupra q. 9. art. 3. ex eo probat, eſſe conſtituendam in Anima Chriſti ſcientiam infuſam, qua res in proprio genere cognoſcat; quia in Angelis ponitur ſcientia indita, per quam res naturales cognoſcunt in proprio genere; ſed ſcientia indita Angelis extendit ſe ad omnia obiecta cognoſcibilia vt 1. p. q. 55. art. 1. docet. S. Thomas: ergo à fortiori id dicendum eſt de ſcientia indita Animæ Chriſti, cum excedat in ſua perfectione ſcientiam inditam Angelis etiam ſupremis.

6 SEcunda concluſio. Per hanc ſcientiam inditam cognoſcit Anima Chriſti omnia obiecta naturalia, non ſolum ſecundum rationem communem, & vniuerſalem, ſed etiam ſecundum propriam, & ſingularem. Probatur ratione. S. Thomæ. Anima Chriſti à primo inſtanti vnionis cum corpore habebat naturalem potentiam, ad cognoſcendum omnia obiecta naturalia, non ſolum confuſe, & in cõmuni, ſed etiam diſtincte, & in particulari: ergo ab eodem inſtanti fuit hæc potentia reducta ad actum

per

per ſcientiam inditam. Ergo per eandem ſcientiam cognouit omnes res naturales, non ſolum in communi, ſed etiam in particulari.

Secundo probatur, ſcientia infuſa Animę Chriſti, eſt multo perfectior quam ſcientia indita Angelis, & ſuperior ad illam: ſed Angeli per ſcientiam inditam cognoſcunt omnes res naturales, non ſolum confuſè, & in communi, ſed etiam diſtinctè, & in particulari vt 1. p. q. 55. & 5 . docet. S. Thomas: ergo.

7 Tertio. Omnis perfectio, quæ potuit communicari Animæ Chriſti fuit de facto illi communicata, niſi fini incarnationis repugnet: ſed reuera potuit communicari Animæ Chriſti ſcientia infuſa, qua perfectè cognoſceret omnes res naturales, & ſecundum rationem communem, & ſecūdum rationem propriam, & particularem; quia id nullam inuoluit repugnantiam ex parte Dei, cum ſit omnipotens, vel ex parte Animæ Chriſti, cum ſit capax huius cognitionis, & ſuppoſita vnione ad Verbum habeat potentialitatem naturalem ad cognoſcendum diſtinctè, non ſolum quidditatem rei materialis, ſed etiam ſubſtantias ſeparatas, vt ſupra dictum eſt. Ergo.

Quarto. Species inditæ Animæ Chriſti, cum non ſint acceptæ ab obiectis, ſed cauſatę immediate à Deo ad exemplar diuinæ eſſentiæ, in quantum habet rationem ſpeciei intelligibilis, repræſentant clare, & diſtinctè omnes res naturales ſecundum proprias rationes; ſicut eſſentia diuina, Vna cum ſit, omnia, quæ quomodolibet habent eſſe clare, & diſtinctè, repræſentat: ergo eiuſmodi ſpecies infuſæ Animæ Chriſti, ſunt illi rationes cognoſcendi diſtinctè, & clare omnia entia naturalia, tam ſecundum communes; quàm ſecundum proprias, & particulares rationes. Vtrum autem per eandem ſcientiam cognoſcat cogitationes cordium, & futura contingentia patebit diſp: ſequenti.

8 Tertia concluſio. Per ſcientiā infuſam, non cognoſcit Anima Chriſti, actu ſimul omnia entia, quæ ſub ea cadunt; ſed habitualiter, & ſucceſſiue, ita vt, quoties voluerit, poſſit vti tali ſcientia ad quamcumque rem cognoſcendam. Probatur. Cognitio ſcientiæ Inditæ Animæ Chriſti non menſuratur æternitate, quæ eſt tota ſimul, ſed tempore continuo, vel diſcreto, in quo eſt ſucceſſio operationum; ergo non poteſt actu per eamdem ſciētiam omnia ſimul cognoſcere.

Confirmatur. Per ſcientiam beatam ex eo cognoſcit Anima Chriſti ſimul infinita; quia cognitio beatifica menſuratur æternitate, quæ eſt inuariabilis, & tota ſimul: ergo, cum cognitio ſcientiæ infuſæ non menſuretur æternitate, ſed tempore ſucceſſiuo, relinquitur, quod ſucceſſiue, & non ſimul cognoſcat per eamdem ſcientiam Anima Chriſti omnia entia.

9 Secūdo probatur ratione deſumpta ex S. Thoma 1. p. q. 55. art. 3. Species infuſæ Animæ Chriſti, quāuis ſint perfectiores ſpeciebus inditis Angelis, non tamen poſſunt pertingere ad perfectionem eſſentiæ diuinæ, in quantum habet rationem ſpeciei intelligibilis; ſed ab ea deficiunt, in quantum ſpecies increata eſt vnica, & ſimpliciſſima, & per eam ſimul cognoſcuntur omnia, quæ actu repræſentat potentiæ intellectiuæ: ſpecies autem

tem

tem inditæ animæ Chriſti ſunt plures,ac per conſequens, vna ex illis per ſe ſumpta, non repræſentat omnia obiecta, ad quæ ſcientia infuſa ſe extendit; ergo non poteſt anima Chriſti per ſcientiam infuſam omnia entia creata,vnica cognitione ſimul cognoſcere. Probatur conſequentia,nam vna cognitio non poteſt fieri, niſi per vnicam ſpeciem, quæ eſt principium cognitionis.

10 Confirmatur. Vt 1.p.q.58.ar.2.& alijs in locis docet S.Thomas, Angeli per ſcientiam inditam,non poſſunt plura ſimul intelligere,per modum plurium, ſed ſolum per modũ vnius, quatenus videlicet repræſentantur per vnam ſpeciem, & idem docet de intellectu hominis, q 85. art. 4. & ratio illius eſt; quia nihil intelligitur,niſi ſecundum quod intellectus formatur per ſpeciem intelligibilem,ſicut corpus formatur per figuram. Vnde,ſicut vnum corpus non poteſt ſimul formari diuerſis figuris; ita vnus intellectus non poteſt ſimul formari diuerſis ſpeciebus intelligibilibus, & conſequenter neque intelligere ſimul per eas plura per modum plurium. Ergo ſimiliter anima Chriſti non poteſt per ſcientiam inditam omnia obiecta, ad quæ ſe extendit, ſimul intelligere, niſi omnia illa intelligat per vnam ſpeciem intelligibilem.Cum ergo vna ſpecies ſciẽtiæ inditæ non repræſentet omnia obiecta materialia eiuſdem ſcientiæ,relinquitur,quod non ſimul omnia illa intelligat, ſed ſucceſſiuè.

11 Confirmatur ſecundo. Sub ſcientia infuſa animæ Chriſti cadunt omnia obiecta,non ſolum naturalia; ſed etiam ſupernaturalia,& diuinitus reuelata, quæ à quocunque intellectu creato citra beatificam viſionem cognoſcũtur.[Omnia enim iſta abundantius,& plenius cæteris cognouit anima Chriſti,]vt in corpore articuli huius docet S. Thom. ſed vna ſpecies indita animæ Chriſti, non poteſt ſimul repræſentare omnia obiecta naturalis, & ſupernaturalis ordinis: ergo nec poſſunt ſimul per eandem ſcientiam cognoſci.Minor probatur. Entia naturalia, & ſupernaturalia ſunt diuerſi ordinis;ergo non poſſunt per vnam ſpeciem intelligibilem clare, & diſtinctè repræſentari, niſi illa ſpecies ſit diſtincta, & expreſſa omnium ſimilitudo. ſola autem eſſentia diuina propter ſimplicitatem ſummã, & infinitatem, quam habet,eſt expreſſa,& diſtincta omnium ſimilitudo. Ergo per ſpeciem inditam non poteſt anima Chriſti omnia obiecta ſimul cognoſcere, ad quæ ſe extendit ſcientia infuſa.

Determinare autem in particulari per quot ſpecies inditas anima Chriſti hæc omnia cognoſcat, non poteſt humana ratione inueſtigari. Hoc vnum eſt certum,quod per lumen excellentius,ea cognoſcit,quã Angelus ſupremus; & ratio huius eſt, nam anima Chriſti ſecundum ſcientiam inditam, eſt ſuperior omnibus ſpiritibus Angelicis,vt ſupra dictum eſt. Ergo per lumen excellentius cognoſcit obiecta omnia, quæ ſub ea cadunt,quàm ſupremus Seraphim. Cum hoc tamen dicendum, quod per plures ſpecies inditas anima Chriſti cognoſcat hæc obiecta;quàm Angelus,& ratio huius eſt,quam aſſignat S.Thom. art. 4.huius quæſtionis, nam ſcientia infuſa animæ Chriſti, quantum ad modum cognoſcedi,eſt infra ſcientiam Angelorum. 12

Ad primum argum.reſpondetur.

Scien-

13 Sciētia ſpecificatur ab obiecto formali, & proportionatur illi, non autem ab obiecto materiali: res autē naturales pertinent ad obiectum materiale, ad quod extēditur ſcientia indita animæ Chriſti. Vnde non oportet, quod ſint eiuſdem ordinis cū illa. Secundo reſpondetur. Obiecta, quæ diuerſificantur comparatione ſcientiæ, vel potētiæ inferioris, vniuntur comparatione ſcientiæ aut potentiæ ſuperioris; ſicut obiecta ſpecificatiua ſenſuum particularium, viſus, auditus, tactus, &c. continentur ſub vnica ratione formali obiecti ſenſus communis: & ſimiliter practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentiæ per ſe comparatione ſcientiæ inferioris, & tamen vniuntur in Theologia, quæ eſt ſcientia ſuperior: eſt enim ſimul practica, & ſpeculatiua eminenter formaliter, vt 1.p.q.1. art.4. docet M. Bañes. Eſt etiam exemplum in naturalibus. Gradus enim vegetatiuus, & ſenſitiuus in creaturis corporalibus diſtinguuntur per ſe, & tamen in homine, quia eſt ſupremus inter creaturas corporales, vniuntur ita, vt eadem anima humana ſit formaliter rationalis, ſenſitiua, & vegetatiua demptis imperfectionibus. Dicendum eſt ergo, quod quando ſcientia rerum naturalium eſt illis propria, & adæquata, oportet, quod ſit eiuſdem ordinis cum illa: ſed ſi excellens ſit, & inadæquata nō eſt neceſſe, quod ſit eiuſdem ordinis cum illis, vt patet in ſcientia increata Dei, quæ, cū tranſcendat totum ordinem naturæ, per eam tamen cognoſcit perfectiſſimè omnes res naturales: & idem proportionabiliter dicendum de ſcientia indita animæ Chriſti. Habet hæc ſolutio fundamentum in S.Thoma 1.p.q.56. art.3. ad 3.

Ad ſecundum conceſſo antecedenti diſtinguendū eſt conſequens. ſi enim conſideretur ſcientia indita animæ Chriſti ſecundum ſe, eſt quidem ſupernaturalis ordinis; ſi autem conſideretur in ordine ad tale ſubiectum, ſcilicet vt eſt in anima Chriſti beata, & Verbo vnita hypoſtaticē, ſub hac ratione dicitur naturalis, vtpotè à natiuitate illi competens, & ex principijs ſuppoſiti diuini conſequens, cui eſt anima hypoſtaticè vnita, ſicut de gratia habituali dictum eſt. Vnde per eamdem ſcientiam reducitur in actū, non ſolum potentia obedientialis, quam habet intellectus animæ Chriſti, in ordine ad agens ſupernaturale; ſed etiam potentia naturalis, quæ illi competit in ordine ad agēs naturale, vt ex præmiſſis in principio huius articuli conſtat. 14

Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem dicendum, quod ſpecies intelligibiles inditæ animæ Chriſti, quia non ſunt acceptæ immediate ab obiectis; ſed ſunt quædam deriuatiuæ ſimilitudines à Diuina eſſentia, non ſolum repræſentant clarè, & diſtinctè naturam ſpecificam; ſed etiam indiuidua, & ſingularia; ſicut de ſpeciebus inditis Angelis 1.p.q.57.ar.2. dicit S.Thomas, & nos in 4. ratione ſecundæ cō cluſionis obſeruauimus. 15

Ad confirmationem reſpondet S. Thomas hic ad 3. quod cognitio ſingularium, quamuis non pertineat ad perfectionem intellectus ſpeculatiui: pertinet tamen ad perfectionem intellectus practici: quia operatio, ſicut & prudentia verſatur circa ſingularia. Si dicatur. Ad perfectionem prudentiæ ſatis eſt cognoſcere ſingularia agibilia, eo

quod

quod prudentia eſt recta ratio agibilium, vt dicit Ariſtot. Ergo per hanc ſolutionem non concluditur, Chriſtum per ſcientiam inditam ſingularia factibilia per artem, & alia indiuidua ſubſtantiarum corporalium, & numerum arenæ maris ſtellarum, & ſimilia cognouiſſe.

Ariſtot.

In hoc articulo 5. ad 3. dub.

Reſpondetur cum Caietano, quod in anima Chriſti propter coniunctionem cum Verbo fuit plenitudo prudentiæ, non ſolum monaſticæ: ſed etiam politicæ, immo, & Regalis, & Monarchicæ in ordine ad omnes creaturas in ſingulari: quia omnes ſunt ei ſubiectæ, vel immediatè, vel quatenus ordinantur ad electorum ſalutem, iuxta illud Pſal. 8. [Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius,] Quem locum expendens Apoſtolus, & explicans de Chriſto Domino ad Hebr. 2. [In eo, (inquit) quod omnia ei ſubiecit; nihil dimiſit non ſubiectum ei.] Ipſa etiam Veritas ait. [Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.] Vnde ad Chriſtum pertinet cognoſcere omnia ſingularia cuiuslibet naturæ creatæ.

Pſal. 8.

Heb. 2.

Matth. 28

Ad quartum argumentum patebit diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO LVIII.

Vtrum anima Chriſti per ſcientiam infuſam certo cognoſcat cogitationes cordium, & omnes actus liberos, tã internos, quàm externos.

1 AVCTORES, qui aſſerunt, animam Chriſti per ſcientiam inditam non cognoſcere ſingularia, idem ſentiunt conſequenter de actibus liberis: quorum ſententia probari poteſt. Primo, auctoritate S. Thomæ, q. 20. de veritate art. 6. in corpore, vbi expreſsè docet, animam Chriſti non cognoſcere per ſcientiã inditam cogitationes cordium, ſed ſolum per ſcientiam beatam: & in 3. ſentent. diſtinct. 14. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. in corpore ait, Non cognouiſſe per ſcientiam inditam [geſta particularium hominum, & huiuſmodi, quæ tamen omnia cognouit in Verbo.] 1. Arg.

2 Secũdo probatur ratione S. Thomæ. Scientia rerum in proprio genere ponitur in anima Chriſti, vt nulla naturalium perfectionum ei deeſſe inueniatur: ergo tantum per hanc ſcientiam ſciuit, quantum naturalis animæ cognitio ſe extendere poteſt, non ſolum in hac vita, ſed etiam poſt mortem, eo quod Chriſtus ſimul fuit ſecundum animam viator, & comprehenſor. Sed quædam ſunt ad quæ naturalis cognitio nullo modo ſe extẽdere poteſt; ſicut eſt ipſa diuina eſſentia, futura contingentia, cogitationes cordiũ, & alia huiuſmodi: ergo hæc non cognouit anima Chriſti in proprio genere; ſed ſolum in Verbo. Probatur conſequentia: nam cognitio rerum naturalium in proprio genere fit in anima Chriſti per ſcientiam inditam.

3 Tertio. Angelus per ſcientiam inditam non cognoſcit cogitationes cordis, & actus liberos. Ergo neque anima Chriſti per ſcientiam infuſam eos cognoſcit. Probatur conſequentia. Vt docet S. Thomas 1. p. q. 57. art. 4. in corp. ideo Angelus actus liberos non cognoſcit, quia cogitationes, prout ſunt in intellectu, & affectiones prout ſunt in voluntate ſolum cognoſcuntur à Deo, eo quod voluntas rationalis crea-

creaturæ ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt:ſed hęc ratio, etiam procedit de ſcientia indita animæ Chriſti: ergo.

Confirmatur ratione facta in quarto argumento diſputationis præcedentis. Cognoſcere cogitationes cordium, eſt proprium Dei
Hiere. 17. ſecundum illud Hier. 17. [Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor.] Ergo neq; Angeli, neque anima Chriſti per ſcientiam inditam cognoſcunt eiuſmodi cogitationes liberas; etenim quod eſt proprium Dei, non debet attribui creaturis.

4 Quarto. Anima Chriſti per ſcientiam inditam, non cognoſcit futura contingentia, nam horum cognitio ſoli Deo competit, ſecundum
Iſa. 41. illud Iſaiæ 41. [Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos:] Ergo nec cogitationes cordium.

Oppoſitam ſententiam docet S. Thom. in hoc articulo, quam defendunt communiter omnes eius diſcipuli. Ad cuius euidentiã conſiderãdum eſt, quod vt 1. p. q. 57. art. 4. in corp, docet S. Doctor, cogitationes cordis dupliciter poſſunt cognoſci: vno modo in ſuo effectu, alio modo, prout ſunt in intellectu, & pendent ex libera determinatione voluntatis, ſit ergo

5 Prima concluſio. Cogitationes cordium, prout ſunt in ſuo effectu, non ſolum cognoſcuntur per ſcientiam inditam ab anima Chriſti, ſed etiam ab Angelo, & ab homine. Hanc concluſionem probat S. Thomas art. 4. allegato, nam cogitatio cordis per actum exteriorem manifeſtatur, & etiam per immutationem vultus iuxta illud Eccleſiaſtici 19. [Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo,] ergo. *Eccleſiaſt. 19.*

6 Secunda concluſio. Anima Chriſti cognoſcit per ſcientiam inditam certo, clare, & diſtinctè liberas cogitationes cordis actu exiſtentes, etiam ſecundum quod ſunt in intellectu, & prout pendent ex libera determinatione voluntatis. Ita docet S. Thomas in ſecunda concluſione huius articuli, & probatur ex illo Matthæi 19. [Et ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe, hic blaſphemat: & cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit. vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?] quæ verba de triplici ſcientia Chriſti, ſeu viſione interpretari poſſunt. Primo de ſcientia increata, quam habet in quantum Deus cogitationum cordium, quia vt dicit Apoſtolus ad Hebr. 4. [Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius. omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.] Secundo, de ſcientia beata, qua omnia videt in Verbo, vt ſupra dictum eſt. Tertio, de ſcientia indita, qua omnia creata, etiam ſupernaturalis ordinis cognoſcit in ſe ipſis. Et hæc tertia explicatio videtur valde congrua; nam Chriſtus Dominus ibi loquebatur, vt homo, & ſupremus Doctor degens inter mortales. *Mat. 19* *Heb. 4.*

Secundo probatur ratione ſancti Thomę. Chriſtus in quantum homo

homo eſt iudex omnium humanarum actionum, & cogitationum cordium, iuxta illud Apoſtoli 2. ad Corint. 5. [Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis provt fecit, ſiue bonum ſiue malum:] ſed ad Iudicem pertinet diſtinctè, & clare cognoſcere ea omnia, de quibus iudicare debet. ergo.

2. Cor. 5.

Confirmatur. Chriſtus Dominus in quantum homo, iudicaturus eſt de omnibus actibus humanis etiam internis, non provt actu exiſtunt in æternitate: ſed provt ſunt in ſe ipſis: dicitur enim Ioannis 5. [& poteſtatem dedit ei iuditium facere, quia filius hominis eſt] ergo ſcientia, qua eiuſmodi actus cognoſcit, oportet, quod feratur in eoſdem actus, provt ſunt in ſe ipſis. hæc autem eſt ſcientia indita; nam per ſcientiam beatam non cognoſcit hæc in proprio genere; ſed provt repræſentantur in Verbo: ergo per ſcientiam inditam cognoſcit omnes cogitationes cordium.

Ioan. 5.

8 Tertio probatur. Scientia indita ponitur in Anima Chriſti, propter eius perfectionem, vt nimirum per eam reducatur in actum omnis potẽtialitas illius, tam naturalis, quã obedientialis, vt q. 11. art. 1. docet S. Thomas; ſed in Anima Chriſti eſt potentia obedientialis ad cognoſcẽdum per ſcientiam inditam cogitationes cordium: nam habere eiuſmodi cognitionem, non repugnat ex parte Dei, cum ſit omnipotens; nec ex parte Animæ Chriſti; quia illæ cogitationes continentur ſub adæquato obiecto, ad quod poteſt ſe extendere intellectus creatus, per ſpecies inditas: ergo &c. Confirmatur. Vt ait S. Thomas in 2. concluſione, per ſcientiam inditam altiori modo cognouit Anima Chriſti omnia illa, quæ p diuinã reuelationem hominibus innoteſcũt; ſed multis ſanctis per diuinam reuelationem innotuerunt occultæ cogitationes cordium, vt S. Thomæ S. Benedicto, & alijs quàm plurimis: Vnde & Apoſtolus ait, [Nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.] Quaſi diceret. Ea, quæ ſpeciebus à rebus acceptis cognoſcere non valemus, qualia ſunt dona gratiæ, & gloriæ, nobis Deus reuelauit per ſpiritum ſuum; Qui autem reuelat maiora, poteſt vtique & minora hominibus reuelare, quę ſenſibus non ſubijciuntur, vt cogitationes liberas, & affectiones cordium. ergo.

1. Cor. 2.

9 AD primum argumentum reſpondetur cum Caiet. quod S. Thom. apertè in hoc articulo mutauit ſententiam, quam docuit illis in locis.

Ad ſecundum reſpondetur, ſcientiam inditam nõ ſolum poni in intellectu animæ Chriſti, vt perficiatur in ordine ad ea, quæ naturaliter poſſunt cognoſci ab intellectu creato; ſed etiam, vt perficiatur in ordine ad omnia, quæ per diuinam reuelationem viatoribus innoteſcunt, ea in proprio genere cognoſcendo: & vt omnis eius potentialitas, tam naturalis, quam obediẽtialis reducatur ad actum, vt ex præmiſſis patet.

Ad tertium negatur conſequentia, & ratio diſcriminis eſt; nam per ſcientiam inditam Angelis ſolum 10

lum

lum reducitur ad actum potentia naturalis Angelorum in ordine ad ea, quæ viribus naturæ poſſunt cognoſci: at per ſcientiam inditam Animæ Chriſti, reducitur ad actum & potentia naturalis, & obedientialis intellectus eiuſdem animæ: quia talis ſcientia eſt ſuperioris ordinis ad ſcientiam Angelorum, quantum ad claritatem, & numerum ſcitorũ, vt art. 4. huius quæſt. dicit S. Thomas. Et cum arguitur, Proprium eſt Dei cognoſcere cogitationes cordium. Reſpõdetur id ita eſſe proprium Dei, vt non poſſit alijs viribus naturę competere: ex hoc tamen non ſequitur, quod talis cognitio nõ poſſit per donum gratiæ, ſeu diuinam reuelationem alijs communicari; ſicut etiam cõmunicatur Viſio Dei per eſſentiã: Ea enim quæ in ſuo conceptu formali non includunt infinitatem poſſunt naturali, aut ſupernaturali dono creaturis communicari, ſicut eſſe, viuere, intelligere, videre Deũ, clare, cognoſcere cogitationes cordium, annunciare futura, & ſimilia: Et per hęc patet ad confirmationẽ, & ſimiliter dicendum ad 4. argumentum, de quo latius in diſp. ſequenti agendum eſt.

DISPVTATIO LIX.

Vtrum anima Chriſti per ſcientiã inditam, certo cognoſcat futura omnia contingentia, præſertim libera.

1 De ſcientia Dei reſpectu futurorum contingentium, eorum præſertim q̃ á creata voluntate dependent, egimus per plures diſputationes in lib. de Auxilijs vbi multa dicta ſunt, ex quibus reſolutio huius difficultatis dependent: circa quam eſt prima ſententia, ꝙ anima Chriſti non cognoſcit per ſcientiam inditam futura contingentia, præſertim libera: ſed ſolum per ſcientiam beatam, & probari poteſt hæc ſententia. Diſp. 9. & ſeqq.

Primo. Anima Chriſti non cognoſcit per ſcientiam inditam futura contingentia, præſertim libera in ſuis cauſis, nam cauſæ contingentes, & liberæ ſe habent indifferenter ad vtrumlibet: in cauſa autem indifferenti, & indeterminata non poteſt per certitudinem determinatus effectus cognoſci, vt 1. p. q. 14. art. 13. docet S. Thomas. Nec etiam cognoſcit eadem futura in ſe ipſis, quia in ſe nullum habent eſſe determinatum. Ergo nollo modo ea cognoſcit per ſcientiam inditam. Probatur conſequentia ex S. Thoma 1. p. q. 57. art. 3. vbi docet, Angelos per ſcientiam inditam, non cognoſcere futura contingentia, quia nec in ſuis cauſis, neque in ſe ipſis ea certo cognoſcunt.

Secundo. Vt 1. p. q. 14. art. 13. allegato docet S. Thom. Deus ex eo certo cognoſcit futura omnia contingentia, quia ſecundum ſuas reales exiſtẽtias ſunt actu præſentia in menſura æternitatis, qua menſuratur ſcientia Dei: ſed hæc futura non exiſtunt actu in ordine ad menſuram, qua menſuratur ſcientia indita animæ Chriſti; etenim hæc ſcientia non menſuratur æternitate, ſed tempore, in ordine ad quod futura contingentia nullam habent determinationem ad eſſe, vel non eſſe: ergo, &c. 2

Tertio, Species intelligibiles in-

fuſæ animæ Chriſti, quæ deſeruiunt ſcientiæ inditæ, non repræſentant contingentia, vt determinatè futura, quia talis repræſentatio eſt propria eſſentiæ diuinæ in ratione ſpeciei intelligibilis; eo quod propter ſuam infinitatem, eſt perfectiſſima ſimilitudo omnium, quæ actu, vel potentia habent eſſe. Ergo anima Chriſti, non cognoſcit per ſcientiam inditam futura contingentia.

Confirmatur. Species intelligibiles inditæ Angelis ſunt ex parte ſubiecti perfectiores, quàm ſpecies infuſæ animæ Chriſti: ſed ſpecies inditæ Angelis non repræſentant actu contingentia, niſi quando actu exiſtunt, vt 1.p.q.57. art. 3. docent communiter Thomiſtæ: ergo nec ſpecies inditæ Animæ Chriſti.

Quarto. Cognitio ſufficienter diuiditur in cognitionem intuitiuã, & abſtractiuam; ſed anima Chriſti per ſcientiam infuſam non cognouit intuitiuè futura contingentia, nam, vt docet Aug. lib. 11. confeſſionum c. 17. & 18. de ratione notitiæ intuitiuę eſt, quod terminetur ad rẽ præſentẽ, vt actu eſt præſens; futura autẽ contingentia nõ exiſtunt actu: neque etiã cognoſcit ea cognitione abſtractiua; quia hæc cognitio eſt tantũ de poſſibilibus, quæ nunquã erunt, cum abſtrahant ab omni exiſtentia, ideo namque dicitur abſtractiua: ergo, &c.

Secunda ſententia eſt præcedẽti oppoſita: ad cuius explicationẽ ſit

PRima concluſio. Anima Chriſti certo, & infallibiliter cognoſcit in proprio genere futura omnia contingentia, etiam libera. Hæc concluſio eſt expreſſa S. Thomæ, & cõmunis Thomiſtarũ præſertim Capreoli vbi ſupra, Caietani, & Magiſtri Medina in hoc articulo.

Probari poteſt imprimis omnibus argumẽtis, quibus diſputatione præcedenti oſtenſum eſt, animã Chriſti per ſcientiam inditã certo cognoſcere omnes cogitationes, & liberas affectiones cordium actu exiſtentes. Eadem quippe ratio eſt quantum ad hoc de præſentibus, & futuris cogitationibus, cum ſolum per reuelationem diuinam poſſint nobis innoteſcere.

Præterea probatur. Chriſtus in quantum homo prædixit multa futura contingentia, etiam libera, ſicut in nocte paſſionis dixit Petro. [Antequam gallus cantẽt ter me negabis,] & Lucæ 19. [Videns ciuitatem fleuit ſuper illam dicens, quia ſi cognouiſſes es tu, & quidẽ in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis; quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tẽpus viſitationis tuę:] ergo cognouit ꝑ ſcientiã inditã ea eſſe futura: aliàs expoſuiſſet ſe periculo dicendi falſum, quod ei repugnat, cũ Chriſtus ſit Veritas prima. **Matth. 26.**

Si dicatur, Chriſtũ hæc cognouiſſe per ſcientiã beatã, tam diuinam quã humanam: contra hoc eſt, quia expediens fuit, quòd etiam hæc cognoſceret per ſcientiam inditam, nam id erat poſſibile, & pertinebat ad perfectionem ſcientiæ inditæ, quam oportet ponere in Chriſto ſecundum omnem perfectionem poſſibilem, vt ſupra dictũ eſt: eo quod per eandem ſcientiam reducitur ad actum omnis potentialitas animæ Chriſti tã naturalis, quã obediẽtialis,

Digitized by Google

lis, vt ſup. q. 5. ar. 3. docet S. Thom.

Præterea probatur. Vt patebit in ſolutionibus argumentorũ, dabilis eſt ſpecies infuſa, quæ repræſentet clare, & diſtinctè futurum contingens etiam liberũ cũ omnibus ſuis accidentibus, quia id non implicat ex parte Dei, cum ſit omnipotens, neque ex parte facti: Tum quia non requiritur perfectio infinita in ſpecie, vt repræſentet futura contingentia, ſed ſufficit virtus finita exẽplata ab eſſentia diuina in quãtum habet rationem ſpeciei intelligibilis, quam ſubinde poteſt Deus efficere: Tum etiã quia de facto communicatũ eſt prophetis, vt per ſpecies intelligibiles creatas diſtinctè cognoſcerent, in particulari contingentia quam plurima, quæ prædixerunt eſſe futura. Ergo de facto fuit talis ſpecies infuſa animę Chriſti. ergo per eã certo cognouit futura contingentia etiam libera.

6 Secunda concluſio. Hæc cognitio futurorũ pertinet propriè ad ſcientiã infuſam animæ Chriſti, ita nimirum, vt per talem ſciẽtiam ea certo cognoſcat. Hæc concluſio eſt contra aliquos Theologos, qui licet admittant, animã Chriſti hæc cognoſcere extra Verbum, dicunt tamen, huiuſmodi cognitionem nõ eſſe actum elicitum ſcientiæ inditæ, ſed pertinere ad aliud genus cognitionis ſupernaturalis, nimirum ad prophetiam. Noſtra autem concluſio videtur expreſſa ſancti Thomæ in ſecunda concluſione huius articuli, vbi ait, animam Chriſti per ſcientiam inditã, cognoſcere [omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innoteſcunt, ſiue pertineant ad donum ſapientiæ, ſiue ad donum prophetiæ, ſiue ad quodcũq; donũ Spiritus sãcti,] ſentit ergo ea omnia, quæ lumine prophetico ab alijs cognoſcuntur, cognoſci ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam. Et 22. q. 173. art. 2. c. explicans qualiter Deus aliquando mentibus prophetarum imprimat ſpecies intellectuales, cõſtituit exẽplum in ſcientia infuſa, [ſicut patet (inquit,) de his qui accipiunt ſcientiam, vel ſapientiam infuſam, ſicut Salomon, & Apoſtoli.] ex quibus verbis colligitur, eſſe neceſſarium ad omnem ſcientiam infuſã, quod imprimantur menti ſpecies intellectuales, quibus obiecta materialia cognoſcat pertinentia ad eandem ſcientiã: ac per conſequẽs animæ Chriſti impreſſas fuiſſe à Deo ſpecies intellectuales repræſentantes futura contingentia, quibus certo eadem contingentia cognoſceret in proprio genere.

Præterea probatur. Cognitio futurorũ contingentiũ, quã habet anima Chriſti, eſt ſupernaturalis; ergo pertinet ad aliquod genus, vel ſpeciẽ ſupernaturalis cognitionis. ſed nõ pertinet ad fidẽ, nam, vt dicit S. Thom. ſupra, qu. 7. art. 3. in anima Chriſti non fuit fides, quia erat incompoſſibilis cũ viſione beatifica, quã habuit ab inſtanti ſuæ creationis Nec pertinet ad donũ ſapiẽtiæ, vel intellectus; quia dona cõſtituuntur, vt perficiant hominem ad hoc, quòd prompte ſequatur inſtinctum ſpiritus ſancti, vt 1. 2. q. 68. art. 2. 3. & 4. docet S. Tho. Cognitio aũt futurorũ contingentium non ponitur ꝓpter hoc in anima Chriſti, ſed ꝓpter alias rõnes diſp. præcedenti aſſignatas. Nec etiam pertinet propriè ad prophetiã, vt volunt auctores ſententiæ contrariæ, quoniam anima Chriſti eodem modo cognoſcit nunc futura contingentia 7

in corpore immortali:quo ea cognoſcebat,dũ erat in corpore paſſibili:atqui cognitio, quam nunc habet extra Verbum futurorum contingentium, non pertinet ad prophetiam, quia in beatis, qui ſunt omnino extra viam, non eſt prophetia, vt ſupra. q. 7. artic. 8. in corpore dicit S. Thomas,ergo pertinet ad ſcientiam inditam.

Secundo probatur. Scientia indita Animæ Chriſti eſt ſuperior, & vniuerſalior ad quamcumque aliam ſcientiam, vel cognitionem creatam, etiam ſupernaturalis ordinis, quæ habetur extra Verbum, vt ex ſecunda concluſione S.Thomæ colligitur:ergo ſub altiori ratione extendit ſe ad omnia obiecta materialia, quæ ad alias cognitiones pertinẽt. Sed extra Verbum multis communicatur ſupernaturaliter certa cognitio futurorum contingentiũ:ergo hæc cognoſcuntur propriè ab Anima Chriſti per ſcientiam inditam.

Obiectio Sed contra hãc concluſionẽ obijcitur. Ad cognitionem propheticam tres tantũ cõditiones requiruntur, vt conſtat ex ſancto Thoma ſupra q. 7. art. 8. Prima eſt,quòd diuinæ reuelationi innitatur. Secũda,quod verſetur circa illa, quæ procul ſunt à ſenſibus hominum ſecundum ſenſum, vel ſecundum locum, aut ſecundum tempus: Propheta enim dicitur, quaſi procul fans, vel procul videns, in quantum ſcilicet cognoſcit, & loquitur ea, quæ procul ſunt à ſenſibus, vt Auguſtinus dicit lib 16. contra Fauſtũ cap.18. Tertia, quòd Propheta ſecundum aliquam rationẽ ſit viator, conueniens cum illis,cum quibus conuerſatur. Sed hæc tria conueniunt propriè cognitioni qua Anima Chriſti cognouit futura cõtingẽtia, dum erat in corpore paſſibli: ergo propriè talis cognitio erat prophetica. Reſpondetur,nullum eſſe inconueniens,quod idem obiectum materiale ſub diuerſis rationibus pertineat ad cognitionẽ propheticã, & ad ſcientiam inditã animæ Chriſti: quia prophetia,& ſcientia nullam habent inter ſe repugnãtiam, vel incompoſſibilitatem, quæ eſt inter ſcientiam, & fidem, circa idem obiectum; eo quod prophetia in ſua ratione formali nullam includit obſcuritatem, ſicut includit fides. Vnde cognitio infallibilis futurorum cõtingentium, ſecundum quod manifeſtatur alijs viatoribus, à quorum ſenſibus procul ſunt, pertinet ad lumẽ propheticum. Cæterũ quatenus ordinatur ad perfectionem intellectus Animæ Chriſti, qui fuit doctor, & Iudex vniuerſalis totius generis humani, pertinet ad ſcientiam inditam, vel infuſam. Secũdo reſpondetur, ꝙ cognitio futurorum contingentium, quæ pertinet ad prophetiam, innititur immediatè reuelationi diuinæ, ſeu lumini prophetico abſq; diſcurſu; At vero Anima Chriſti poterat vti ſcientia indita in ordine ad futura cõtingentia, & ad alia obiecta, mediãte collatione, & diſcurſu, vt q.11.art. 4.in corp. docet S. Thomas: quia hic modus cognoſcendi eſt connaturalis animæ humanæ. Habet hæc ſolutio fundamentum in S. Thoma 22. q. 171. art. 3. ad 2. & quæſt. 172. art. 1. in fine corporis.

AD primũ arg. ex factis à principio reſpõdẽt quidã, futura cõtingẽtia ante decretũ diuinæ voluntatis habere determinatũ eſſe,& determinatã veritatẽ obiectiuam

ratione

Digitized by Google

ratione cuius poſſint per certitudinem cognoſci. Sed hæc ſolutio latiſſimè impugnata eſt à nobis diſput. 13. de Auxiliis. Dicendum eſt ergo, animam Chriſti per ſciẽtiam inditam certo cognoſcere futura contingentia, etiam libera, tum in ſuis cauſis determinatis; tum etiã in ſe ipſis. Et ad impugnationem reſpondetur, quod cauſæ liberæ, & contingentes ſunt quidem ſecundũ ſe indifferentes ad operandum, & non operandum: & ſub hac ratione non poteſt in illis, futurus effectus per certitudinem cognoſci, vt ſæpè dicit S. Thomas, quia ſecundum ſe non habent determinationem ad eſſe, vel non eſſe futurum: ac per conſequens, nec determinatam veritatem, aut falſitatem, etiam obiectiuam. Nihilominus ex decreto abſoluto Diuinæ voluntatis, quo prædefiniuit omnes actus futuros in particulari ſecundum omnes circumſtantias, ſecluſo peccato, habẽt determinationem, vt in lib. de Auxilijs diſp. 7. & 22. oſtenſum eſt. Et ex hoc decreto ortum habet, vt cauſæ ſecundæ contingentes, & liberæ præmoueantur efficaciter à Deo tempore ſtatuto, vt infallibiliter effectus prædefinitos operetur vnaquæque iuxta propriam naturam, vt ex his, quæ dixi diſput. 23. & 91. de Auxilijs conſtat: In cauſis ergo contingentibus, & liberis prædicto modo detetermінatis ad alteram partem habent effectus futuri determinatum eſſe, & determinatam veritatem, quæ per ſpecies infuſas repræſentari poſſit animæ Chriſti, & conſequenter cognoſci in ſuis cauſis per ſcientiam inditã.

1. p. q. 14 ar. 13.

Ad aliam impugnationem reſpondetur. Licet futura contingentia non habeant in ſe ipſis eſſe determinatum, habebunt tamen illud infallibiliter in tẽpore à Deo prædefinito, quæ infallibilitas tanquam in prima radice fundatur in decreto abſoluto voluntatis Diuinæ, quo ſtatuit, vt tali tempore, tales actus contingentes fierent contingenter, & liberè à cauſis ſecundis contingentibus & liberis, vt dictum eſt. Qualiter autem cum hac infallibilitate prouenien te ex decreto abſoluto voluntatis diuinę ſtet ſimul libertas arbitrij, & contingentia rerum iam ex profeſſo à nobis in lib. de Auxil. per plures diſputationes explicatum eſt: vbi omnibus argumentis, quæ in contrarium adducuntur, pro viribus ſatisfecimus. Ad illud vero quod obijcitur de ſcientia Angelis indita reſpondetur, ſolum concludere, non poſſe viribus naturæ futura contingẽtia certo cognoſci antequam fiant: quia, ſecluſa diuina reuelatione, determinatio diuinæ voluntatis, à qua omnia futura contingentia dependẽt, non poteſt certo cognoſci; nec futurum contingens per ſpecies connaturales intellectui creato repræſentari. Scientia autem indita animæ Chriſti eſt ſuperioris ordinis, & ſimiliter ſpecies intelligibiles, quibus vtitur ad cognoſcendum futura, ſunt ſupernaturales deriuatæ, & exemplatæ ab eſſentia diuina, in quantum habet rationem ſpeciei intelligibilis, vt in hoc articulo docet Caiet. Vnde ratio illa S. Thomæ non habet locũ in ſcientia indita animæ Chriſti, quæ extendit ſe ad ea omnia, quæ per diuinam reuelationem viatoribus innoteſcunt.

Diſp. 18. n. 23. diſ. 22. n. 35. & ſequ. diſp. 115. n. 7. & ſequ. diſp. 121. n. 6.

§. ad euidentiam, & ſolutione ad primam obiect.

Ad ſecũdum reſpondetur, Deum non ſolum cognoſcere futura contingentia, prout vnumquodque 12

eorum actu exiſtit in æternitate; ſed etiam in decreto, & prædeterminatione ſuæ diuinæ voluntatis, vt ſupra diſp. 55. num. 34. oſtenſum eſt. Quia ergo anima Chriſti per ſcientiam inditam, cognoſcit diuinæ voluntatis decretum abſolutum circa eiuſmodi futura contingentia: ideo in eodem decreto tanquam in cauſa, futura contingentia certitudine infallibili cognoſcere poteſt. Secundo reſpondetur: quod quamuis cognitio ſciētiæ inditæ animæ Chriſti non menſuretur æternitate; eſſentia tamen diuina in ratione ſpeciei intelligibilis, cuius virtutem participant ſpecies intelligibiles inditæ animæ Chriſti (vtpotè ab eadem eſſentia exemplatæ) menſuratur æternitate: ideo per eas futura contingentia in ſe ipſis certo cognoſcere poteſt, vt diſputatione ſequenti dicetur latius.

13 Ad tertium negatur antecedens; ad probationem dicēdum. Repræſentare futura omnia contingētia, eſt quidem proprium eſſentiæ diuinæ in ratione ſpeciei intelligibilis; ſed non ita propriū, vt ſupernaturaliter cōmunicari non poſſit, ſpeciebus creatis; ſicut videre clare vnitatem eſſentiæ, & Trinitatē perſonarum, eſt propriū Dei, quia id habet à ſeipſo, & tamen per participationem communicatur ſupernaturaliter creaturis intellectualibus.

Ad confirmationem dicendū, ꝙ licet ſcientia indita animæ Xpi, ſit infra ſcientiam inditā Angelis, ex parte ſubiecti, nimirū quantum ad modum cognoſcendi per collationem, & diſcurſum, qui non cōpetit Angelis: tamē quo ad multitudinē ſcitorum, & quantū ad ſcientiæ certitudinem eſt multo excellentior, & ſuperior, quàm ſcientia Angelis indita, vt in eodē art. 4. dicit S. Tho.

Ad quartum reſpondetur, quod petit difficultatem; vtrum cognitio ſcientiæ inditæ ſit intuitiua futurorū contingentiū, an ſolū abſtractiua, de qua agendum eſt diſputatione ſequenti.

QVAESTIO LX.

Vtrum cognitio, quam per ſcientiā inditam Anima Chriſti habet de futuris contingentibus, ſit intuitiua, vel abſtractiua.

SCOTVS in 3. diſt. 14. q. 3. §. Ad quæſtionem tenet eiuſmodi cognitionē eſſe abſtractiuam; diſtinguit enim duplicem cognitionē intuitiuā: Alteram vocat perfectā, qualis eſt de obiecto præſentialiter exiſtente; alterā imperfectā, qualis eſt opinio de futuro, vel memoria de præterito. Dicit ergo Primo. Anima Chriſti non habuit perfectam cognitionem intuitiuam de futuris contingentibus. 1

Dicit ſecundo. Anima Chriſti per ſcientiam inditā non habuit notitiā intuitiuā imperfectā, niſi reſpectu prçteritorū, quorum aliquādo habuit intuitiuā perfectam: ſentit ergo, quod reſpectu futurorum contingentium nullam habuit notitiā intuitiuam etiam imperfectam, ſed ſolum abſtractiuam. Idem ſentit Gabriel eadem diſtinct. quæſt. vnica art. 2. concluſ. 3.

Probatur primo, argumento Scoti. Obiectum non eſt cognoſcibile notitia intuitiua perfecta, niſi vt eſt præſens in ſe, vel in aliquo, in quo habeat eſſe perfectius, quàm in ſe: ſed futura contingentia nō fuerunt

runt præſentia in ſe , neque in aliquo alio comparatione ſcientiæ inditæ animæ Chriſti : ergo reſpectu illius non poſſunt eſſe obiectum cognitionis intuitiuè perfectæ. Quod vero non ſint obiectum cognitionis intuitiuæ, etiam imperfectæ, probat: nam ad eiuſmodi cognitionem neceſſario requiritur, quod obiectum fuerit aliquando præſens cognoſcenti. Hoc autem non poteſt competere, futuris contingentibus, ſed ſolum præteritis: ergo.

Secundo arguitur . Cognitio, quam Deus habet futurorū contingentium antequam exiſtāt in propria menſura, non eſt intuitiua, ſeu viſionis: eo quod in propria menſura non habēt actualem exiſtētiam, ad quam poſſit cognitio terminari ; ergo idem à fortiori ſentiendum eſt de cognitione ſcientiæ inditæ animæ Chriſti.

Cōfirmatur auctorit. S.Tho. qui 1.p.qu. 14. art.9. in c. ex eo probat Deum non habere ſcientiam viſionis, ſed ſolum abſtractiuam non entium; quoniam hæc nullum habent eſſe exiſtentiæ. ergo &c.

3 Secunda ſententia eſt aliorū, qui exiſtimant quæſtionē potius eſſe de nomine, quā de re, & dicunt, cognitionē illam non eſſe propriè intuitiuam, ſeu viſionis. pro qua ſententia eſt

Tertium argum. deſumptum ex auctorit. Aug.lib. 11. confeſſionum c.17. vbi cū docuiſſet, nec præteritū, nec futurū eſſe, ſed illud fuiſſe, & iā non eſſe, & hoc fore, & nondū eſſe, obijcit contra hoc. [Vbi ea viderunt, qui futura cecinerunt, ſi nondum ſunt ? neq; enim poteſt videri id, quod nō eſt. Et qui narrāt præterita, nō vtiq; vera narrarent, ſi animo illa non cernerent? quæ ſi nulla eſſent, cerni omnino non poſſent.] Quibus verbis apertè ſupponit, viſionem, quæ eſt notitia intuitiua, nō poſſe terminari, niſi ad obiectum, quod eſt præſens ſecundum exiſtētiam. Vnde in cap. 18. ſequenti, vt huic ſatisfaciat obiectioni, iterum ſupponit, nec præterita, nec futura eſſe, ſed ſolum præſentia: & explicans, qualiter hæc cognoſcantur, ſubdit. [Quoquomodo ſe itaque habeat arcana præſentia futurorū videri niſi quod eſt, nō poteſt. Quod autē iā eſt, non futurum, ſed præſēs eſt. Cum ergo videri dicuntur futura, non ipſa, quæ nondum ſunt idest, quæ futura ſunt, ſed eorū cauſæ, vel ſigna forſitan videntur, quæ iā ſunt. ideo non futura, ſed præſentia ſunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta. Quæ rurſus cōceptiones iam ſunt, & eas præſentes apud ſe intuentur, qui illa prædicunt.] Et conſtituens exemplū in naturalibus ſubdit. [intueor aurorā, oriturum ſolem pronūcio, quod intueor præſēs eſt, quod pronuncio futurum. Nō ſol futurus, qui iā eſt, ſed ortus eius, qui nondū eſt, tamen etiā ortū ipſum, niſi animo imaginarer, ſicut modo cum id loquor, non cū poſſem prædicere. ſed nec illa aurora, quā in cælo video ſolis ortus eſt, quāuis eum præcedat, nec illa imaginatio in animo meo, qua duo præſentia cernuntur, vt futurus ille ante dicatur. futura ergo nondum ſunt, & ſi nondū ſunt, non ſunt: & ſi nō ſunt videri omnino nō poſſunt, ſed prædici poſſunt ex præſentibus, quæ iam ſunt, & videtur,] Cum ergo cognitio ſcientiæ inditæ animæ Chriſti non terminetur ad futura contingentia, prout actu exiſtunt in ſe ipſis, relinquitur, non eſſe propriè intuitiuam.

Digitized by Google

Quarto arguitur. Nomẽ viſionis, aut intuitus trãslatũ eſt ex viſione corporea ad ſignificãdũ cognitionem intellectualem, ſecundũ ꝙ ea, quæ vidẽtur apud nos, habẽt eſſe diſtinctum extra videntẽ, vt 1.p.q.14 art. 9. in corp. dicit. S. Thom., & q. 2. de verit. art. 9. ad 2. vbi ait [Dicitur ſciẽtia viſionis in Deo ad ſimilitudinem viſus corporalis, qui res extra ſe poſitas intuetur.] ergo ad ſcientiam intuitiuam neceſſario requiritur, quod obiectum cognitum habeat eſſe exiſtentiæ extra videntem; ſed futura contingentia non habent eſſe exiſtentiæ extra ſcientiam inditam Animæ Chriſti; ergo non cognoſcuntur intuitiue per illam.

Quinto. Potentia viſiua, etiam de potentia abſoluta eleuari non poteſt, vt videat rem futuram; quia res futura eſt incapax terminandi viſionem, eo quod non exiſtit. Ergo eadem ratione erit incapax terminandi viſionem intellectiuam, ſeu cognitionem intuitiuam ſcientiæ inditæ Animæ Chriſti.

5 Oppoſitam ſententiam docet Caietanus in hoc articulo §. & breuiter] vbi docet, Animã Chriſti per ſciẽtiam inditam intuitiue, & perfecte videre præterita omnia, præſentia, & futura; quam ſentẽtiam, quantum ad futura ſequitur Suarez diſp. 27. ſect. 2. §. hæc difficultas, & hæc ſentẽtia eſt multo probabilior et cedit maxime in excellẽtiam ſcientiæ inditæ Animæ Chriſti, cui omnis perfectio poſſibilis eſt attribuenda. Probatur. Videre intuitiue futura contingentia, non inuoluit in ſuo conceptu formali infinitã perfectionem, ratione cuius repugnet, id communicari Animæ Chriſti extra Verbum: ergo, cum Deus videat intuitiuè futura omnia cõtingentia, ſequitur, quod potuerit eiuſmodi viſionem communicare Animæ Chriſti: ergo de facto fuit illi communicata.

6 Secundo probatur. Licet actualis exiſtentia obiecti neceſſaria ſit ad cognitionem intuitiuam, quę habetur viribus naturæ, & ſecundum curſum communem: de potentia tamen abſoluta poteſt Deus ſupplere præſentiam illam, & producere in intellectu ſpeciem intelligibilem adeo perfectam, vt repræſentet ita clare, & diſtinctè rem futuram cum ſua exiſtentia, & omnibus accidentibus, ac ſi obiectum illud eſſet præſens cognoſcenti ſecundum realem exiſtentiam, & moueret per ſe ipſum potentiam ad formandam notitiam ſui: ergo abſque actuali preſẽtia obiecti poteſt cognoſci intuitiuè, dum tamen obiectum illud habuerit, vel ſit habiturum exiſtentiam, ad quam terminetur eiuſmodi cognitio.

Tertio probatur. Anima Chriſti per ſcientiam inditam cognouit perfectè, & diſtinctè ſingularia omnia, non ſolum ſecundum communia prædicata, in quibus conueniunt; ſed etiam ſecundum propria in quibus diſtinguuntur, nimirum ſecundum exiſtentiam, & alia accidentia, quæ habent pro quacunque differentia temporis: ergo intuitiuè cognouit illa.

7 Quarto. Multis prophetis donatum eſt habere notitiã intuitiuam aliquorum futurorum contingentium, propter quod in ſacris litteris videntes appellantur, ſicut 1. Regum 9. [vbi eſt domus vidẽtis:] & in commendationem prophetiæ *1.Reg.9* Dauid dicitur 2. Regum 23. [ſicut *2. Reg.* lux auroræ oriente ſole mane abſq; *23.* nubibus

nubibus rutilat.] Vnde Caietanus 2.2. quæſt. 173. art. 4. docet, [quod Prophetæ veri, quoad duo habent euidentiam, ſcilicet quoad ipſam reuelationem, quod eſt à Deo, & quo ad reuelata, quod ſunt futura ſic, vel ſic; & quod ſunt talis, vel talis conditionis reuelatæ, prout tamen reuelantur. Et ſubdit, quod Propheta, cui reuelatur aliquid futurum in cauſis, euidenter cognoſcit illud futurum in cauſis illius; quoniam cognitio eius, eſt ſimilitudo diuinæ ſcientiæ de illo futuro in illis cauſis.] ergo à fortiori animæ Chriſti, datum eſt, per ſcientiam inditam cognoſcere intuitiuè futura contingentia.

Caiet.

8 Quinto probatur. Anima Chriſti per ſcientiam inditam cognoſcit intuitiuè omnia præterita, præſertim cogitationes cordium, & liberas actiones, de quibus debet iudicare: ergo etiam per eandem ſcientiam cognoſcit intuitiuè omnia futura contingentia. Probatur cõſequentia; quia tam in præteritis, quàm in futuris nulla eſt actualis exiſtentia, ſed in illis fuit, & in iſtis erit, vt Auguſtinus dicit: ergo, ſi præterita terminant cognitionẽ intuitiuam ſcientiæ inditæ animæ Chriſti abſque actuali exiſtentia, id etiam poterunt futura.

9 Reſpondent quidã negando conſequentiam, & aſſignant duplicem rationem diſcriminis. Prima eſt, quia ſpecies infuſa animæ Chriſti manſit virtute prioris cognitionis intuitiuæ modificata, & proportionata, ad repræſentãdum obiectum, vt antea cognitum cum ſua exiſtentia, aut ſaltem ex eadem cognitione intuitiua relicta eſt in intellectu Animæ Chriſti ſpecies alia, quæ peculiariter repræſentet obiectum præteritum prius cognitum intuitiuè: ſicut quidam exiſtimant, in Angelis ex cognitione alicuius obiecti præſentis, relinqui ſpeciem, qua poſtea obiecto illo corrupto poſſint eius recordari. Hoc autem non habet locum in cognitione futuri contingentis, quia nunquam habuit eſſe exiſtentiæ. Secunda differentia eſt: nam præteritum non ſe habet indifferenter ad eſſe, & non eſſe: quia iam habuit eſſe determinatum. Contingens autem comparatione temporis futuri ſe habet indifferenter ad eſſe, & non eſſe, quia nullam adhuc determinationem habet. Ideò præteritum poteſt eſſe obiectum cognitionis intuitiuę, non autem futurum contingens, niſi habeat actualem exiſtentiam in menſura, qua menſuratur cognitio, ſicut eam habet, quando à beatis cognoſcitur in Verbo. Sed contra primam differentiam eſt argumentum; quia non poteſt explicari, nec intelligi, quid ſit illa modificatio, quam acquiſiuit ſpecies infuſa ex eo, quod ſemel fuit medium ad cognoſcẽdum intuitiuè obiectum præteritum, quando erat præſens. quoniam ex viſione tranſacta ſolum relinquitur in ſpecie intelligibili relatio quædam rationis, quæ quidem non poteſt eſſe apta, vt faciat eſſe intuitiuam cognitionem rei præteritæ. Præterea: quia dato, quod talis modificatio eſſet admittenda, Deus ſua potentia abſoluta poſſet ſupernaturaliter, abſque præcedente cognitione intuitiua ita modificare, & perficere ſpeciem infuſam animæ Chriſti, vt repræſentet eſſe futurum, quod habebit res contingens; quia in hoc nulla apparet implicatio contradictionis. Tertio, 10 quia

Solutio.

Molin. 1. p. q. 55. a. 2. diſp. 2. memb. 2.

Impugnatio.

quia ſi præſentia actualis obiecti eſt de intrinſeca ratione cognitionis intuitiuæ, non magis poterit ſuppleri comparatione contingentis præteriti, quam futuri: ergo differentia prima vim argumenti non euacuat. Nec videtur ſatisfacere id quod additur de noua illa ſpecie relicta in Anima Chriſti, ex viſione præterita quando obiectum erat præſens: quia illa ſpecies, vel eſt ſupernaturalis ordinis, & infuſa à Deo, vel eſt naturalis formata virtute intellectus animæ Chriſti. Primum non poteſt dici: tum quia eadem difficultas procedit de illa noua ſpecie, quæ eſt de alijs à principio infuſis animæ Chriſti: tum etiam, quia ſi hoc eſt verum, ſequeretur, quod intellectui animæ Chriſti, dum erat in corpore mortali, quotidie infunderet Deus de nouo ſpecies intelligibiles quamplurimas, vt per eas intuitiuè cognoſceret res præteritas, quod tamen non habet fundamentum in aliquo graui auctore, vel ratione apparenti. Si verò dicatur, illam ſpeciem eſſe ordinis naturalis, tunc inſurgit maior difficultas: quia quod denegatur ſpeciebus inditis, & per ſe infuſis, non debet concedi ſpeciebus acquiſitis, & naturalibus.
11 Præterea, quia S. Auguſtinus loco in argumento allegato, expreſſe docet, quod virtute naturali, ſeu per ſpeciem ordinis naturæ non poſſit res præterita, vel futura intuitiuè cognoſci. Contra ſecundam differentiam eſt etiam efficax argumentum. Sicut contingens futurum nullum habet eſſe actuale, ita & præteritum; & è conuerſo, ſicut res præterita habuit eſſe actuale determinatum in tempore præterito, ita & contingens futurum habebit infallibiliter eſſe determinatum in aliquo tempore futuro, quæ infallibilitas fundatur in decreto abſoluto diuinæ voluntatis, quo ſtatuit, vt futurum illud cõtingenter fiat tali tempore. Quod quidem decretum certo cognouit anima Chriſti per ſcientiam inditam, ſicut & multis ſanctis fuit notum per diuinam reuelationem: ergo, ſi res præterita cognoſcitur intuitiuè ab Anima Chriſti per ſcientiam inditam, ſimiliter poterit anima Chriſti intuitiuè cognoſcere per eandem ſcientiam futurum contingens.

AD primum argumentum reſpondetur, quod cognitio intuitiua, quæ habetur viribus naturæ, eſſe non poteſt abſque præſentia obiecti mouentis potentiam ad notitiam ſui, quia ſine tali præſentia, cognitio illius non poteſt eſſe ita certa, diſtincta, & clara; ſicut requiritur ad intuitiuam cognitionẽ, eo quod multoties contingit, obiectũ mutari quãtum ad alia accidentia, quæ non repræſentantur per ſpecies conſeruatas in memoria in abſentia eiuſdem obiecti. Cęterum, cognitio, quam habet anima Chriſti futurorum contingentium, eſt ſupernaturalis ordinis, & ſpecies inditæ, quibus vtitur ſunt deductæ, deriuatæ, & exemplatæ ab eſſentia diuina in quãtum habet rationem ſpeciei intelligibilis: quæ quidem eſſentia vna cum ſit, eſt omnium ſimilitudo perfectiſſima. Vnde abſque præſentia obiecti ſecũdum eſſe reale poteſt cognitio illa eſſe intuitiua, & ita certa, & diſtincta, ac ſi obiectum ipſum præſens eſſet. 12

Ad ſecundum quidã exiſtimant, ſcientiam Dei comparatione futurorum contingentium, non eſſe intui- 13 Molina ſ

tui-

tuitiuam, ſeu viſionis, niſi pro illo inſtanti, vel tempore, quo in propria menſura exiſtunt: negātq; futura prius actu exiſtere in æternitate, quàm exiſtant in propria menſura: ſed hāc ſententiam impugnaui lib. 2. de Auxilijs, Diſput. 6. nu. 7. & Diſp. 8. nu. 3. & ſequentibus. Dicendum eſt ergo, Deum ab æterno intuitiuè cognoſcere futura omnia contingentia, quia ab æterno habent proprias exiſtentias in æternitate, quas habituræ ſunt in propria menſura: hæc enim exiſtentia ſufficit, vt cognitio, qua Deus ea cognoſcit, ſit intuitiua, quia talis cognitio menſuratur æternitate. Quod verò attinet ad ſcientiam inditam Animæ Chriſti, reſpondetur; ſufficere, vt ſit intuitiua, quod actualis exiſtentia, & præſentia obiecti, quæ ſecundum ordinem naturæ requiritur ad notitiam intuitiuam, ſuppleatur aliunde: nimirum ex perfectione ſpeciei intelligibilis inditæ animæ Chriſti, quæ quidem ſpecies ita clarè, & diſtinctè repræſentat contingentia cum exiſtentia futura, & omnibus accidentibus, ac ſi actu exiſterent in menſura, qua menſuratur cognitio ſcientiæ inditæ, vt ſupra dictum eſt.

14 Ad confirmationem reſpōdetur, quòd non entia, de quibus ibi loquitur S. Thom. neque habent eſſe, nec habebunt illud, nec habuerunt in aliqua differentia temporis, & ideo non ſunt obiectum ſcientiæ viſionis. Vnde non eſt de illis eadem ratio, & de futuris contingentibus, quæ licet non habent actu eſſe in propria menſura, habebunt tamen infallibiliter tempore à Deo præordinato propriam exiſtentiam, ad quam terminatur ſcientia indita Animæ Chriſti media ſpecie intelligibili ſuperioris ordinis, vt dictum eſt.

Ad tertium argumentum ex auctoritate S. Auguſtini dicendum, quòd ibi loquitur de cognitione intuitiua, quæ habetur ex ſolis viribus naturæ: non autem de ea, quæ ſupernaturaliter poteſt communicari creaturis intellectualibus, & de facto communicata eſt Animæ Chriſti. Colligitur hæc explicatio ex ipſo contextu: nam mens Auguſtini fuit oſtendere verum eſſe, quod dixerat, futurū videri licet non eſſe aliquid præſens, non obſtante cognitione futurorum, & cōſtituit exemplum in cognitione futurorum, quæ habētur ex cauſis, & ſignis naturalibus; quoniam hæc ſunt nobis magis nota. Idipſum conſtat ex his, quæ dicit cap. 19. & 20. eiuſdem libri. 15

Ad quartum reſpondetur, ſolum cōcludere, eſſe neceſſarium ſimpliciter ad cognitionem intuitiuam, vt obiectum cognitum habeat extra videntem eſſe actualis exiſtentiæ pro aliqua differētia temporis, & quod per ſpeciem intelligibilē, ita clare, & diſtincte repræſentetur quo ad omnia eius accidentia in particulari, ac ſi obiectum ipſum eſſet præſens, & moueret per ſpeciem à ſe productam intellectum ad cognitionem ſui.

Ad quintum negatur conſequētia: nam potentia viſiua eſt corporalis, & habet pro obiecto rē corpoream ſingularem affectā aliquo colore, ſpecies etiam viſibilis eſt corporea, ac ſubinde attingere nō poteſt niſi rem corporalē ſingulariter exiſtentē: cæterum potentia intellectiua eſt ſpiritualis, & habet pro obiecto vniuerſalem rationem entis: vnde non eſt ſimile. Et ſi quis 16

petat

petat rationem, propter quam potentia viſiua eleuari poſſit ad videndum obiectum diſtans, ſecundum locum', & non ad obiectum diſtans ſecundum tempus. Reſpondetur eã eſſe, quia obiectum diſtans ſecundum locum exiſtit ſingulariter, & habet eſſe materiale, & diuina virtute ſpecies viſibiles, quas emittit poſſunt deferri per medium, quoad vſque realiter immutent potentiã viſiuam, quod quidem fieri non poteſt quando obiectum diſtat ſecundum tempus: quia tale obiectum non habet actualiter eſſe corporeum.

DISPVTATIO LXI.

Vtrum Anima Chriſti per ſcientiam inditam euidenter cognouerit obiecta omnia ſupernaturalia, & myſteria gratiæ.

1 PARS negatiua probatur. Myſteria gratiæ pendent ex libera, & gratuita Dei voluntate: ergo nõ poſſunt euidenter cognoſci, niſi euidenter cognoſcatur actus liber diuinæ volũtatis, à quo pendent. Hunc autem actũ non cognoſcit euidenter Anima Chriſti per ſcientiam inditam: ergo nec myſteria gratiæ, quæ ab eo pendent.

Confirmatur. Hac ratione ſanctus Thomas 1. par. q. 57. ar. 5. probat, Angelos per ſpecies inditas non cognoſcere myſteria gratiæ: [quia ex pura Dei voluntate depẽdent. Si enim vnus Angelus non poteſt cognoſcere cogitationes alterius ex voluntate eius dependentes, multo minus poteſt cognoſcere ea, quæ ex ſola Dei voluntate dependent:] ergo.

Secundo. Gratia habitualis eſt formalis participatio diuinæ naturæ. Dicitur enim 2. Petri 1. [Magna, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc diuinæ efficiamur conſortes naturæ:] ergo non poteſt euidenter cognoſci, niſi euidenter cognoſcatur eſſentia Diuina: implicat enim, quod participatio alicuius naturæ euidenter cognoſcatur, niſi etiam cognoſcatur euidenter natura, cuius eſt participatio. Atqui Anima Chriſti non cognouit euidenter per ſcientiam inditã, eſſentiam diuinam, ſed ſolum per ſcientiam beatam: ergo nec myſteria gratiæ. 2

Tertio. Per ſcientiam inditam non cognoſcit euidenter Anima Chriſti viſionem beatificam, qua Angeli, aut alij beati vident Deum; hæc autem viſio eſt ſupernaturalis: ergo. Maior probatur. Relatio nõ poteſt euidenter cognoſci, niſi euidenter cognoſcatur eius terminus: ſed viſio beatifica importat relationem ad Deum Trinum, & vnũ, qui attingitur quidditatiuè per viſionem beatificam: Cum ergo per ſcientiã infuſam non poſſit ab anima Chriſti euidẽter cognoſci Deus vt trinus, & vnus, relinquitur etiã non poſſe per eandem ſcientiam euidenter cognoſci viſionem beatificam ſanctorum. 3

Quarto. Coniunctio ſubſtantialis humanitatis ad Verbum cognoſci euidenter non poteſt, niſi euidenter cognoſcatur Verbum, quod eſt alterum extremum eiuſdem vnionis; coniunctio enim duorum extremorum non poteſt eſſe euidens, niſi euidenter cognoſcantur extre- 4

extrema; ſed Verbum diuinum nõ poteſt euidenter cognoſci, niſi euidenter cognoſcatur Pater, ſpiritus ſanctus, ac tota trinitas iuxta illud, [Qui videt me, videt & Patrem.] Trinitas autem perſonarum non poteſt euidenter cognoſci, niſi per ſcientiam beatam: ergo

Idem argumentum poteſt fieri de modo, quo humanitas Chriſti, & diuinitas eſt realiter in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, & vini; hic enim modus cognoſci euidenter non poteſt, niſi per ſcientiam beatam.

In contrarium eſt, quod ſcientia indita Animæ Chriſti perfectiori modo extendit ſe ad omnia, quæ alijs innoteſcunt etiam per diuinã reuelationem: ſed myſteria gratię, & omnia dona ſupernaturalia innoteſcunt alijs per diuinam reuelationem[ſicut ſcriptum eſt. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: ſpiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei:] ergo hæc omnia nobiliori modo cognoſcit Chriſtus per ſcientiam inditam.

1. Cor. 2.

Iſaia 64.

5 Circa iſtam difficultatem pauca breuiter attingere cœpimus Diſp. 119. de Auxilijs, vbi quæſtio illa diſcuſſa eſt: Vtrum aliqua creatura intellectualis poſſit de potentia Dei abſoluta extra Verbum, habere cognitionem euidentem myſteriorum, quæ per ſe pertinent ad fidem. Et ex ijs, quæ ibi diximus, facile poteſt colligi præſentis diſputationis reſolutio. Ad cuius euidentiam notandum, quod vt diſp. citata n. 1. dictum eſt, cognitio alicuius obiecti, poteſt tripliciter eſſe euidens: Vno modo à priori, ex proprijs principijs rei: Secũdo à poſteriori ex effectibus, ſicut ex creaturis cognoſcimus eſſe creatorem: Tertio in teſtificante, quod tunc contingit, quando ex veracitate dicentis euidenter cognita, deducitur, eſſe verum id, quod dicit, aut reuelat: & hæc ſolet appellari euidentia rei in atteſtante, ſiue in teſtificante.

Prima concluſio. Per ſcientiam inditam cognouit Anima Chriſti omnia entia ſupernaturalia; & omnia myſteria gratiæ exhibita in quacunque differentia temporis. Concluſio eſt communis Theologorum, & probatur ratione illa ſæpius repetita; quia per ſcientiam inditam reducta eſt in actum omnis potentialitas Animæ Chriſti, tam naturalis, quam obedientialis comparatione cuiuſcunque obiecti cognoſcibilis per naturam, aut per diuinam reuelationem: ſed omnia obiecta ſupernaturalia ſunt cognoſcibilia ab intellectu creato per reuelationem diuinam, vt patet ex auctoritate Apoſtoli ſupra inducta. ergo. 6

Secundo. Chriſtus, in quantum homo, eſt cauſa efficiens, vel finalis cuiuſcunque entitatis creatæ ſupernaturalis, & omnium myſteriorum gratiæ, cum ſit primus omnium prædeſtinatorum fons, & origo totius gratiæ, quæ hominibus redemptis confertur: Ergo ad ipſum pertinet, per ſcientiam inditam hæc omnia cognoſcere. Locutus ſum in concluſione de rebus ſupernaturalibus exiſtentibus in aliqua menſura temporis; quoniam, ſi ſermo fiat de poſſibilibus, licet admittendum ſit, aliqua myſteria gratiæ poſſibilia cognouiſſe Animam Chriſti 7

per

per ſcientiam inditam, id tamen non videtur aſſerendum de omnibus: quia non poſtulat dignitas animæ Chriſti, vt hæc omnia poſſibilia per ſciẽtiam inditam cognoſcat, ſed conformiter ad ſtatum ſuum, in quantum erat auctor gratiæ, & myſteriorum ſupernaturalium, ac doctor omnium hominũ. Immo videtur impoſſibile, quod omnia poſſibilia ordinis ſupernaturalis cognoſcat, aliàs comprehẽderet omnipotentiam, quam habet Deus, in quantum eſt auctor gratiæ.

8 Secunda concluſio. Anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouit euidenter in atteſtante omnia entia ſupernaturalia, & myſteria gratiæ actu exhibita, vel exhibenda. Probatur ratione facta Diſput. 19. allegata. Anima Chriſti per ſcientiam inditam euidenter cognouit myſterium Trinitatis, & alios articulos noſtræ Fidei, euidentia in atteſtante, vt grauiſſimi Theologi, quibus aſſentior, fatentur; & ratio eſt: nam Anima Chriſti per ſcientiam inditam certiſſimè cognoſcebat, ſe in eſſe ſupernaturali gratiæ, ſupremam eſſe inter omnes creaturas, & conſequenter certo ſciebat Deum eſſe, qui immediatè reuelabat illi hæc myſteria. Cum ergo ipſe euidenter cognouerit, Deum mentiri non poſſe; relinquitur, quod per ſcientiam inditam habuerit euidentiam in atteſtante myſteriorum Fidei.

Tertia concluſio. Per ſcientiam inditam non cognouit Anima Chriſti dona ſupernaturalia, & myſteria gratiæ euidenter, vt ſunt in ſeipſis. Concluſio eſt contra Mag. Suarez 3.par. Diſput.27.ſectione 3.§. [Dicendum eſt ergo.] vbi ait, animam Chriſti per ſcientiam inditam cognouiſſe obiecta ſupernaturalia quidditatiuè, & intuitiuè per proprias eorum ſpecies: quam ſententiam defendunt aliqui recentiores. Noſtram autem concluſionem docent quamplurimi Thomiſtæ, præſertim Magiſter Bañes 2. 2. quæſt. 5.art.1.ad tertium argumentum, vbi ad propoſitam quæſtionem reſpondet, quod bene poteſt dari ſpecies intelligibilis creata, quæ repræſentet, & ſit principium cognoſcendi habitum Fidei: tamen huiuſmodi cognitio nunquam erit euidens, niſi ex adiuncto lumine gloriæ. Et infra expreſſe docet, quod anima Chriſti per ſcientiam inditam non cognouit euidenter myſterium Trinitatis, ſed ſolum per ſcientiam beatam. Idem dicit 1. par.quæſt.57.art.2.dub.3. quæ ſententia eſt expreſſa S. Thomæ, & à nobis defendenda. & probatur. Primo, quia S. Thomas in fine corporis huius articuli, agens de ijs, quę anima Chriſti cognouit per ſcientiam inditam ait: [Ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam non cognouit, ſed ſolum per primam.] hoc eſt, per ſcientiam beatam, & idem docet art. 5. ad 1. & loquitur de cognitione euidenti eſſentiæ diuinæ in ſeipſa. Reſpondent quidam, S. Thomam eſſe intelligendum de cognitione euidentiſſima diuinæ eſſentiæ, vt ſubſiſtit in tribus perſonis, quantũ ad quod quid eſt: & ſecundum iſtum modum, ait, ſolum poſſe cognoſci per viſionem beatam: non tamen intendit negare, Animam Chriſti per ſcientiam inditam cognoſcere euidenter myſterium Trinitatis abſtractiuæ, & quoad an eſt. Hæc tamen explicatio (præterquam quod

9 **Solutio.**

Impugnatio.

non

non habet fundamentum in Sancto Thoma)in ſeipſa videtur repugnãtiam inuoluere. Nam,ſi illa cognitio myſterij Trinitatis eſt euidens quoad an eſt: ergo terminatur ad exiſtentiam Trinitatis in ſeipſa;ergo eſt cognitio intuitiua, & non abſtractiua. Præterea,quia,vt Diſput. 109.de Auxilijs oſtendi, Trinitas perſonarum non poteſt euidẽter in ſe ipſa cognoſci quoad an eſt; niſi etiam euidenter cognoſcatur in ſeipſa, quantum ad quod, quid eſt. Hæc autem cognitio non poteſt haberi niſi per viſionem beatificam: ergo. Vtrum autem per ſcientiam inditam euidenter in atteſtante cognouerit Chriſtus myſterium Trinitatis, Diſput.ſequenti diſcutiendum erit.

10 Præterea probatur ratione Magiſtri Bañes. Non poteſt euidenter cognoſci virtus ſeminis,niſi euidẽter cognoſcatur fructus, qui ex ſemine poteſt produci: ſed gratia,& virtutes Theologicæ ſunt veluti ſemina beatitudinis, iuxta illud ad Rom.6. [Gratia Dei vita æterna,] ergo non poteſt euidenter gratia cognoſci, niſi cognoſcatur euidenter viſio beatifica. Sed eſt impoſſibile,quod viſio beatifica cognoſcatur euidenter per ſcientiam inditã Animæ Chriſti, eo quod lumen gloriæ eſt ſuperioris ordinis ad lumen ſcientię inditæ: lumen autem ſuperioris ordinis non poteſt cognoſci euidenter per lumen ordinis inferioris: ergo.

Confirmatur hoc ex illo 1.Ioannis 3. [Nunc filij Dei ſumus, ſed nõdum apparuit quid erimus ; ſcimus autem, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.] Vbi ſatis inſinuat, ꝙ dignitas filiorũ Dei, quæ eſt per gratiã ipſius,non poteſt niſi viſo Deo euidenter cognoſci.

Præterea probatur.Iuxta ſententiam S.Thom. 1.par.quæſt.12.art.2. nulla poteſt dari ſpecies creata, quæ repræſentet clare, & diſtincte diuinã eſſentiam prout eſt in ſeipſa: ergo ſub hac ratione non poteſt eui denter cognoſci, niſi per ſcientiam beatam, in qua vnitur intellectui eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis.

Sed contra hanc concluſionem argumentantur Auctores oppoſitæ ſententiæ. Primo. De potentia Dei abſoluta produci poſſunt ſpecies intelligibiles,quæ repræſentet euidenter hæc obiecta ſupernaturalia immediatè, & directè, prout ſunt in ſeipſis: ergo huiuſmodi ſpecies de facto ſunt infuſæ animę Chriſti; ac per conſequens per eas cognouit euidenter ſcientia indita eiuſmodi obiecta ſupernaturalia in ſeipſis. Conſequentia probatur,nam, vt ſupra dictum eſt,ad dignitatem, & perfectionẽ animę Chriſti,prout eſt vnita Verbo, pertinet, quòd infundantur illi ſpecies intelligibiles, & ſcientia ſecundum omnem perfectionem poſſibilem. Antecedens autem probatur. Hæc obiecta ſupernaturalia ſunt aliquid creatum, & finitum: ergo nulla poteſt aſſignari ratio, propter quã repugnet produci à Deo ſpecies intelligibiles, repræſentantes immediatè, & directè eadem obiecta, prout ſunt in ſeipſis. Probatur conſequentia, quia omne finitum poteſt, ſaltem de potentia Dei abſoluta, per ſpeciem creatam clarè repræſentari, prout eſt in ſeipſo. 11 Obiect. 1

Reſpondetur primo, quod aliqua obiecta ſupernaturalia, ſunt quid increatum, vt Deum eſſe trinum, Solutio.

Digitized by Google

num, & vnum. Et licet gratia habitualis, & alij habitus infuſi, ſint quid creatum, quia tamen ſunt quædam ſemina viſionis beatificæ, quæ euidenter in ſe ipſa per ſpeciem creatam repræſentari, vel cognoſci non poteſt; ideo tales habitus,& alia huiuſmodi myſteria gratiæ non poſſunt in ſe ipſis per ſpeciem creatam repræſentari, ſed ſolum per eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis, per quā

Prima obiectio. euidenter cognoſcitur Deus, vt eſt in ſe ipſo. Sed dices, Ad cognoſcendum euidenter viſionem beatificam, vt eſt in ſe ipſa, non eſt neceſſarium, quod euidenter cognoſcatur eius obiectum, vt eſt in ſe ipſo; ſed ſufficit, vt cognoſcatur in quantum eſt obiectum terminans viſionem: ſicut ad cognoſcendum euidenter vnum relatiuum, ſufficit quod euidenter cognoſcatur eius correlatiuum in quantum correlatiuum, licet non cognoſcatur euidenter ſecundum ſe in quantum ens. Cum ergo viſio beatifica ſit formaliter quid creatum, videtur, quod de potentia abſoluta per ſpeciem creatam euidenter in ſe ipſa poſſit cognoſci. Reſpondetur, quod

Solutio. Deus vt Trinus, & vnus terminat viſionem beatam, vt 1.p.q. 12.art. 7. docent communiter doctores. Vnde impoſſibile eſt, quod Deus cognoſcatur euidenter in quantum terminat viſionem beatam, quin etiam cognoſcatur euidenter, vt eſt in ſe ipſo trinus, & vnus.

12 Secunda obiectio. Arguunt ſecundo. Vt dicit S. Thomas, ſcientia indita ponitur in Chriſto vt per eam reducatur in actum omnis eius potētialitās tā naturalis, quam obedientialis; ſed in eius anima eſt potentialitas ſaltem obedientialis ad cognoſcendū euidenter in ſe ipſis res ſupernaturalis ordinis, ſeu myſteria gratiæ: ergo de facto per ſciētiam inditam hæc oīa cognouit euidenter in ſe ipſis.

Solutio. Reſpōdetur; quod in Anima Chriſti non eſt potētia obedientialis ad cognoſcendum euidenter per ſcientiā inditā, aut per ſpeciē creatā myſteria gratiæ, vt sūt in ſe ipſis, ſed ſolū per ſcientiā beatam vt dictū eſt.

13 AD argumenta vero facta à principio reſpondetur, quod vt plurimum ſolum probant tertiam cōcluſionem. Cæterum cōtra primam & ſecundam concluſionem nullo modo procedūt. Vnde ad omnia ſimul dicitur, Chriſtū per ſcientiā inditā non cognouiſſe actū liberum diuinæ voluntatis euidenter in ſe ipſo, ſed in atteſtante, vt dictum eſt: & eodem modo cognouit euidēter in atteſtāte habitus ſupernaturales, & alia huiuſmodi gratiæ miſteria, vt diſp. ſequenti patebit.

DISPVTATIO LXII.

Vtrum Chriſtus per hanc ſcientiam infuſam cognouerit miſterium Trinitatis in vna eſſentia, an ſaltem Deum ipſum, vt vnū.

QVIDAM partem defendūt negatiuam. Sentiunt enim, Chriſtum nullo modo per hanc ſcientiam infuſam cognouiſſe miſterium Trinitatis in vna eſſentia, nec etiam Deum, vt eſt vnus lumine naturæ cognoſcibilis, quod probant. Vaſquez diſp. 53. cap. 1.

Primo, nam hæc eſt ſentētia expreſſa ſancti Thomæ art. 1. huius quæſtionis, vbi poſtquam dixit, Chriſtum per hanc ſcientiam infuſam cognouiſſe ea, quæ pertinent, ſiue

ſiue ad donum ſapientiæ, ſiue ad donũ prophetiæ, ſiue ad quodcunque aliud donum ſpiritus ſancti, ſubiungit proxime, [Ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam, non cognouit, ſed ſolum per primam:] nempe per ſcientiam beatificam claræ viſionis: quo nihil clarius pro hac ſententia dici potuit.

2 Secundo. Per ſcientiam inditam, ſeu per ſe infuſam non potuit Chriſtus ipſam Dei eſſentiam cognoſcere cognitione obſcura, quia talis cognitio ſimul eſſe non potuit cum clara Dei viſione, quam à principio habuit Anima Chriſti: nec etiam cognitione euidenti; quoniam hæc euidentia eſſet ipſius Trinitatis, quæ quidem haberi non poteſt niſi ꝑ viſionẽ beatificã: ergo nullo modo potuit Chriſtus ꝑ ſciẽtiã inditã eſſentiã Dei cognoſcere.

Confirmatur. Si per ſcientiam inditam habuit Anima Chriſti euidentem cognitionem myſterij Trinitatis, aut illa fuit euidens cognitio Trinitatis tamquam per ſe notæ, aut tanquam per aliud notæ. Primum dici non poteſt, nam cognitio Trinitatis per ſe notæ, ſeu per proprium, & quidditatiuũ conceptum, non differt à viſione beatifica. Nec etiam potuit illa cognitio eſſe euidens per aliud, nimirum per conceptum alienum, & ab alijs rebus mendicatum; quia nec per teſtimonium Dei, etiam ſi illud haberet, cum ſit extrinſecum rei, potuit myſterium Trinitatis euidenter cognoſcere: nec etiam per vllum effectum Dei, quia nullus effectus poteſt euidenter, etiam à poſteriori, repræſentare myſterium Trinitatis; eo quod Deus nihil ad extra operatur in quantum eſt trinus, ſed in quantum eſt vnus; aliàs poſſet per ſcientiam naturalem trinitas perſonarum euidenter cognoſci: ſicut cognoſcitur vnitas eſſentiæ, ſecundum illud Rom. 1. [Inuiſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.] ergo &c.

Tertio. Scientia per ſe infuſa eſt propria, & quidditatiua notitia rei: ſed Anima Chriſti non potuit habere propriam, & quidditatiuã notitiam eſſentiæ diuinæ, vel miſterij Trinitatis, niſi per ſcientiã beatam: ergo per nullam ſcientiam infuſam, niſi per beatificam potuit Chriſtus eſſentiam diuinam cognoſcere. Si dicatur, Chriſtum per ſcientiam inditam euidenter cognouiſſe eſſentiam diuinam euidentia in atteſtante, contra hoc obijcitur 3

Quarto, Licet euidentia rei in atteſtãte, poſſet alicui viatori communicari; tamen Chriſto, aut beatis nulla ratione tribuenda eſſet; & ſuapte natura pugnaret cum clara viſione; nam, cum hæc poſſet eſſe cum fide, ſicut neceſſario debent fateri, qui eam concedunt, ſiquidem Angeli habuerunt fidem, & ſimul habuerunt euidentiam teſtimonij Dei, ſequitur, non poſſe manere cum clara viſione. 4

Oppoſitam ſententiam defendũt Caiet. art. 1. huius quæſt. & alij Thomiſtæ aſſerẽtes, Chriſtum per ſcientiam inditam euidenter cognouiſſe euidentia in atteſtante Deum, non ſolum vt eſt vnus ſecundum eſſentiam, ſed etiam vt eſt Trinus in perſonis: quæ ſentẽtia videtur multo probabilior, & ad mentem ſancti Thomæ in hoc articulo, vt ſtatim patebit, & vt à clarioribus incipiamus ſit 5

Bb Prima

6 PRima concluſio. Chriſtus per ſcientiam inditam, ſeu per ſe infuſam cognouit Deum in quantum eſt vnus, & primum principium creaturarum. Concluſio eſt Caie.in hoc art.Capreoli in 3.d.14 q.1. art.3. circa finem, ſolutione ad primum, & ſecundum contra primam concluſionem; & videtur expreſſa S. Thomæ in corp. huius art.vbi loquẽs de ſciẽtia Chriſti indita ait, quod ſecundum eam,[Anima Chriſti primo quidem cognouit quæcunque ab homine cognoſci poſſunt, per virtutem luminis intellectus agentis; ſicut ſunt quæcunque pertinent ad ſcientias humanas.]& probatur eius ratione. Per ſcientiã inditam reducta eſt in actum omnis potentialitas,tam naturalis,quàm obedientialis Animæ Chriſti,vt ſupra oſtenſum eſt.Sed in Anima Chriſti erat potentialitas naturalis ad cognoſcendum Deum vt eſt Auctor naturæ;cum ex effectibus ab alijs hominibus per ſcientiam naturalem poſſit cognoſci,vt ex auctoritate Apoſtoli ad Rom.1. ſupra inducta colligitur: ergo Chriſtus per ſcientiam inditam cognouit Deum, vt eſt auctor naturæ.

7 Secundo probatur. Chriſtus per ſcientiam acquiſitam cognouit Deum vt eſt vnus, vt fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ.Ergo & per ſcientiam inditam. Omnia enim quæ per ſcientiam miniſterio ſenſuum agnouit, multo perfectius fuerunt illi nota per ſcientiam inditam; cum hæc ſcientia ſit ſuperior, & ſub illa comprehendãtur omnia obiecta cuiuſcunque ſcientiæ naturalis,vel acquiſitæ. Id ipſum probari poteſt rationibus pro ſequenti concluſione adducendis.

Secunda concluſio. Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcit euidenter in atteſtante miſterium Trinitatis. Hæc concluſio non eſt ita certa ſicut præcedens, nobis tamen videtur multo probabilior,quàm oppoſita, & magis ad mentem ſancti Thomæ. illam ſequuntur Thomiſtæ allegati pro ſecunda ſententia: & probatur ratione facta pro concluſione præcedenti: nam per ſciẽtiam inditam reducta eſt ad actum omnis potentialitas Animæ Chriſti, non ſolum naturalis; ſed etiam obedientialis, quæ reſpicit agens ſupernaturale: ſed in Anima Chriſti erat potentia obedientialis ad cognoſcendum miſterium Trinitatis extra Verbum, cum huiuſmodi miſterium cognoſcatur a nobis per fidem ſupernaturalem, & per ſcientiam diuinæ Theologiæ, ergo Anima Chriſti cognouit eiuſmodi miſterium per ſcientiam inditam.

8 Secundo, nam aliàs Chriſtus quatenus erat viator nullam notitiam habuiſſet huius miſterij; Etenim ſcientia beata, per quam cognouit hoc miſterium, non competebat Chriſto vt erat viator, ſed vt comprehenſor.Cum ergo Chriſtus non cognouerit illud miſteriũ per fidẽ, quia in eo non fuit fides,vt ſupra oſtenſum eſt, relinquitur, quod,ſi per ſcientiam inditam non cognouit tale miſterium; nullam prorſus notitiam ſupernaturalem illius habuerit in quantum viator. Ex quo rurſus ſequeretur aliud inconueniens, quod in quantum viator non potuerit aliquid loqui vel docere de miſterio Trinitatis,quod videtur repugnare verbis illis[Vnigenitus filius,qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit.]Vbi idem miſteriũ nobis explicuit,& cum dixit:[Ego & Pater

Ioan.1.
Ioã.10.

& Pater vnum ſumus.] Tertio ſequeretur, quòd alij homines habuerint cognitionem Dei, vel myſterij Trinitatis magis perfectam, quàm Christus vt viator, ſiquidem Christus vt viator, nullam habuit cognitionem per ſe infuſam, & ſupernaturalem illius myſterij, quam tamen habent omnes fideles per fidẽ. Quarto ſequeretur, quod Christus quatenus viator nunquam potuerit orare Deum Patrem, aut aliquid ab eo petere, nã ad eiuſmodi orationem prærequiritur cognitio Trinitatis ſupernaturalis ordinis, quia per cognitionem naturalem Trinitas cognoſci non poteſt. Ergo, ſi Christus per ſcientiam infuſam nõ cognouit myſteriũ Trinitatis, ſequitur, quod non potuerit orationem aliquam ad Patrem dirigere. Conſequens eſt contra illud: [Pater, ſi poſſibile eſt, trãſeat à me calix iſte.] & Io. 17. [Clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quã habui priuſquam mundus fieret apud te.] ergo.

Matth. 26.

9 Reſpondent. Hæc inconuenientia nullius momenti eſſe, quia non oportet, vt Christo tanquã viatori tribuamus, aut perfectiorẽ notitiã vnius Dei, quàm ſit ſciẽtia acquiſita à poſteriori, aut aliquã notitiam myſterij Trinitatis, ſed ſatis eſt, immò magis ipſum decet, vt ſola ei cõmunicetur clara viſio huius myſterij, qua conſtituatur in ſtatu viatoris: neq; etiã oportebat, vt oraret Deum vt trinũ ex alia ſcientia, quàm ex viſione clara Dei, quãuis Deum vt vnũ orare poſſet ex ſcientia acquiſita euidenti, quam de ipſo vt vno habebat.] Eodem modo inquiunt [nullum eſſe incõmodum, vt Christus de hoc myſterio ſolum loqueretur ex clara viſione illius, & nõ ex alia notitia, aut ſciẽtia, immò hoc maximæ dignitatis eſſe,] quod probant: nã Christus, Ioan. 3. ſuam doctrinã in hoc commendans ait: [Amẽ dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur, & ꝙ vidimus teſtamur.]

Solutio M. Vazq. diſp. 53. cit. nu. 7.

Vim tamen argumenti hęc ſolutio non euacuat, & multa concedit, quæ non videntur admittenda. Et in primis, id quod ait, nimirũ [magis Christum decere, vt ſola ei cõmunicetur clara viſio huius myſterij, qua conſtituatur in ſtatu viatoris,] falſum eſt, quia per viſionem claram Trinitatis non conſtituitur Christus in ſtatu viatoris, ſed comprehenſoris, vt cum ſancto Thoma docent cõmuniter Theologi: aliàs Christus nunc reuera eſſet viator, nam habet claram Dei viſionem, qua iuxta ſolutionem datam conſtituebatur in ſtatu viatoris. Secundo eadem ſolutio impugnatur. Ad dignitatem & excellentiam Christi pertinet, quod de facto cõmunicetur eius humanitati omnis perfectio poſſibilis, vt ex ſupradictis conſtat: ſed poſſibile fuit, quod ei communicaretur ſcientia infuſa myſterij Trinitatis, vltra ſcientiam beatam, nam iſtæ duæ ſcientiæ nullam habent formalem oppoſitionẽ, aut repugnantiam inter ſe: aliàs nihil cognitum per ſcientiam beatam potuiſſet Christus per ſcientiam inditam cognoſcere, quod eſt inconueniens. Tertio. Si per nullam ſcientiam infuſam cognoſcebat Deum vt vnum, vel vt trinum, niſi per ſcientiam beatam, ſequitur, quod vt viator nullam notitiam ſupernaturalem habuerit Dei, vt vnus, vel vt trinus eſt; & ita ſequuntur alia inconuenientia in argumento prænominata. Quarto. Si, vt prædicta ſolutio ait, non 10 Impugn.

eſt imperfectio animæ Chriſti, quod nullam habuerit notitiam Dei, vel myſterij Trinitatis per ſcientiam infuſam, eo quod per ſcientiam beatam multo perfectius hæc cognoſcebat, ſequeretur, ſimiliter non eſſe imperfectionem animæ Chriſti, quod per ſcientiam infuſam nullam notitiam haberet Sacramentorum, & aliorum obiectorum ſupernaturaliũ, aut etiam naturaliũ: nã etiã omnia hæc perfectius cognoſcebat per ſcientiam beatã; & ita fruſtra eſſet in anima Chriſti ſcientia indita diſtincta à ſcientia beata, quod tamen non licet admittere, vt ex præmiſſis cõſtat. Quinto, Chriſtus, cũ docebat myſterium Trinitatis, loquebatur pluribus verbis externis, & aliquando cũ diſcurſu, & collatione vnius ex altero, vt patet Matth. 22. vbi interrogauit Iudæos, [Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt?] quibus reſpondentibus, Dauid, hoc diſcurſu argumentabatur, [Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominũ,
109. dicens: Dixit Dominus Dño meo, ſede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedũ tuorũ? Si ergo Dauid vocat eum Dñm, quomodo filius eius eſt?] & Io. 14. [Si cognouiſſetis me, & Patrẽ meũ vtique cognouiſſetis.] & alibi ſępe: ergo pluribus cõceptibus cõcipiebat in mente hoc myſteriũ. Etenim loquutio vocalis, ſi eſt vera actio vitalis, debet eſſe ſignũ loquutionis mentalis, & ei proportionari, vt patebit infra: ergo vtebatur aliqua cognitione infuſa diſtincta à ſcien-
12 tia beata. Probatur conſequentia: nam ſcientia beata nullam admittit pluralitatẽ, vel ſucceſſionẽ conceptuũ, aut diſcurſuum, ſed ſimplici intuitu ſemper eodẽ modo abſq; vllo diſcurſu attingit Deũ vt eſt in ſeipſo. Nec ſatis eſt reſpõdere, illũ **Solutio.** diſcurſum ſolũ fuiſſe exteriorẽ in verbis, nõ autẽ in mente. aliâs enim vt patebit infra, loquutio illa nõ eſſet verus actus vitalis, ſed metaphoricus, & apparẽs, ſicut loquutio & mãducatio Angeli in corpore apparẽti aſſumpto, de qua Raphael Tob. 12. [Videbar quidẽ vobiſcũ mãducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili & potu, q. ab hominibus videri non poteſt, vtor.] Eodẽ argumento probari põt, in orationibus directis ad Patrẽ Chriſtũ Dñm vſum fuiſſe cognitione ſcientię inditæ diſtincta à ſcientia beata: nã per cognitionẽ ſciẽtiæ acquiſitæ nõ poterat etiã à poſteriori cognoſcere Patrẽ, vel myſteriũ Trinitatis, cũ excedat omnẽ cognitionẽ naturalẽ intellectualis creaturæ. Adde, quod ad orationem ſupernaturalem, qualis erat oratio Chriſti, non ſufficit cognitio merè naturalis Dei, vt eſt vnus & finis naturæ, ſed neceſſario reqritur cognitio ſupernaturalis Fidei, vel alteri⁹ luminis per ſe infuſi, iuxta illud Apoſtoli [Accedentẽ ad Deũ oportet **Heb. 11** credere.] & [ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.] Illa aũt verba: [quod ſcimus loquimur] nihil aduerſus noſtrã ſententiã concludunt. Nõ enim reſtringenda ſunt ad ſolã ſciẽtiam beatã: intelligẽda ergo ſunt in hoc ſenſu. Quod ſcimus per ſcientiã beatã, ſiue etiã per ſciẽtiam per ſe infuſam, hoc loquimur: aliâs Chriſtus nihil loquutus fuiſſet vnquam, niſi quæ per ſolã ſcientiam beatam illi nota erãt, quod tñ repugnare videtur contextui eiuſdẽ cap. & alijs locis Euangelij, in quibus multa myſteria explicuit nobis, quæ in oĩum ſententia cognouit per ſcientiam inditam. Relinquitur ergo, Chriſtũ

per

per ſcientiam infuſam aliquam notitiam Dei, & myſterij Trinitatis habuiſſe.

13 AD primum argumentum reſpondetur. Cum S. Thomas ait, quod Chriſtus [ipſam Dei eſſentiam per hanc ſcientiā non cognouit, ſed ſolum per primam.] loquitur de cognitione, qua eſſentia diuina cognoſcitur euidenter in ſeipſa, non autem de cognitione euidēti in atteſtante; de qua nos loquimur in præſenti. Sic intellexit S. Thom. Caietanus in hoc art. paulo poſt principium, vbi ait, [Dei eſſentia excepta eſt, quia non cognoſcitur naturaliter, nec per reuelationē. & intellige reuelationis nomine quemcunque influxū ſpeciei cuiuſcunque intelligibilis, & per cognitionem diuinæ eſſentiæ non quamcumque cognitionem, ſed viſionē illius. Nouit ſiquidem anima Chriſti per ſcientiam inditam, diuinam naturam multo magis quàm quicunq; philoſophus, immo quàm anima ſeparata, & quàm Angeli naturali cognitione, quoniam clara reuelatione nouit, Deum eſſe trinum in perſonis, & alia huiuſmodi ſpectantia ad ſupernaturalem ordinē, quæ Angelorum naturalem cognitionem excedunt. Sed quia per eā non videbat diuinam eſſentiam, quam per ſcientiam beatam videbat, ideo excepta eſt cognitio diuinæ eſſentiæ à ſcientia indita.]

14 Ad ſecundum argumentum dicitur, Chriſtum per ſcientiam inditam ipſam Dei eſſentiam cognouiſſe, non quidem cognitione obſcura, nec cognitione euidenti rei in ſeipſa, ſed euidenti in atteſtante: quatenus videlicet ex ijs quæ videbat in Verbo; vel ex alijs principijs cognitis, deducebat per ſcientiam inditam verū eſſe, quod Deus ſit trinus in perſonis, & vnus in eſſentia; hoc diſcurſu. Omne reuelatum à Deo eſt verum, ſed Deus reuelat mihi ſuam eſſentiam & Trinitatem perſonarum: ergo id eſt verum. Maior propoſitio erat per ſe nota animæ Chriſti, non tantum lumine naturali, ſed etiam per ſciētiam inditam, & beatam. Minor etiam erat illi euidens per ſcientiam beatam: ergo & conſequens erat illi euidens in atteſtante. Nec tamen per hoc conſtituimus in Chriſto duplex genus ſcientiæ inditæ, ſeu per ſe infuſæ, alterum per proprias ſpecies ſine diſcurſu, alterum verò per diſcurſum ex teſtimonio Dei euidenter cognito, vt quidam obijciunt: nam ſcientia indita animæ Chriſti, cum ſit vnius ſpeciei atomæ, propter ſuam eminentiam & perfectionem, extendit ſe ad omnia obiecta cognoſcibilia per ſcientias naturales, vel per reuelationem diuinam: & ratione ſubiecti in quo erat talis ſcientia, poterat Chriſt⁹ illa vti cū diſcurſu & ſine diſcurſu, vt diſp. 64. patebit.

Ad confirmationem reſpōdetur, 15
Animam Chriſti per ſcientiam inditam cognouiſſe myſterium Trinitatis ex teſtimonio Dei euidenter cognito, vt dictum eſt.

Ad tertium dicitur, non eſſe de ratione ſcientiæ per ſe infuſæ, cognoſcere quodcumque obiectum proprio, & quidditatiuo conceptu; ſed ſufficit, quod per illam euidenter cognoſcatur, ſiue à priori per proprium, & quidditatiuum conceptum, ſiue à poſteriori per effectus, ſiue in atteſtante.

Ad quartum negatur antecedens: ad probationem facilis eſſet 16
reſponſio, iuxta ſententiam Magi-

ſtri Bañes, aſſerentis, euidentiam in teſtificante comparatione eiuſdem obiecti, non poſſe ſimul eſſe cum Fide. Sed iuxta oppoſitam ſententiam, quam defendit Caietanus, dicendum, quod ſicut Theologia noſtra manet cum fide in via, & cum clara viſione Dei in patria, vt 1.par.quæſt.1.docent communiter Thomiſtæ, eo quod non innititur per ſe principijs fidei, ſed ratione ſtatus vitæ præſentis; ita proportionabiliter euidentia in atteſtante poteſt ſimul eſſe cum fide, vt in primo Angelo dum erat viator: & cum clara viſione, vt in anima Chriſti, & in alijs beatis, eo quod euidentia in atteſtante, non includit per ſe obſcuritatem, neque eam excludit ab eodem ſubiecto, cum non habeat formalem oppoſitionem cum illa. Vnde poteſt cum vtraque coniungi in diuerſis ſubiectis, etiam comparatione eiuſdem obiecti: ſicut etiam eadem charitas ſecundum ſpeciem coniungitur cum fide in via, & cum viſione clara Dei in patria, ſecundum illud Apoſtoli: [Charitas numquam excidit.] Cuius ratio eſt, nam charitas non innititur per ſe cognitioni Dei obſcuræ, vel claræ, ſed ratione huius, vel illius ſtatus: & ideo cum vtraque poteſt ſucceſſiuè cõiungi.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus hac ſcientia vti potuerit non conuertendo ſe ad phantaſmata.

1 CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur. Anima Chriſti cognouit per hanc ſcientiam ſubſtantias ſeparatas, quæ per phantaſmata cognoſci non poſſunt: ergo. Secundo. Conditio Animæ comprehenſoris eſt, vt nullo modo ſubdatur ſuo corpori, vel ab eo dependeat in operatione: ergo ad intelligendum non indiget ad phantaſmata conuerti; ſed Chriſtus ſecundum animam fuit comprehenſor, vt ſupra dictum eſt: ergo.

Expoſitio Articuli.

NOtandum eſt, quod Durandus in 3.diſt.14. quæſt.3. tenuit, ſcientiam inditam Animæ Chriſti neceſſario dependere in ſuo vſu à phantaſmate: ſed eius ſententia cõmuniter reijcitur à Doctoribus, & merito: nam aliàs Chriſtus vſum rationis, vel ſcientiæ inditæ non habuiſſet à principio ſuæ natiuitatis. Conſequens videtur repugnare verbis Apoſtoli: [Ingrediens mundum dicit, ecce venio, vt faciã Deus voluntatem tuam:] ergo. Itẽ *Heb.10* etiam ſequeretur, Chriſtum in pueritia, communem cum alijs pueris ignorantiam habuiſſe, quod eſt plus quàm temerarium. Videantur aliæ rationes apud Magiſtrum Medinã in hoc articulo, vbi etiam reſpondet obiectionibus Durandi. Cum hoc tamen aſſerendum eſt, Chriſtũ pro ſua libertate poſſe vti ſcientia indita, couertendo ſe ad phantaſma, eo quod hic modus cognoſcẽdi eſt connaturalis animæ exiſtenti in corpore, vt ſequenti Diſputatione parebit.

D I-

DISPVTATIO LXIII.

Vtrum Christus vſus fuerit aliquando, vel vti potuerit, ſi vellet, hac ſcientia infuſa conuertendo ſe ad phantaſmata.

2 M. Vazq. diſp. 52. c. 2. n. 15.

QVidam partem defendunt affirmatiuam. Dicunt enim, ſcientiam animæ Chriſti infuſam talis eſſe naturæ, vt qui illam habet, non ſolum non indigeat conuerſione ad phantaſmata ad vſum illius, verum etiam ea vti non poſſit ad cognitionem cuiuſcunque obiecti, etiam ſenſibilis per conuerſionem illam. Probant hoc. Primo. Scientia infuſa animæ Chriſti non fuit acquiſita per ſenſus, neque per eos poteſt acquiri, ſed eſt alterius longè diuerſæ rationis; ita vt vſus illius nullam omnino connexionem habeat cum ſenſu: ergo nemo poteſt vti hac ſcientia per conuerſionem ad phantaſmata. Probatur conſequentia: nam idem prorſus eſt vti hac ſcientia per conuerſionem ad phantaſmata, & vſum illius habere connexionem cum ſenſibus.

3 Secundo. Beati poſt reſurrectionem non poſſunt vti ſcientia beata per conuerſionem ad phantaſmata, eo quod ſcientia illa eſt altioris ordinis, & non poteſt acquiri miniſterio ſenſuum; ergo eadem ratione vti nō potuit Chriſtus ſcientia per ſe infuſa, per conuerſionem ad phantaſmata: nam etiam eſt ſuperioris ordinis, & miniſterio ſenſuum acquiri non poteſt.

Tertio. Intelligere per conuerſionem ad phantaſmata propriè loquendo, nihil aliud eſt, quàm quod talis cognitio pendeat ex cognitione ſenſus, vt conſtat ex Ariſtot. tertio de anima cap. 7. text. 30. vbi ſic ait: [Animæ autem, quæ eſt principium ratiocinandi, ipſa phantaſmata perinde, atque ſenſibilia ſenſui ipſi ſubijciuntur, atque cum bonū, aut malum eſſe dicit affirmando, aut negando, tunc fugit, aut perſequitur: quapropter ipſa anima ſine phantaſmate numquam intelligit.] & text. 33. [Intellectiuum igitur ipſas formas in phantaſmatibus ipſis intelligit;] cum ergo vſus ſcientiæ inditæ animæ Chriſti nullo modo dependeat à ſenſibus, relinquitur, quòd propriè loquendo ea vti non potuerit per conuerſionem ad phantaſmata.

Confirmatur. Ex eo ſanctus Thomas art. 2. huius quæſt. probat, Chriſtum hac ſcientia vti potuiſſe non conuertendo ſe ad phantaſmata; nam à principio ſuæ incarnationis fuit comprehenſor; hæc autem eſt conditio animę comprehenſoris, vt nullo modo ſubdatur corpori, aut ab eo dependeat, ſed totaliter ei dominetur. Sētit ergo, quòd, ſi anima Chriſti vti poſſet, vel vteretur hac ſcientia per conuerſionem ad phantaſmata, ſubderetur corpori, & ab eo penderet in ſua operatione: ac per conſequens non poſſet vti hac ſcientia ſine conuerſione ad phantaſmata. Cum ergo anima beata non poſſet in ſua operatione ſubdi corpori, relinquitur, quòd propriè loquendo anima Chriſti, vti non poſſit ſcientia infuſa per conuerſionem ad phantaſmata.

Quarto. Anima Chriſti ſemper fuit in actu ſecundo comparatione omnium obiectorum, quæ cadunt 4

Digitized by Google

ſub ſcientia indita: ergo cognouit omnia ſine conuerſione ad phantaſmata; hic enim modus cognoſcendi eſt nobilior, ac per conſequens tribui debet Animæ Chriſti; ergo non potuit cognoſcere per hanc ſcientiam aliquod obiectum per conuerſionem ad phātaſmata. Probatur conſequentia, nam cognoſcere per conuerſionem, & ſine conuerſione ad phantaſmata, cum habeant oppoſitionem inter ſe, non poſſunt eidem potentiæ comparatione eiuſdem obiecti ſimul conuenire. Oppoſitam ſententiam docent communiter Thomiſtæ: pro cuius explicatione ſit

5 PRima concluſio. Chriſtus reuera potuit vti ſcientia infuſa conuertendo ſe ad phātaſmata, & non ſe conuertendo; vtrumque enim fuit in eius poteſtate. Ita docet expreſsè ſanctus Thomas in ſolutione ad tertiū: vbi ait. [quod licet Anima Chriſti potuerit intelligere non conuertendo ſe ad phantaſmata, poterat tamen intelligere ſe ad phantaſmata cōuertendo.] Reſpondet Vazquez, quòd ibi non loquitur ſanctus Doctor de vſu huius ſcientiæ per conuerſionem ad phantaſmata; Vtrum autem hoc efficere poſſet in vſu huius ſcientiæ infuſæ, an in vſu alterius, ipſe non explicat. Hæc tamē ſolutio verbis, & menti ſancti Thomæ non videtur congruere; nam in titulo articuli expreſſe loquitur de hac ſcientia indita, vel infuſa, ſicut, & in titulo totius quæſtionis 9. id quod etiam confirmari poteſt, nam in articulo 4. ſequenti in corpore ait, quod quantum ad id, quod habuit ex ſubiecto recipiente, ſcientia indita Animæ Chriſti, eſt infra ſcientiam Angelicam, ſcilicet quantum ad modum cognoſcendi, qui eſt naturalis animæ humanæ, qui ſcilicet eſt per conuerſionem ad phantaſmata, & per collationem, & diſcurſum. Secūdo probatur ratione deſumpta ex eodem ſancto Thoma; 6 quia modus cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata eſt connaturalis animæ rationali, quamdiu eſt in corpore; ergo talis modus cognoſcendi poteſt competere Animæ Chriſti; ea enim, quæ naturaliter competunt animæ rationali, inueniuntur perfectiſſimo modo in Anima Chriſti, cum gratia non deſtruat naturam, ſed eam perficiat: Ergo potuit anima Chriſti vti ſcientia indita modo ſibi connaturali conuertendo ſe ad phantaſmata. Reſpondent, quod hæc ratio non probat intentum; nam quamuis ipſa *M Vazq. n. 12.* anima in vſu alicuius ſcientiæ intelligat per conuerſionem ad phantaſmata; inde tamen non colligitur in vſu cuiuſcunque ſcientiæ intelligere poſſe per conuerſionem ad phātaſmata. Hæc tamen ſolutio vim argumēti non euacuat, nā ſaltē concludit, quòd in vſu ſcientiæ inditæ, quæ verſatur circa obiectum materiale repræſentabile per phantaſma, poſſit Anima Chriſti cognoſcere idem obiectum conuertendo ſe ad phantaſmata, in quibus relucet quidditas rei materialis ſine conditionibus ſingularibus. Verum eſt, Animam Chriſti cognoſcere nō poſſe quidditatiuè ſubſtantias ſeparatas conuertēdo ſe ad phantaſmata, vt in art. 2. in argumento ſed contra, docet ſanctus Thomas: quia ſubſtantiæ ſeparatæ per phantaſmata repræſentari non poſſunt, aut cognoſci.

7 SEcunda concluſio: Probabile eſt, Chriſtum aliquando vſum fuiſſe

fuiſſe ſcientia indita, conuertendo ſe ad phantaſmata. Concluſio hæc colligitur ex ſancto Thoma ad tertium huius articuli, & probatur eius ratione; nã aliàs fruſtra eſſent ſenſus in humanitate Chriſti,& fruſtra potentia vtendi ſcientia indita per conuerſionem ad phantaſmata, ſi nunquam vſus fuiſſet, nec vſurus eſſet huiuſmodi potentia Etenim vt docent communiter philoſophi: fruſtra eſt potentia, quæ numquam reducitur ad actum. Confirmatur, ideo ſanctus Thomas infra q. 12. articulo 1. probat, in Chriſto prȩter ſcientiam beatam, & infuſam eſſe ſciẽtiam acquiſitam miniſterio ſenſuum virtute intellectus agentis, quoniam aliàs fruſtra eſſet in Anima Chriſti intellectus agens, ſi numquam habiturus eſſet potiſſimum actum, ad quem ordinatur à natura, cuius rationis efficacia eodem articulo patebit; ergo, ſi Chriſtus numquam vſus eſt potentia vtendi ſcientia indita, per conuerſionem ad phantaſmata, ſequitur, quod fruſtra eſſet in illo talis potentia. Secundo probatur. Ad perfectionem Animæ Chriſti pertinet, quòd ſcientiam inditam ſeu per ſe infuſã reduxerit aliquando in actũ cum modo ſibi connaturali reducibili in actum, vt ſupra oſtenſum eſt: ſed modus intelligendi connaturalis animæ exiſtenti in corpore, eſt per conuerſionem ad phantaſmata, & cum eodem modo eſt reducibilis in actum ſcientia indita Animæ Chriſti comparatione obiectorum materialium, vt ex dictis in 1. cõcluſione cõſtat. ergo. Tertio; ſicut modus cognoſcendi cum diſcurſu, eſt connaturalis Animæ Chriſti, ita & modus cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata quamdiu anima eſt in corpore; ſed Chriſtus aliquando vſus eſt cum diſcurſu ſcientia indita, vt patebit quæſtione ſequenti; ergo etiam vſus eſt aliquando eadem ſcientia conuertendo ſe ad phantaſmata.

AD primum argumentum reſpondetur; ex eo quod ſcientia indita Animæ Chriſti non fuerit acquiſita, nec potuerit acquiri miniſterio ſẽſuum, ſolum ſequi, quòd eius vſus poſſit haberi abſque vlla conuerſione ad phantaſmata: non autem, quod non poſſit Chriſtus pro ſua libertate ea vti conuertendo ſe ad phantaſmata, vt conſtat ex ſancto Thoma in hoc articulo. Et cum arguitur; nam vſus ſcientiæ inditæ nullam habet connexionem cum ſenſu. Reſpõdetur, id eſſe verum de connexione neceſſaria, & intrinſeca, non autem de connexione extrinſeca, quæ poteſt eidem ſcientiæ conuenire ex parte ſubiecti, in quo eſt. 8

Ad ſecundum reſpondetur, quòd ſcientia beata non eſt reducibilis in actum per conuerſionem ad phantaſmata, eò quod obiectum eius primarium, ſcilicet eſſentia diuina, qua beati ſimul cognoſcunt in Verbo obiecta ſecundaria, ſeu materialia eſt omnino à materia ſeparatum, ac per conſequens non eſt cognoſcibile per conuerſionẽ ad phantaſmata, ſicut neque aliæ ſubſtantiȩ ſeparatæ. Cæterum ſcientia indita Animæ Chriſti comparatione obiectorum materialium, ad quæ ſe extendit, eſt reducibilis in actum per conuerſionem ad phantaſmata, eò quod ſpecies intelligibilis creata inhærens, qua intellectus informatus cognoſcit obiecta materialia eiuſdem ſcientiæ, ad quæ ſe extendit, 9

tendit, perficit, & actuat eumdem intellectum, vt talia obiecta cognoſcere poſſit modo ſibi connaturali, nimirum per conuerſionem ad phantaſmata; vnde non eſt ſimile. Poterit tamen beatus poſt reſurrectionem vti ſcientia extra Verbum, cognoſcendo obiecta materialia per conuerſionem, vel ſine conuerſione ad phantaſmata, ſicut de ſcientia indita animæ Chriſti docet S.Thomas.

10 Ad tertium reſpondetur, quòd propriè loquendo cognoſcere per conuerſionem ad phantaſmata non eſt, quòd talis cognitio ex neceſſitate pendeat à ſenſibus, vt arguēs ſupponit: ſed eſt rem ipſam, relucentem in phantaſmate virtute intellectus agentis, cognoſcere: ſiue talis cognitio pendeat ex neceſſitate à phantaſmate, ſiue ex libera applicatione volentis per illam ſcientiam, quidditatem rei materialis relucentem in phantaſmate intueri. Et ad locum Ariſtotelis dicendum, ipſum loqui dumtaxat de cognitione, vel ſcientia naturali, quæ pro iſto ſtatu competit homini; hanc enim ſcientiam dumtaxat cognouit, non autem de ſcientia indita, & ſupernaturali, quam non cognouit.

11 Ad confirmationem reſpondetur, rationem illam S. Thomæ ſolum concludere, quòd Chriſtus poſſit vti ſcientia indita ſine conuerſione ad phantaſmata, non autem quod repugnet, ea vti conuertendo ſe ad phantaſmata. Nec ex tali vſu infertur, quod anima Chriſti beata ſubdatur corpori, aut ab eo dependeat in ſua operatione, vel in vſu ſcientiæ inditæ. nam ſubdi hoc modo corpori, eſt ab eo ex neceſſitate pendere in tali operatione, & eam abſque miniſterio ſenſuum, vel phātaſmatum elicere non poſſe, quod quidem non competit animę Chriſti, etiam dum erat vnita corpori mortali. Vnde, quando volebat vti ea ſcientia indita, conuertendo ſe ad phantaſmata, vtebatur quidem ad talem cognitionem ipſo phātaſmate, tamquam Dominus, & ſuperior habēs in ſua poteſtate vti ſciētia indita, conuertendo ſe ad phantaſmata, vel non ſe conuertendo: non autem velut ſeruus, & ſubditus phantaſmatibus in illa operatione.

Ad quartum argumentum dicitur, quod anima Chriſti non ſemper fuit in actu ſecundo, comparatione omnium obiectorum, quæ cadunt ſub ſcientia indita, vt Diſputat. 57. oſtenſum eſt. Vnde non ſequitur, quòd ſemper vſus fuerit eadem ſcientia altero ex illis duobus modis dumtaxat. 12

ARTICVLVS III.

Vtrum hæc ſcientia fuerit collatiua.

PRima concluſio. Quoad acquiſitionem non fuit collatiua, ſeu diſcurſiua. quia non fuit per diſcurſum acquiſita, ſed à Deo immediatè infuſa. 1

Secunda concluſio. Quoad vſum poterat eſſe collatiua; nam Chriſtus poterat per hanc ſcientiam vnū ex alio concludere, ſicut Matt. 17. [Ergo liberi ſunt filij.]

Notandum eſt, quod hæc ſcientia ex natura ſuæ ſpeciei non eſt diſcurſiua, ſed ſimplici intelligentia fertur in ſuum obiectum: nihilominus ex conditione ſubiecti, id eſt ex anima rationali, cui connaturale eſt diſcur-

Digitized by Google

diſcurrere, conuenit illi quod ſit diſcurſiua, ita vt pro ſua libertate poſſet Chriſtus ea vti cũ diſcurſu, & ſine diſcurſu, vt de cognitione per conuerſionem ad phantaſmata dictum eſt.

DISPVTATIO LXIV.

Vtrum Chriſtus Dominus vti potuerit, vel vſus fuerit aliquando hac ſcientia infuſa cum diſcurſu, & collatione.

2 Vazq.Diſput. 52. cap.3.

ILLI, qui ſentiunt, animam Chriſti non potuiſſe vti ſcientia indita, conuertendo ſe ad phantaſmata, docent conſequenter, non potuiſſe vti eadem ſcientia cum diſcurſu, & collatione, inferendo vnum ex altero, ſed ſimplici tantum intuitu per illam omnia cognouiſſe, tam ſpiritualia, quam corporea. & pro eadem ſententia referunt ſanctum Bonauenturam in 3. diſt.14. art. 2. quæſt.2. ad vltimum argumentum. Ad cuius explicationem ſupponũt, quòd ad rationem diſcurſus, duo neceſſario requiruntur: alterum eſt, vt ſint plures conceptus, & intellectiones inter ſe diſtinctæ, ad hoc vt vna ex alia deducatur; nam ſi aliquis vno tantum conceptu intelligat etiã ea, quæ diſtincta ſunt, ſequitur non poſſe vnum ex alio colligere: alterum, quod requiritur ad diſcurſum, eſt, vt non ſolum plura cognoſcantur diuerſis intellectionibus, & conceptibus; ſed ita intelligantur, vt vnum illorum ſit per ſe notum, cætera verò ſint nota per aliud. Sic enim fiet, vt cognitio & conceptus vnius colligatur ex cognitione, & conceptu alterius, quod neceſſarium eſt ad diſcurſum. Si enim quis plura ita intelligit, vt quodlibet illorum ſit ei per ſe notum, non poterit vllo modo diſcurrere: quia non poterit vnum per aliud cognoſcere, ac proinde neque vnum ex alio colligere. Sed anima Chriſti per ſciẽtiam inditam vnica ſpecie, & conceptu plura cognoſcebat, ſicut & Angeli; quod enim Angelis tribuimus, Chriſto denegandum non eſt, ac per cõſequens vnica ſpecie, & conceptu cognouit Chriſtus principia, & cõcluſiones, quæ inter ſe aliquam affinitatem habent. Probant ergo ſuã ſententiam.

Primo. Per ſcientiam infuſam cognouit Chriſtus quidditatiuo, & proprio conceptu res ſingulas, ſicut ſunt in ſeipſis: ergo omnia fuerunt, & ſunt illi per ſe nota: ergo nihil eſt ei per aliud notum: ergo per ſcientiam inditam Chriſtus nũquam potuit diſcurrere, quia nequit per illam vnum per aliud intelligere, quod requiritur ad diſcurſum, vt dictum eſt. 3

Confirmatur hoc. Angeli diſcurrere non poſſunt in earum rerum cognitione, quas proprio, & quidditatiuo conceptu intelligunt, ſed ſimplici cognitione concluſiones intuẽtur in principijs, nec poſſunt ſcientia indita vti cum diſcurſu: ergo idem ſentiendum eſt de ſcientia indita animæ Chriſti, nam eſt multo perfectior ſcientia Angelorum.

Secundo idem probari poteſt. Vt docet Damaſcenus lib.2. Fidei orthodoxæ cap. 22. in Chriſto non fuit conſultatio, & deliberatio, ſeu diſcurſus practicus circa agenda, quia

quia nihil ignorabat, neque enim (inquit) ignoratione laborabat: ſed ſimiliter nihil ignorabat ſpeculatiuè: non ergo potuit eſſe in illo diſcurſus ſpeculatiuus.

4 Oppoſitam ſententiam docet Alexander Alenſis 3.parte. q. 13.membro 5. Durandus in 3.diſt. 14. quæſt.3. num.7. Caietanus in hoc articulo, & communiter Thomiſtæ cum S.Tho.in eodem articulo, vbi expreſſe docet, quod anima Chriſti poterat vti ſcientia indita cum collatione, & diſcurſu, & vnũ ex alio concludere, ſicut ſibi placebat, & idem docet art.4. Nec poteſt explicari, ſicut quidam illum explicant, vt ſcilicet intelligatur de diſcurſu, ſeu de modo diſcurrendi improprio: apertè enim loquitur de diſcurſu proprio, ſicut decet loqui Doctorem Theologũ, & probat eius ratione. Modus cognoſcendi connaturalis animæ rationali eſt cum collatione, & diſcurſu; ſed Chriſtus habuit animam rationalem: ergo potuit vti ſcientia indita modo ſibi connaturali, qui eſt cum collatione & diſcurſu. Præterea probatur alia ratione S.Thomæ in corpore eiuſdem articuli, Chriſtus potuit ex vno aliud concludere, ſicut ſibi placebat, ſicut Matth. 17. ex eo (q;) Reges tributũ accipiebãt, non à proprijs filijs, ſed ab alienis concluſit: ergo liberi ſunt filij.

Vazq.Diſput. cit. q.nu.11.

5 Solutio. Reſpondent ad hoc argumentũ duplici ſolutione. Prima eſt, Chriſtum voce ipſa protuliſſe diſcursũ, vt ſe accommodaret audientibus, quia reuera more humano ita loquebatur: ob id tamen non efficitur, Chriſtum in mente, & conceptu ſuo vſum fuiſſe diſcurſu: nam ſi Deus in forma humana appareret nobis, eodem modo loqui poſſet, & tamen Deus nullo modo diſcurrit. Non tamen videtur hæc ſolutio admittenda; nam illa Chriſti Domini loquutio non fuit phantaſtica, vel metaphorica, ſicut eſt loquutio, qua Angeli in forma humana loquutur hominibus, quibus apparent: ſed fuit vera, & propria loquutio humana, veruſq; actus vitalis. Verba autem in loquutione humana ſunt ſigna loquutionis internæ, & eorum, quæ ſunt in anima. Ergo, ſicut Chriſtus loquutione externa per diſcurſum, vnum ex alio concludere voluit in verbis inductis, ita etiam in mente vnum ex alio intulit. Nec eſt eadem ratio de loquutione, qua Deus, ſi appareret in corpore aereo, loqueretur alicui exterius cum diſcurſu; quia talis loquutio eſſet metaphorica, ſicut de Angelis apparentibus, & loquentibus in forma humana dicit S.Thomas. Impugnatio.

6 Secunda ſolutio eſt, quod Chriſtus diſcurrere poterat per ſcientiã acquiſitam, & hoc ſatis erat, vt voce ipſa diſcurſum denotaret: quamuis per aliam ſcientiam, nempe infuſam non diſcurrat. At verò hæc ſolutio, quia nullam adducit rationem, quæ ſuadeat, Chriſtum de facto vſum fuiſſe cum diſcurſu illa ſcientia acquiſita, & non infuſa, eadem facultate reijcitur, qua aſſeritur. Propterea contra illam eſt efficax argumentum; quia filiatio, de qua loquebatur Chriſtus Dominus, cum intulit: [ergo liberi ſunt filij,] erat ſupernaturalis ordinis, quæ ſubinde cadere nõ poterat ſub ſcientia miniſterio ſenſuum acquiſita. Loquebatur enim Chriſtus de ſeipſo, qui eſt Filius Dei naturalis, & Apoſtolis, qui filij erant ſpiritualis regni, & ad ſtatum Eccleſia-

Digitized by Google

ſiaſticum,& gubernationem Eccleſiæ ſpiritualem electi fuerant, & oſtendere voluit,eos eſſe exemptos à tributis ſoluendis principibus ſecularibus, vt ſuper eundem locum explicant communiter ſancti Patres,præſertim Aug.lib. 1. quæſtionum Euang.c.23.cuius verba ſunt. [Dicit enim, in omni Regno liberos eſſe filios, id eſt, non eſſe vectigabiles. multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filij regni ipſius, ſub quo ſunt omnia regna terrena:]Eadem etiã eſt explicatio Chryſoſt. hom.59.ſuper Matthæum, Hieronymi, S.Thomæ, & Origenes ſuper eundem locum Matthæi; ergo neceſſe eſt dicere,Chriſtum in illo diſcurſu vſum fuiſſe ſcientia indita, non autem ſcientia acquiſita.

7 AD primum argumentum reſpondetur, quod vtroq; modo potuit Chriſtus per ſcientiam inditam principium, & concluſionem cognoſcere, ſcilicet vnico ſimplici conceptu, & intuitu, vtrumq; attingendo, vel vnum ex alio deducendo: vt dictum eſt: Non enim concluſio ita erat per ſe nota Chriſto per ſcientiam inditam, vt non poſſet demonſtrari per ſuum proprium principium; hoc namque ſolum competit primis principijs indemõſtrabilibus,qualia sũt,Quodlibet eſt,vel nõ eſt:Omne totum eſt maius ſua parte, &c. Etenim, quæ hoc modo ſunt per ſe nota, cognoſci non poſſunt per diſcurſum, & demonſtrationem.

8 Ad confirmationem negatur conſequentia:non enim debet quãtum ad hoc tribui animæ Chriſti,id quod tribuitur Angelis, quod nimirum ita vtatur ſcientia indita ſine diſcurſu, quod ea vti cum diſcurſu non poſſit: quia natura Angelica non eſt rationalis, & ita diſcurrere non poteſt; anima autem Chriſti, in qua ſubiectatur ſcientia indita,eſt verè, & propriè rationalis, & ideo poteſt vti eadem ſcientia cum diſcurſu.

Ad ſecundum argumentum dicitur,quod,vt in corpore huius ar. docet S.Thom. & Dur. loco citato diſcurſus eſt duplex: Alter qui procedit à notis ad ignota, ſicut contingit quando acquirimus ſcientiã, & hic diſcurſus non competit ſcientiæ Chriſti. Alter eſt diſcurſus, qui procedit ab ijs, quæ actu conſiderantur ad ea, quæ non conſiderabantur actu; licet habitualiter cognoſcerentur, ſicut interdum ſcientes ex cauſis concludunt effectus:& talis diſcurſus potuit eſſe, & fuit in Chriſto ſecundum ſcientiam inditam. quia Chriſtus per ſcientiam inditam non conſiderauit ſimul omnia, quorum notitiam habitualem habebat:& ideo ex vno, actu conſiderato potuit aliud non actu conſideratum collatiuè deducere. Argumentum autem ſolum cõcludit,primi generis diſcurſum non potuiſſe conuenire Chriſto ſecundum aliquam ſcientiam, nõ autem id probat de ſecundi generis diſcurſu.

Secundo reſpondetur, quod de ratione conſultationis, & deliberationis eſt, ex notis ad ignota procedere:ignorantis quippe eſt,vt inquit idem Damaſcenus, conſilium inire: neque enim quiſque de eo quod cognitum, atque exploratum habet,deliberat. Ad rationẽ autem ſpeculatiui diſcurſus ſatis eſt, quod procedat ex actu cognitis ad ea,quæ ſolum habitu nota erant; vnde non eſt ſimile. 9

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc ſcientia in Chriſto fuerit maior ſcientia Angelorum.

PRima concluſio. Hæc ſcientia, quantum ad id;quod habuit ex parte Dei infundentis, fuit multo excellentior,quàm ſcientia Angelorum: nam plura obiecta ſciebat, & certius per eam: quia lumen ſpiritualis gratiæ,quod eſt inditum animæ Chriſti, eſt multo excellentius,quàm lumen quod pertinet ad naturam Angelicam.

Secunda concluſio. Quantum ad id,quod habuit hæc ſcientia ex ſubiecto recipiente,ſcilicet quantum ad modum cognoſcendi, ſcientia indita animæ Chriſti,eſt infra ſcientiã Angelicam. Probatur:nam anima cognoſcit per diſcurſum,& conuerſionem ad Phantaſmata, Angelus autem ſimplici intuitu, & ſine diſcurſu:ergo.

Notãdum eſt, quod licet modus cognoſcendi connaturalis animæ rationali ſit cum diſcurſu, & conuerſione ad phantaſmata,nihilominus anima Chriſti poterat vti ſcientia indita, abſque diſcurſu, & ſine conuerſione ad phantaſmata, eo quod à principio fuit beata: pertinet enim ad ſtatum beatorũ, quod vtroque modo poſſint extra Verbum res cognoſcere, vt ſupra dictum eſt.

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc ſcientia fuerit habitualis.

COncluſio eſt affirmatiua. Probatur. Modus connaturalis animæ humanę eſt,vt recipiat ſciẽtiam per modum habitus: nam eſt naturale homini, quod quandoque ſit intelligens actu, quandoque in potentia. Ergo eſt illi connaturale, quod ſit intelligens habitu; quia medium inter puram potentiam,& actum completum, eſt habitus. Secundo probatur in argumento,ſed contra,Scientia noſtra eſt in genere habitus: ergo & ſcientia Chriſti, de qua nunc loquimur, fuit habitualis. probatur conſequentia; quia ſicut anima Chriſti eſt eiuſdẽ ſpeciei cum noſtra, ita,& eius ſciẽtia in ratione habitus, eſt eiuſdẽ rationis cum ſciẽtia noſtra.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hæc ſcientia fuerit diſtincta per diuerſos habitus.

COncluſio eſt affirmatiua. Probatur. Habitus ſcientiæ diuerſificatur in nobis ex diuerſitate generis ſcibilis; ſed in ſcientia infuſa animæ Chriſti reperitur diuerſitas ſcibilis,quia naturale eſt animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate, quàm Angeli:ergo ſcientia animæ Chriſti fuit diſtincta per diuerſos habitus. 1

Expoſitio Articuli.

NOtandum eſt, quod cum ad ſcientiam neceſſariæ ſint ſpecies intelligibiles ex parte obiecti, quibus repræſententur ea, quæ cadunt ſub ſciẽtia, & ſimiliter ſit neceſſarium lumen ſcientificum, ſeu facultas tenens ſe ex parte potentiæ,

tiæ,ad rectè iudicandum de obiecto, ſecundum hæc duo poteſt ſciẽtia indita animæ Chriſti dici vnus habitus,vel multiplex. Etenim, ſi conſideretur ex parte ſpecierum intelligibilium, non eſt vnus habitus,ſed multiplex,& ſic intelligitur concluſio huius articuli,in quo ſanctus doctor ſpecies intelligibiles inditas animæ Chriſti appellat habitus infuſos, quia non ſemper vtitur illis in actu. Cæterum, ſi conſideretur hæc ſcientia indita ex parte luminis, eſt vna ſcientia ſpecie atoma, & vnus habitus iudicatiuus,& ſic intelligitur S.Thomas in 3.ſent.diſtinct. 14. art.3. quæſtiuncula 4. in corpore, vbi ait, [quod anima Chriſti vno habitu omnia cognouit, quæ ad hanc ſcientiam pertinent,quamuis diuerſis ſpeciebus.] Idem confirmat in ſolutione ad 3.huius articuli,vbi ait,[Lumen diuinitus infuſum eſt communis ratio intelligendi ea,quæ diuinitus reuelantur, ſicut & lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoſcuntur. Et ideo oportuit eſſe in anima Chriſti proprias ſpecies ſingularum rerum ad cognoſcendum cognitione propria vnũquodque: & ſecundum hoc oportuit eſſe diuerſos habitus ſcientiæ in anima Chriſti,vt dictum eſt.]

Et quidem, quod ex parte luminis,ſcientia indita animę Chriſti ſit vnica, & ſimpliciſſima,probat ſanctus Thomas in præallegata quæſtiuncula 4.in corpore hac ratione. Ex limpiditate cognitionis contingit, quod ſcientia ſit magis vnita, & ſimplex: quia quanto limpidius videt intellectus, tanto ex paucioribus poteſt cognoſcere plura: ſed anima Chriſti habuit limpidiſſimã cognitionem rerum in proprio genere,inter omnes creaturas: Ergo ſcientia eius fuit magis vnita. Secundo probatur. Scientia quanto magis eſt vna, tanto magis eſt perfecta, vt patet per Dionyſium, & per librum de cauſis. Vnde;quia ſcientia Dei eſt perfectiſsima, ideo eſt vnica, & ſimpliciſſima ſecũdum illud pſal. [Et ſapientiæ eius non eſt numerus,] id eſt non diuiditur in plures ſcientias,vt explicat Bernardus: ſed ſcientia indita animæ Chriſti fuit perfectiſſima:ergo. Tertio. Scientia indita animæ Chriſti fuit quaſi architectonica reſpectu omnium humanarum ſcientiarum. Ergo ipſe per vnum habitum omnia ſciuit, quæ ad hãc ſcientiam pertinent. Probatur conſequentia: nam artes inferiores, quamuis ſecundum ſe differant ſpecie, omnes tamen ſub vna ratione formali vniuerſaliori comprehenduntur, & vniuntur in ſuperiori arte architectonica. Ergo idem erit dicendum de ſcientia indita animæ Chriſti, quod ſcilicet per vnum lumen ſpecie ſuperioris ordinis cognoſcit omnia, quæ ab alijs hominibus diuerſis ſcientijs inferioribus,vel habitibus infuſis extra Verbum cognoſcuntur. Quarto. Ea,quæ ſunt diuiſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus;ſicut vegetatiuum, & ſenſitiuum vniũtur in anima rationali; & obiecta ſenſuum particularium vniuntur, & clauduntur ſub vna ratione formali ſenſus communis; ſed ſcientia indita animæ Chriſti eſt ſuperior ad omnes alias ſcientias humanas. Ergo eſt vna ſcientia comparatione omnium cognoſcibilium extra Verbum per alias ſcientias, vel habitus etiam ſupernaturalis ordinis.

Pſ.146

Bernard.

Hinc tamen oritur non modica difficultas. Dub.

diffi-

difficultas, quæ nam ſit ratio propter quam conſtituantur diuerſæ ſpecies intelligibiles in ſcientia indita animæ Chriſti,cum tamẽ ſcientia ipſa ſit vnica, & ſimpliciſſima: & ratio dubitandi eſt;quia communicari potuit animæ Chriſti, vt per vnam ſpeciem extra Verbum omnia cognoſceret. id enim non implicat contradictionem: cum angelus ſupremus omnia alia à ſe per vnam ſpeciem intelligibilem cognoſcat: & ex alia parte cederet in maiorem excellẽtiam animæ Chriſti, quòd hæc perfectio fuerit ei communicata: nam perfectius eſt cognoſcere omnia vnica ſpecie; quam pluribus:ergo, ſicut ſcientia indita animæ Chriſti eſt vnica ex parte luminis, ita etiam eſt vna ex parte ſpeciei intelligibilis.

5 Secũdo augetur difficultas. Chriſtus in quantum homo eſt Iudex viuorum, & mortuorum, qui ſubinde omnia ſimul in die iudicij eſt iudicaturus, quod quidem iudicium fiet in vnico inſtanti: ergo oportet, quod in eodem inſtanti omnia in particulari, & diſtinctè ſimul cognoſcat, de quibus debet iudicare. Eſt autem impoſſibile,per plures ſpecies intelligibiles ea cognoſcere,nam cognoſcere ſimul plura per modum plurium, hoc eſt diuerſis ſpeciebus intelligibilibus, eſt omnino impoſſibile, vt ſæpe docet S. Thomas. Ergo anima Chriſti omnia cognoſcit per vnam ſpeciem. Si dicatur, quod anima Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcit omnia ſimul per vnam ſpeciem, videlicet per eſſentiam diuinam vnitam eius intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis: & ita poterit de omnibus ſimul iudicare, contra hoc eſt

S. Thom. 1. p. qu. 85. art. 4.

Tertium argumentum. Chriſtus per ſcientiam inditam eſt iudex viuorum, & mortuorum: ergo per eamdem ſcientiam debet ſimul omnia cognoſcere, de quibus habet iudicare.

6 Ad primum reſpondetur, quòd ratio propter quam licet in ſcientia indita ſit vnica in anima Chriſti, conſtituuntur plures ſpecies intelligibiles, eſt; nam,cum lumen ſcientificum, ſeu habitus ſcientiæ, ſit neceſſarius ad iudicandum,tenet ſe ex parte intellectus,confortans, & eleuans illum, vt recte iudicet de obiectis, quæ per ſpecies intelligibiles repræſentantur. Vnde non oportet, quod in omnibus ſit proportionatus, & accommodatus im perfectioni intellectus, in quo ſubiectatur: & hoc præſertim habet locum in ſcientia indita animæ Chriſti, quæ,cum ſit ſuperioris ordinis ad omnes ſcientias naturales, tam hominum, quam Angelorum;perficit & eleuat intellectum animæ Chriſti per virtutem ſuperiorem, & vniuerſaliorem,ac per cõſequens magis vnam. Vnde retinens in ſe ipſa vnitatem ſpecificam tribuit intellectui facultatem ad iudicãdũ de multis. Cæterum ſpecies intelligibiles tenent ſe ex parte obiectorum cognoſcibilium, quæ, cum non poſſint immediatè vniri ſe ipſis intellectui, vt ab eo cognoſcantur, oportet,quòd vniantur illi medijs ſpeciebus intelligibilibus, quæ vices obtinent obiectorum: atque adeo non confortant intellectum, nec tribuunt illi virtutem ad iudicandum, ſed potius eam ſupponũt. Vnde non conformantur in vnitate,aut pluritate lumini ſcientifico, ſed accommodantur conditioni ſubiecti,in quo exiſtunt. Et quoniam

eſt

Digitized by Google

eſt connaturale animæ humanæ recipere ſpecies in minori vniuerſalitate, quam Angelus; ideo conſtituuntur plures ſpecies intelligibiles in intellectu animæ Chriſti, ad vſum vnius ſcientiæ inditæ. Eſt & alia differẽtia; quia vnitas luminis, ſeu virtutis magis pertinet ad perfectionem ſciẽtiæ, quam vnitas ſpeciei intelligibilis; quia Vnitas luminis,& virtutis competit per ſe ſcientiæ inditæ ex parte obiecti formalis: pluritas vero ſpecierum cõpetit ei ex parte ſubiecti,vt dictum eſt. Vnde magis pertinet ad dignitatem,& excellentiam ſcientiæ inditæ animæ Chriſti, quod ſit vna ex parte luminis, quàm ex parte ſpecierum intelligibilium.

7 Ad ſecundum reſpondetur,quod anima Chriſti cognoſcit habitu ea omnia,quorum eſt iudex, & in inſtanti extremi iudicij diuina virtute ſient omnibus nota omnia bona opera, vel mala cuiuſlibet. Dicit enim Auguſtinus 20. lib. de ciuitate Dei. Quod liber vitæ de quo Apoc. 20. [Vis quædam intelligenda eſt diuina, qua fiet, vt vnicuique opera ſua, vel bona, vel mala in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur,vt accuſet, vel excuſet ſciẽtia conſcientiam, atque ita ſimul, & omnes, & ſinguli iudicentur.] Vnde in quadam ſequentia defunctorum canit Eccleſia: [Liber ſcriptus proferetur,in quo totum continetur,vnde mundus iudicetur: Iudex ergo,cum ſedebit,quidquid latet apparebit, nil inultum remanebit.] Secundo reſpondetur, quod in inſtanti iudicij cognoſcet actu Chriſtus Dominus per ſcientiam inditam quam plurima eorum,quæ iudicaturus eſt:alia vero cognoſcit per ſcientiam beatam. Et per hæc patet ad tertium argumentum.Dicendum eſt enim, quod cum iudex in forma glorioſa apparebit,vtetur in iudicio non ſolum ſcientia indita animæ eius, ſed etiam ſcientia Beata. Vel dicendum, quod ad rectum iudicium ſufficit, quòd præceſſerit antè ipſam ſententiam diſtincta,& clara cognitio cauſæ.

DISPVTATIO LXV.

Vtrum ſpecies intelligibiles, quæ deſeruiunt ſcientiæ inditæ animæ Chriſti, ſint ordinis ſupernaturalis.

MAgiſter Medina, in hoc articulo, & alij Theologi non pauci exiſtimant; quod,licet ſcientia indita animæ Chriſti,ſit ordinis ſupernaturalis, ſpecies tamen intelligibiles infuſæ, quibus vtitur, ſunt naturalis ordinis,& connaturales animæ Chriſti; ſicut ſpecies infuſæ animæ ſeparatæ ſunt connaturales ipſi animæ pro illo ſtatu. Probatur hæc ſententia exemplo fidei infuſæ, quæ quidẽ eſt habitus ſupernaturalis; ſpecies tamen intelligibiles, quibus myſteria fidei apprehendimus, ſunt naturales, immo & à nobis miniſterio ſenſuum acquiſitæ.Ergo idẽ dicendum de ſcientia indita animæ Chriſti. 1

Secundo probatur.S.Thomas ar. 4.huius qu.ex eo probat,ſcientiam inditam animæ Chriſti ex parte ſu- 2

biecti eſſe infra ſcientiam Angelicam, quia eſt inferior, quantum ad modũ cognoſcendi connaturalem animæ humanæ, qui eſt per conuerſionem ad phantaſmata, & per collationem,& diſcurſum. Et in hoc articulo ad primũ ait.quod eadẽ ſciẽtia eſt infra ſcientiam Angelicam, ex parte recipientis, videlicet animæ humanæ, cui conuenit res cognoſcere, per ſpecies magis particulares, quàm Angeli:ſentit ergo, quod ſpecies inditæ animæ Chriſti ſunt ei cõnaturales, & nõ ſupernaturalis ordinis. Nihil enim ſupernaturale, & gratuitum poteſt eſſe debitum naturæ humanæ; aliàs, vt arguit Apoſtolus, [Iam gratia non eſſet gratia.]

Rom.4. & 11.

3 Oppoſitam ſententiam tenet Caiet.in hoc art. vbi docet, quod, ſicut ſcientia indita animæ Chriſti eſt ordinis ſupernaturalis, ita ſpecies intelligibiles infuſæ cũ illa: quæ ſententia eſt multo probabilior, & cedit in maiorem perfectione animæ Chriſti, & probatur. Primo:Species intelligibiles, quæ deſeruiunt alicui ſcientiæ,debent eſſe proportionatæ lumini ſcientifico;aliàs per eas non poſſet clare,& diſtinctè cognoſci obiectum in ſe ipſo:ſed lumen ſcientiæ inditæ animæ Chriſti eſt ſupernaturalis ordinis, vt ſupra oſtenſum eſt: Ergo ſimiliter,& ſpecies intelligibiles. Cõfirmatur. Vt docet Caiet.1.2.q.54. art.4. coadunatio, ſeu collectio ſpecierũ per ſe pertinet ad ſcientiam: Ergo,ſi ſcientia eſt ſupernaturalis, ſpecies intelligibiles debent eſſe eiuſdem ordinis.

4 Secũdo probatur. Nulla ſpecies naturalis ordinis poteſt repreſentare determinate,& diſtinctè futura cõtingẽtia in ſeipſis, vel actus liberos & cogitationes cordiũ: ſed ſpecies inditæ animæ Chriſti repræſentant determinatè,& diſtinctè futura cõtingentia in ſeipſis, & ſimiliter actus liberos, & cogitationes cordium, vt ex præmiſſis conſtat; ergo non ſunt nãlis ordinis, ſed diuini.

Tertio.Species intelligibiles deductæ, & exemplatæ ab eſſentia diuina, in quantũ habet rationẽ ſpeciei intelligilis, ſunt ordinis ſupernaturalis, nam participant ab eadẽ eſſentia virtutẽ repræſentandi,quæ naturaliter cognoſci non poſſunt. Atqui ſpecies inditæ animæ Chriſti ſunt deductæ,& exemplatæ ab eſſẽtia diuina,vt ſupra dictũ eſt:ergo. 5

Quarto. Species infuſæ animæ Chriſti abſolutè loquendo,ſunt magis perfectæ, & clarius,ac magis diſtinctè repræſentãt obiecta per eãdẽ ſcientiã cognoſcibilia, quã ſpecies inditæ Angelis etiã ſupremis: eo quod anima Chriſti ſecundum ſcientiã inditam eſt ſimpliciter ſuperior ad omnes Angelos, quamuis ſecundum quid ſit inferior, vt ſupra dictum eſt;ſed nulla ſpecies intelligibilis naturalis ordinis eſt ſuperior ad ſpecies intelligibiles inditas Angelis, præſertim ſupremis: ergo neceſſe eſt dicere, quod ſpecies inditæ animæ Chriſti ſint ordinis ſuperioris. 6

Quinto. Scientia per ſe infuſa eſt ordinis ſupernaturalis, vt omnes Theologi fatentur; ideo enim dicitur per ſe infuſa,quia nõ poteſt acquiri viribus naturæ, ſed ſolũ cauſatur ſpeciali actione à Deo, vt eſt auctor gratiæ: Ergo ſimiliter ſpecies per ſe infuſæ ſpeciali actione à Deo,vt eſt auctor gratiæ,pertinent ad ordinem ſupernaturalẽ. ſed ſpecies inditæ animæ Chriſti ſunt per ſe infuſæ: cum non poſſint miniſte- 7

rio

rio ſenſuum viribus naturæ acquiri; quia ſenſus non ſe extendit ad futura contingentia, neque ad cogitationes cordium, vel ad ſubſtantias ſeparatas,& alia plura obiecta, quæ medijs ſpeciebus infuſis cognoſcuntur ab anima Chriſti per ſcientiam inditam: ergo.

8 AD primum argumentum reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: nam cognitio fidei eſt obſcura, & imperfecta, per quam ſubinde non cognoſcuntur euidenter in ſe ipſis, aut in ſuis effectibus, quæ diuinitus reuelantur. Vnde ad cognitionem fidei ſufficiunt ſpecies ordinis naturalis, ſecundum quod per habitum fidei,& per auxilium ſpeciale præuenietis gratiæ eleuantur, vt concurrant ad aſſenſum fidei. Cæterum cognitio ſcientiæ inditæ animæ Chriſti eſt perfecta, & euidens ſaltem euidentia in atteſtante, & quam plurima obiecta cognoſcuntur per eam euidenter in ſe ipſis, vt futura contingentia, cogitationis cordium, & ſubſtantiæ ſeparatæ: & ideo oportet, quod ſint ſpecialiter deductæ, & exemplatæ ab eſſentia diuina, in quantum habet rationem ſpeciei intelligibilis, ac per conſequens ſunt ordinis Diuini.

9 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod, quamuis anima Chriſti poſſit vti ſpeciebus infuſis cognoſcendo res per cōuerſionem ad phantaſmata,& cū quadam collatione,& diſcurſu, non tamen eſt alligata ad iſtum modum cognoſcēdi: ſed poteſt vti ſcientia indita cognoſcendo res abſque conuerſione ad phantaſmata, & ſine diſcurſu, vt ſupra dictum eſt. id quod ei competit ex vi vnionis hypoſtaticæ,& beatificæ, vt ex præmiſſis cōſtat. Sicut ergo gratia habitualis, quamuis ſit ordinis ſupernaturalis, dicitur connaturalis humanitati Chriſti, non ſecundum ſe conſideratæ, ſed vt aſſumptæ à Verbo, vt ſupra dictum eſt; ita & ſpecies illi infuſæ, licet ſint ordinis ſupernaturalis, poſſunt dici connaturales animæ Chriſti, vt coniunctæ Verbo per vnionem hypoſtaticam, & beatificam: aut etiam, quia perficiunt animam conformiter ad propriam eius naturam: Ad ſaluandam autem rationem gratię in ſpeciebus infuſis, vel in habitibus ſupernaturalibus comparatione animæ Chriſti; ſufficit, quod non ſint hæc dona humanitati Chriſti debita ſecundum ſe conſideratæ: Nec deſtruit rationem gratiæ, quod hæc dona ſint connaturalia animæ Chriſti, vt vnitæ Verbo: quia vnio hypoſtatica,& beatifica, fuit omnino gratuita comparatione animæ Chriſti, vt dictum eſt ſupra,& patebit infra. Vnde, quidquid per modum naturæ ſequitur ad talem vnionem, habet rationem gratuiti doni comparatione humanitatis aſſumptæ. 10 Ad alium locum ex ſolutione ad primum huius articuli reſpondetur, ſanctum Thomam ſolum docere, quod ſpecies infuſæ perficiunt animam Chriſti modo ſibi connaturali, qui eſt cognoſcere cum diſcurſu, & conuerſione ad phantaſmata; non tamen ſequitur ex hoc, quod ſpecies illæ ſint naturalis ordinis, aut eiuſdem rationis cum ijs, quas miniſterio ſenſuum nos acquirimus. Nam gratia habitualis,& alij habitus per ſe infuſi perficiunt hominem conformiter ad eius naturam, eo quod gratia non deſtruit, ſed perficit naturam: & tamen ex

hoc non licet inferre, gratiam eſſe naturalis ordinis, vel connaturalem alicui creaturæ, cum id etiam de potentia Dei abſoluta fieri non poſſit, vt diſp. 69. de Auxil. oſtendi.

QVAESTIO XII.

De ſcientia Animæ Chriſti acquiſita.

IN hac quæſtione habet S. Thomas quatuor concluſiones, iuxta numerum articulorum.

Artic.1. PRima concluſio in articulo primo. Per ſcientiam acquiſitam ſciuit anima Chriſti omnia illa, quæ poſſunt ſciri per actionem intellectus agentis. Probatur; ſicut ſcientia infuſa ponitur in anima Chriſti ad perfectionem intellectus poſſibilis, ita ſcientia acquiſita ponitur in eadem anima propter conuenientiam intellectus agentis, ne eius actio ſit otioſa: ſed ſcientia infuſa animæ Chriſti extendit ſe ad omnia, ad quæ eſt in potentia intellectus poſſibilis: ergo per ſcientiam acquiſitam ſciuit omnia, quæ per actionem intellectus agentis cognoſci poſſunt.

Artic.2. Secunda concluſio in articulo ſecundo. Anima Chriſti in ſcientia acquiſita, quæ ſecundum habitum *Luca* 2. in eo fuit, diſcurſu temporis profecit iuxta illud Lucæ 2. [Ieſus pro- Ambroſ. lib. de Incarnatio. Dominica cap 7. tom. 2. ficiebat ſapientia, & ætate, &c.] quod Ambroſius explicat de ſapientia humana. Probatur: anima Chriſti ſucceſſiuè alias, & alias ſpecies abſtrahebat à phãtaſmatibus, quibus ſcientia acquiſita augebatur: ergo.

Art.3. Tertia concluſio in articulo tertio. Chriſtus nihil didicit ab vllo homine. Probatur: Chriſtus conſtitutus eſt à Deo caput Eccleſiæ, & doctor omnium hominũ; ergo non fuit conueniens eius dignitati, vt à quocumque homine doceretur.

Quarta concluſio in articulo quarto. Art. 4. Chriſtus nihil accepit ab Angelis. Probatur ex Dionyſio cap. Dionyſ. 7. cæleſtis Hierarchiæ dicẽte, quod Angelos ipſe Ieſus ſine medio docet. Nõ eſt autem eiuſdem docere, & doceri: Ergo Chriſtus non accepit ſcientiam ab Angelis. Secundo in corpore. Anima Chriſti accepit ſciẽtiam infuſam immediatè à Deo: ſcientiam autem experimentalem acquiſiuit lumine intellectus agentis, abſtrahendo ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, ad quod non requiritur lumen Angelicum: ergo.

Circa iſtam quæſtionem nulla ſe offert grauis difficultas: omnia enim, quæ ad illam pertinent, ſatis dilucidè explicantur à Domino Caietano, & M. Medina. Qualiter autem intelligenda ſint verba Lucæ cap. 2. [Ieſus autem proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud Deũ, & homines] diſp. 54. ad 1. dictũ eſt.

QVAESTIO XIII.

De potentia Animæ Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum Anima Chriſti habuerit omnipotentiam ſimpliciter.

COncluſio eſt negatiua. Probatur. Illud, quod eſt proprium Dei, nõ poteſt alicui creaturæ conuenire, ſed proprium eſt Dei habere omnipoten-

poten-

potentiam ſimpliciter, iuxta illud
Exod. Exod. 15. [Omnipotens nomen eius.] Ergo. Secundo in corpore. Potentia actiua cuiuslibet rei ſequitur formam ipſius, quæ eſt principium agendi: ſed anima Chriſti eſt finita, cum ſit creatura; Ergo potentia actiua, quæ ſequitur illam, eſt finita & limitata, non ergo habet omnipotentiam ſimpliciter.

Circa primam rationem S. Thomæ notãdum, perfectiones, quæ formaliter reperiuntur in Deo, vt ſupra obſeruaui, eſſe in duplici differentia, quædam in ſuo cõceptu formali nullam includunt infinitatem; ſed abſtrahunt ab illa, ſicut eſſe, viuere, & intelligere, quę ſubinde cõmunicari poſſunt creaturæ, & illi per participationem conuenire, ſicut de facto conuenit hominibus, & Angelis. Aliæ includunt in ſuo conceptu formali infinitatem ſimpliciter, ſicut eſſe purum actum, habere eſſe per eſſentiam, & ſimilia: & iſtæ perfectiones ita ſunt Dei propriæ, vt non poſſint etiam de potentia abſoluta alicui naturæ creatæ, vel creabili communicari, & huius generis eſt omnipotentia ſimpliciter, cum non limitetur ad aliquem effectum determinatum, ſed poſſit ſe ad omnes effectus poſſibiles, qui limitationem non habent, extendere.

ARTICVLVS II.

Vtrum Anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

1 PRima concluſio. Si anima Chriſti conſideretur ſecũdum propriam naturam, & virtutem ſiue naturalem, ſiue gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus, qui ſunt animæ conuenientes; puta ad gubernandum corpus, & ad diſponendos humanos actus, & ad illuminandum per gratiæ, & ſcientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales.

Secunda concluſio. Anima Chriſti, prout inſtrumentum Verbi Dei ſibi perſonaliter vniti, habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas ordinabiles ad incarnationis finem.

Tertia concluſio. Anima Chriſti non habuit virtutem ad creandum, vel ad annihilandum. Probatur. Eiuſdem eſt tranſmutare creaturas creando, vel annihilando, cuius eſt eas conſeruare; ſed hoc eſt ſolius Dei, ſecundum illud Hebræor. 1. *Heb.* 1.
[portans omnia Verbo virtutis ſuæ.] Ergo, &c.

Expoſitio Articuli.

a POtiſſima difficultas huius articuli, eſt circa ſecundam eius concluſionem. Vtrum videlicet humanitas Chriſti efficienter, & ad modum cauſæ phyſicæ concurrat ad omnes immutationes miraculoſas, an ſolum moraliter: ſed quia generaliter hæc quæſtio diſcuſſa eſt à nobis de gratia, & miraculis ſupra quæſt. 8. art. 3. diſp. 38. ideo nunc ſolum eſt agendum in particulari de aliquibus immutationibus ſupernaturalibus, quæ ad finem incarnationis ordinantur. ex quibus facile colligi poterit, quid de alijs miraculis dicendum ſit.

DISPVTATIO LXVI.

An humanitas Chriſti concurrat; vt inſtrumentum phyſicum ad omnes immutationes ſupernaturales.

3 PRIMA ratio dubitandi eſt circa tranſubſtãtiationẽ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti. Hæc enim mutatio admirabilis ordinatur ad finem incarnationis, & tamen humanitas Chriſti non concurrit ad illam inſtrumentaliter ad modum cauſæ phyſicæ; ergo non eſt inſtrumentum phyſicè concurrens ad omnes immutationes creaturarum ordinabiles ad finem incarnationis. Minor probatur. Humanitas Chriſti eſt terminus conuerſionis ſacramentalis. nam vt declarat Concil. Trid. ſeſſione 13. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 3. ſub ſpeciebus panis eſt corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini ſanguis, ex vi verborum: reliqua vero, quæ ſibi ſunt vnita, per realem cõcomitantiam. Ergo humanitas Chriſti non concurrit efficienter, etiam inſtrumentaliter ad modum cauſæ phyſicæ ad eiuſmodi mutationem ſacramentalem. Probatur conſequentia; nam impoſſibile eſt, quod aliquid ſit cauſa efficiens, etiam inſtrumentalis alicuius mutationis ſubſtantialis, & terminus illius.

4 Secunda ratio dubitandi eſt circa quædam miracula, in quibus non ſaluantur ex parte humanitatis ea, quæ neceſſaria ſunt ad rationem inſtrumenti phyſici. Etenim vt docet ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 45. art. 5. de ratione inſtrumenti eſt, quod virtute propriæ formæ producat in paſſo aliquam actionem, per quam diſpoſitiuè operetur ad effectum principalis agentis; ſi enim inſtrumentum nihil ageret, ſecundum illud quod eſt ſibi proprium, fruſtra adhiberetur ad agendum, nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum. & conſtituit exemplum ſanctus Doctor in ſecuri: nam ſcindendo lignum, quod habet ex proprietate ſuæ formæ, producit ſcamnum, quod eſt effectus principalis agentis. Sed quando Chriſtus Dominus illis verbis (Lazare veni foras) ſuſcitauit Lazarum, humanitas eius virtute propriæ formæ nihil operata eſt circa animam Lazari exiſtentem in limbo; Tum quia vox Chriſti erat corporalis, anima vero ſpiritualis; corpus autem non poteſt virtute propria agere in ſpiritum; Tum etiam, nam vox illa non poterat pertingere ad locum ita diſtantem, ſicut eſt limbus. Ergo, &c. Idem argumentum poteſt fieri de alijs miraculis, quæ operatus eſt in ſubiectis valde diſtantibus, vt cum Ioannis 4. dixit Regulo. [Vade filius tuus viuit,] & Matthæi 8 Centurioni. [Vade fiat tibi ſicut vis, & ſanatus eſt puer in illa hora.] *Ioa. 11.* *Ioan. 4.* *Mat. 8.*

Confirmatur. Quando Chriſtus dixit dæmoni Lucæ 4. [obmuteſce, & exi de homine,] humanitas eius virtute propriæ formæ nihil operata eſt erga dæmonem, vt ipſum expelleret à corpore inſtrumentaliter, aut vero, vt compeſceret cum ne loqueretur: nam illud ſilentium dæmonis ſolum erat nega- *Luca 4.*

tio

tio poſitiui effectus, quæ ſubinde non poterat procedere ad humanitate Chriſti tanquam à phyſico inſtrumento. Ergo non ad omnia miracula cooperata eſt inſtrumentaliter ad modum cauſæ phyſicæ.

Tertio. Humanitas Chriſti non potuit eſſe phyſicum inſtrumentum illius miraculi, quo ambulauit ſuper aquas Matthæi 24. quia nihil operata eſt in ipſis aquis, quo virtute diuina ſuſtineret corpus, ne ſubmergeretur. Ergo idem quod prius.

5 Quarto. Deus etiam de potentia abſoluta non poteſt pro ſua voluntate ſumere quamlibet rem, vt inſtrumentum phyſicum ad quemlibet effectum, niſi ſuapte natura proportionē, & inclinationem, aut præparationem aliquam habeat accommodatam ad ipſum effectum. aliàs poſſet aliquid aſſumere, vt inſtrumentum phyſicum ad creandum, quod eſt contra ſanctum Thomam prima parte quæſt. 45. art. 5. Sed humanitas Chriſti ex ſe nullam talem habet proportionem, aut inclinationem accommodatam ad opera admiranda, & ſupernaturalia. Ergo non concurrit ad ea, vt inſtrumentum phyſicum.

S. Thom. Confirmantur hæc omnia auctoritate ſancti Thomæ in 3. diſtinct. 16. quæſt. 1. art. 6. vbi ait, in humanitate Chriſti, aut alterius ſancti ſolum poſſe eſſe virtutem ad immutanda corpora per modum orationis, aut interceſſionis. Hic autem modus ſolum eſt moralis, non autem phyſici inſtrumenti; ergo.

6 Vazq. Diſput. 57. cap. 5. His argumentis cōuicti quidam Theologi ſentiunt, humanitatem Chriſti ſolum moraliter concurrere ad immutationes miraculoſas, vel ſupernaturalis ordinis: non autem vt inſtrumentum phyſicum: & referunt pro hac ſententia Durandum in 3. diſtinct. 14. q. 5. ad ſecundum, & Ferrarienſem 3. contra gentes cap. 202. §. circa rationem, & §: conſiderandum vlterius; vbi tale genus inſtrumenti reſpectu Dei tribuit oſſibus ſanctorum ad facienda miracula.

Hæc tamē ſententia nec videtur vera, neque ad mentē S. Tho. in hoc art. & alijs in locis inferius allegandis. Ad cuius euidentiā conſiderandū eſt, quod vt infra q. 62. art. 5. in corpore, & 4. contra gentes c. 41, docet S. Tho. [duplex eſt inſtrumentum: vnum quidem ſeparatum, vt baculus, aliud autem cōiunctum, vt manus. Per inſtrumentū autem coniunctum mouetur inſtrumentū ſeparatū, ſicut baculus p manū. Principalis autē cauſa efficiens gratiæ eſt ipſe Deus, ad quem comparatur humanitas Chriſti ſicut inſtrumentū coniunctū, ſacramentū autē ſicut inſtumentū ſeparatum. & ideo oportuit, quod virtus ſalutifera à Diuinitate Chriſti, per eius humanitatem in ipſa ſacramenta deriuetur.] Ex quo manifeſte colligitur, 7 eodem genere cauſalitatis concurrere humanitatē Chriſti ad immutationes, vel effectus ſupernaturalis ordinis, quo inſtrumēta ſeparata, ſiue inanimata, ſiue animata cōcurrunt. Secundo notandū, ad rationem inſtrumenti phyſici duo eſſe neceſſaria ſimpliciter. Not. 2. Primo, quod ratione propriæ formæ habeat aliquā actionē, quæ eleuetur ad effectum principalis agentis, & operetur diſpoſitiuè ad illū: ſiue illa actio ex natura ſua cōtingat immediatè ſubiectū, circa quod operatur principale agēs, ſiue nō: aliàs enim inſtrumentū nihil cōduceret ad effectū agētis

principalis, ſed eodem modo produceretur effectus ſine inſtrumento, atque cum illo, & ideò fruſtra adhiberetur inſtrumentum: & nomine actionis comprehendimus etiam contactum realem, ſiue ſit quantitatiuus, ſiue contactus virtutis, vt quæſt. 6. de potentia art. 4. explicat S. Thomas.

Secundo requiritur, quod virtus principalis agentis modificetur, & determinetur in inſtrumento ad producendum effectum ſuum per tale inſtrumentum, & non aliter, cuius ratio eſt: nam virtus principalis agentis debet eſſe intentionaliter in inſtrumento, vt docet S. Thom. quæſt. 3. de potentia, art. 7. ad 7. & 3 par. q. 62. art. 4. ad 3. Vnde oportet, quod modificetur, & determinetur in eodem inſtrumento, vt per illud producat effectum, & non aliter; aliàs inſtrumentum haberet ſe concomitanter, & per accidens comparatione eiuſdem effectus, ac per conſequens fruſtra adhiberetur.

8 Ex quo rurſus ſequitur tertio, rem futuram etiam de potētia Dei abſoluta non poſſe aſſumi, vt inſtrumentum phyſicum ad productionem alicuius effectus, quia in re futura non reperiuntur huiuſmodi conditiones; etenim ad rationem inſtrumēti præſupponitur eius exiſtentia, quia nihil operatur efficienter, niſi in quantum eſt actu in ſeipſo, vel in ſua virtute. res autem futura nondum habet, nec vnquam habuit eſſe in actu. Sequitur præterea, quod licet ſecundum communem curſum naturæ res præterita, & eius actio, non ſit inſtrumentum phyſicum ad producendum aliquē effectum, de potentia tamen Dei abſoluta id non repugnat, quia in actione præterita concurrere poſſunt, quæ neceſſaria eſſe diximus ad rationem inſtrumenti. Immò de facto mors Chriſti eſt cauſa phyſica noſtræ redemptionis, vt dicit S. Thomas infra q. 48. art. 6. ad 3. & idem docet de reſurrectione Chriſti quæ eſt præterita. Quia tamē aliquando habuit exiſtentiā, & virtus diuina determinauit ſeipſam ad redimendum genus humanum per paſſionem, & mortem Chriſti, & complendam eandem redemptionem per eius reſurrectionem, & nō aliter: ideo concurrunt vt inſtrumentum phyſicum ad eiuſmodi effectum: & idem contingit in Sacramentis nouæ legis, quæ recedente fictione operantur gratiam per modum cauſæ phyſicæ, vt plures Thomiſtæ ſentiunt.

Sequitur quarto, creaturam nihil operantem aſſumi non poſſe, vt inſtrumentum phyſicum ad aliquē effectum: Verbi gratia lignum, quod nullam habet operationem ſibi connaturalem, aſſumi non poteſt, vt inſtrumentum phyſicum ad ſuſcitandum mortuum. ita docet Magiſter Bañes 1. par quæſt. 45. art. 5. coroſario 3. quia ad rationem inſtrumenti requiritur, vt propria virtute operetur diſpoſitiuè ad actionem principalis agentis. Hæc autem operatio propria inſtrumenti diſpoſitiuè, & quaſi materialiter ſe habet ad duo: primo, vt virtus principalis agentis communicetur inſtrumento: ſecundo, vt deferat, & applicet virtutem principalis agentis ad effectum, vt quæſt. 6. de potentia art. 4. explicat S. Thomas. 9

Tertio, notandum, illud eſſe inſtrumentum phyſicum, quod per ſuam actionem eleuatam à principali agente, verè efficienter producit effectum Not. 3.

fectum eiuſdem agentis principalis; morale verò inſtrumentum eſt illud, quod re vera non attingit efficienter effectum, ſed ſolum mouet obiectiuè ad illum, tanquam ſignum, vel aliud medium, quo moralis cauſa principalis vtitur. Hoc modo pecunia data pro redemptione captiui eſt inſtrumentum liberandi ipſum, & ſimiliter chyrographum, quo talis pecunia promittitur. Cauſa verò moralis principalis eſt, quæ metaphorice attingit effectum conſiliando, imperando, ſuadendo, orando, merendo, vel alijs medijs pertinentibus ad mores.

10 PRima concluſio. Chriſtus in quantum homo, ſeu eius humanitas eſt cauſa principalis moralis omnium immutationum ſupernaturalium, quæ ad finem incarnationis ordinantur, ſiue ante incarnationẽ, ſiue poſt fuerint exhibita. Probatur. Cauſa moralis principalis eſt illa, quæ operatur effectum, orando, vel merendo; ſed propter merita Chriſti præuiſa, vel exhibita, Deus operatus eſt omnes immutationes ſupernaturales, & miracula, quæ ad finem incarnationis ordinantur: ergo. Minor probatur. Merita Chriſti præuiſa, vel exhibita ſunt cauſa prædeſtinationis noſtræ, quantum ad omnes effectus illius, vt in lib. de Auxilijs Diſp. 39. oſtenſum eſt. Ergo à fortiori ſunt cauſa meritoria omnium immutationum ſupernaturalium, quæ ad finem incarnationis, vel ad bonum prædeſtinatorum ordinantur. Confirmatur ex aliquibus miraculis, quæ Chriſtus Dominus oratione præmiſſa operatus eſt, ſicut quo ſuſcitauit Lazarum; ait enim
11 [Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.] & eodem cap. dixit Martha ad Ieſum, [Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.] & Matth. 26. ipſe Dominus dixit ad Petrum: [An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & dabit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?] ex quibus conſtat ſuis orationibus obtinuiſſe Chriſtum, vt Lazarus à mortuis reſurgeret, & alia quamplurima fierent miracula: ergo fuit eorum cauſa moralis.

Matth. 26.

SEcunda concluſio. Humanitas Chriſti poſt incarnationem eſt cauſa inſtrumentalis phyſica omnium miraculorum, & mutationũ ſupernaturalium, quæ ad finem eiuſdem incarnationis ordinantur. Hæc videtur expreſſa ſententia S. Thomæ in ſecunda concluſione huius articuli, vbi in eo ſenſu affirmat, humanitatem Chriſti eſſe inſtrumentum ad omnes immutationes miraculoſas, quo in concluſione 3. negat eſſe inſtrumentum ad creandum: ſed tertia concluſio intelligitur de inſtrumento phyſico, quia per orationem, & meritum potuit eſſe inſtrumentum morale ad creandum; nam potuit ſua oratione impetrare vnius Angeli creationem: ergo. 11

Præterea probatur ratione. Sacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta ſeparata Dei; humanitas autem Chriſti, eſt inſtrumentum coniunctum diuinitati, ſed Sacramenta nouæ legis cauſant inſtrumentaliter gratiam, ad modum cauſæ phyſicæ, vt cum S. Thoma docent communiter Thomiſtæ, & alij quãplurimi Theologi: ergo & humanitas Chriſti concurrit inſtrumentaliter,

S. Tho. infra q. 62. art. 4 Caiet. eodẽ art. & q. 78. art. 4. Suarez q. 62. Diſp. 9. ſect. 2. §. dicendum eſt.

taliter, vt vera cauſa efficiens, ſeu phyſica ad eandem gratiam conferendam,& ad omnia miracula, ſeu immutationes ſupernaturales,quæ ad finem incarnationis ordinantur.

Confirmatur. Sacerdos conſecrans eſt cauſa phyſica inſtrumentalis conuerſionis panis in corpus Chriſti, & ſimiliter cauſat inſtrumentaliter gratiã, vt vera cauſa phyſica, cum peccatorem abſoluit à peccatis: alias illa forma eſſet falſa; Ego te abſoluo: ergo & humanitas Chriſti concurrit ad iſtos effectus, atque ad alias immutationes ſupernaturales eodem genere cauſalitatis. Alias rationes pro hac concluſione adduxi Diſput.trigeſima octaua;ideo non oportet pluribus eam confirmare, ſolum eſt obiectis ſatisfaciendum.

13 AD primum argumentum quidam Thomiſtæ, vt faciliius explicent,conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti eſſe mutationem ſubſtantialem, dicunt,eiuſmodi conuerſionem,quãtum eſt ex parte ſua eſſe productiuam corporis Chriſti; de facto tamen non producit illud, quia præexiſtit ſub propria ſpecie in rerum natura. Iuxta iſtam ſententiam argumentum propoſitũ habet maiorem difficultatem. quia id,quod non exiſtit, non poteſt eſſe cauſa efficiens inſtrumentalis ad productionem ſui ipſius. Præterea,cum virtus illa ꝓductiua corporis Chriſti, quæ ponitur in verbis ſacramentalibus, nunquam ſit reducendam in actum, nec poſſit reduci de potentia ordinaria, fruſtra ponitur in eiſdem verbis, præſertim, cum abſque illa ſaluetur vera, & propria ratio tranſmutationis ſubſtantialis totius ſubſtantiæ panis in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, vt infra quæſt. 75. art. 2. docent quamplurimi Thomiſtæ. Aliter ergo reſpondetur ad argumentum, quod quando terminus producitur per actionem, impoſſibile eſt,quod aliquid ſit terminus actionis,& cauſa inſtrumentalis illius. In conuerſione autem ſacramentali non producitur de nouo corpus Chriſti, ſed in ipſum iam præexiſtens tota ſubſtantia panis conuertitur, quæ quidem conuerſio eſt fundamentum realis exiſtentiæ eiuſdem corporis ſub ſpeciebus ſacramentalibus: vnde non inconuenit, quod humanitas Chriſti ſit cauſa inſtrumentalis phyſica eiuſdem conuerſionis.

Ad ſecundum reſpondetur per ea, quæ in ſecundo notabili dicta ſunt, eſſe quidem neceſſarium ad rationem inſtrumenti, quod virtute propriæ formæ habeat aliquam actionem; nõ tamen oportet,quod per illam attingat immediatè ſubiectum, in quo producitur effectus principalis agentis: ſed ſufficit, quod illud attingat vt eleuata ab eodem agente principali. Nõ enim oportet ponere in inſtrumẽto phyſico duas actiones diſtinctas realiter, tanquam res à re: alteram propriam inſtrumenti,alteram participatam principalis agentis, vt Ferrarien.ſentit; ſufficit enim vnica actio inſtrumenti, quæ eleuata à principali agente attingit eius effectum, ſicut ſerra per ſciſſionem propriam, vt ab artifice mouetur, facit ſcamnum. Ita Caiet. & Magiſter Bañes 1.par.quæſt.45.art.5. §. Ad ſecundam confirmationem. Quamuis negari non poſſit, vt bene notauit Bañes, actionem inſtrumenti, vt ei propriã diſtingui formaliter à ſeipſa, vt eleuatur à principali 14

Ferrar. 2. cõt.gent. c.21.§.ad euidẽtiã.

cipali

cipali agente. Illa ergo Verba Chriſti Domini [Lazare veni foras] licet virtute propria nihil operata ſint circa animã Lazari exiſtentẽ in limbo, vt reuniretur corpori: id tamen effecerunt, & ad animã peruenerunt virtute diuina, iuxta illud Pſalm. 67. [dabit voci ſuæ vocem virtutis.] Et ad impugnationem reſpondetur, quod corpus virtute principalis agentis Dei, poteſt agere in ſpiritum; non quidem contactu quantitatiuo, ſed contactu virtutis: Sicut enim Angelus, cum ſit ſpiritus, cælum corporeum, quod mouet, tangit contactu virtutis, ita è conuerſo corpus virtute diuina poteſt contactu virtutis ſpiritum contingere, & ſimiliter poteſt virtute Dei, qui vbique eſt præſens, agere in ſubiectum

Obiectio diſtans. Sed vrget argumentum. Virtus diuina, quæ eſt in voce corporali, eſt corporalis: quia omne quod recipitur, recipitur ad modum recipientis; Ergo vox illa non poteſt etiam virtute diuina agere

Solutio in ſpiritum: Reſpondetur, quod, licet virtus illa ſit formaliter corporalis, eſt tamen virtualiter ſpiritualis, quia eſt virtus Dei, qui eſt ſpiritus: & ideo ratione illius habuit vox illa proportionem cum anima Lazari diſtante, vt poſſet eam inſtrumẽtaliter ad corpus reuocare: ſicut motus cæli, licet ſit formaliter corporeus, & non vitalis, poteſt tamen iuxta ſententiam S. Thomæ producere inſtrumentaliter formalem vitam in rebus inferioribus, quia eſt virtualiter vitalis, vt procedit ab intelligẽtia motrice. Idem dicendum proportionabiliter de alijs miraculis, quæ Chriſtus Dominus circa ſubiectum diſtans operatus eſt, & nunc etiam operatur exiſtens in cœlo.

Ad confirmationem reſpondetur ſimiliter, verba illa Chriſti Domini, quæ virtute propria percutiebant aerem circumſtantem, virtute diuina compellebant dæmones, & agebant in illos inſtrumentaliter, vt exirent à corporibus obſeſſis, & tacerent. Et licet ſilentium ſit formaliter negatio, aut priuatio loquelæ; fundamentaliter nihilominus erat in dæmonibus aliquid poſitiuum, eos cogens, & impediens, ne mouerent dæmoniacos ad loquendum; ſicut verbigratia, cum quis compedibus ferreis ligat pedes alicuius, ne currat, negatio curſus formaliter non eſt aliquid poſitiuum, ſed priuatio. Cæterum impedimentum obſtans, ne currat, eſt formaliter aliquid poſitiuum.

Ad tertium reſpondetur, quod humanitas Chriſti pedibus virtute propria contingendo aquas maris, fuit inſtrumentum phyſicum deitatis, quo fecit, ne aquæ cederet corpori. Dicit enim Dioniſius. [Aqua inſtabilis, ac fluida materialium, terrenorumque pedum ſuſtinens pondus, nec cedens, ſed ſuper mundana, admirandaque potentia conſtans ad materiæ ſolidioris imaginem conuerteretur,] quod etiam Damaſcenus lib. 3. de fide orthodoxa. c. 15. his verbis confirmat, [Qui, ſupra quàm humana conditio ferret, ea, quæ erant hominum, agebat, vt cum in fluxa, & inſtabili vnda terrenis pedibus incederet, non indurata aqua, verum per eximiam diuinitatis potẽtiã ita comparata, vt minime difflueret, pedumque corporeorum grauitati cederet.] Videatur Abul. q. 153. ſuper cap. 14. Matth. Conſonat hæc ſolutio verbis Luc. 6. [Et omnis

Dioniſius ep. 4. quæ eſt ad Caiũ & cap. 1. de diuinis nominibus.

S. Damaſcenus.

Abulẽſis

turba

Lucæ 8. turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat,& ſanabat omnes]& Lucæ 9. cũ tactu fimbriæ ſanaſſet mulierẽ, quæ ab annis duodecim fluxum ſanguinis patiebatur, ait,[Tetigit me aliquis;nam & ego noui virtutẽ de me exiſſe.]quibus verbis ſignificatur,humanitatem Chriſti virtute diuina tanquam inſtrumentum coniunctum miracula illa perfeciſſe.

17 Ad quartum reſpondetur, quod vt bene notauit Magiſter Bañes. Inſtrumenta phyſica ſunt in duplici differentia. Quædam ex natura ſua habent, quod ſint inſtrumenta ad effectum principalis agentis, quemadmodum calor ſua natura eſt inſtrumentum ignis ad generandum ignem, & ſerra per formam ſibi propriam, eſt inſtrumentum proportionatum ad faciendum ſcamnum. Alia vero ſunt inſtrumenta non propter aliquam proprietatem naturalem, aut proportionẽ, quam habeant ad producẽdum effectum principalis agentis, ſed ex ſola diuina voluntate eleuante creaturam, & eius actionem ad effectũ excedentem totum ordinem naturæ, ſicut eleuantur ſacramenta nouæ legis,vt ſint inſtrumenta gratiæ. Quo ſuppoſito dicendum eſt, quod inſtrumenta phyſica primi generis debent habere ſuapte natura proportionem, & inclinationem, aut præparationem aliquam accommodatam ad producendum effectum principalis agentis; non autem eſt hoc neceſſarium in inſtrumentis ſecundi generis, ſed ſufficit, quod ex inſtitutione,& beneplacito diuinæ volũtatis talem inclinationem, & proportionem habeant; ita vt virtute diuina attingãt, & diſponant ſubiectum, circa quod operatur agens principale,vt patet ex S. Thoma 2. ſecundæ q. 178. art. 1. ad primum;vbi docet,poſſe Deum eleuare intellectionem, & quamlibet actionem internam, vt inſtrumentaliter concurrat ad effectum miraculoſum in exteriori & corporeo ſubiecto; cum tamen certum ſit,actum immanentem intellectus, & voluntatis ſuapte natura nullam habere proportionem, inclinationem, aut præparationem accommodatã ad opera miraculoſa, quæ fiunt à Deo, tanquam à cauſa principali in rebus externis, & corporeis. Et hoc ſecundo modo humanitas Chriſti eſt inſtrumentum phyſicè concurrens, ad omnes immutationes miraculoſas ad finem incarnationis ordinatas. Et ſi quis inquirat:an concurrat etiam inſtrũmentaliter phyſicè ad miracula, quæ poſt incarnationem facta ſunt à S. Petro, & alijs ſanctis. reſpondetur affirmatiuè; quia,vt ex præmiſſis conſtat, quæ procedunt ab inſtrumentis ſeparatis, fiunt à principali agente per inſtrumentũ coniunctum.Cũ ergo humanitas Chriſti ſit inſtrumentum coniunctum diuinitati,alij autem ſancti ſint inſtrumenta ſeparata,fit conſequens, vt inſtrumentaliter phyſicè ad omnia miracula concurrat, quæ Deus per ſanctos ſuos, aut eorum reliquias operatus eſt, & vſque modo operatur; præſertim, cum id cedat in maiorem excellentiam,& dignitatem humanitatis aſſumptæ. Ad huiuſmodi autem cauſalitatẽ phyſicam, non oportet ponere nunc in eius humanitate aliquam actionem corpoream, per quam diſpoſitiuè operetur miracula, quamuis aliquando interceſſerit, vt cum in conuerſione Pauli clamauit:[Saule, Saule,

Marginalia: Bãn.1.p. q.45.ar.5 — S. Thom. — 18 Dubium. — Act. 9.

Saule, quid me perſequeris.] ſed ſufficit actus intellectus, & voluntatis creatæ, quo vult, vt eiuſmodi miracula fiant per inſtrumenta ſeparata; nam (vt ſupra dictum eſt ex S. Thoma) eiuſmodi actus immanētes animæ rationalis, poteſt Deus eleuare, vt efficienter inſtrumentaliter ad miracula cōcurrant. Quod ſi in alijs Sanctis id fit, à fortiori credendum eſt fieri in anima Chriſti. Confirmatur hoc: nam illa volitio poteſt eſſe delatiua Diuini imperij ad creaturas, vt virtute eiuſdem imperij fiant mediante humanitate Chriſti miracula per Sanctos, aut eorum reliquias, & non aliter: ergo.

19 Nec ex hoc ſequitur, quod humanitas Chriſti poſſit aſſumi, vt inſtrumentum phyſicum ad creandum; & ratio huius eſt: quia producere ens in quantum ens, ita eſt proprium ſolius Dei, vt non poſſit creaturæ, etiam vt inſtrumento cōmunicari, eo quod omnis actio creaturæ, ſiue ſit cauſa principalis, ſiue inſtrumentalis, dicit intrinſecam habitudinem determinatam ad tale, vel tale ens. Nō enim ignis producit ignem in quantum ens, ſed in quantum eſt ignis. Ergo omnis actio creaturæ ex neceſſitate ſupponit ens, circa quod debet operari. Ergo etiam operatio diuina, vt determinatur in inſtrumento, & limitatur ex Dei voluntate ad operandum per illud, habet determinatam habitudinem ad tale, vel tale ens. Ergo non eſt productiua entis in quantum ens. Creatio autem eſt productio entis in quantum ens, ſiue productio entis ex nihilo, vt 1. par. q. 45. art. 1. & art. 4. ad 1. docet S. Thomas: ergo neque humanitas Chriſti, nec aliqua creatura poteſt aſſumi vt inſtrumentū ad creandum, vel deferre diuinum imperium ad nihil, vt ex illo per creationē producatur aliquid. Sed de hoc agitur ex profeſſo prima parte q. 45. art. 5. vbi eius expoſitores videri poterunt.

DISPVTATIO LXVII.

Vtrum ad facienda miracula ſit ponendus in anima Chriſti aliquis habitus.

1 QVidam partem defendunt affirmatiuam, quam probant. Primo ex ſacris literis, in quibus habetur, Deū dediſſe humanitati Chriſti poteſtatem, & virtutem ad facienda miracula. Matth. 9. [Vt autem ſciatis, *Mat.9.* quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, dicit paralitico: Surge, &c.] vbi ex vno effectu ſupernaturali probat, ſe habere poteſtatem ad efficiendum alium, vnde & ſubditur: [Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificabant Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.]

2 Secundo. Humanitas Chriſti in hoc excedebat alios prophetas, & ſanctos, per quos Deus operabatur miracula, quod alij non habent hanc poteſtatem, quaſi habitualem, vt illa, cum voluerint, vtantur, ſed per modum cuiuſdam actionis tranſeuntis interdum illam recipiunt, vt Gregorius dicit lib. 2. Dialogorum cap. 33. & S. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. At verò Chriſtus habuit hanc poteſtatem permanentem, & per modum habitus; quia ſicut

Digitized by Google

ſicut habitibus vtimur, cum volumus; ita ipſe arbitrio ſuo, & ad nutum ſuæ voluntatis poterat miracula facere, iuxta illud Matth. 8. *Matth. 8.* [Domine, ſi vis, potes me mundare: cui reſpondit Dominus, volo: *Luc. 18* Mundare.] & Lucæ 18. Interrogauit cæcum, dicens, [quid tibi vis faciam? at ille dixit, Domine, vt videam, & Ieſus dixit illi. Reſpice.] ergo.

Confirmatur. Id, quod eſt in anima per modum permanentis, eſt qualitas, vel habitus; nam diſpoſitio cito tranſit, cum ſit facile mobilis, vt dicitur in prædicamento qualitatis; ſed virtus faciendi miracula erat in anima Chriſti per modum permanentis, vt patet ex *Ioan. 1.* illo Ioan. 1. [Super quem videris Spiritum ſanctum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.] Quod, vt notauit Chryſoſtomus homil. 3. in Matthæum, ideo dictum eſt; quia in alijs Sanctis per modum motionis tranſeuntis, in Chriſto per modum permanẽtis fuit ſpiritus prophetiæ, & aliæ gratiæ gratis datæ.

3 Tertio. Hæc virtus data eſt humanitati, quaſi proprietas conſequens vnionem; ſed ipſa vnio eſt permanens, & perpetua: ergo & virtus faciendi miracula.

Quarto. Voluntas Chriſti, etiam ſi humana ſit, eſt tamen voluntas diuinæ perſonæ: ergo oportuit, vt ſemper eſſet efficax quantum abſolute vellet; atque adeo, vt haberet poteſtatem operandi miracula ſuæ voluntati ſubiectam.

Quinto. Prophetia, & aliæ gratiæ gratis datæ, & dona Spiritus ſancti, ponuntur in Anima Chriſti *S.Tho. q. 7. ar. 5. & ſeq.* per modum habitus, vt ſupra docet S. Thomas: nam ipſe prophetabat, quando volebat: ergo etiam eſt conſtituenda in eius humanitate per modum habitus virtus ad facienda miracula.

Sexto probari poteſt hæc ſententia. Si propter aliquam rationem, non eſſet conſtituendus habitus in humanitate Chriſti ad facienda miracula, maximè; quia humanitas ſolum concurrit ad miracula, vt inſtrumentum diuinitatis. Inſtrumentum autem non indiget habitu ad operandum, ſed ſolum motione principalis agentis. Hæc autem ratio eſt nulla: ergo. Minor probatur. Vt ſæpe docet S. Thomas *S.Tho. 1. 2. q. 68. ar. 3. ad 2. & 3 p. q. 7. ar. 1. ad 3. & de veritate q. 29. ar. 1. ad 9* inſtrumentum animatum indiget habitu ad operandum, licet inſtrumentum inanimatum, vt ſerra, habitu non indigeat; ſed humanitas Chriſti eſt inſtrumentum animatum, & liberum, quod non ſolum agitur, ſed etiam agit: ergo indiget habitu ad facienda miracula. 4

Confirmatur. Sacerdos per verba conſecrationis, concurrit inſtrumentaliter ad trãſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, & ſimiliter ad conferendam gratiam per Sacramentalem abſolutionem; & tamen quia eſt inſtrumentum animatum, & liberum, ponitur in eo habitualiter quædam poteſtas ſpiritualis, ſcilicet character, quo vtitur, cum vult, ad huiuſmodi effectus ſupernaturales producendos: ergo ſimiliter in anima Chriſti conſtituendus eſt habitus ad facienda miracula, quamuis ſolum concurrat ad ea inſtrumentaliter,

SEcunda ſententia eſt Magiſtri Medinæ in hoc articulo in ſolutione quartæ dubitationis, & aliorum Thomiſtarum, qui nullam qualitatem ſuper additam diuinitus infuſam per modum habitus con- 5

conſtituunt in anima Chriſti ad facienda miracula; ſed ſolum motionem per modum tranſeuntis, quatenus videlicet, vt inſtrumentum coniunctum diuinitati mouebatur à Deo. Pro cuius explicatione notandum, quod ſicut in Chriſto reperitur duplex natura, ſcilicet diuina, & humana; ita neceſſario diſtinguenda eſt in illo duplex operatio; altera diuina, quæ competit illi ſecundum naturam diuinam; altera humana ratione humanę naturæ, vt oſtendit S. Thom. infra quæſt. 19. art. 1. Conueniunt autem omnes Doctores in hoc, quod Chriſtus ſecundum naturam diuinam eſt cauſa principalis, & prima omnium immutationum creaturarum, & miraculorum, nam operationes ad extra ſunt communes toti Trinitati. Vnde ſicut Pater, & Spiritus ſanctus ſunt cauſa efficiẽs principalis omnium miraculorum, ita & Chriſtus ſecundum naturam diuinam, ratione cuius æqualis eſt Patri, & Spiritui ſancto, vt dicitur in Symbolo Athanaſij. Inter operationes autẽ procedẽtes à Chriſto Domino mediante eius humanitate, quædam pertinent ad ſtatum beatificum, ſicut viſio clara Dei, & actus charitatis beatificæ: aliæ verò operationes pertinebant ad Chriſtum, in quantum erat viator, ſicut ieiunare, pati, &c. & inter has operationes, quædam erant pure humanæ, ſicut manducare, ambulare, ieiunare, &c. aliæ vero erant humanæ, & diuinæ; quia nimirum humanitas concurrebat ad tales operationes, non ſola virtute naturali, ſed etiam virtute diuina. Propter quod S. Dionyſius cap. 2. de Diuinis nominibus eiuſmodi operationes appellat Theandricas, hoc eſt Dei viriles, vt explicat S. Thomas infra quæſt. 16. art. 1. ad primum. Et ad has operationes nõ oportet ponere aliquid ſuperadditum vnioni hypoſtaticæ, vel humanitati per modum habitus. Probatur hæc ſententia ex S. Thom. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad primum; vbi ait, quod miraculorum cauſa eſt diuina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari poteſt, & ideo impoſſibile eſt, quod principium operandi miracula ſit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Et q. 6. de potentia art. 4. explicans qualiter creaturæ intellectuales inſtrumentaliter concurrant ad miracula facienda, non ſolum merendo; ſed etiam ex poteſtate, ait. [Quod Deus ſolo imperio miracula operatur; videmus autem, quod imperium diuinum ad inferiores rationales ſpiritus, ſcilicet humanos mediantibus ſuperioribus, ſcilicet Angelis peruenit, vt in legis veteris latione apparet: & per hunc modum, per ſpiritus Angelicos, vel humanos, imperium diuinum ad corporales creaturas peruenire poteſt, vt per eas quodammodo ſpiritus humani, vel Angelici, vt inſtrumentum diuinæ virtutis ad miraculi perfectionem, non quaſi aliqua virtute habitualiter in eos manente, vel gratuita, vel naturali in actum miraculi poſſint; quia ſic quandocunque vellent, miracula facere poſſent: quod tamen Gregorius in 2. Dialog. non eſſe verum teſtatur.] S. Thom. Greg. in 2 Dial. c. 33. ia nonnullis exem plaribus.

6 Secundo probatur. Eo ipſo, quod humanitas eſt vnita Verbo diuino hypoſtaticè abſque alia qualitate ſuperaddita, habet ſufficiẽtem virtutem ad concurrendũ inſtrumentaliter

taliter ad miracula facienda. Ergo ſuperflue ponitur ad id noua qualitas, vel habitus. Antecedens probatur auctoritate Clementis Sexti in extrauag. Vnigenitus, de Pœnitentijs, & remiſſionibus, vbi docet; Guttam ſanguinis modicam propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani, ſufficere: Quibus verbis ſignificare videtur, quod abſque noua qualitate ſuperaddita per modum habitus, ex ſola vnione ad Verbum habeat virtutem ad ſanctificandũ homines, & ad immutationes ſupernaturales efficiendas. Tertio probatur. Inſtrumentum operatur virtute principalis agentis, quæ intentionaliter eſt in ipſo inſtrumento, ſicut colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis, vt q. 3. de potentia art. 7. ad 7. dicit S. Thomas. Ergo virtus principalis agentis exiſtens in inſtrumento non eſt qualitas permanens, neque habitus. Probatur conſequentia; quia eſt impoſſibile, quod eadem virtus principalis agentis ſit in inſtrumento per modum intenſionis, & per modum habitus permanentis; nam iſti duo modi non poſſunt ſimul eidem conuenire.

7 AD primum argumentum reſpondetur, eſſe quidem in humanitate Chriſti poteſtatem faciendi miracula; ſed illam habet ex cõiunctione ad Verbum abſque nouo habitu infuſo, vel qualitate ſuperaddita. Ad cuius maiorem explicationem notandum, quod, ſicut in rebus naturalibus ſecuris per artem accepit permanenter acumen, vt eſſet ad ſcindendũ apta, & quaſi in actu primo per eandem artem accepit rationem inſtrumenti, ſed quod actualiter concurrat inſtrumentaliter ad faciẽdum ſcamnum, habet ex motione artificis; ita proportionabiliter cum primum humanitas Chriſti vnita eſt Verbo diuino, conſtituta eſt quaſi in actu primo inſtrumentum ad omnes immutationes miraculoſas, quæ ad finem incarnationis ordinãtur. Poſt modum vero, cum à ſuppoſito diuino mouebatur ad facienda miracula, per talem motionem, ſortita eſt rationem inſtrumenti in actu ſecundo.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, humanitatem Chriſti excedere alios ſanctos in operatione miraculorum. Primo, quoniam alij ſancti quãdoque ſolum moraliter, quandoq; efficiẽter phyſicè cauſabant inſtrumentaliter miracula, vt Gregorius dicit 2. Dialog. cap. 30. & ſequentibus. Humanitas autem Chriſti, & moraliter, & efficienter phyſicè concurrit vt inſtrumentum ad omnia miracula. Secundo: nam humanitas Chriſti, eſt inſtrumentũ coniunctũ, alij vero ſeparatum. Tertio: quia humanitas Chriſti poſt incarnationẽ cõcurrit inſtrumentaliter ad oĩa miracula, quæ fiunt per ſanctos; illi vero non concurrunt inſtrumentaliter ad miracula, quæ immediate per humanitatem Chriſti facta ſunt, vel fiũt; cuius ratio eſt, quia (vt ſupra dictum eſt) inſtrumenta ſeparata mouentur à principali agente per inſtrumentum coniunctum. Vnde alij ſancti, cum ſint inſtrumenta ſeparata, dependent in operatione miraculorum ab humanitate Chriſti, tanquam ab inſtrumento coniuncto, & non è conuerſo. Quarto, nam humanitas Chriſti operatur miracula virtute propria ſuppoſiti, in quo ſubſiſtebat, alij vero 8

ſancti

Pſal. 76. ſancti non item. Deus eſt enim, qui vt ait Pſalmiſta [facit mirabilia magna ſolus.] Solus, inquit, quia virtute propria. Solus quia nullius indiget adiutorio. Vnde Auguſt. [fecit Moiſes mirabilia, ſed non ſolus, fecit Elias, & Elyſeus, fecerunt & Apoſtoli, ſed nullus eorum ſolus. Illi cum facerent, tu cum eis: tu quando faceres, non illi tecum, quia ſolus operabaris: non enim tecum fuerunt, cum feciſti, quando, & ipſos tu feciſti]. De quo in commentarijs noſtris ſuper caput octauum Iſaiæ n. 30. plura diximus. Ad illud vero quod obijcitur; nam Chriſtus faciebat miracula, quando volebat. Reſpondetur, quod Chriſtus, in quantum Deus, faciebat auctoritatiuè miracula pro libito ſuæ voluntatis, ſed in quantum homo, faciebat miniſterialiter miracula, quando volebat: ſed vt vellet miracula facere, & re ipſa efficeret, mouebatur à ſuppoſito diuino, tanquam à principali agente abſque media qualitate, vel habitu inhærente, vt dictum eſt.

Aug. ſuper pſal. 76. to. 8.

9 Ad confirmationem reſpondetur, quod ratio inſtrumenti, quaſi in actu primo ad facienda miracula, eſt quidem permanenter in humanitate Chriſti; ſed hæc ratio non conſiſtit in aliquo habitu infuſo, vel qualitate ſuperaddita, ſed conſequitur immediate ad vnionē hypoſtaticam: ex qua humanitas Chriſti habet quaſi in actu primo quod ſit inſtrumentū. Cæterum in actu ſecundo habet rationem inſtrumēti ex motione principalis agentis, vt dictum eſt, & iuxta hanc doctrinam intelligendus eſt locus inductus ex c. 1. Ioannis.

Ad tertium patet ſolutio per ea, quæ dicta ſunt ad primum.

Ad quartum reſpondetur, Animam Chriſti per ſcientiā beatam, & inditā certo cognoſcere omnia miracula, quæ Deus decreuerat, vt per humanitatem eius, tanquam per inſtrumentum coniunctum fierent in tempore. vnde nunquam voluit facere miracula, niſi pro loco, & tempore à Deo prædefinito, & quando, vt illa efficeret, mouebatur à Deo. Et ex eadem motione, quoties volebat, habebat efficaciā humanitas Chriſti, & eius voluntas ad facienda miracula inſtrumentaliter in actu ſecundo, abſque noua qualitate ſuperaddita. 10

Ad quintum reſpondetur, prophetiam fuiſſe in Chriſto ſecundū modum eminentiorem, quàm fuerit in alijs prophetis, nimirum ſecundum ſcientiam inditam, vel infuſam coniunctam ſcientiæ beatæ. Vnde non eſt eadem ratio de prophetia in Chriſto, & in alijs prophetis. & diſcrimen conſiſtit in hoc, quia, vt Secunda Secundæ q. 171. art. 2. in corp. docet S. Thomas, lumen propheticum ineſt animæ prophetæ, per modum cuiuſdam paſſionis, vel impreſſionis tranſeuntis. & ratio illius eſt, quia lumen intellectuale in aliquo exiſtens per modum formę permanentis, & perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoſcendum principium illorum, quæ per illud lumen manifeſtantur; ſicut per lumen intellectus agentis præcipuè intellectus cognoſcit prima principia omniū illorum, quæ naturaliter cognoſcuntur. Principium autem eorum, quæ ad ſupernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiā manifeſtantur, eſt ipſe Deus, qui per eſſentiam à prophetis non videtur; videtur autem à beatis in pa- 11

Dd tria,

tria, in quibus huiuſmodi lumen ineſt per modum cuiuſdam formæ permanentis, & perfectæ, ſecundum illud Pſalm. 35. [In lumine tuo videbimus lumen.] Anima autem Chriſti à principio ſuæ creationis fuit beata per modum permanentis, & ideo quoties volebat, poterat prophetare, & prædicere alijs, quæ procul erant ab eorum ſenſibus, quod pertinet ad prophetiam. Itaque ex coniunctione ad Verbum, & ad ſcientiam beatam poterat humanitas Chriſti prophetare, quoties volebat abſque noua qualitate, vel habitu prophetiæ ſuperaddito ſcientiæ inditæ, & ſcientiæ beatæ; ſicut de operatione miraculorum ſupra dictum eſt.

Pſal.35.

12 Ad ſextum reſpondetur, rationem ibi aſſignatam eſſe efficacem vt autem ad eius impugnationem reſpondeamus, ſupponendum eſt cum S. Thoma q. 24. de veritate art. 1. ad quintum. [Quod inſtrumentum dupliciter dicitur. Vno modo proprie, quando ſcilicet aliquid ita ab altero mouetur, quod non cõfertur ei à mouente aliquod principium talis motus, ſicut ſerra mouetur à carpentario: & tale inſtrumentum eſt expers libertatis. Alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter, quid quid eſt mouens ab alio motum, ſiue ſit in ipſo principium ſui motus, ſiue nõ, & ſic ab inſtrumento non oportet, quod omnino excludatur ratio libertatis: quia aliquid poteſt eſſe ab alio motum, quod tamen ſe ipſum mouet, & ita eſt de mente humana.] Quo ſuppoſito dicendum eſt, quod inſtrumentum communiter dictum in illis operationibus, quæ ordinantur ad propriam ſalutem, indigent habitu: & ſic dona ſpiritus ſancti, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſunt habitus. vt 1. ſecundæ q. 68, art. 3. docet S. Thomas. Cæterum gratiæ gratis datæ, quæ ſunt ad manifeſtationem ſpiritus, & per ſe ordinantur ad vtilitatem aliorum, licet cõmunicentur creaturæ rationali, tanquam inſtrumento animato, non ſunt habitus, ſed dantur per modum diſpoſitionis, & motionis tranſeuntis, vt pluribus in locis docet S. Thomas. Vnde cum gratia miraculorum pertineat ad gratias gratis datas, ſicut & prophetia, non eſt habitus, nec informat per modum permanentis inſtrumentum animatum, in quo recipitur, ſed per modum diſpoſitionis tranſeuntis: & iuxta hanc doctrinam intelligendus eſt S. Thomas locis præallegatis. Quæ explicatio habet fundamentum in eodem S. Doctore 2. ſecundæ q. 171. art. 2. ad 3. vbi ait: [Quod omne donum gratiæ hominem eleuat ad aliquid, quod eſt ſupra naturam humanam: quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno modo quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, & cognoſcere incerta, & occulta diuinæ ſapientiæ: & ad hos actus non datur homini donũ gratiæ habituale. Alio modo eſt aliquid ſupra naturã humanã, quantũ ad modum actus, non autem quantum ad ſubſtantiam ipſius; ſicut diligere Deum, & cognoſcere eum in ſpeculo creaturarum: & ad hoc datur donum gratiæ habitualis.] Ad illud vero, quod obijcitur de inſtrumento animato, & libero, quod nõ ſolum agitur, ſed etiam agit, reſpõdetur: quod homo nõ ſolum operatur liberè, quãdo eleuatur ad actus ſupernaturales per habitum infuſum; ſed etiam quando mouetur

per

per auxilium actuale præuenientis gratiæ abſque habitu ſupernaturali, vt patet in diſpoſitionibus, quæ tempore antecedunt infuſionem gratiæ, ſicut eſt timor inferni, attritio ſupernaturalis, de qua Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 4. decernit. [Donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat.] de quo plura dixi Diſput. 67. de Auxil. num. 11.

13 Ad confirmationem reſpondetur, quod vt docet S. Thomas infra quæſt. 63. art. 2. in corp. character non eſt propriè in genere, vel in ſpecie, ſed reductiuè, ſicut ens incompletum; quia eſt potentia inſtrumentalis. Habere enim Sacramenti characterem cōpetit miniſtris Dei: miniſter autem habet ſe per modum inſtrumenti, vt Philoſophus dicit primo Politicorum cap. 3. Et quoniam poteſtas hęc inſtrumentalis, quæ reperitur in Sacerdote ad conſecrandum Euchariſtiam, eſt quædam participatio Sacerdotij Chriſti, qui eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, vt dicitur Pſalmo 109. ideo eſt quid permanens indelebiliter in anima: ſicut etiam Eccleſiæ, vel altaris conſecratio manet ſemper, niſi deſtruatur, vt probat ſanctus Thom. eadem quæſt. art. 3. Hæc autem ratio non procedit de gratia gratis data ad faciendum miracula. Vnde non eſt ſimile.

ARTICVLVS III.

Vtrum Anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu proprij corporis.

PRima concluſio. Si conſideretur anima Chriſti ſecundum propriam naturam, & virtutem, non poterat immutare proprium corpus. Probatur; quia ſecundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad ſuū corpus: ergo, &c.

Secunda concluſio. Si Anima Chriſti conſideretur, ſecundū quod eſt inſtrumentum vnitum Verbo Dei in perſona, ſic ſubdebatur eius poteſtati totaliter omnis diſpoſitio proprij corporis.

Tertia concluſio. Talis omnipotentia magis attribuitur ipſi Verbo Dei, quàm Animæ Chriſti. Probatur, quia virtus actionis non propriè attribuitur inſtrumento, ſed principali agenti.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Chriſtus habuerit omnipotentiam reſpectu exequutionis ſuæ voluntatis.

PRima concluſio. Anima Chriſti habuit potentiam ſecūdum propriam virtutem ad vniuerſa, quæ voluit, quaſi per ſe implenda. Probatur: quia non conueniret ſapientiæ eius, vt aliquid vellet per ſe facere, quod ſuæ virtuti non ſubiaceret.

Secunda concluſio. Ea, quæ voluit, vt implenda virtute diuina, vt mira-

miraculoſa opera, non poterat efficere anima Chriſti propria virtute, ſed ſecundum quod erat inſtrumentum diuinitatis, vt articulo 2. dictum eſt.

Circa hos duos articulos nulla eſt grauis difficultas, quæ peculiari diſcuſſione indigeat: ideo breuitati conſulere volentes ad vlteriora progrediamur.

QVAESTIO XIV.

De defectibus corporis aſſumptis à Filio Dei.

IN hac quæſtione habet S. Thomas quatuor concluſiones, iuxta numerum articulorum.

Artic. 1. Prima concluſio in articulo primo. Conueniens fuit, corpus aſſumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus corporalibus ſubiacere, vt fami, ſiti, morti, &c. & hoc propter tria. Primo, vt huiuſmodi pœnalitatibus ſatisfaceret pro peccato generis humani, iuxta illud Iſaiæ
Iſa. 53. 53. [Verè languores noſtros ipſe tulit.] Secundo propter fidem incarnationis aſtruendam, vt ſcilicet oſtenderetur, Chriſtum eſſe verum hominem, & veram carnem habuiſſe. Tertio, propter exemplũ patientiæ, quod nobis exhibuit, paſſiones, & defectus humanos fortiter tolerando.

Artic. 2. Secunda concluſio in articulo ſecundo. Chriſtus non habuit neceſſitatem coactionis ſubiacendi huiuſmodi defectibus corporalibus: quia hæc neceſſitas, cum ſit ab agente extrinſeco, contrariatur voluntati, cuius principium eſt intra, & ita Chriſtus non liberè fuiſſet paſſus. Si autem loquamur de neceſſitate, quæ cõſequitur materiã, corpus Chriſti ſubiectum fuit neceſſitati mortis, & aliorũ huiuſmodi defectuum: quia beneplacito diuinæ voluntatis carni Chriſti permittebatur agere, & pati, quæ propria erant carnis, ſeu corporis cõpoſiti ex contrarijs elementis.

Tertia concluſio in articulo tertio. Chriſtus non contraxit hos defectus, quaſi ex debito peccati eos ſuſcipiens cum natura (quod ſignificat verbum contrahere, id eſt ſimul trahere cum natura) ſed voluntariè aſſumendo. Probatur; quia iſti defectus intrauerunt in mundum per peccatum, vt dicitur Romanorum 5. ſed in Chriſto nullum fuit peccatum: ergo. Artic. 3.

Quarta cõcluſio in articulo quarto. Non fuit conueniens, vt Chriſtus omnes defectus, ſeu infirmitates humanas aſſumeret, ſed eas, quæ ad finem incarnationis conducunt; ſicut eſt mors, fames, ſitis, & aliæ huiuſmodi, quæ in omnibus hominibus conſequuntur naturã; non autem aſſumpſit alios defectus, qui repugnant perfectioni ſcientiæ, & gratiæ, ſicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: neque alios defectus, qui cauſantur in aliquibus hominibus ex quibuſdam particularibus cauſis, ſicut lepra, & morbus caducus, & alia huiuſmodi, quæ proueniunt ex peccato, vel ex defectu virtutis formatiuæ, quorum neutrum competit Chriſto; quia caro eius de Spiritu ſancto concepta eſt. Probatur concluſio. Chriſtus venit in mũdũ ſatisfacere Artic. 4.

pro

pro omnibus hominibus ſubditis peccato: ergo eos tantum defectus aſſumere debuit, qui totam naturam humanam peccato lapſam conſequuti fuerant, & ad finem incarnationis conducunt, vel ordinantur.

Circa iſtam quæſtionem nulla eſt grauis controuerſia inter Doctores, videantur quæ circa illam docent interpretes ſancti Thomæ, præſertim Caietanus, & Magiſter Medina.

QVAESTIO XV.

De defectibus animæ à Chriſto aſſumptis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Chriſto fuerit peccatum.

1 CONCLVSIO negatiua eſt de Fide. Habetur primæ Petri 2. [Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.] Præterea probatur. Chriſtus ſuſcepit defectus noſtros propter tria, primo, vt pro nobis ſatisfaceret, ſecundo, vt veritas naturæ aſſumptæ comprobaretur, tertio, vt nobis fieret exẽplum veritatis: ſed peccatum his omnibus aduerſatur: ergo.

DISPVTATIO LXVIII.

Vtrum de potentia abſoluta Chriſtus peccare potuerit per actionem humana natura aſſumpta.

DVrandus in 3. Sẽtent. diſt. 12. q. 2. partem affirmatiuam defendit, ſed addit, quod huic opinioni magis obſiſtunt verba deuota, quàm ratio efficax.

Probat autem ſuam ſententiam hac ratione. Chriſtus potuit aſſumere naturam humanam in puris naturalibus; ſed in tali caſu potuiſſet peccare, quia natura humana ſibi derelicta peccare poteſt: ergo.

Secundo. Si propter aliquam rationem natura humana aſſumpta à Verbo peccare non poſſet, maximè quia peccatũ tribueretur ſuppoſito Verbi diuini ſubſiſtẽti in natura humana; ſed hæc ratio eſt nulla; ergo. Minor probatur. Operationes ad extra ſunt communes toti Trinitati; ſed in caſu argumenti, ſi natura humana peccaret, peccatũ ipſum non tribueretur Patri, nec Spiritui ſancto, ergo neque Filio.

Confirmatur. Deus abſque vllo peccato poteſt permittere, quod natura humana peccet; quia nõ tenetur peccatum eius impedire: ergo etiã ſi natura aſſũpta peccaret, non tribueretur Deo tale peccatum.

Tertio. Sicut Deus eſt ſumma bonitas, cui opponitur peccatum, ita eſt vita æterna, cui opponitur mors; ſed in natura aſſumpta potuit mori: ergo & peccare.

Quarto. Id quod poteſt quis facere ſi vult, abſolutè poteſt; ſed Chriſtus in natura aſſumpta poteſt peccare ſi vult: ergo abſolutè loquendo peccare poteſt.

3 Quinto. Sicut peccatum habet repugnantiam cum gratia vnionis, ita & cum gratia habituali, ſeu iuſtificante; ſed habens gratiam habitualem poteſt peccare peccato mortali excludente gratiam habitualem: ergo & anima Chriſti potuit peccare de potentia abſoluta amittendo vnionem hypoſtaticam.

Sexto. Verbum diuinum potuit aſſumere naturam infectam peccato: quia nulla videtur repugnantia, quod fuiſſet conceptus per ſeminalem propagationem à primo parente, qui totam naturam humanam maculauit; & ſimiliter potuit aſſumere naturam Petri, exiſtentis in peccato mortali, deſtruendo eius ſuppoſitum: ergo potuit committere peccatum in natura aſſumpta.

Septimo. Chriſtus potuit non obedire præcepto moriendi, quia libere mortuus eſt, vt ipſe fatetur Ioan. 10. Ad libertatē autem neceſſario requiritur facultas ad vtrumlibet: ſed ſi non obediret, vt potuit, præcepto moriendi, peccaret mortaliter peccato inobedientiæ: ergo potuit peccare.

4 HÆc tamen ſententia Durandi ab omnibus Theologis reijcitur tanquam temeraria, & erronea, ſi ſermo ſit de potentia ordinaria: quoniam ab inſtanti ſuæ conceptionis Chriſtus fuit beatus ſecundum animam; beati autem nullum prorſus peccatum committere poſſunt; nam aliàs beatitudo eſſentialis animæ eſſet amiſſibilis, ac per conſequens non eſſet beatitudo ſimpliciter, vt 1.2.q.4. art.4. probat S. Thom. Si autem loquamur de potentia Dei abſoluta, ſententia Durandi eſt valde temeraria. Vnde dicendum eſt, Chriſtum Dominũ in natura humana aſſumpta, nullum peccatum potuiſſe cõmittere, vel contrahere, aut etiam aſſumere cum natura ipſa.

5 Probatur primo ex communi ſententia ſanctorum Patrum, qui abſolutè affirmant, animam Chriſti propter vnionem hypoſtaticam ad Verbum, non ſolum nunquam peccaſſe, ſed etiam non eſſe capacem committendi, vel contrahendi, aut etiam ſuſcipiendi in ſeipſa aliquod peccatum. Ita docet ſanctus Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 11. vbi ait: [In cuius, ſcilicet Chriſti, non tantum diuinitate; ſed neque in anima, neque in carne, vllum potuit eſſe peccatum.] Idem dicit lib. de correct. & gratia, cap. 11. & lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. & in Enchyrid. ad Laurentium cap. 40. Eodem modo loquitur Origenes lib. 2. Periarchon, cap. 6. quod ibi confirmat exemplo maſſæ ferri ſemper igni coniunctæ, & quaſi in ignem conuerſæ, quæ nullum prorſus frigus admittere poteſt. Cyrillus Alexandrinus lib. aduerſus Anthropomorphitas cap. 23. [Stolidi, inquit, ac dementes prorſus ſunt, qui ipſum etiam Chriſtum, neſcio quo pacto, peccare poſſe affirmant.] Secundo, 6 probatur auctoritate Scholaſticorum, qui hanc ſententiam defendunt cum Magiſtro Sententiarum in 3. diſtinct. 12. cap. 2. Eam docet ſanctus Thomas eadem diſtinctione, quæſt. 2. artic. 1. & 2. Capreol. quæſt.

Auguſt.

Cyrillus.

quæſt. 1. art. 1. & 3. Sanctus Bonauentura art. 2. quæſt. 1. & 2. Paludanus quæſt. 2. Caiet. M. Medina, & cæteri Thomiſtæ in hoc articulo. Tertio probatur ratione Magiſtri Sententiarum, Capreoli, Bonauent. & Paludani. Omnis actio moralis eſt principaliter ſuppoſiti operantis: ergo ſi natura humana à Verbo aſſumpta potuit peccare, ſequitur, quod Verbum diuinum ſubſiſtens in natura humana peccare potuerit, & conſequenter poſſet damnari, quod eſt impoſſibile. Confirmatur, quando humanitas Chriſti merebatur ſuppoſitum diuinum etiam merebatur, in quantum ſubſiſtebat in natura humana: ergo, ſi humanitas aſſumpta peccaret, ſuppoſitum Verbi diuini, vt ſubſiſtit in natura humana, peccaret. Quarto probatur alia ratione. Verbum diuinum, vt ſubſiſtens in natura humana tenebatur eius actiones dirigere, vt eſſent conformes rectæ rationi: ergo, ſi humanitas aſſumpta in aliqua operatione peccando deficeret à recta ratione, peccatum illud tribueretur Verbo diuino. Peccatum enim tribuitur ei, qui poteſt illud impedire, & tenetur impedire, & non impedit. Confirmatur. Ex eo ſanctus Thomas prima ſecundæ quæſt. 79. art. 1. in corpore, probat, Deum non eſſe cauſam peccati etiam indirecte: quia licet poſſit vitare peccata, tribuendo hominibus auxilium ad euitandum peccatum, quod ſi præberet, non peccarent; non tamen tenetur dare huiuſmodi auxilium, nec vitare peccata: ergo, ſi Chriſtus Dominus tenetur impedire peccatum naturæ aſſumptæ, imputaretur ei, ſi non impediat. Quinto probatur concluſio ratione vniuerſali. Non minus repugnat, Deum eſſe in peccato habitualiter in natura aſſumpta, quam peccare actualiter; ſed eſt impoſſibile, Deum per naturam aſſumptam peccare actualiter: ergo etiam repugnat eſſe in peccato habitualiter, ſiue illud peccatum ſit contractum cum natura aſſumpta, ſiue commiſſum à tali natura priuſquam aſſumeretur. Minor probatur. Per peccatum habituale manet homo auerſus habitualiter à Deo tanquam ab vltimo fine, ſed eſt impoſſibile, quod Verbum diuinum ſubſiſtens in natura humana ſit auerſum à Deo, aliàs eſſet auerſum à ſeipſo: ergo implicat, quod ſit in peccato habitualiter. Vltimo probatur. Per vnionem hypoſtaticam manet impeccabilis, & immobilis in bono humanitas Chriſti multo magis, quàm beati per viſionem claram Dei: ſed beati non poſſunt admittere peccatum, nec eſſe in peccato; nã poſſibilitas peccandi habet formalem oppoſitionem cum ipſa beatitudine, quæ in clara Dei viſione, & fruitione conſiſtit: ergo. Quidam Doctores has rationes infirmare volentes reſpondent, in eo caſu, quo humanitas in Verbo peccaret, nullum incommodum fore, per communicationem idiomatũ peccatum actuale Deo tribuere, ſicut & mortem: & conſequenter affirmant, quod ſi Verbum naturam in peccato manentem aſſumeret, etiam Deus diceretur in peccato manere habitualiter, ac proinde à ſeipſo auerſus eſſe, ſecundum naturam aſſumptam, cuius prædicata ei communicarentur. Sed hoc non videtur poſſe admitti; quoniã

M. Vazq. diſp. 61. c. 5. §. cæterum.

ſupra oſtenſum eſt, prædicata naturæ humanæ, quæ per ſe primo conueniunt ſuppoſito, ſi habeant repugnantiam cum hypoſtaſi, ſeu perſona Verbi, non poſſunt de illa etiam per communicationem idiomatum prædicari. Propter hanc enim rationem docet ſanctus Thomas, has propoſitiones eſſe falſas, Chriſtus eſt creatus, vel creatura, Chriſtus incipit eſſe, & aliæ conſimiles; ergo ratio adducta manet in ſuo robore.

9 AD primum argumentũ reſpondetur, Verbũ diuinũ potuiſſe quidem aſſumere naturam humanã, deſtitutam gratia habituali, & habitibus infuſis; non tamen potuit eam aſſumere deſtitutam auxilio actuali ſeu peculiari, quo humanitas aſſumpta regeretur à Verbo, & moueretur ad bonum tali motione, vt in ſuis operationibus nũquam à regula rationis deficeret: quoniam, ſi ſuppoſitum Verbi ſic naturam aſſumptam non regeret, peccatum naturæ humanæ tribueretur eidem ſuppoſito Verbi, quod eſt impoſſibile; vt ex præmiſſis conſtat.

10 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, rationem ibi tactam efficaciter probare noſtram ſententiam. Et ad eius impugnationem dicendum, quod quando operationes ad extra non habent admixtũ aliquid cauſæ formalis, ſunt communes toti Trinitati. in præſenti autem admiſcetur ratio cauſæ formalis, quia peccatum eſt actio vitalis, quæ ſubinde procederet ſpeciali quadam ratione à Verbo diuino, quatenus ſubſiſtit in natura humana, & eam terminat, quod non conuenit Patri, nec Spiritui ſancto. Vnde, ſi peccaret Chriſtus in natura humana, non peccaret Pater, nec Spiritus ſanctus; ſicut etiam ex eo, quod Chriſtus meruit, & ſatisfecit pro nobis; non ſequitur, quod ſatisfecerit Pater, vel Spiritus ſanctus, vt ſupra oſtenſum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, quod Pater, & Spiritus ſanctus non tenentur impedire peccatum, nec etiam Filius vt ſubſiſtit in natura diuina: ſed pro maiori bono illud permittunt ſecundum ordinem ſuæ diuinæ prouidentiæ; vt ſæpe docet ſanctus Thomas. Verbum autem, ſecundum quod eſt ſuppoſitum naturæ humanæ tenebatur peccatum impedire, ſicut etiam tenebatur obedire præcepto Patris, & operari per naturam humanam ſecundum regulas rationis. Vnde, ſi natura aſſumpta peccaret, peccatum illud tribueretur Verbo; non autem Patri, vel Spiritui ſancto. 11

Ad tertium negatur conſequentia, nam mori eſt malum pœnæ, quod ordinari poteſt in Deum, vt in finem vltimum, & ab eo procedere, vt Diſputatione 29. de Auxilijs oſtendimus. Peccatum autem eſt malum culpæ, quod non poteſt referri in Deum etiam indirectè, vt in cauſam efficientem, neque ordinari ad Dei gloriam tanquam in vltimum finem: quin potius, quantum eſt ex parte ſua, Deum verum deſtruit, & alium Deum ſibi conſtituit, vt ſupra Diſput. 3. nu. 10. oſtenſum eſt. vnde nõ eſt ſimile. Eſt & alia differentia, nam mors, ſeu mori prædicatur de Chriſto ratione humanæ naturæ: & ita per communicationem idiomatum illud prædicatum conuenit Verbo Diuino, ac per conſequens verè affirmamus, quod 12

Deus

Digitized by Google

Deus ſit mortuus: cæterum peccare, ſicut & operari dicit immediatum ordinem ad ſuppoſitum, tanquam ad principium quod; licet natura ſit principium formale quo. Dicit enim Ariſtotiles, quod natura humana non flet, nec net, ſed Socrates, & Chalias, eo quod actiones ſunt ſuppoſitorum, & non formarum. Vnde non eſt ſimile.

13 Ad quartum reſpondetur, illam propoſitionem: Quod poteſt quis facere, ſi vult, abſolutè poteſt; debet intelligi, quando poteſt illud velle: Chriſtus autem etiam in natura aſſumpta non poteſt velle peccare, vnde argumentum nihil probat contra noſtram ſententiam. Secundo reſpondetur, quod propoſitio conditionalis nihil ponit in eſſe, neque affirmat aliquid eſſe poſſibile; ſed ad eius veritatem ſufficit, quod ſit bona conſequentia, ita vt repugnet antecedens eſſe verum, & conſequens falſum. Vnde contingit, quod antecedens ſit impoſſibile, & ſimiliter conſequens: & nihilominus propoſitio conditionalis ſit vera, vt pluribus in locis docet ſanctus Thomas. Vnde iſtæ propoſitiones ſunt veræ, Chriſtus poteſt peccare ſi vult, Deus poteſt peccare ſi vult; & tamen tam antecedens, quam conſequens eſt ſimpliciter impoſſibile: quia tamen conſequens infertur ex antecedenti conditionato, ſi poneretur in eſſe, ideo illæ propoſitiones conditionales ſunt veræ.

S. Thom. 1.p q.25. art. 3 ad 3.& q.44. ar.1.ad 2.

14 Ad quintum argumentum negatur conſequentia, nam peccatum mortale per quod & demeritoriè, & formaliter, iuxta ſententiam ſancti Thomæ, gratia habitualis excluditur, non procedit efficienter ab ipſa gratia, nec eam ſequitur, ſed potius in genere cauſæ materialis antecedit expulſionem gratiæ, & producitur à ſola natura, & voluntate hominis, in cuius eſſentia ſubiectabatur gratia. Vnde habens gratiam poteſt peccare in ſenſu diuiſo, peccato excludente gratiam habitualem, quamuis in ſenſu compoſito, habens gratiam habitualem peccare non poſſit mortaliter, quia nimirum hæc duo ſimul ſunt incompoſſibilia, quod ſcilicet aliquis maneat in gratia habituali, & committat peccatum mortale: dicit enim Ioannes Apoſtolus: [Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed nec peccare poteſt, quia ſemen Dei manet in illo.] Ac ſi diceret. Peccatum mortale, & gratiam habitualem non poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Cæterum ſi humanitas vnita Verbo peccaret, peccatum ipſum procederet effectiuè à ſuppoſito Verbi media humanitate aſſumpta; & ideò peccatum ipſum eſſet prius, quam diſſolutio hypoſtaticæ vnionis, ac per conſequens Verbum diuinum peccaret, quod eſt impoſſibile. Eſt & alia differentia, nam gratia habitualis non facit liberum hominis arbitrium immobile in bono: vnde per peccatum mortale poteſt ammitti. Cæterum vnio hypoſtatica facit naturam aſſumptam immobile in bono; multo magis, quam vnio beatifica, eo quod impeccabilitas naturæ aſſumptæ oritur ex impeccabilitate diuini ſuppoſiti terminantis naturam aſſumptam, quæ impeccabilitas eſt multo maior, quàm ſit illa, quæ ſequitur ad viſionem beatificam: vnde non eſt ſimile.

1.Io.5.

15 Ad ſextum negatur antecedens: quia vt ex præmiſſis conſtat, non ſolum repugnat, Verbum diuinum in natura aſſumpta peccare; ſed etiam repugnat eſſe habitualiter in peccato. Vnde, ſi naturam infectam peccato voluiſſet aſſumere, (quod & potuit) neceſſarium fuiſſet, eam à peccato in ipſo inſtāti aſſumptionis mundare, & ſanctam efficere, vel per gratiā ipſam vnionis, aut per gratiam habitualem, quæ per modum naturæ gratiam vnionis conſequitur: quia fieri non potuit, vt Deus homo Chriſtus Ieſus non eſſet Deo gratus, aut ab eo per peccatum mortale auerſus.

16 Ad ſeptimum reſpondetur. Vt ex dictis diſputatione 46.n.18. cōſtat, Chriſtus potuit non obedire negatiuè præcepto moriendi ſibi impoſito, non tamen potuit non obedire priuatiuè, ſeu contrariè cōmittendo peccatum inobedientiæ. Nec ex hoc ſequitur, quod obediētia illa, ſeu impletio pręcepti fuerit abſolutè neceſſaria, & non libera. Etenim ad libertatem non requiritur facultas ad oppoſita contrariè, vel priuatiuè; nimirum ad faciendum bonum, vel malum; ſed ſufficit facultas ad oppoſita contradictoriè, vt ad operandum, & non operandum; ad obediendum, & non obediendum, vt in eadem diſputatione oſtenſum eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Chriſto fuerit fomes peccati.

1 CONcluſio eſt negatiua. Probatur primo; nam Chriſtus habuit perfectiſſimè omnes virtutes morales, quæ in gradu ſummo excludunt inclinationem peccandi: ac per conſequens excludunt fomitem, ad quem pertinet inclinatio ſenſualis appetitus in id, quod eſt contra rationem. Secundo probatur. Verbum diuinum ſolum aſſumpſit cum natura humana illos defectus, qui ordinari poſſunt ad ſatiſfaciendum pro peccato generis humani; ſed iſte defectus, qui eſt fomes peccati, non eſt ordinabilis ad ſatisfaciendum pro peccato, ſed potius inclinat ad contrarium ſatisfactioni: Ergo Verbum diuinum non aſſumpſit fomitem.

NOtādum eſt, quòd licet nō ſit aperta hæreſis ponere in Xpo motum deordinatum appetitus ſenſitiui præuenientem omnino vſum rationis; id tamen eſſet valde temerarium, & errori proximum, ſi non eſt manifeſtus error. Probatur: nam talis motus eſſet peccatum; quia eſſet ortus cum libertate ſuppoſiti diuini operantis per naturam humanam. Secundo, quia ſi in noſtra facultate eſſet ſubijcere, vel impedire inordinatum appetitum ſenſitiuum, Iræ, Vindictæ, Inuidiæ, aut motum impudicum; ita, vt non præueniret rationem, peccatum eſſet, talem motum non impedire; ſed Chriſtus potuit impedire huiuſmodi motus appetitus ſenſitiui, & facere, ne inſurgerent contra rationem: ergo ſi tales motus permitteret, peccaret. Eſt autē impoſſibile, quod peccatum fuerit in anima Chriſti, vt ſupra dictum eſt: ergo. Tertio probatur ex communi ſententia ſanctorum, & ſcholaſticorum. Etenim Leo primus Epiſt.11. ad Iulianum Epiſcopum Coenſem inquit, [Nihil carni ſuæ habebat aduerſum, nec diſcordia deſiderio- 2

rum

rum gignebat compugnantiam voluntatum: ſenſus corporei vigebant, ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine deitatis, & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniurijs.] vbi ex eo, quod humanitas Chriſti regebatur ſub moderamine diuinitatis, probat, nullum in eo fuiſſe motum in ordinatum appetitus ſenſitiui.

Idem docet S. Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorũ cap. 11. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 29. & lib. 4. Hippognoſticon circa finem; Ratio autem S. Thomæ id efficaciter probat, nam plenitudo gratiæ, quæ fuit in Chriſto tanquam in capite totius ſanctitatis, multo maiorem vim habebat ad impediendum, ne in carne ſanctiſſima, & appetitu ſenſitiuo illius motus inordinati inſurgerent contra rationem, quàm habuerit iuſtitia originalis in ſtatu innocentiæ ad ſubijciendum rationi omnes motus appetitus ſenſitiui; ſed in ſtatu innocentiæ nullus potuit inſurgere motus inordinatus appetitus ſenſitiui contra rationẽ, ergo neque in carne Chriſti ſanctiſſima. Præterea, quoniam in Chriſto nullus fuit motus, vel actus indeliberatus, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo nullus fuit appetitus inordinatus præueniens vſum rationis.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Chriſto fuerit ignorantia.

CONcluſio eſt negatiua. Probatur: Sicut in Chriſto fuit plenitudo gratiæ, & virtutum, ita in ipſo fuit plenitudo omnis ſcientiæ, vt ex præmiſſis patet, ergo, ſicut in Chriſto plenitudo gratiæ, & virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo ſcientiæ excludit ignorantiam, quæ ſcientiæ opponitur.

Circa iſtum articulum notandũ, triplicem eſſe ignorantiam. Prima eſt ignorantia prauæ diſpoſitionis, Secunda eſt ignorantia negationis eius, quod quis ſcire debet. Tertia eſt ignorãtia negationis eius, quod quis ſcire non debet, nec pertinet ad eius ſtatum. Si ergo loquamur de ignorantia primi, & ſecundi generis, certiſſimum eſt in Chriſto nullam fuiſſe ignorantiam, vt conſtat ex dictis queſt. 9. 10. & 11. de ſcientia animę Chriſti. Admittenda nihilominus eſt in anima Chriſti ignorantia tertij generis, quæ aliàs dicitur neſcientia. Hanc enim S. Dionyſius Areopagita conſtituit in Angelis beatis, & ſimiliter eſt in anima Chriſti, quia re vera non ſcit omnia, quæ Deus ſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt ſupra oſtenſum eſt, Qualiter autem ſint intelligenda verba Marci 13. [De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli in cælo neque filius, &c.] dictum eſt diſput. 54. ad primum argumentum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Anima Chriſti fuerit paſſibilis.

PRima concluſio. Anima Chriſti fuit paſſibilis paſſione corporali. Probatur. Corpus Chriſti fuit paſſibile paſſione corporali, vt ſupra habitum eſt, ergo & anima. Probatur conſequentia, nam, cum anima ſit forma corporis, conſequens eſt, quod vnum ſit eſſe animæ,

mæ, & corporis: & ideo corpore perturbato per aliquam corporeã paſſionem, neceſſe eſt quod anima per accidens perturbetur, quantum ad eſſe, quod habet in corpore.

Secunda concluſio. Anima Chriſti fuit paſſibilis paſſione animali, quia affectiones animales appetitus ſenſitiui erant in Chriſto licet regulatiſſimę per rationem. Probatur. In Chriſto fuit vera natura humana: ergo & paſſiones humanæ, & affectiones appetitus ſenſitiui, quæ ad naturam humanam pertinent.

Notãdum eſt, eſſe de fide, quod in Xpo fuerint affectiones appetitus ſenſitiui, quæ dicuntur paſſiones, & in Chriſto appellãtur pro paſſiones à ſancto Hieronymo ſup. cap. 26. Matthæi, vt triſtitia, timor, dolor, & aliæ affectiones, de quibus agit S. Thomas in reliquis articulis huius quæſtionis. Habetur hæc veritas diffinita à Leone primo Epiſt. 2. vbi [Senſus, (inquit) corporei vigebant ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine Deitatis & mentis;] Idem confirmant loca ſcripturæ, quæ in ſequẽtibus articulis refert S. Thomas, & alia inferius adducenda. Aduertit tamen ſanctus Doctor in corpore huius articuli, quod in Chriſto omnes motus appetitus ſenſitiui oriebantur ſecundum diſpoſitionem rationis; quod etiam docet Auguſtinus lib. 14. de Ciu. Dei c. 9. Sicut enim filius Dei factus eſt homo quãdo voluit, ita eſuriuit, cum voluit; ſitiuit, cum voluit; turbatus eſt quando voluit. Vnde ipſe, vt dicitur Ioa. 11. [infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum,] Vt innueret, eiuſmodi affectiones appetitus ſenſitiui excitatas fuiſſe in eo ex imperio rationis. S. Augu.

ARTICVLVS V.

Vtrum in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur ex Iſaia 53. [Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.] Ratione probatur. Ad veritatem doloris ſenſibilis requiritur læſio corporis, & ſenſus læſionis: ſed corpus Chriſti lædi poterat, quia erat paſſibile, & mortale: nec defuit ei ſenſus læſionis, cum Anima Chriſti perfectę haberet omnes potentias naturales, ergo, &c.

Concluſio huius articuli eſt de fide, ſicut etiam eſt de fide Chriſtũ aſſumpſiſſe corpus paſſibile, & mortale iuxta ea quæ contra multos hæreticos diximus quæſt. 5.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Chriſto fuerit triſtitia.

Concluſio affirmatiua eſt de fide. habetur ex Matthæi 26. [Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.] Ratione probatur. Obiectum, & motiuum triſtitiæ eſt nociuum, ſeu malum interius apprehenſum, ſiue per rationem, ſiue per imaginationem: ſed anima Chriſti potuit interius apprehendere aliquid, vt nociuum, & quantum ad ſe, ſicut paſſio, & mors eius fuit; & quantum ad alios, ſicut peccatum diſcipulorum, vel Iudæorum; ergo potuit in eo eſſe vera triſtitia.

AR-

ARTICVLVS VII. VIII. & IX.

IN his tribus articulis habet S. Thomas tres concluſiones.

Artic. 7. Prima concluſio in articulo ſeptimo. In Chriſto fuit timor. Probatur: ex illo Marci 14. [Cæpit Ieſus pauere, & tædere.] Secundo probatur in corpore. Timor cauſatur ex apprehenſione mali futuri, ſed in Chriſto fuit apprehenſio mali futuri, ſcilicet paſſionis & mortis futuræ. ergo fuit in eo cauſa timoris, ac per conſequens timor appetitus ſenſitiui, quamuis cum omnimoda certitudine futuri euētus.

Artic. 8. Secunda concluſio in articulo octauo. Si loquamur de Xp̄o quantum ad ſcientiam diuinam, & ſcientiam beatam, vel infuſam non potuit in eo eſſe admiratio: quia per eiuſmodi ſcientias omnia nouerat, & nihil erat illi nouum, vel inſolitum, de quo tantum eſt admiratio. Si autem loquamur de eo quātum ad ſcientiam experimentalem, ſic admiratio in eo eſſe potuit. Probatur ex illo Matth. 8. [Audiens Ieſus ſcilicet (verba Centurionis) miratus eſt.] Præterea probatur in ſolutione ad 1. quia licèt Chriſtus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de nouo occurrere experimentali eius ſcientiæ, ex quo admiratio cauſaretur.

Art. 9. Tertia Concluſio in artic. 9. In Chriſto fuit Ira, vt importat paſſionem compoſitam ex triſtitia, & appetitu vindictæ ſecundum ordinem Iuſtitiæ, quæ quidem ira appellatur zelus. Probatur nam Ioa. 2. in Chriſto dicitur eſſe impletum, quod in Pſal. 68. legitur [Zelus domus tuæ comedit me.] Præterea in corpore. Ira eſt effectus triſtitiæ, ex triſtitia enim alicui illata conſequitur in eo circa ſenſitiuam partem appetitus repellendi illatam iniuriam, vel ſibi, vel alijs: ſed in Chriſto potuit eſſe triſtitia, vt ar. 6. dictum eſt, ergo ſimiliter fuit appetitus vindictæ ſecundum ordinem rationis, vt habetur ex loco inducto Ioan. 2. ergo. Pſ. 68

ARTICVLVS X.

Vtrum Chriſtus ſimul fuerit Viator, & comprehenſor.

COncluſio eſt affirmatiua. Probatur: Aliquis dicitur Viator ex eo quòd tēdit ad beatitudinem, comprehenſor autē dicitur ex hoc, quod iam beatitudinem obtinet; ſed Chriſtus ante paſſionem fuit beatus ſecundum mentem, vt ſupra oſtenſum eſt; & ſecundum corpus tēdebat ad beatitudinem, quia & anima eius erat paſſibilis, & corpus paſſibile, & mortale, vt ex ſupradictis patet. Ergo ſimul erat cōprehenſor ſecundum beatitudinem propriam animæ, & Viator ſecundum corpus. Art. 4. huius q. & q. 14. ar. 5

PRo intelligentia litteræ S. Thomæ notandum, quod Anima Chriſti poteſt dupliciter conſiderari: Primo ſecundum mentem, ſeu partem ſuperiorem, ſecundum quam eſt perſona incomplete habens eſſe independenter à corpore, & proprias operationes intellectus, & volūtatis, quibus videbat Deum clare ſicuti eſt, & eius præſentia fruebatur: & ſecundum hanc rationem Chriſtus fuit comprehenſor

ab inſtanti ſuæ conceptionis, vt quæſt.9. art. 2. diſp. 52. oſtenſum eſt. Secundo cōſiderari poteſt, qua tenus informabat ante mortem Chriſti, corpus eius paſſibile, & mortale, tribuendo illi gradum corporeum, vegetatiuum, & ſenſitiuum, & vt erat principium aliarum affectionum, quas in præcedentibus articulis docuit S. Thomas fuiſſe in Chriſto: & ſecundum hanc rationem Chriſtus fuit viator, & ſecundum corpus, & ſecundum animam quatenus erat forma corporis tribuens ei gradum vegetatiuum & ſenſitiuum: id quod apertè colligitur ex eodem S. Thoma, art. 4. vbi docet, Animam Chriſti fuiſſe paſſibilem paſſione corporali, vel animali. Sentit ergo, quod Chriſtus ſecundum animam, vt eſt forma corporis fuerit viator, & ſecundum corpus informatum anima rationali vt tribuit ei vitam vegetatiuam, & ſenſitiuam. Vnde in hoc articulo valde conſideratè dixit, quod Chriſtus ante paſſionem habebat beatitudinem, quantum ad id quod eſt proprium animæ.] hoc eſt, quantum ad mentem, & partem ſuperiorem, in qua non conuenit Anima rationalis cum Anima vegetatiua, & ſenſitiua aliorum viuentium: non autem dixit, quod Chriſtus fuerit comprehenſor ſecundum Animam, vt innueret, quod ſecundum aliquam rationem animæ fuerit Chriſtus viator, quatenus videlicet informabat corpus paſſibile, & mortale.

QVAESTIO XVI.

De conſequentibus vnionem quantum ad ea, quæ conueniunt Chriſto ſecundum eſſe, & fieri.

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc ſit vera: Deus eſt homo.

PRIMA concluſio. Hæc propoſitio, Deus eſt homo, eſt vera, & propria; non ſolum propter veritatē terminorum, quia ſcilicet Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo; ſed etiam propter veritatem prædicationis. Probatur. Nomen ſignificans naturam cōmunem in concreto poteſt ſupponere pro quolibet contentorum ſub natura communi, ſicut hoc nomen (homo) poteſt ſupponere pro quolibet homine ſingulari, & hoc nomen (Deus) poteſt ſupponere pro perſona filij Dei, vt etiam prima parte habitum eſt. ſed de quolibet ſuppoſito alicuius naturæ poteſt verè, & propriè prædicari nomen ſignificans illam naturam in concreto; ſicut de Socrate & Platone, verè, & propriè prædicatur homo. Cum ergo perſona filij Dei pro qua ſupponit hoc nomen (Deus) ſit ſuppoſitum naturæ humanæ, relinquitur, quod vere, & propriè homo prædicetur de Deo, ſecundum quod ſupponit pro perſona filij Dei. 1.p.q.39. art. 4. ad 3.

Secunda concluſio in ſolutione ad primū. Prædicta propoſitio (Deus eſt homo) eſt in materia naturali, 2

rali, & per ſe ratione ſuppoſiti, ſicut ſpecies prædicatur de ſua hypoſtaſi. Probatur. Quando duæ formæ poſſunt conuenire, vel conueniunt in vnum ſuppoſitum, tunc oportet quod propoſitio non ſit in materia remota, ſed in materia naturali, quando vniuntur per ſe: aut in materia contingenti, ſi vnio ſit per accidens, ſicut cum dico, album eſt muſicum: ſed natura diuina, & humana per incarnationis myſterium vniuntur in vno ſuppoſito diuino, cui neutra illarum ineſt per accidens, ſed per ſe, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo hæc propoſitio (Deus eſt homo) poſt myſterium incarnationis, nec eſt in materia remota, nec in materia contingenti, ſed in materia naturali.

DISPVTATIO LXIX.

Vtrum hæc propoſitio, Deus eſt homo, ſit per ſe, & in materia naturali proprie loquendo.

M. Suar. in hoc artic. dub. 4

QVIDAM Doctores tenēt partem negatiuam, & pro ea refertur S. Bonauentura in 3. d. 7. art. 1. q. 1. Scotus q. 1. Durandus eadem quæſt. ad 2. & Capreolus diſtinct. 4. q. 2. ad argumenta Scoti contra ſecundam concluſionem. Gab. dub. 3. Marſilius in 3. q. 6. ad 5. Probant ſuam ſententiam. Primo, quia propoſitio affirmatiua in materia naturali, ita eſt vera, vt non poſſit eſſe falſa: hæc autem (Deus eſt homo) poteſt eſſe falſa, eſt ergo in materia contingenti, ſeu libera in ordine ad diuinam potentiam: nam in ordine ad naturalem potentiam eſt in materia remota.

Secundo. Propoſitio per ſe eſt vera formaliter etiam cum reduplicatione: illa autem de qua eſt quæſtio, non eſt huiuſmodi: nam ſi dicas, Deus, in quantum Deus, eſt homo, eſt falſa. ergo.

Tertio. In propoſitionibus per ſe, quæ ſunt in materia naturali, prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti: ſed in dicta propoſitione, prædicatum non eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, humanitas enim, nec Deo, nec ſuppoſito diuino eſt neceſſario, & ex natura rei vnita, ſed hoc pendet ex vnione libera facta à Deo: ergo, ſicut in hoc ſenſu poteſt illa vnio dici libera, & ſuo modo contingens; ita in eodem ſenſu poſſet illa propoſitio dici eſſe in materia contingenti; ſeu libera. 4

Quarto arguitur in fauorem eiuſdem ſententiæ. Omnis propoſitio per ſe affirmatiua in materia naturali eſt æternæ veritatis: ſed hæc propoſitio (Deus eſt homo) nō eſt æternæ veritatis, nam ante incarnationem erat falſa. ergo nō eſt proprie in materia naturali, aut per ſe.

Quinto. Propoſitio non tranſit à materia in materiam, nec tranſire poteſt: ſed hæc propoſitio, Deus eſt homo, ante incarnationem erat in materia remota: ergo poſt incarnationem non poteſt eſſe propriè in materia naturali,

Contrariam ſententiam docet S. Thomas in 2. concluſione huius articuli, & in 3. ſent. diſt. 7. q. 1. Ferrar. 4. contra gentes cap. 45. Caietanus, & M. Medina in hoc articulo. Ad cuius explicationem ſit.

Prima

5 PRima concluſio. Hæc propoſitio: Ieſus eſt homo, Chriſtus eſt homo,& aliæ conſimiles in quibus ſubiectum ſignificat ſuppoſitum verbi ſubſiſtens in duabus naturis ſunt propriſſime propoſitiones per ſe, & in materia naturali ſicut iſta: Petrus eſt homo. Concluſio eſt contra Scotum, & Gabrielem, eſt tamen diui Thomæ,& diſcipulorum eius, quam etiam acceptat Suarez: & probatur, quia ſubiectum harum propoſitionum ſignificat indiuiduum humanæ naturæ, & formaliter importat humanitatem coniunctam diuinitati in eodem ſuppoſito; ſed propoſitio in qua ſpecies, ſeu natura in concreto prædicatur de indiuiduo eſt per ſe, & in materia naturali, ſicut iſta: Petrus eſt homo: ergo. Confirmatur. hæc Propoſitio: Chriſtus eſt homo, eſt æternæ veritatis, ſicut iſta, Petrus eſt homo, nam verbum eſt; abſoluitur à tempore: ergo eſt per ſe, & in materia naturali, ſicut iſta, Petrus eſt homo.

6 Secundo probatur. Hæc propoſitio, hic homo eſt homo, demonſtrādo Chriſtum eſt per ſe, & in materia naturali, quia prædicatum eſt de ratione ſubiecti: ergo etiam iſta, Chriſtus eſt homo. Probatur conſequentia, nam etiam in hac propoſitione prædicatum eſt de ratione ſubiecti; etenim Chriſtus ſignificat ſuppoſitum Verbi, ſubſiſtēs in natura diuina,& humana, ac per cōſequens formaliter importat naturam humanam, quamuis non ſolam.

7 SEcunda concluſio. Hæc propoſitio, filius Dei eſt homo, ſuppoſito myſterio incarnationis, eſt in materia naturali, & directa ratione ſuppoſiti, non autem ratione formæ importatæ per ſubiectū. Concluſio eſt etiam de mente S. Tho. quam probat efficaciter ratio eius adducta pro ſecunda concluſione Articuli:& quantum ad ſecūdam partem concluſio hæc recipitur ab omnibus Theologis, & eam probant ſufficienter argumenta facta à principio. Quoad primam verò probatur. Vt docet S.Thom.art. 9.huius quæſt. ad 3. terminus poſitus à parte ſubiecti tenetur pro ſuppoſito, ſecundum autem quod ponitur in prædicato refertur ad naturam: ergo in hac propoſitione filius Dei eſt homo, ſignificatur, quod ſuppoſitum filij Dei ſubſiſtit in natura humana, ſeu quod natura humana vnita eſt naturæ diuinæ in ſuppoſito Verbi; ſed filius Dei poſt myſterium incarnationis, verè eſt ſuppoſitum naturæ humanæ, quia ſecundum fidem Catholicam in Verbo incarnato nō eſt niſi vnicum ſuppoſitum diuinum ſubſiſtēs in duabus naturis: ergo poſt incarnationem hæc propoſitio, filius Dei eſt homo, eſt per ſe ratione ſuppoſiti, & in materia naturali.

Secundo probatur. Vt aliqua propoſitio ſit per ſe,& in materia naturali ſufficit, quod natura prædicetur in concreto de ſuppoſito, ſiue proprio, ſiue alieno, dummodo alienum tribuat naturæ ſubſiſtentiam, & omnem aliam perfectionem, quam tribueret proprium ſuppoſitum; ſed in hac propoſitione, Deus eſt homo, natura humana prædicatur in concreto de ſuppoſito Verbi, quod quidem ſuppoſitum tribuit naturæ humanæ ſubſiſtentiam, & omnem aliam perfectionem excellentiori modo, quàm tribueret proprium ſuppoſitum, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo. 8

Ter-

Digitized by Google

Tertio probatur. Vt propoſitio aliqua ſit in materia naturali, non eſt neceſſarium, quod prædicatum conueniat ſubiecto ratione formæ ſignificatæ per vtrumque extremum, ſed ſufficit, quod illæ formæ conueniant per ſe, ſeu ſubſtantialiter in vnum ſuppoſitum, & ſubſiſtant per idem prorſus eſſe, per quod ſuppoſitum ſubſiſtit: ſed natura humana vnita eſt diuinæ ſubſtantialiter in ſuppoſito Verbi diuini, & ſubſiſtunt per idem prorſus eſſe perſonale, per quod ſubſiſtit Verbum diuinum, (vt dictum eſt.) Ergo propoſitio, in qua natura humana in concreto prædicatur de ſuppoſito Verbi, eſt per ſe, & in materia naturali. Conſequentia eſt nota, & maior probatur. In propoſitione ſubiectum ſupponit materialiter pro ſuppoſito; prædicatum autem formaliter, vt ex præmiſſis patet: cuius ratio eſt; quia ſubiectum habet rationem materiæ, prædicatum vero habet rationem formæ: Ergo, vt propoſitio illa (filius Dei eſt homo) ſit in materia naturali, non requiritur, quod prædicatum conueniat ſubiecto ratione formæ ſcilicet Deitatis, ſed ſufficit, quod conueniat illi ratione ſuppoſiti.

10 Quarto probatur ratione deſumpta ex S. Thoma in hoc articulo. Iſta propoſitio (Filius Dei eſt homo,) poſt myſterium incarnationis eſt vera, & propria, vt docet fides: Ergo pertinet ad aliquam materiam propoſitionis. Sed non pertinet ad materiam remotam: quia, vt dicit ſanctus Thomas in hoc articulo ad primum argumentum, tunc propoſitio eſt in materia remota, quādo formæ importatæ per ſubiectum, & prædicatum non poſſunt conuenire in vnum ſuppoſitū, quod non contingit in præſenti. Nec etiam pertinet ad materiam contingentem: quoniam ad materiam contingentem requiritur neceſſario, quod altera formarum, quæ importatur per ſubiectum, & prædicatum inſit per accidens ſuppoſito, vel ſubiecto, vt in hac propoſitione, homo eſt albus, vel albū eſt homo; ſed natura humana non vnitur accidētaliter ſuppoſito Verbi, ſed ſubſtantialiter, vt quæſt. 2. art. 6. oſtenſum eſt, & multo minus ineſt illi accidentaliter natura diuina. ergo illa propoſitio (filius Dei eſt homo) propriè loquendo non eſt in materia accidentali. Relinquitur ergo, quod ſit propriè in materia naturali: etenim materia propoſitionum eſt tantum triplex, ſcilicet remota, accidentalis, & naturalis, vt fatentur omnes Dialectici. Reſpondet Magiſter Suarez, 11 Solutio.
quod, ſicut vnio hypoſtatica poteſt dici libera, & ſuo modo contingēs, eo quod natura humana non eſt vnita neceſſario ſuppoſito Diuini Verbi, nec ex natura rei, ſed per gratuitam Dei voluntatem; ita in eodem ſenſu poſſet illa propoſitio dici eſſe in materia contingenti, ſeu libera. Secundo reſpondet, etiam conſiderata illa propoſitione in hoc ſenſu, non eſſe dicendam prædicationem accidentalem, ſed ſubſtantialem; quia quod prædicatur eſt ſubſtantia, & veritas prædicationis in ſubſtantiali vnione fundata eſt. Addit, quod ferè eodem ſenſu poſt factum myſterium poteſt dici aliquo modo per ſe; quia prædicatum eſt vnum per ſe cum ſubiecto, & non per accidens, & ſimiliter dici poteſt neceſſaria,

12 quia eius veritas fundatur in vnione ex natura ſua indiſſolubili, & immutabili. Sed hæc ſolutio non videtur ſatisfacere. Primo; quia vnio libera, vel ſubſtantialis non conſtituit, nec facit materiam propoſitionis diſtinctam ab illis tribus. Ergo neceſſe eſt, quod prædicatio fundata in vnione libera, & ſubſtantiali pertineat ad aliquam materiã ex iam aſſignatis. Secundo; nam vnio humanitatis cum ſuppoſito Verbi non eſt dicenda cum addito diminuente, ſcilicet aliquo modo, vel ſecundum quid vnio per ſe; ſed abſolutè, & ſimpliciter, & cum omni proprietate eſt appellanda vnio per ſe, ſicut & vnio ſubſtantialis, vt qu. 2. art. 6. oſtenſum eſt. aliàs ſimpliciter, & abſolutè vnio illa eſſet accidentalis, & ſecũdum quid ſubſtantialis, quod tamen admitti non poteſt. Tertio, quia vt prædicatio ſit per ſe abſolutè loquendo, & non cum addito diminuente aliquo modo, vel ſecũdum quid, ſufficit quod prædicatum ſit vnum per ſe cum ſubiecto, & non per accidens. Cum ergo poſt myſterium incarnationis humanitas habeat vnum, & idem eſſe per ſe ſubſiſtentiæ, quod habet filius Dei, relinquitur hanc propoſitionem, filius Dei eſt homo, eſſe per ſe abſolutè, & ſimpliciter, abſque vllo addito diminuente. Confirmatur. Quod filius Dei non fuerit homo ante incarnationem, ſed ſolum ea ſuppoſita, non eſt dictio diminuens veritatem, & perſeitatem illius propoſitionis (filius Dei eſt homo) quæ fundatur in vnione hypoſtatica: aliàs, caſu quo Petrus heri cœperit eſſe albus, & nunc etiam ſit albus, hæc propoſitio (Petrus eſt albus) non eſſet ſimpliciter contingens, nec eſſet ſimpliciter concedenda; ſed cum addito diminuente, quod eſt abſurdum. Ergo poſt myſterium incarnationis hæc propoſitio (filius Dei eſt homo) eſt ſimpliciter per ſe, & in materia naturali.

Tertia Concluſio. Hæc propoſitio (Deus eſt homo) eſt per ſe, & in materia naturali ratione huius propoſitionis (filius Dei eſt homo), cui æquiualet in ſupponendo. Probatur, quia licet hoc nomẽ (Deus) ex vi ſuæ ſignificationis poſſit ſupponere pro qualibet perſona Trinitatis; tamen ratione prædicati diſtrahitur, & quaſi reſtringitur, vt in illa propoſitione ſupponat ſolum pro filio, cui conuenit eſſe hominem; ſicut etiam in iſta propoſitione Deus generat, ſubiectum ſupponit tantum pro patre iuxta illã regulam dialecticam, talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorum prędicatis. Vnde, quia generare in diuinis ſolum conuenit Patri; ideo illa propoſitio (Deus generat) æquiualet huic, Pater generat. Ergo ſimiliter prædicta propoſitio (Deus eſt homo) æquiualet huic (filius Dei eſt homo.) Atqui hæc vltima propoſitio poſt myſterium incarnationis, eſt per ſe, & in materia naturali: ergo & illa. 13

AD quatuor priora argu. ex factis à principio reſpondetur, ſolum procedere de propoſitionibus, quæ ſunt per ſe ratione formæ importatæ per ſubiectum; non autem de illis quæ ſunt per ſe, & in materia naturali ratione ſuppoſiti, qualis eſt iſta (Chriſtus eſt homo,) vel Deus eſt homo. Et ſimiliter dicendum ad quintum, quod propoſitio, quæ eſt in vna materia ratione formæ importatæ per ſubiectum, non tranſit de materia in mate-

materiam, ſecus autem quando eſt in tali materia ſolum ratione ſuppoſiti.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc ſit vera (homo eſt Deus.)

CONcluſio. Suppoſita vnione hypoſtatica, hæc eſt vera, & propria (homo eſt Deus) ſicut & iſta (Deus eſt homo.) Probatur ex *Rom.9.* illo ad *Rom.9.* [ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.] Secundo probatur in corpore. Hoc nomen (homo) poteſt ſupponere pro qualibet hypoſtaſi naturæ humanæ: ergo poteſt ſupponere pro perſona filij Dei, quæ eſt homo; ſed huiuſmodi perſona verè, & propriè eſt Deus, vt in prima 1.p.q.39. art.3. ad 4. parte habitũ eſt. Ergo hæc eſt vera, & propria (homo eſt Deus.)

Veritas huius concluſionis ſatis conſtat ex his, quæ articulo præcedenti dicta ſunt, circa iſtam propoſitionem (Deus eſt homo.) Valet enim per conuerſionem ſimplicem hæc conſequentia. Deus eſt homo: Ergo homo eſt Deus. Vnde ſi vna eſt vera, erit & altera.

ARTICVLVS III. IV. V. VI. VII.

IN his Articulis habet ſanctus Thomas ſeptem concluſiones, quibus explicat varios modos loquendi de myſterio Incarnationis, & diuerſa prædicata, quæ poſſunt Chriſto conuenire ratione diuinæ naturæ, vel humanæ, in quibus ſubſiſtit.

Art.3. PRima concluſio in Articulo tertio. Chriſtus non poteſt verè, & propriè dici quod ſit homo dominicus; ſed magis quod ſit Dominus. Ita Auguſt. lib. 1. retract. cap. 19. circa finem. Præterea in corpore. Quod prædicatur de perſona filij eſſentialiter, nõ debet prædicari de illo denominatiuè: quia hoc derogat veritati vnionis; ſed de perſona Chriſti prædicatur Deus, & Dominus eſſentialiter; cum ergo Dominicus dicatur denominatiue à Domino, relinquitur, quod nõ poſſit vere & propriè dici, quod ſit homo Dominicus.

Art.4. SEcunda concluſio in Articulo quarto. Ea, quæ conueniunt filio hominis, poſſunt per communicationem idiomatum prædicari de filio Dei, & è conuerſo. Probatur ex Damaſceno lib.3. dicente, quod Damaſc. lib.3. orthodoxæ fidei c.6. in med. [Deus ſuſcepit ea, quæ ſunt carnis idiomata, ideſt proprietates dum Deus paſſibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus eſt.] Secũdo probatur in corpore articuli. Secundum fidem catholicam vna, & eadem perſona Verbi, ſeu Chriſti ſubſiſtit in vtraque natura, & ita Chriſtus Dñs eſt vere, & proprie Deus, & homo. Ergo ea, quæ conueniunt diuinæ naturæ, poſſunt dici de Chriſto homine, & ea quæ sũt humanæ naturæ poſſunt dici de Deo; tanquam de hypoſtaſi naturæ humanæ.

TErtia concluſio in eodem Artic. Ea, quæ sũt naturæ diuinæ prædicantur de Chriſto ſecundum diuinitatem, ea autem, quæ ſunt humanæ naturæ, prædicantur de eo ſecundum humanitatem. Ita Augu-

Auguſtin. lib. 1. de Trinit. cap. 11.

Art 5. QVarta concluſio in Articulo quinto. In Chriſto ea, quæ ſunt vnius naturæ, non poſſunt de alia prædicari, ſecundum quod in abſtracto ſignificantur, vt ſi dicamus, mortalitas eſt immortalitas. Probatur; quia in myſterio incarnationis non eſt eadem natura diuina, & humana; & cum ſignificantur in abſtracto non ſignificatur ſuppoſitum, in quo conueniunt Ergo.

QVinta Concluſio in eodem articulo. Nomina concreta, quæ ad vtramque naturam pertinent, poſſunt indifferenter prædicari de ſe inuicem; ſiue ſubiectum ſignificet vtramque naturam ſimul, vt hoc nomen (Chriſtus,) ſiue ſolum diuinam naturam, vt hoc nomen, Deus, Filius Dei; ſiue ſolum naturam humanam, ſicut hoc nomen, homo, vel Ieſus. Probatur oppoſita ratione; quia nomina concreta vtriuſque naturæ ſignificant ſuppoſitum; ſiuè hypoſtaſim, in qua conueniunt in Chriſto duæ naturæ. Ergo nomina concreta vnius naturæ poſſunt prædicari de nominibus concretis alterius, & è conuerſo.

Art. 6. SExta Concluſio in Articulo ſexto. Hæc propoſitio eſt vera (Deus factus eſt homo.) Probatur. Vnum quodque dicitur eſſe factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipſo. Sed eſſe hominem cæpit de nouo verè prædicari de Deo ab inſtanti incarnationis; nam eſſe hominem non conuenit Deo ab æterno. Ergo hæc eſt vera (Deus factus eſt homo.)

Art. 7. SEptima Concluſio in Articulo ſeptimo. Hæc propoſitio (homo factus eſt Deus) ſi accipiatur propriè, ſecundum quod hoc participiū (factus) ponit fieri circa hominē cum reſpectu ad Deum ſicut ad terminum factionis, eſt falſa. Probatur. Eſſe Deum non verificatur de homine ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti, in quo ſubſiſtit in Chriſto; ſed illud ſuppoſitum, ſeu perſona filij Dei; ſemper fuit Deus. Ergo non poteſt dici, quod iſte homo incæpit eſſe Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus ſit Deus.

Expoſitio præc. Articul. CIrca omnes iſtas concluſiones notandum, quod in hac parte eſt maximè attendendum ad communem vſum, & modum loquendi circa hoc myſterium inter doctores catholicos, & homines prudentes, & pios: iuxta quem contingit multoties, quod terminus vnus, aut alter, qui prædicatur de Deo ſecūdum humanam naturam, importet aliquid repugnans ſuppoſito diuino; & tunc eiuſmodi terminus etiā in concreto nō debet prædicari de Chriſto, vel de Deo abſolutè loquēdo, & ſimpliciter. Verbi gratia, hic terminus (dominicus,) ſiue (homo dominicus) non debet abſolutè prędicari de Deo, vel de Chriſto, in his propoſitionibus, Deus eſt homo dominicus, Chriſtus eſt homo dominicus, & ſimilibus; quia ex accommodatione vſus excludit ſuppoſitū, quod per eſſentiam eſt Dominus; & ita illæ propoſitiones ſignificant, quod Deus, vel Chriſtus ſit dominus per participationem, vel denominationem; non per eſſentiam. Hoc autem nomē (ſeruus) ſimpliciter, & abſolutè prædicatur de Chriſto, vt patet Iſaiæ 42. [Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum,] quia tantum ſignificat, quod Chriſtus ſecundum illam naturam, ſecun-

Digitized by Google

ſecundum quam dicitur ſeruus, nō dicatur dominus, vnde non excludit Dominium, quod diuinum ſuppoſitum ſecundum naturam diuinam habet ſuper omnia creata. Similiter etiam hoc nomē, Diuinum, quod eſt denominatiuum, prædicatur de Chriſto, vt in hac propoſitione: Chriſtus eſt Verbum diuinum, quoniam ex accommodatione vſus non excludit a ſubiecto, quod ſit Deus per eſſentiam.

3 Secundo notanda eſt regula illa generalis, quam tradit S. Thomas, q.29.de verit.art.1. ad primum, vbi ait, [Illa, quæ nata ſunt perſonæ cōuenire ratione ſui ipſius non poſſunt dici de Chriſto, ſi habent repugnantiam ad proprietates perſonæ æternæ, quæ ſola in eo eſt, ſicut patet de hoc nomine, creatura. Ea vero, quę non ſunt nata conuenire perſonę, niſi ratione naturæ, vel partis naturę poſſunt dici de Chriſto, quamuis habeant repugnantiam ad perſonam æternam, & hoc propter dualitatem naturarum; ſicut pati, & mori, & alia huiuſmodi:] Per hanc regulam facile poterit Theologus de multis propoſitionibus iudicium ferre circa myſterium incarnationis, an concedendæ ſint abſolutè, vel cum addito, aut etiam negandæ: de quo plura dicenda ſunt infra art. 8. & duobus ſequentibus: & per hæc manet explicata prima & 2 concluſio.

4 Circa tertiam concluſionem nota, illā haberi expreſsè in Symbolo Athanaſij ab vniuerſali Eccleſia cō muniter recepto, vbi loquens de Chriſto Dño, ait. [Æqualis Patri, ſecundum diuinitatem, Minor Patre ſecundum humanitatem.] vbi illa determinatio, ſecundum Diuinitatem, non eſt dictio diminuens, ſed nota ſpecificationis, vel determinationis naturæ, ex qua habet Chriſtus, quod ſit æqualis Patri. Vnde hæc propoſitio: Chriſtus eſt æqualis Patri, abſque vllo addito eſt concedenda, & ſimiliter hæc, Chriſtus eſt minor Patre, poteſt cōcedi per ſe loquendo abſque vlla determinatione, ſicut ipſe fatetur, [quia Pater maior me eſt,] quod sē per eſt intelligendum ſecundum humanitatem. Sed tamen ratione ſcandali, & ne conueniamus in verbis cum hæreticis aſſerentibus, filium Dei eſſe minorem Patre, tutius erit, & aliquando neceſſarium exprimere in propoſitione illam determinationem, ſecundum humanitatem, vel ſecundum quod homo, vt dicit S. Thom. art.8. huius quæſt. in c. *Ioa.14.*

5 Circa quartam, & quintam concluſionem nihil ſpeciale occurrit notandum præter ea, quæ aduertit Mag. Medina in hac quæſtione.

Circa ſextam concluſionem aduerte, hanc propoſitionem; Deus factus eſt homo, eſſe de fide, ſi tamen ſubiectum ſupponat pro filio. Habetur definita in Symbolo Concilij Niceni in illis verbis [& Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.] Idipſum habetur in Euangelio Ioa.c.1. [Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis,] & in alijs locis ſcripturæ, præſertim ad Roman.1. [Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.]

Argum. Sed ex hoc deſumitur argumentum contra ſeptimam concluſionē. Hæc conſequētia tenet per conuerſionem ſimplicem, Deus factus eſt homo, ergo homo factus eſt Deus, nam fit de ſubiecto prædicatum, & de prędicato ſubiectum ſeruata ea-

Ee 3 dem

dem quantitate, & qualitate propoſitionis, ergo, ſi antecedens eſt verum, conſequẽs debet eſſe verũ: aliàs in bona conſequentia daretur antecedens verum, & conſequens

Solutio. falſum. Reſpondetur, argumentum non tenere per conuerſionem ſimplicem; quia non fit totum prædicatum ſubiectum, ſed pars prædicati. Etenim totum prædicatum eſt, factus homo: vnde, vt legitimè fiat illa conſequentia per conuerſionem ſimplicem, debemus ſic argumentari, Deus factus eſt homo; Ergo id, quod factum eſt homo, eſt Deus; ſicut hæc propoſitio, Petrus factus eſt albus, debet ſic cõuerti per conuerſionem ſimplicem. ergo, quod factum eſt album, eſt Petrus, vt ſeruetur eadem appellatio: vel applicatio illius termini (factus) ſuper eandem formam tam in antecedenti, quam in conſequenti. Hæc enim conſequẽtia eſt nulla. Petrus factus eſt albus. ergo album factum eſt Petrus, quia variatur appellatio; etenim illud participium (factus) in antecedenti appellat ſuper albedinem; in conſequenti vero ſupra naturam Petri. Colligitur hæc doctrina ex S. Thoma art. 7. huius quæſt. in corp. vbi docet, quod in hac propoſitione, homo factus eſt Deus, ſi proprie loquamur, illud participium (factus) importat ordinem ad Deum ſicut ad terminum factionis; & propterea illa propoſitio eſt falſa, & idem dicit ſol. ad 4. cuius doctrina fauet maxime huic ſolutioni.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc ſit vera, Chriſtus eſt Creatura.

Concluſio. Non eſt abſolutè dicendum, quod Chriſtus ſit creatura, vel minor Patre; ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundum humanam naturam. Probatur in corpore articuli: quia nõ debemus conuenire in verbis cum hæreticis aſſerentibus Chriſtum eſſe creaturam, & minorem Patre, non ſolum ratione humanæ naturæ, ſed etiam ratione diuinæ perſonæ. Secundo, nam Chriſtus ſupponit pro ſuppoſito diuino, cui repugnat, quod ſit creatura. Ergo Chriſtus abſolutè loquendo non eſt creatura. Hanc rationem aſſignat S. Thomas q. 29. de verit. art. 1. ad 1. argumentum.

DISPVTATIO LXX.

An Chriſtus abſolutè, & abſque vllo additamento poſſit in proprietate ſermonis dici Creatura.

Prima opinio eſt quorundam Theologorum, aſſerentium, quod licet propter Arianos, ne cum illis communia Verba habere videamur, Chriſtus non ſit dicẽdus creatura, tamen ſecundum proprietatem ſermonis, vbi non ſit ſcandalum, aut periculum, rectè dici poteſt creatura per idiomatum communicationem: & pro hac ſententia allegatur S. Bonauentura in 3. d. 11. art. 2. q. 1. in corp. & ad 4. Caiet. in his duobus art. Tho. Vuald. tom. 1. doctrinalis fidei antiquę lib. 2. art. 3. c. 41. & 42. Probant ſuam ſentẽtiam ex S. Thoma; nam in art. 8. huius quæſtionis, ea ſola ratione docet, non eſſe dicendum Chriſtum creaturam abſolutè, & ſine additamento, ne occaſio detur erroris Ariani, & ſuſpicio illius gignatur. Et in

M. Vaſquez in hoc art. diſp. 65. cap. 2.

1. Arg.

in ſolutione ad 2. docet nõ eſſe abſolutè dicendum Chriſtũ eſſe creaturã, ne detur occaſio prædicti erroris; ſicut neque dicendus eſt (inquit) incorporeus, ne detur occaſio erroris Manichæi. Atqui ſecundum proprietatem ſermonis Chriſtus dici poteſt incorporeus, ſicut etiam immortalis: ergo.

Secundo id probant auctoritate ſanctorum Patrum: etenim Gregorius Nazianzenus oratione 38. quæ eſt de natiuitate, inquit, [O nouam mixtionem, ò mirandam temperationem, qui eſt, fit, qui creatus nõ eſt, creatur, &c.] S. Damaſcenus 3. lib. de fide orthodoxa cap. 4. & lib. 4. cap. 5. & 19. ante medium docet, ob perſonalem vnionem dici, Deum Verbum carnem aſſumpſiſſe, & creaturam eſſe.] Niſſenus homilia 13. in cantica ante medium inquit, [Increatum dicimus Verbum, quod initio rerum exiſtebat, creatum autem illum dicimus, qui caro factus eſt.] Sophronius in Epiſtola, quæ refertur in ſexta Synodo actione 11. & approbatur actione 13. agens de communicatione idiomatum naturarum inter ſe, ratione vnionis. [Aſſerimus (inquit) hunc ipſum (ſcilicet Chriſtum) creatum, & increatum.]

Gregor. Nazian. — Damaſc. — Niſſenus — Sophro.

Ex Latinis id ipſum docent Hilarius lib. 2. de Trinit. in fine. Vbi ratione communicationis idiomatum concedit expreſſe, Chriſtum eſſe creaturam his verbis. [Filius itaque ſuus eſt, qui eſt in homine, & ex homine factura, neque tantum factura, ſed etiam creatura.] Quod probat Hilarius ex illo ad Galatas 4. [Factum ex muliere.] & ad Epheſ. 4. [Qui ſecundum Deum creatus eſt.] Hieronymus in magnis commentarijs Epiſt. ad Epheſ. cap. 2. in illa verba. [Ipſius enim factura ſumus:] [Nos, (inqt) libere proclamamus, nõ eſſe periculum, eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota ſpei noſtræ fiducia confitemur.] Vbi argumentari videtur Hieronymus à minori ad maius, quaſi diceret: Chriſtus abſolutè dicitur vermis, & crucifixus: Ergo multo magis dicendus eſt creatura. Item etiam Auguſtinus lib. de fide, & Symbolo cap. 3. ait, [Eadem ſapientia, quæ de Deo genita eſt, dignata eſt etiã in hominibus creari,] Et ſermone 12. de tempore. [Propter nos (inquit) creatus eſt creator.] Leo primus ſermone 3. Pentecoſtes ait, [Si enim homo ad imaginem Dei factus in ſuæ honore naturæ manſiſſet &c. creator mundi creatura non fieret.] Denique Gregorius Magnus lib. 5. moralium cap. 25. inquit [Redemptor noſter ad nos veniens creatus, natus, mortuus, &c. quaſi tranſeundo monſtrauit:] Sed Chriſtus cum omni proprietate ſermonis dicitur natus, & mortuus. Ergo & proprie dicitur creatus, ſeu creatura.

Hilar. — Eph. 4. — Hieron. — Auguſt. — Leo. — Gregor.

Tertio arguitur. Caſu, quod humanitas Chriſti prius tempore fuiſſet producta per creationem, quàm in vtero Virginis genita, concepta, & Verbo hypoſtaticè eſſet vnita; tunc Chriſtus verè diceretur creatus, ac proinde creatura: Ergo nũc etiã rectè dici poteſt. Antecedens probatur; tunc humanitas Chriſti producta eſſet tẽporaliter; ergo verè etiã diceretur; hic homo productus eſt tẽporaliter; ſicut etiã rectè dicitur genitus temporaliter hic homo; quia humanitas temporali-

Digitized by Google

ter genita eſt. Sed quidquid eſt productum temporaliter, eſt creatum, & conſequenter creatura abſque vllo additamento: ergo etiam nunc Chriſtus eſt abſolutè creatus, vel creatura ſaltem in ea ſignificatione, qua creatura dicitur de eo, quod ſecundum materiam productum eſt per antiquam creationem ex nihilo.

4 Quarto arguitur. Si Verbum aſſumpſiſſet naturam Angelicam, ſicut potuit, tunc natura Angeli ſecundum ſe totam producta eſſet ex nihilo: ergo tunc Angelus aſſumptus verè diceretur creatus: ergo hoc prædicatum diceretur etiam de Chriſto propter communicationem idiomatum: ergo, & modo Chriſtus propriè dicitur creatus, ſeu creatura. Probatur conſequentia; nam in caſu antecedentis, filius Dei ſubſiſtens in natura Angelica propriè diceretur creatus; quia natura aſſumpta Angeli eſſet creata: ſed etiam nunc natura humana aſſumpta à Verbo eſt creata; nam anima producta eſt ex nihilo, materia etiam à principio mũdi producta fuit per creationem: ergo.

Confirmatur: Sicut creatio reſpicit immediatè perſonam, ita & generatio temporalis: ſed Chriſtus propriè dicitur abſque vllo additamento genitus temporaliter: ergo etiam propriè dicitur creatus, vel creatura.

5 Quinto. Hæc eſt vera propoſitio, & propria: Chriſtus, in quantum homo, eſt creatura, vt articulo 10. docet S.Thomas: ergo abſolutè, & ſine illo additamento, in quãtum homo, dicendus eſt creatura. Probatur conſequentia: nam particula, in quantum, addita voci, homo, ſolum eſt nota (vt aiunt) ſpecificationis, & determinationis deſignans eam partem, aut naturam, ratione cuius conuenit Chriſto eſſe creaturam, ſicut cum dicimus, Paries, in quãtum albus, diſgregat viſum, particula (in quantum) ſolum deſignat id, vnde habet paries, quod diſgreget viſum: ergo idem dicendum eſt in præſenti.

Sexto. Eſſe ens creatum eſt prædicatum quidditatiuum hominis, ſicut eſſe animal, & viuens: ergo eſſe creaturam eſt etiam prædicatum hominis quidditatiuum. Sed omnia prædicata quidditatiua hominis, verè, & propriè dicuntur de Chriſto, cũ Chriſtus ſit homo vniuocè nobiſcum, & conſtituatur directè in prædicamento ſubſtantiæ, ſub ſpecie hominis tanquam eius indiuiduum: ergo. 6

Hæc tamen ſententia, nec eſt ad mentem S. Thomæ, nec vera. Ad cuius euidentiam ſupponẽdum eſt, quod hoc nomen creatura, ſiue ens creatum, poteſt accipi dupliciter. Primo in ampla quadam ſignificatione, vt dicitur de re, quæ fit à Deo, ſiue fiat immediate ex nihilo per nouam creationem, vt anima rationalis, ſiue etiam mediatè per creationem antiquam, vt materia generabilium, & corruptibilium, ſiue per quamcumque aliam actionem, qua res producitur in ſuo eſſe media cauſa ſecunda. Secundo accipitur in rigore, & proprietate ſermonis, & ſignificat id, quod per creationem productum eſt ex nihilo, ſicut à principio creauit Deus cælum, & terram; creatio enim eſt productio entis ex nihilo. 7

Secundo notandum, quod creatio rigoroſe accepta in proprietate ſermonis, importat nouitatem eſſendi eius, quod creatur, cum negatio- 8

gatione totius eſſe ante inſtãs creationis; ita nimirum, vt id quod incipit per creationem ſit aliquid in inſtanti creationis, & immediate ante fuerit nihil: cuius ratio eſt, nã creatio eſt productio de non eſſe ad eſſe. ſicut etiam verbum incipit, quamuis importet affirmationem eius, quod acquirit eſſe, inuoluit tamen negationem; nam incipere importat nunc eſſe, & non prius: propter quod, vt notauit S. Thom. artic. 9. huius quæſtionis ad 2. hæc conſequentia non eſt bona, hoc incipit eſſe album: ergo incipit eſſe coloratum; & ſimiliter non ſequitur: Chriſtus incipit eſſe homo: ergo incipit eſſe, quia virtualiter arguitur ab inferiori ad ſuum ſuperius negatiuè, propter negationem incluſam in verbo, incipit, ſicut nõ ſequitur, equus non eſt homo: ergo

9 non eſt Animal.

Tertio notandum, quod de aliqua propoſitione poſſumus iudicium ferre dupliciter. Primo per ſe loquendo, attendendo ſolum ad naturam ſubiecti, & prædicati, ſecluſo quocunque alio extrinſeco, vt verbi gratia, periculo ſcandali, aut conuenientiæ cum hæreticis in modo loquendi, &c. Secundo, conſiderando omnes circũſtantias extrinſecas loci, temporis, & rerum adiacentium: poteſt enim contingere, quod aliqua propoſitio per ſe loquendo, ex natura rei, ſit vera; quæ tamen propter ſcandalũ puſillorum, aut propter alias circumſtantias, non ſit affirmanda, vel prædicanda abſolutè; ſicut etiã contingit in moralibus aliquem actum eſſe bonum ex obiecto, qui tamen ex aliqua indebita circumſtantia efficitur malus, & peccatum in indiuiduo: ſic ergo

Prima concluſio. Hæc propoſitio (Anima Chriſti eſt creata, vel creatura) eſt vera in toto rigore, & proprietate ſermonis. In hac concluſione conueniunt oẽs Theologi, & ratio illius euidens eſt: quoniam Anima Chriſti producta eſt de non eſſe ad eſſe, ita nimirum, vt ſi terminus creationis non fuiſſet præuentus à termino aſſumptionis, re vera per creationem habuiſſet propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam creatam, vt ſupra oſtẽſum eſt: ergo vere, & proprie fuit creata, ac per conſequens rigoroſe dicenda eſt creatura. Probatur conſequentia: nam creatio propriè ſumpta eſt productio de non eſſe ad eſſe. 10

Secunda concluſio. Humanitas Chriſti non fuit producta per creationem proprie ſumptam, ſed largo modo, ac per cõſequens largo etiã modo dicitur creatura. Hæc concluſio eſt etiam communis, & probatur: nam productio totius humanitatis facta fuit ex præſuppoſito ſubiecto, ſeu materia, quam beatiſſima Virgo ex ſuis puriſſimis ſanguinibus ſubminiſtrauit: ergo non fuit proprie creatio, ſed generatio, ratione cuius Chriſtus fuit genitus ex Maria Virgine. Probatur conſequentia; nam creatio, cum ſit productio entis ex nihilo, nullum ſubiectum præſupponit, nã ante ipſum eſſe nullũ præintelligitur ſubiectũ. 11

Tertia concluſio. Hæc propoſitio (Chriſtus eſt creatus, vel creatura non eſt abſolute concedenda, niſi cum hoc additamento, Chriſtus ſecundum humanitatem, eſt creatura. In hac etiam concluſiõne, vt iacet, conueniunt omnes Theologi, propter rationes inferius adducendas. Diſſenſio tamen eſt inter 12

inter illos; an illud additamentum (ſecundum humanitatem, vel ſecũdum quòd homo) ſit dictio diminuens; ita nimirum, vt abſque illo additamento propoſitio ſit falſa; ſicut iſta propoſitio eſt falſa, Aethiops eſt albus, quia ſolum eſt albus ſecundum dentes. Auctores enim primæ ſententiæ dicunt, quod illud additamentum non ſit dictio diminuens, ſed nota ſpecificationis, ſeu determinationis formæ, ex qua habet Chriſtus, quod ſit creatura, ſicut ex ea etiam habet, quod ſit mortuus. Et ideo exiſtimant, quod ſicut hæc propoſitio (Chriſtus eſt mortuus) eſt in proprietate ſermonis vera, etiam abſque illo additamento, ſecundum quod homo, ita etiam hæc propoſitio (Chriſtus eſt creatus, vel creatura) eſt veriſſima, & propria etiam abſque illo additamento, ſecundum quod homo. Alij verò, quibus ego libenter aſſentior, tenent oppoſitum. Vnde ſit

14 QVarta concluſio. Non ſolum propter vitandũ ſcandalũ, vel ne conueniamus in verbis cum hæreticis aſſerentibus, Dei filium eſſe creaturam, neganda eſt iſta propoſitio (Chriſtus eſt creatus, vel creatura:) ſed etiam quoniam huiuſmodi propoſitio in rigore, & proprietate ſermonis eſt falſa. Hanc concluſionem defendit Capreolus 3.diſt. 11. quæſt. vnica. Ricardus eadem diſt. art. 1. quæſt. 2. Marſilius in 3. quęſt. 9. art. 1. Ferrar. 4. contra gentes cap. 48. Magiſter Canus lib. 12. de locis cap. 11. & alij doctiſſimi Thomiſtæ: & eſt expreſſa ſententia S. Tho. in 3. Sentent. d. 11. quæſt. 1. art. 2. in corpore, vbi ait: [Chriſtus non poteſt dici creatura, non tantum ad vitandum errorem Arij, vt quidam dicunt; ſed etiam ad vitandum falſitatem.] & in corpore huius articuli ait, [quod quãdo aliquod prædicatum conuenire poteſt toti, ſi inſit ſolum alicui parti, non attribuimus toti ſimpliciter, id eſt ſine determinatione; non enim dicimus, quod Æthiops eſt albus; ſed quod eſt albus ſecundum dentes; dicimus autem abſque determinatione, quod eſt criſpus, quia hoc non poteſt ei conuenire, niſi ſecundum capillos.] Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Eſſe ens creatum, vel creaturam non ſolum poteſt conuenire naturæ, ſed etiam ſuppoſito, immo & per ſe primo conuenit ſuppoſito; quia ſuppoſitum per prius acquirit eſſe: ſed ſuppoſitum Chriſti non eſt creatum, vel creatura: ergo, licet humanitas Chriſti ſit creata, non poteſt ſimpliciter affirmari, quod Chriſtus ſit creatura, aut quid creatum, ſed ſolum cum hoc addito diminuente, nimirum ſecundum humanitatem, vel in quantum homo, ſicut nõ dicimus ſimpliciter, quod Æthiops ſit albus, niſi cum addito diminuente, videlicet ſecundum dentes, eo quod albedo poteſt conuenire toti, & partibus. Sed clarius idem docet S. Doct. quæſt. 29. de verit. art. 1. ad primum, vbi ait: [Quod illa, quæ nata ſunt perſonæ conuenire ratione ſui ipſius, non poſſunt dici de Chriſto, ſi habent repugnãtiam ad proprietates perſonæ æternæ, quæ ſola in eo eſt; ſicut patet de hoc nomine (creatura) Ea verò, quæ non ſunt nata conuenire perſonæ, niſi ratione naturæ, vel partis naturæ, poſſunt dici de Chriſto, quãuis habeant repugnantiam ad perſonam æternam, & hoc propter dualitatem naturarum; ſicut

cut pati, & mori, & alia huiuſmodi.] Et ex hoc concludit, quod filiatio adoptionis nullo modo conuenit Chriſto; quia filiatio per prius reſpicit perſonam. Sed etiam creatio per prius eſt perſonę, quàm naturæ, quia natura non creatur per ſe, ſed concreatur in ſuppoſito, vel perſoną. ergo iuxta doctrinam S.Thomæ, Chriſtus non eſt propriè creatus, vel creatura. Idem docet 4. contra gentes cap.48. vbi oſtendit ex profeſſo, non eſſe dicendum Chriſtum eſſe creaturã, quod probat hac ratione. [Creari enim eſt fieri quoddam; cum autem fieri terminetur ad eſſe ſimpliciter, eius eſt fieri, quod habet eſſe ſubſiſtens, & huiuſmodi eſt indiuiduum completum in genere ſubſtantiæ, quod quidem in natura intellectuali dicitur perſona, aut etiam hypoſtaſis. Formæ verò, & accidentia, & etiam partes non dicuntur fieri, niſi ſecundum quid: cum & eſſe non habeant in ſe ſubſiſtens, ſed ſubſiſtant in alio. Vnde cum aliquis fit albus, non dicitur fieri ſimpliciter, ſed ſecundum quid. In Chriſto autem non eſt alia hypoſtaſis, vel perſona, niſi Verbi Dei, quæ eſt increata, vt ex præmiſſis manifeſtum eſt. Non igitur ſimpliciter poteſt enunciari, quod Chriſtus ſit creatura, licet cum additione poſſit hoc dici, vt dicatur creatura ſecundum quod homo, vel ſecundum humanam naturam.] & ſtatim expreſſe dicit, quod [eſſe creaturam, non prædicatur de Chriſto ſimpliciter, ſed ſecundum quid.]

Præterea probatur ratione. Quod creatur, incipit eſſe: nam creatio eſt productio entis ex nihilo, ſiue de non eſſe ad eſſe: ſed Chriſtus nõ incipit eſſe ſimpliciter, ſed ſolum incæpit eſſe homo: ergo ſimpliciter non eſt creatus, vel creatura, quæ eſt terminus creationis. Minor eſt expreſſa ſancti Thomæ art. 9. huius quæſtionis in corpore, vbi ait, [Non eſt dicendum, quod ille homo (demonſtrato Chriſto) incæperit eſſe, ſi nihil addatur; & hoc duplici ratione. Primo quidem: quia hæc locutio eſt ſimpliciter falſa, ſecundum ſententiam catholicæ fidei, qua ponimus in Chriſto vnũ ſuppoſitum, & vnam hypoſtaſim, ſicut & vnam perſonam, cuius æternitati repugnat incipere eſſe; vnde hæc eſt falſa, hic homo incæpit eſſe. Nec obſtat, quod incipere eſſe conuenit humanæ naturæ, quæ ſignificatur per hoc nomen (homo) quia terminus in ſubiecto poſitus non tenetur formaliter pro natura; ſed magis materialiter pro ſuppoſito, vt ſupra dictum eſt. Secundo, quia etiam ſi eſſet vera, non tamen eſſet ea vtendum abſque determinatione, ad euitandam hæreſim Arij; quia ſicut perſonæ filij Dei attribuit, quod eſſet creatura, & quod eſſet minor Patre; ita attribuit ei, quod eſſe incæperit, dicens, quod erat, quando non erat.] Ergo ſimiliter illa propoſitio (Chriſtus eſt creatus, vel creatura) neganda eſt duplici ratione; tum quia eſt falſa: tum etiam quia licet eſſet vera, nõ eſſet ea vtendũ abſque determinatione, ad euitandã hæreſim Arij.

Secundo probatur. Vt oſtendit S.Thom. infra quæſt.23. art.4. hæc propoſitio (Chriſtus eſt filius adoptiuus) eſt abſolutè falſa; quia filiatio propriè conuenit hypoſtaſi, vel perſonæ; ſuppoſitum autem Chriſti eſt filius Dei naturalis, cui repugnat adoptio ad hæreditatem; eo quod adoptio eſt ſuppoſiti extranei

tranei ab hæreditate Patris; ſed etiam eſſe ens creatum, vel creaturam propriè conuenit hypoſtaſi, vel perſonæ, vt dictũ eſt: ergo Chriſtus non eſt dicendus ſimpliciter creatus, vel creatura.

Tertio probatur: Quia, vt notauit Mag. ſentent. in 3.d.11. in principio, ſancti Patres, cum affirmant Chriſtum eſſe creaturam, vel creatum, ſemper apponunt, aut ſaltem ſubintelligunt illud additamentum, in quantum homo, vel ſecundum quod homo, ſed præſertim S. Auguſtinus in Enchiridio. ad Laurentium cap.38. vbi ait, [Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in quantum Deus eſt, omnia per ipſum facta ſunt; in quantum autem homo eſt, & ipſe factus eſt, ſicut Apoſtolus dicit: factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.] Eodem modo loquitur Ioannes Maxentius in 2. dialogo cap.18. & alij plures doctores: ergo idẽ quod prius.

Rom.1.

AD primum argum. reſpondetur, quod S.Thom. expreſsè affirmat, duplici ratione eſſe negandam illam propoſitionem, Chriſtus eſt creatus, vel creatura. Primo, quia eſt falſa. Secundo, ne conueniamus in vocabulo cum Arianis aſſerentibus, filium Dei eſſe creaturam, vt ex dictis conſtat.

Ad ſecundum, ex teſtimonijs Patrum reſpondet S. Thomas in 3. d.11. cit. art.1. ad 1. [quod eorum verba intelligenda ſunt cum determinatione, vt dicit Magiſter in littera, quamuis illa determinatio cauſa breuitatis omittatur.]

Ad tertium reſpondetur, quod in caſu poſito oporteret, quod humanitas produceretur in ſuppoſito, & cum exiſtentia creata, ſed pro tunc homo ille productus non eſſet Chriſtus, ſed purus homo; & ita diceretur creatus, vel creatura, ſicut & quilibet alius purus homo, nec poſſet poſtea eadem humanitas vniri Verbo hypoſtaticè, niſi deſtrueretur proprium ſuppoſitum creatum; quia natura ſemel terminata proprio ſuppoſito, non poteſt ſimul terminari ſuppoſito diuino, vt diſp.26. oſtenſum eſt. Ab eo autem inſtanti, quo humanitas illa deſtructo proprio ſuppoſito vnita eſſet Verbo hypoſtaticè, diceretur quidem abſolutè humanitas ipſa creata, vel creatura; cæterum Chriſtus non eſſet tunc abſolutè creatus, vel creatura; ſed cum addito diminuente; ſicut & nunc dicitur, quia terminus concretus poſitus in ſubiecto ſtat pro ſuppoſito materiali, vt dictum eſt.

Ad quartum reſpondetur, quod licet natura Angeli, ſi aſſumeretur à Verbo, eſſet proprie creatura, ſeu creata; Verbum tamen ſubſiſtens in natura Angeli non eſſet abſolutè creatura, ſeu creatum; ſed ſolum cum addito diminuente, nimirum in quantum Angelus, ſicut modo Chriſtus, in quantũ homo, eſt creatura. Et ad id, quod obijcitur de communicatione idiomatum, reſpondetur ex doctrina S.Thomæ q. 29. allegata de verit. quod ea, quæ conueniunt perſonæ ratione naturæ, vel partis naturæ aſſumptæ prædicantur abſolutè de Chriſto propter communicationem idiomatum, etiam ſi habeant repugnantiam cum ſuppoſito Verbi, & ita abſolute dicimus, quod Chriſtus ſit mortuus; quæ autem conueniũt, aut nata ſunt conuenire per prius ſuppoſito; non prædicantur abſolutè de Chriſto. Creari autem, vel eſſe terminum creationis per ſe primo

mo conuenit ſuppoſito, vt dictum eſt; Vnde hoc prædicatum non poteſt abſolutè dici de Chriſto.

Ad confirmationem negatur conſequentia; nam genitum temporaliter non includit negationem generationis æternæ, cæterũ creatum includit negationem ſubſiſtentis ab æterno, cum abſolutè dicitur de Chriſto; quia creatio eſt productio de non eſſe ad eſſe. Vnde nõ eſt ſimile.

Ad quintum negatur conſequentia. Ad probationem dicendum, quod illa determinatio (in quantũ homo) addita ſubiecto, eſt diminuens in propoſitione illa, vt ex præmiſſis conſtat.

Ad ſextum duplicem ſolutionem adhibet ſanctus Thomas in 3. Sent. diſt. 11. quæſt. 1. art. 2. ad 2. Prima eſt [quod creatura non eſt ſuperius ad hominem; quia creatio magis reſpicit eſſe, quam naturam. eſſe autem non eſt genus, nec inducitur in ſignificatione alicuius generis, vt dicit Auicenna, cum ea, quæ ſunt in vno genere non conueniant in vno eſſe, ſed in natura communi.] Secunda ſolutio eſt, [quod creatura non eſt ſuperius ad hominem, ſignificans quid eſt homo; quia creatio non reſpicit naturam, vel eſſentiam, niſi mediante actu eſſendi, qui eſt primus terminus creationis. Humana autem natura in Chriſto non habet aliud eſſe perfectum, quod eſt eſſe hypoſtaſis, quàm eſſe diuinæ perſonæ. & ideo ſimpliciter loquendo, creatura dici non poteſt, quia intelligeretur, quod eſſe perfectum hypoſtaſis Chriſti per creationem eſſet acquiſitum.]

ARTICVLVS IX.

Vtrum hæc ſit vera. Iſte homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe.

Concluſio. Non eſt dicendum, quod iſte homo (demonſtrato Chriſto) incæperit eſſe. Probatur primo, quia hæc loquutio eſt ſimpliciter falſa, eo quod ſubiectum ſupponit materialiter pro ſuppoſito diuino, cuius æternitati repugnat incipere eſſe. Secundo, quia etiam ſi eſſet vera, non tamen eſſet ea vtendum abſque determinatione, ad euitandam hæreſim Arij, dicentis, quod erat, quando non erat. 1

Expoſitio Articuli.

Hvius Articuli concluſio ſatis manet probata, ex dictis articulo præcedenti, circa illam propoſitionem (Chriſtus eſt creatura:) idem enim iudicium ferendum eſt de hac propoſitione (Chriſtus incæpit eſſe) ac de illa, (Chriſtus eſt creatura.) Vna enim propoſitio infertur ex altera: ſed propter quorundam Theologorum inſtantiam examinandum eſt in præſenti, An prædicta propoſitio ſit concedenda, vel neganda abſolutè, ſecundum proprietatem loquutionis.

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXI.

1 *Vtrum hæc propoſitio (Chriſtus incæpit eſſe) iſte homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe, & alia conſimiles, ſeruata proprietate ſermonis ſit vera.*

2 QVIDAM ex recentioribus Theologis affirmant, hanc propoſitionem, hic homo, (demõſtrato Chriſto) incæpit eſſe, abſque vlla diſtinctione, vel additamento, eſſe veram ſecundum proprietatem vocum, & concedendam: & idem ſentiunt de iſta (Chriſtus incæpit eſſe) (Ieſus incæpit eſſe.) Probant ſuam ſententiam. M.Vazq. in hoc artic. diſp. 67.cap.4. & 5.

Primo. Hoc nomen, Chriſtus, vel iſte homo (demonſtrando Chriſtũ) ſupponit pro natura humana, connotando ſuppoſitum, in quo ſubſiſtit; ſed natura humana in Chriſto incæpit eſſe in tempore, cum non fuerit ab æterno: ergo hæc propoſitio eſt vera, iſte homo (demonſtrando Chriſtum) incæpit eſſe. Maior probatur. Hoc nomen (homo, vel iſte homo) ſignificat naturã humanam in concreto, etiam ſi ponatur à parte ſubiecti: ergo ſupponit pro natura humana connotando ſuppoſitum.

Confirmatur primo eadem maior: quia multi Patres docẽt, quod Chriſtus ſit nomen naturæ ſignificans naturam humanã Verbo vnitã; etenim Origenes in illud Ioan. primo. [In principio erat Verbum] explicans verſiculum Pſal.44. propterea vnxit te Deus, inquit, [Vocabulum Chriſti ad eam naturam, qua homo eſt, præcipuè pertinere.] Origen. Idem ſentit Athanaſius oratione contra Arianos poſt quartum ſermonem, vbi in perſona Chriſti loquens, ait: [Ego enim ſum Chriſma, ſiue vnctio, Chriſtuſque, ſiue vnctus, homo eſt, qui à me aſſumptus eſt.] vbi vnctum, & Chriſtũ, inquit eſſe hominem, id eſt, naturam ipſam humanam aſſumptam. S.Athan. Fulgentius lib.3. ad Traſimundum cap.3. & 14. docet, quod Chriſtus eſt nomen hominis, ſed ſpecialiter in fine eiuſdem cap.14. ait: [Sicut Deus Chriſtus in homine nomen hominis ſumpſit (nempe, quia ſumpſit nomen Chriſti, quod eſt nomen hominis) ſic idem Chriſtus in Deo vocabulũ Deitatis accepit;] ſentit igitur, Chriſtum eſſe nomen naturæ humanæ, & accepiſſe nomen Deitatis; contra vero, Deum eſſe nomen naturæ diuinæ, & accepiſſe nomen naturæ humanæ, cum dictus eſt Chriſtus.

Confirmatur ſecundo. Vt dicit Damaſcenus lib.4. de Fide Orthodoxa cap.6. [Quia exultationis oleo, hoc eſt ſpiritu à Deo, & Patre perfuſus eſt. hac demum ratione Chriſtus nominatur:] ergo hoc nomen (Chriſtus) proximè conuenit humanitati, connotando diuinam naturam, tanquam vnguentum, & vnionem cum diuina perſona, tanquam fundamentum huius vnctionis. S. Damaſcenus.

Secundo id probant. Hic homo (demonſtrando Chriſtum) per generationem in tempore ſuum proprium, & primarium eſſe nouiter accepit: ergo incæpit eſſe ſimpliciter. Probatur conſequentia: nam quod in tempore accipit nouiter ſuum eſſe, incipit eo tempore eſſe,

quo

quo illud accipit, ſiquidem eſſe ſimpliciter de primario eſſe rei dicitur.

3 Tertio. Id quod de nouo acquirit eſſe ſubſtantiale exiſtentiæ, incipit eſſe ſimpliciter; nam eſſe ſubſtantiale, eſt eſſe ſimpliciter: ſed hic homo (demonſtrando Chriſtũ) per generationem temporalem accepit ſuum proprium eſſe ſubſtantiale exiſtentiæ: ergo iſte homo, ſcilicet Chriſtus, incæpit eſſe ſimpliciter. Minor probatur: nam humanitas in Chriſto exiſtit formaliter per propriam exiſtentiam creatam, vt docent multi Thomiſtæ, præſertim Herueus in 3. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. Paludanus q. 3. circa finem, verſiculo, quidam tamen dicunt. Et probatur ex Ariſtotele dicente: Viuere in viuentibus eſt eſſe: cum ergo in Chriſto viuere humanũ ſit effectus formalis, procedens ab anima rationali, relinquitur, quod eſſe exiſtentiæ ſit effectus formalis procedens ab eadem anima rationali, ac per conſequens tam anima rationalis, quàm humanitas exiſtunt formaliter in Chriſto per propriam exiſtentiam creatam.

Quarto. Nam etiam ſi admittatur, humanitatem Chriſti non exiſtere formaliter, per propriam exiſtentiam, ſed per ſolam exiſtentiam Verbi loco proprij eſſe ſubſtantialis; nihilominus natura humana hoc eſſe Diuinum in tempore accepit: ergo verè hic homo incæpit eſſe.

4 Quinto corroborari poteſt hæc ſententia. Quod incipit eſſe in aliqua ſpecie ſubſtantiali, incipit eſſe ſimpliciter; ſed Chriſtus incæpit eſſe in aliqua ſpecie ſubſtantiali; nam incœpit eſſe homo, ſiue indiuiduum naturæ humanæ: ergo incæpit eſſe ſimpliciter.

Oppoſitam ſententiam docet S. Thomas; tum in hoc articulo, vbi Caiet. eam defendit; tum etiam alijs pluribus in locis inferius allegandis. Capreolus in 3. diſt. 11. q. vnica art. 1. concl. 2. Palud. eadem diſt. quæſt. vnica, art. 3. pũcto 2. Riccardus art. 3. q. 1. Ioan. Maior eadem diſt. q. 1. Et quoniam hæc ſententia veriſſima eſt, & modo loquẽdi ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum valde conformis, pro eius explicatione notandum: Nos in hac parte poſſe loqui de propoſitionibus, in quibus ſubiectum importat formaliter ſolam naturam diuinam, vt ſi dicamus (Filius Dei incæpit eſſe, Verbum Diuinum incæpit eſſe, Deus incæpit eſſe,) aut vero de propoſitionibus, in quibus ſubiectum importat de formali ſignificato vtramque naturam, Diuinam ſcilicet, & humanam in eadem Verbi perſona ſubſiſtentem; vt ſi dicamus (Chriſtus incæpit eſſe, Emmanuel incæpit eſſe, & ſimilibus) vel etiam poteſt ſermo eſſe de propoſitionibus, in quibus ſubiectum ſolum importat de formali ſignificato naturam humanã in ſuppoſito diuini Verbi ſubſiſtentem, vt ſi dicamus, hic homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe, & de omnibus his propoſitionibus eſt ſuo ordine agendum.

Supponendum eſt ſecundo, tanquam potiſſimum fundamentum ſententiæ S. Thomæ, quod terminus in ſubiecto poſitus, tenetur materialiter, id eſt pro ſuppoſito: poſitus vero in prædicato, tenetur formaliter, id eſt pro natura ſignificata. & ideo cum dicitur, hic homo (demonſtrato Chriſto) incæpit 5

eſſe,

eſſe, ipſum incipere eſſe, non attribuitur humanæ naturæ, ſed ſuppoſito humanæ naturæ, quod eſt ab æterno.] Ita docet expreſſe S.Thomas art. 7. huius quæſtionis ad 4. & in hoc articulo in corpore, & ad 3. & ſæpiſſime in alijs locis. Quod etiam prius docuit S. Damaſcenus lib. 3. Fidei orthodoxæ cap. 3. vbi ait: Hoc nomen (Chriſtus) eſſe nomen ſuppoſiti, continens duas naturas; [Chriſti, inquiens, vocabulum perſonæ eſſe dicimus, vt quod non vnimode dicatur, ſed duplicem naturam ſignificet; ipſe enim ſeipſum vnxit,] Similia verba habet Nicetas lib.3. Theſauri cap. 3. nec diſſentiunt alij Patres in primo argumento adducti, vt in eius ſolutione patebit. Et ratio huius aſſignari poteſt; quia ſubiectum habet rationem materiæ, prædicatum vero induit rationem formæ. Ergo terminus ſignificans naturam in concreto poſitus à parte ſubiecti, ſupponit materialiter pro ſuppoſito. poſitus vero in prædicato, ſupponit formaliter pro natura ſignificata. Confirmatur hæc ratio. In hac propoſitione, Petrus incipit eſſe albus, non ſignificatur, quod incipiat eſſe ſuppoſitum Petri; ſed quod incæperit eſſe ſecundum albedinem, eo quod illud concretum (albus) ponitur in prædicato, & ideo ſupponit formaliter pro albedine: alias propoſitio eſſet falſa, caſu, quo Petrus multo tempore antea fuerit genitus, & nunc incipiat eſſe albus. E contra vero in hac propoſitione, album incipit eſſe, ſecundum proprietatem ſermonis ſignificatur, quod ſuppoſitum materiale albedinis incæperit eſſe; quoniam ille terminus concretus (album) ponitur à parte ſubiecti, & ideo ſupponit materialiter pro ſuppoſito, ac per conſequens in caſu poſito hæc propoſitio eſt falſa, vt patet per eius exponentes, ex quibus prima eſt falſa. Sic enim exponitur, hoc incipit eſſe, & hoc incipit eſſe album: ergo hoc album incipit eſſe: prima autem propoſitio, nimirum hoc incipit eſſe, manifeſte eſt falſa in caſu poſito.

S. Damaſcenus.

Tertio recolenda ſunt, & ſupponenda, quæ circa iſtam propoſitionem (Chriſtus eſt creatura) dicta ſunt articulo præcedenti; multum enim iuuare poſſunt ad reſolutionem huius difficultatis. Sit ergo

6 PRima concluſio. Hæc propoſitio, Filius Dei incæpit eſſe, Verbum diuinū incępit eſſe, Deus incæpit eſſe, & aliæ conſimiles, in quibus terminus concretus poſitus in ſubiecto tantum ſignificat de formali naturam diuinam, ſunt falſæ, etiam poſt incarnationis myſterium, & tanquam hæreticæ ſunt abſolute negandæ contra Arianos, aſſerentes, Filium Dei eſſe creaturam, & quod erat, quando non erat. Hanc concluſionem admittunt omnes catholici, præſertim Durandus in 3.diſt.11.q.1. num.7. Scotus, Lichetus, Vazquez, & alij ſuperius allegati, & probatur: nam in prædictis propoſitionibus ſubiectum ſolum ſignificat ſuppoſitum diuinum cum his, quæ pertinent ad naturam diuinam: ſed hæc non incæperunt eſſe in tempore, ſed fuerunt ab æterno, vt fides catholica docet: ergo etiam poſt myſterium incarnationis, eiuſmodi propoſitiones non ſunt concedendæ, ſed tanquam hæreticæ damnandæ.

7 Confirmatur. Vt docet S.Thom. in hoc articulo ad 2. verbum incipere, includit affirmationē eſſendi in hoc

in hoc

Digitized by Google

in hoc inſtanti, cũ negatione actus eſſendi pro tẽpore præterito; quia importat nunc eſſe, & non prius. Vnde hęc propoſitio (Filius Dei incipit eſſe) reſoluitur in has duas propoſitiones: Filius Dei nunc eſt, & immediate antea non fuit: ſed hæc ſecunda exponens eſt hæretica: ergo & illa.

Secundo probatur. In hac propoſitione, Filius Dei incæpit eſſe, vel Deus incępit eſſe, nullus eſt terminus ſignificans, aut connotans naturam humanam, quæ cæpit eſſe in tempore, & ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi: ergo nec formaliter, neque ęquiualẽter reſtringitur, vel determinatur illa propoſitio ad ſignificãdum, quod natura humana incæperit ſubſiſtere in perſona diuina, vel quod Deus cęperit de nouo ſubſiſtere in natura humana. Ergo eadẽ ꝓpoſitio, ſiue ſubiectũ ſupponat materialiter pro ſuppoſito, vt ſentit S.Tho. ſiue formaliter pro natura concernendo ſuppoſitum, vt volunt aliqui Theologi, non eſt aliquo modo concedenda.

8 Secunda concluſio. Hæc propoſitio Chriſtus incæpit eſſe, & aliæ conſimiles, in quibus ſubiectum ſignificat ſuppoſitum diuinum ſubſiſtens in duabus naturis, diuina ſcilicet, & humana, ſunt abſolutè falſæ, ſecundum proprietatem ſermonis, & abſque vlla diſtinctione negandæ. Concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ. Eſt etiam contra Durandum in 3. diſt. 11. q. 1. nu. 7. circa fin. vbi affirmat hanc propoſitionem, Chriſtus incæpit eſſe, diſtinguendam eſſe. Aut enim Verbum incæpit eſſe, refertur ad ſuppoſitum ratione ipſius, & ſic (ait) eſſe falſam: aut refertur ad ſuppoſitum ratione naturæ humanæ, & ſic, inquit, eſſe veram. Sed noſtram concluſionem docet expreſſe ſanctus Thomas, & alij Doctores pro eius ſententia ſupra inducti, & probatur ex noſtro ſecundo fundamento. Etenim terminus concretus poſitus in ſubiecto ſupponit materialiter pro ſuppoſito, vt ibi oſtenſum eſt; ſed in hac propoſitione, Chriſtus incæpit eſſe, hoc nomen, Chriſtus, ponitur in ſubiecto, & eſt terminus concretus: ergo ſupponit materialiter pro ſuppoſito. Atqui in Chriſto nullum eſt aliud ſuppoſitum, niſi ſuppoſitum diuinum, de quo verificari non poteſt, quod incæperit eſſe in tempore, cum ſit ab æterno, vt docet Fides catholica: ergo illa propoſitio ſecundum proprietatem ſermonis eſt falſa. Confirmatur. Verbum incipere, quamuis ſit affirmatiuum; includit tamen negationem; quia ſignificat nunc eſſe, & non prius, vt articulo 9. huius quæſtionis dicit ſanctus Thomas; ſed de ſuppoſito Chriſti non poteſt verificari, quod nunc ſit, & non prius; nam ſecunda pars huius copulatiuæ eſt falſa: ergo. Hæc concluſio patebit amplius ex concluſione ſequenti.

9 Tertia concluſio. Hæc propoſitio, hic homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe, eſt in ſermonis proprietate falſa, & abſque diſtinctione vlla neganda. Concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ, & contra Durandum loco allegato, vbi eodem modo loquitur de hac propoſitione: Hic homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe, ſicut de illa, Chriſtus incæpit eſſe. Probatur tamen noſtra concluſio rationibus adductis pro cõcluſione præcedenti, & alijs argu-

mentis factis art. 8. ad probandum hanc propoſitionem eſſe falſam in ſermonis proprietate, Chriſtus eſt creatura. Præterea probatur. Vt notauit Caiet. eiuſmodi propoſitio, iſte homo (demōſtrato Chriſto) incæpit eſſe, dānata eſt in Vniuerſitate Pariſienſi, & cū appellatum eſſet ad S. Sedē Apoſtolicā, illā reprobauit Alexander VI. ergo non licet eā affirmare, vel defendere. Reſpondent, parū curandum eſſe de cēſura Pariſienſi, ſiquidem Pariſijs multæ aliæ propoſitiones dānatæ fuerunt, quæ talē notā non merebantur. Sed contra hoc eſt, quod, licet hæc ſolutio locum haberet in aliqua alia propoſitione; in iſta, de qua agimus nō videtur procedere, propter decretum Alexandri Sexti, qui eam damnauit, vt fuit communis fama tempore Caietani.

M. Vazq. vbi ſup. nu. 10.

10 Nec ſatis eſt reſpondere, vt quidā reſpondent, quod fama illa nullo firmo fundamento nititur, nec ex aliqua certa hiſtoria id conſtat: quoniam hæc ſolutio eadem facilitate reijcitur, qua probatur; præſertim cū auctoritas Caietani in hac parte nō ſit leue fundamentum, ex quo veritas huius hiſtoriæ colligi poſſit, propter quā in ſententia noſtra nullum ſit periculum, ſicut eſſe videtur in ſententia contraria. Reſpondent ſecundo, quod non cōſtat, neque conſtare poteſt, vtrum ſecundum proprietatē ſermonis; an propter periculū tantum dānata fuerit illa propoſitio. Tertia ſolutio eſt, quod Caiet. nō ſatis explicat: Vtrū propoſitio dānata fuerit hæc, Chriſtus incæpit eſſe, an hæc, hic homo incæpit eſſe; prior autē rectè dānari potuit, poſterior non itē. Sed iſtæ etiā ſolutiones non videntur ſatiſfacere. Non ſecunda, quia quando Summi Pontifices propoſitionē aliquā delatā abſolutè damnant, cenſentur eam reprobare; quia falſa eſt in ſermonis proprietate, & non ſolū propter periculum, niſi id explicēt; alias liceret omnē aliam definitionē Summi Pōtificis infirmare, aſſerendo propoſitionē eſſe damnatam propter periculum, non quia falſa in ſermonis proprietate. Contra tertiam vero ſolutionem vrget argumentum ſupra inſinuatum; nam eadē ratio videtur de iſta propoſitione, Chriſtus incæpit eſſe, & de illa, hic homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe, cum in vtraque ſubiectum ſignificet ſuppoſitum diuinum ſubſiſtens in natura humana.

Id. Vazq.

11 Neq; obſtat, quod in priori propoſitione ſubiectum ſignificet ſuppoſitum diuinum ſubſiſtens in natura diuina, & humana; poſterior vero ſolum ſignificet ſuppoſitū diuinum ſubſiſtēs in natura humana, quoniam idē eſt ſenſus vtriuſque; eo quod terminus cōcretus, de quo affirmatur quod incæperit eſſe, ponitur in vtraque ex parte ſubiecti: & ideo ſupponit vtrobique pro ſuppoſito diuino. Confirmatur hoc argumentum. Sicut hæc propoſitio, iſte homo (demōſtrato Chriſto) incæpit eſſe, de formali ſignificato importat humanitatem, ratione cuius, vel ſecundum quā incæpit eſſe; ita etiam hoc nomen, Chriſtus, importat humanitatem in ſuo formali ſignificato: ergo ſi vna cōceditur vera, concedenda eſt & altera; & è contra, ſi vna ritè potuit damnari, potuit & altera.

12 Solutio.

Reſpondebunt fortaſſis, eſſe differentiā: nam terminus (iſte homo) demonſtrato Chriſto, ſolum ſignificat ſuppoſitum diuinum ſubſiſtens in natura humana, in qua re verè

cæpit

cæpit ſubſiſtere in tempore: & ideo propoſitio eſt vera, Chriſtus autem ſignificat ſuppoſitum diuinum ſubſiſtens in natura diuina, & humana. Et quoniam in natura diuina fuit ab æterno; ideo affirmari non poteſt, quod Chriſtus incæperit eſſe; nam hæc propoſitio ſignificat, quod vtraque natura, diuina ſcilicet, & humana cæperit eſſe; quod eſt falſum, quia natura diuina Chriſti eſt ab æterno.

Impugn. Sed contra iſtam differentiam eſt efficax argumentum. Si propterea hæc propoſitio eſt falſa, Chriſtus incæpit eſſe, quia non incæpit eſſe ſecundum naturam diuinam ſimul, & humanam, quam ſignificat hoc nomen, Chriſtus; ſequitur quod etiam iſta propoſitio ſit falſa. Chriſtus eſt ab æterno, conſequens eſt cõtra illud Apoſtoli, *Hebr. vlt.* [Ieſus Chriſtus heri, & hodie ipſe, & in ſæcula:] ergo. Maior probatur, quia Chriſtus non fuit ab æterno ſecundum naturam humanã, quam importat, licet non ſolam, in formali ſignificato hoc nomen Chriſtus: ergo, ſi ratio potiſſima, propter quam negatur hæc propoſitio, Chriſtus incæpit eſſe, ea eſt; quia ſubiectũ importat in formali ſignificato naturam diuinam, ſecundùm quam Chriſtus non incępit eſſe in tempore, ſequitur, quod illa propoſitio, Chriſtus eſt ab æterno, ſit falſa. Et idem eſſet dicendum de propoſitione illa, quę habetur 1. *1. Cor. 8* Cor. 8. [Vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia, & nos per ipſum.] Si enim ad verificandã iſtam propoſitionem, per Chriſtum facta ſunt omnia, requiritur, quod prędicatum conueniat ſubiecto ſecundũ vtrãque naturam, prædicta propoſitio erit reprobanda: quia non omnia facta ſunt per Chriſtum, ſecundum naturã humanã, ſed ſolum ſm̃ naturam diuinam, in qua conuenit cum Patre, & Spiritu ſancto. Relinquitur ergo differentiam aſſignatã inter iſtas propoſitiones, Chriſtus incæpit eſſe, & iſte homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe, non ſubſiſtere, ac per conſequens idem prorſus iudicium, quo ad veritatem, vel falſitatem eſſe ferendum de vtraque. Quo fit, vt ratio potiſſima, propter quam hæc propoſitio (Chriſtus eſt ab æterno) eſt vera; hæc autem (Chriſtus incæpit eſſe) vel (hic homo, demonſtrato Chriſto, incępit eſſe) eſt falſa, ſit illa quam aſſignat S. Thomas: quia nimirum terminus ille concretus, ſcilicet Chriſtus, poſitus in ſubiecto, ſupponit pro ſuppoſito materiali, videlicet pro ſuppoſito Verbi diuini, quod fuit ab æterno, & non incæpit eſſe in tempore.

13 Secundo probatur concluſio. Eſſe ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ, quod acquirit res quando incipit eſſe, principaliter, & per ſe primo refertur ad ſuppoſitũ quod fit, ſeu producitur: ſed ſuppoſitum Chriſti Domini, cum ſit increatum, nullũ eſſe ſubſiſtentiæ, vel actualis exiſtentiæ acquiſiuit per incarnationem, etiam vt ſubſiſtit in natura humana; quia, vt ſupra oſtenſum eſt, *Diſp. 14.* humanitas Chriſti non habet propriam ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam creatam; ſed immediatè ſubſiſtit, & exiſtit per ſubſiſtentiam, & exiſtentiã Verbi, ergo. *Vazq.* Reſpondent, Chriſtum per generationem in tẽpore, ſuum proprium, & primariũ eſſe nouiter accepiſſe, & ideo hæc propoſitio eſt vera (Chriſtus incępit eſſe) vel (iſte homo incæpit eſſe) vt in ſecundo argumẽto dicebatur. Sed hæc ſolutio, præterquam quod

eſt valde ambigua, nõ videtur ſatiſfacere. Cũ enim ait, quod Chriſtus per generationẽ tẽporalem nouiter accepit ſuũ propriũ eſſe; vel id intelligit de eſſe eſſentiæ, aut vero de eſſe ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ. Primũ nõ poteſt dici; quia eſſe eſſentię Chriſti Dñi, ſi aliqua definitione explicari poſſet, eſſet per iſtã: Chriſtus eſt perſona diuina ſubſiſtẽs in duabus naturis, diuina ſcilicet, & humana; Sed ſuppoſitũ Chriſti per generationẽ temporalẽ, nõ acquiſiuit eſſe eſſentiæ ſuppoſiti diuini, vel naturæ diuinæ; ſed tantum acquiſiuit de nouo relationẽ rationis ad humanitatẽ, cui per incarnationẽ fuit hypoſtaticè vnitũ; & ratione huius relationis, abſque vlla prorſus mutatione reali, Verbũ diuinum dicitur in tẽpore, & eſt ſubſtantialiter homo: ergo ſolutio aſſignata procedere non poteſt de eſſe eſſentiæ. Nec etiam poteſt intelligi de eſſe ſubſiſtentiæ, quia (vt fatentur oẽs Doctores Catholici) in Chriſto, & in eius humanitate, nulla eſt alia ſubſiſtentia præter ſubſiſtentiã Verbi, quã Chriſtus habuit ab æterno; ac per conſequens non potuit eam in tempore nouiter acquirere. Et idẽ ſentiendum eſt de exiſtentia, quia,
Diſp. 14. vt oſtenſum eſt, humanitas Chriſti non exiſtit formaliter per propriã exiſtentiam creatam, ſed per exiſtentiã increatã Verbi diuini: ergo Chriſtus per natiuitatẽ temporalẽ, aut incarnationẽ nullum eſſe ſubſiſtentiæ, vel exiſtẽtiæ nouiter acquiſiuit, ſed ſubſiſtentiam ſuæ diuinæ perſonæ, & exiſtentiam, quam ab æterno habet, communicauit in tẽporis plenitudine humanitati ſibi vnitæ hypoſtaticè.

14 AD primum argumentũ reſpondetur, quod, vt in ſecũdo fundamẽto oſtenſum eſt, hic terminus (Chriſtus) vel (hic homo) demonſtrando Chriſtũ, quando ponitur in ſubiecto, ſupponit pro ſuppoſito materiali. Ad confirmationẽ reſpõdetur, quod licet hoc nomẽ (Chriſtus) Ad conf.
de formali ſignificato importet naturam diuinam, & humanam in ſuppoſito Verbi ſubſiſtentes, nihilominus quando ponitur in ſubiecto, ſupponit pro ſuppoſito materiali, hoc eſt pro perſona, ſeu hypoſtaſi Verbi Diuini. nec docẽt oppoſitum Patres in eadem cõfirmatione inducti. Solum quippe ſignificare voluerunt, quòd Chriſtus eſt verus homo, & verus Deus, quod veriſſimum eſt, nullus autẽ ex illis negat, quod hic terminus (Chriſtus, vel iſte homo) poſitus in ſubiecto, ſupponat pro ſuppoſito materiali, neque ex eorum verbis id colligitur. Sed ſpecialiter ad locum Origenis dicendum, quod, cum ait, vocabulũ Chriſti ad eam naturam, qua homo eſt, præcipue pertinere, ſolum voluit indicare, quod hoc nomẽ, Chriſtus, id eſt vnctus, præcipue ſignificat de formali ſignificato naturam humanam vnctam; ſed tamen, quãdo ponitur in ſubiecto, ſupponit pro ſuppoſito materiali eiuſdem naturæ, quod eſt æternum. Ad ſanctum Athanaſium reſpondetur, veriſſimum eſſe, quod Chriſtus ſit homo vnctus; ſed ex hoc non bene infertur, quod quando hic terminus (Chriſtus) ponitur in ſubiecto, non ſupponat pro ſuppoſito materiali, quin potius infertur oppoſitum; nam ſuppoſitum Verbi diuini eſt verus homo, & verus Deus. Nec eſt admittenda illa propoſitio, quam arguens deducit ex verbis Athanaſij, nimirum Chriſtus eſt natura humana aſſumpta. Licet enim

Digitized by Google

nim natura diuina in abſtracto prędicetur de Chriſto, vt in hac propoſitione, Chriſtus eſt Deitas, tamen natura humana in abſtracto ſignificata, non prædicatur de Chriſto, ſed ſolum in concreto; hęc enim propoſitio eſt falſa (Chriſtus eſt humanitas) hæc autem vera (Chriſtus eſt homo) ſicut etiam hæc eſt falſa (Petrus eſt humanitas) hæc autem vera (Petrus eſt homo.) Et per hæc patet ſolutio ad ea, quæ adducuntur ex S. Fulgentio.

Ad ſecundam confirmationem ex Damaſceno ſimiliter dicendum, quod licet in hoc nomine Chriſtus, intelligatur & Diuinitas vngens, & humanitas vncta, vt dicit S. Thom. art. 5. huius quæſtionis in corpore, ſupponit tamen directè pro ſuppoſito materiali, quando ponitur in ſubiecto, vt docet idemmet Damaſcenus loco in ſecundo fundamento allegato.

15 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod natura humana eſt, quæ per myſterium incarnationis acquiſiuit in tempore eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtẽtiæ perſonæ Verbi Diuini; cæterum ſuppoſitum ipſius Verbi, pro quo ſupponit hoc nomen (Chriſtus) poſitum in ſubiecto, nullum eſſe ſubſiſtentię, vel exiſtẽtiæ nouiter acquiſiuit, ſed illud, quod habet poſt incarnationem, habuit ab æterno. Vnde non eſt ſimpliciter dicendum, quod Chriſtus incæpit eſſe, niſi cum addito diminuente, videlicet ſecundum humanitatem.

16 Ad tertium negatur minor. Ad probationem dicendum, quod humanitas Chriſti, & eius Anima exiſtunt immediatè per exiſtentiam increatam Verbi diuini, nõ autem per propriam, & ſibi connaturalem exiſtentiam creatam, vt Diſput. 14. oſtenſum eſt. Et ad locum adductũ ex Ariſtotele dicendum, quod cum inquit, viuere in viuẽtibus eſt eſſe, intelligitur de eſſe eſſentiæ, quod habet viuens ab anima viuẽte, quæ explicatio eſt Caietani in hac 3. p. q. 17. art. 2. §. ad ſecundum Scoti, vbi ait, [Quod verbum philoſophi verum eſt de viuere eſſentiali, & de eſſe eſſentiali: viuere enim eſt eſſe eſſentiale. Et hoc in Chriſto duplex fuit: & vnum eorum, quod in coniunctione animæ, & corporis conſiſtit, corruptum eſt per mortem, & non intelligitur de eſſe actualis exiſtẽtiæ:] vel ſi intelligatur de eſſe ſubſiſtẽtiæ, vel exiſtentiæ, loquutio illa nõ eſt formalis, ſed cauſalis; qa videlicet eſſe ſubſiſtentiæ, vel exiſtẽtiæ in viuentibus eſt effectus ſecũdarius procedens ab anima viuẽte, niſi præueniatur à ſubſiſtentia, vel exiſtẽtia increata, ſicut præuẽta eſt anima, & humanitas Chriſti. Secundo; reſpõdetur, quod dato, & nõ cõceſſo, humanitatem Chriſti exiſtere formaliter, & immediatè per propriam exiſtentiam creatam, adhuc illa propoſitio (Chriſtus incæpit eſſe) non eſt ſimpliciter concedenda, ſed ſolum cum addito diminuente. Et ad rationem in oppoſitum dicẽdum, quod quando illud eſſe proprium exiſtentiæ, quod acquirit de nouo natura ſubſtantialis, incipit cum eſſe ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ ſuppoſiti, vel perſonæ ſubſiſtentis in tali natura, tunc abſolute, & ſimpliciter affirmari poteſt, quod ſubiectum illud, vel ſuppoſitum incæperit eſſe: non autem quando eſſe exiſtentiæ ſubſtantialis, quod acquirit natura, præſupponit eſſe perſonale, quod ſuppoſi-

Digitized by Google

tum habet ab æterno, ſicut illud habet ſuppoſitum Chriſti.

Ad quartum reſpondetur, ſolum concludere, quod Chriſtus incæperit eſſe cum addito diminuente, videlicet ſecundum naturam humanam, ſicut, qui eſt albus tantum ſecundum dentes, ſolum eſt albus ſecundum quid: quia albedo nata eſt conuenire non ſolum dentibus, ſed etiam alijs partibus corporis.

Ad quintum reſpondetur, quod, qui incipit eſſe in aliqua ſpecie ſubſtantiali, ſi incipiat eſſe cũ ſuppoſito, tunc incipit eſſe ſimpliciter: non autem quando ſuppoſitum non incipit eſſe in tempore, ſed habet eſſe ab æterno; ſicut ſuppoſitum Chriſti, in quo natura humana ſubſiſtit. Vnde non ſequitur, Chriſtus incæpit eſſe homo: ergo incæpit eſſe; ſicut non ſequitur, Petrus incipit eſſe albus: ergo incipit eſſe. Procedit enim argumentum à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter; quia licet ly, homo, ſit terminus abſolutus, dictus tamen de Chriſto habet proprietatem aliquam termini connotatiui: quia videlicet humanitas ſupponit eſſe ſimpliciter perſonæ Verbi Diuini; ſicut albedo nouiter adueniẽs Petro, ſupponit eſſe ſubſtantiale ipſius Petri, cum adueniat illi iam præexiſtenti in actu.

ARTICVLVS X.

Vtrum hæc ſit vera, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura.

1 PRima concluſio. Si illa reduplicatio, ſecundum quod homo, cadat ſuper ſuppoſitum Chriſti, propoſitio eſt falſa; quia ſuppoſitum humanæ naturę in Chriſto eſt æternum, & increatum. Si verò cadat ſuper naturam humanam, ita vt ſenſus ſit, Chriſtus ſecundum humanam naturã eſt creatura, propoſitio eſt vera, vt articulo octauo oſtenſum eſt.

Secunda cõcluſio. Prędicta propoſitio, abſolute loquendo, magis eſt concedenda, quàm negãda. Probatur; quia ly, homo, reſumitur in vi prædicati, quod tenetur formaliter: idem enim eſt dictũ, Chriſtus ſecundum quod homo, ac ſi diceretur, Chriſtus ſecundũ qđ eſt homo.

Tertia concluſio. Si prędictæ propoſitioni adderetur aliquid, per quod traheretur ad ſuppoſitum, eſſet propoſitio magis neganda, quàm concedenda: puta, ſi diceretur, Chriſtus, ſecundum quod hic homo, eſt creatura.

DISPVTATIO LXXII.

Circa tertiam cõcluſionem. Vtrum hæc propoſitio, Chriſtus in quãtum, hic homo, eſt creatura, ſit in proprietate ſermonis concedenda.

QVidam Theologi, ſicut abſolute concedunt iſtam propoſitionem (Chriſt⁹ eſt creatura) ita etiam affirmant, hanc etiam eſſe abſolute concedendam, Chriſtus, in quantum hic homo, eſt creatura, quod probant 2 M. Vazq. diſp. 67. in fin. & diſp. 66. cap. 3.

PRimo: quia, vt fatetur S.Tho. in hoc artic. hæc propoſitio (Chriſtus in quantum homo eſt creatura,

ra,

ra, vel ſecundũ quod homo eſt creatura) eſt abſolutè concedenda potiùs, quàm neganda; quia ly, homo, reſumitur in vi prædicati, quod tenetur formaliter: ſed ſimiliter in hac propoſitione, Chriſtus ſecundũ quod hic homo, eſt creatura, ly, hic homo, reſumitur in vi prædicati, quod tenetur formaliter: ergo idẽ prorſus iudicium eſt ferendum de vtraque propoſitione.

Confirmatur. Pronomen (hic) in illa propoſitione, non efficit, vt homo ſupponatur pro ſuppoſito habente naturam, ſed pro hac natura concreta in ſuppoſito; ſicut etiã, cũ additur idẽ pronomẽ (hic) huic termino (Deus) non facit, vt ſupponatur pro perſona, ſed pro indiuidua natura in ſuppoſito cõcreta: ſed altera propoſitio, Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura; ideo eſt abſolute cõcedenda, quia ly, homo, cum ſtet à parte prædicati, ſupponit formaliter pro natura humana, ſm̃ quã Chriſtus eſt creatura: ergo.

Vazq. 1. p. q. 156. cap. 4.

3 Secundo, id probãt omnibus argumentis, quibus Diſput. 7 ꝑſuadere conabantur, hãc propoſitionem (Chriſtus eſt creatura) abſque vllo additamento eſſe cõcedendam. Ex hoc enim euidẽter ſequitur, multo magis eſſe concedendã cũ illo additamento, ſecũdum quod hic homo, per quod explicatur, & ſpecificatur ratio, ex qua cõpetit Chriſto, quod ſit creatura, videlicet ratione humanitatis aſſumptæ. ſicut etiam ratione eiuſdem humanitatis competit ei, quod ſit temporaliter natus ex Virgine, quod ſit paſſus, & mortuus.

Tertio, probari poteſt, quia ſi prædicta propoſitio eſſet falſa, maxime propter rationem S. Thomæ; quia nimirum illud pronomen demonſtratiuũ determinat prędicatũ (homo) vt ſupponat pro ſuppoſito materiali, ſcilicet pro ſuppoſito Verbi diuini, cui repugnat eſſe creaturam; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Minor probatur. In hac propoſitione, Chriſtus ſecundum quod hic homo, eſt natus temporaliter ex Virgine, & mortuus, illud pronomen demonſtratiuũ determinat eodẽ modo illum terminũ (homo) ſicut in propoſitione de qua agimus, vt ſupponat pro ſuppoſito diuino, cui etiam repugnat naſci tẽporaliter, & mori; & nihilominus hæc propoſitio eſt vera, quia ſubiectũ ſtat pro ſuppoſito ſubſiſtente in natura humana: ergo.

Oppoſitam ſententiam docet S. Tho. & Caiet. in hoc artic. & cõmuniter Thomiſtæ, & ex pręmiſſis facile probari poteſt: cuius ratio potiſſima eſt, quam aſſignat S. Thom. in 3. concluſ. quia illud pronomen demonſtratiuum (hic) determinat terminum (homo) poſitum à parte prędicati, vt ſupponat pro ſuppoſito terminante naturã humanã, ſicut cum ponitur in ſubiecto. Etenim illud pronomen per ſe primo, & immediate deſignat indiuiduũ, & ſingulare, quod per prius conuenit ſuppoſito, & ſecundario naturæ in eodem ſuppoſito ſubſiſtenti; ſed ſuppoſitum Chriſti nõ eſt creatura; immo repugnat illi, quod ſit ens creatum, cũ ſit ab æterno Deus benedictus in ſæcula: ergo. 4

Confirmatur hæc ratio. Iſta propoſitio (Deus generat) eſt vera, quia ſubiectũ (iuxta illam regulam, Talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorũ prædicatis) ſupponit pro ſuppoſito Patris, cui conuenit generare Filium: ſi autẽ addatur pronomen demonſtratiuũ, & 5

Digitized by Google

dicatur, hic Deus generat, demonſtrato Filio, aut Spiritu ſancto, propoſitio eſt falſa; quia illud pronomen demonſtratiuum additum termino, Deus, determinat illum, vt ſupponat pro Filio, vel Spiritu ſancto, cui nõ conuenit generare: ergo ſimiliter hæc propoſitio: Chriſtus in quantũ hic homo, incæpit eſſe, eſt falſa: quia illud pronomen demõſtratiuum facit, quod terminus (homo) ſtet pro ſuppoſito diuino, cui repugnat eſſe creaturam.

6 Præterea probatur. In hac propoſitione: Chriſtus, ſecundum quod iſte homo, eſt creatura, reduplicatio illa, vel ſpecificatio (ſecundum quod iſte homo) cadit ſupra ſuppoſitũ ſimul cũ natura humana, quia vtrumque determinat; ſed Chriſtus nõ eſt ſecundum vtrũque creatura, ſed ſolũ ſecundum alterum, nimirũ ſecundum humanitatem: etenim ſecundum ſuppoſitum diuinum eſt creator; ergo illa propoſitio non eſt abſolute concedenda.

7 AD primũ argum. reſpondetur, qđ quãdo ex parte prædicati per ly, ſecundũ, reſumitur ſolũ homo, in prædicta propoſitione, tunc terminus, qui reſumitur, ſupponit pro ſignificato formali, ſcilicet pro natura humana, & ideo propoſitio eſt vera. Quãdo vero reſumitur (hic homo) tunc prædicatum ſupponit pro ſuppoſito ſimul cum natura humana, vt oſtẽſum eſt. & quia ſuppoſitũ non eſt creatura, ideo abſolute propoſitio illa eſt neganda.

8 Ad confirmationem negatur antecedens, & ratio eſt iam aſſignata: nã quando additur prædicato pronomen (hic) nota reduplicatiua, vel ſpecificatiua, determinat vtrũque ſimul, ſcilicet ſuppoſitum Chriſti, quod eſt increatum, & naturam humanam, vt dictum eſt.

Ad ſecundum argumentum iam reſponſum eſt ex profeſſo Diſp. 70.

9 Ad tertium reſpondetur, rationẽ S.Thomæ eſſe efficacem. Et ad impugnationem dicitur, quod non ex ea præciſa ratione, quòd aliquod prædicatum naturæ humanæ repugnet ſuppoſito diuino ſecundum ſe, colligimus nos, prædicari non poſſe de Chriſto; vel de Filio Dei in natura humana ſubſiſtenti: Aliàs nullum prædicatum naturæ humanæ poſſet prædicari, per communicationem idiomatum de Chriſto, vel de Filio Dei: & ita hæc eſſet falſa, Deus eſt mortuus, Chriſtus eſt mortuus, quod eſt contra Fidem; ſed id colligimus ex eiuſmodi repugnantia, quando ſimul terminus repugnans dicit immediatam habitudinem ad ſuppoſitũ, & poteſt illi conuenire ratione ſui. Itaque quando prędicatum naturæ humanæ repugnat perſonæ Chriſti, ſeu Verbi, & natum eſt conuenire immediate ſuppoſito ratione ſui; tunc nõ prædicatur de Chriſto, vel de Filio Dei abſolutè, ſed ſolum cũ addito diminuente, ſcilicet ſecundum humanitatem, vt S. Thomas docet expreſſe locis ſuperius allegatis. Quia ergo eſſe creaturã, vel incipere eſſe, poteſt immediate cõuenire ſuppoſito ratione ſui, & ex alia parte prædicatũ hoc repugnat ſuppoſito Verbi; ideo non eſt concedendum ſimpliciter, quod Chriſtus ſit creatura, vel incæperit eſſe, ſed ſolum cum addito diminuente, ſcilicet ſecundum humanitatem. Natiuitas autem temporalis, paſſio, & mors, non dicunt habitudinem immediatam ad ſuppoſitum, nec poſſunt illi conuenire ratione ſui, ſeu ratione Verbi, ſecundũ ſe:

quia

quia tamen ſecundum naturã humanam conueniunt illi, poſſunt ſimpliciter, & abſolutè de illo prædicari, & prædicantur poſt incarnationis myſterium; ſicut, qui eſt criſpus ſecundum capillos, abſolutè dicitur criſpus abſque vllo addito diminuente, quia criſpitudo non poteſt ſuppoſito, ſeu toti corpori cõpetere, niſi ſecundum capillos: E contra vero Aethiops, qui eſt albus ſecundum dentes, non eſt ſimpliciter albus, ſed ſecundum quid; nã albedo poteſt immediate conuenire alijs partibus corporis, & non conuenit illis.

ARTICVLVS XI.

Vtrum hæc ſit vera, Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus.

PRima Concluſio. Si ly (ſecundum) reduplicet ſuppoſitum, propoſitio eſt vera; quia ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto eſt perſona Filij Dei, cui per ſe conuenit eſſe Deum: ſi autem reduplicet naturam, eſt falſa; quia natura humana Chriſti non eſt Deus.

Secunda Concluſio. Prædicta propoſitio abſolutè loquendo magis neganda eſt, quàm affirmanda. Probatur; quia terminus in reduplicatione poſitus, cum ſe teneat ex parte prædicati, magis propriè tenetur pro natura, quàm pro ſuppoſito.

Tertia Concluſio. In ſolutione ad 3. Hæc propoſitio, Chriſtus ſecundum quod iſte homo eſt Deus, magis eſt vera, & concedenda, quàm iſta, Chriſtus ſecũdum quod homo eſt Deus, Probatur: quia illud pronomen demonſtratiuum trahit hoc nomen (homo) ad ſtandum pro ſuppoſito Chriſti, quod eſt Deus.

LItera huius articuli ſatis manet explicata ex dictis art. 10. circa illam propoſitionem, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura.

Circa tertiam concluſionem, nihil ſpeciale occurrit ſcribendum vltra ea, quæ diſputatione præcedenti dicta ſunt. Sicut enim illa propoſitio; Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura, abſolute loquendo, & in ſermonis proprietate eſt falſa; quia terminus in reduplicatione poſitus tenetur pro ſuppoſito Chriſti, cui non conuenit eſſe creaturam; ita etiam propter eandem rationem iſta propoſitio; Chriſtus ſecundum quod hic homo eſt Deus, abſolute loquendo vera eſt, & concedenda. Argumenta autem, quę aduerſus iſtam doctrinam obijci poſſunt, propoſita ſunt, & ſoluta diſputatione præcedenti.

ARTICVLVS XII.

Vtrum hæc ſit vera, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt hypoſtaſis, vel perſona.

PRima Concluſio. Si terminus (homo) in reduplicatione poſitus accipiatur ratione ſuppoſiti, propoſitio eſt vera; quia ſuppoſitum humanæ naturæ in Chriſto nihil eſt aliud, quam perſona filij Dei.

Secunda concluſio. Si terminus, homo, in reduplicatione poſitus accipiatur ratione naturæ; ita vt intelligatur, quod natura humana competat eſſe in aliqua perſona; ſic propoſitio eſt vera: quia natura hu-

mana

Digitized by Google

mana ſubſiſtit in perſona increata filij Dei; omne autem ſubſiſtens in natura humana eſt perſona.

Tertia Concluſio. Si terminus (homo) in reduplicatione poſitus accipiatur ratione naturæ; ita vt intelligatur; quod naturæ humanæ in Chriſto cõpetat eſſe in propria perſona creata, ſic Chriſtus, ſecundum quod homo, non eſt perſona. Probatur; quia natura humana non eſt per ſe ſubſiſtens ſeorſum à diuina natura, quod requirit ratio perſonæ.

QVAESTIO XVII.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto.

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſtus ſit vnum, vel duo.

1 PRIMA Concluſio. Chriſtus eſt vnus maſculinè. Probatur. In Chriſto Domino eſt tãtùm vna perſona, & vnum ſuppoſitum; Ergo eſt vnus maſculinè.

Secunda concluſio. Chriſtus eſt vnũ neutraliter. Probatur; Duæ naturæ non prædicantur de Chriſto, niſi prout ſignificantur in ſuppoſito: hæc enim propoſitio eſt falſa, Chriſtus eſt humanitas, hæc autem vera, Chriſtus eſt homo: Ergo oportet ſecundum rationem ſuppoſiti prædicari de Chriſto vnum, vel duo neutraliter. Sed ſecundum fidem catholicam in Chriſto eſt vnicum ſuppoſitum, & vnica perſona diuina ſubſiſtens in duabus naturis, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo Chriſtus eſt vnum neutraliter.

Expoſitio Articuli.

VTramque concluſionem huius articuli probat efficaciter Mag. Medina, tum ex ſcripturis, tum ex concilijs, tum etiam ex Patribus, & ratio S. Thomæ eſt efficaciſſima; quia terminus numeralis, ſiue ſit maſculinus, ſiue neuter, ſe habet communiter ad perſonam, & ad naturam, vt in 3. ſententiarũ. d. 6. q. 2. ar. 1. ad 2. dicit S. Doctor; ſuppoſitum autem, vel perſona in Chriſto non geminatur, vt ex ſupra dictis conſtat. Et propter hanc rationem. S. Thom. ſupra q. 3. ar. 7. ad 2. ait: [quod ſi vna perſona diuina aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti, diceretur vnus homo, habens duas naturas humanas.] & aſſignat rationem, [quia nunquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatẽ ſuppoſitorũ. Homo enim, qui eſt duobus veſtimentis indutus, non dicitur duo veſtiti; ſed vnus veſtitus duobus veſtimentis: & qui habet duas qualitates, dicitur ſingulariter aliqualis ſecundum duas qualitates.] Cum ergo in Chriſto ſit vnicum dumtaxat ſuppoſitum ſubſiſtens in duabus naturis, diuina ſcilicet, & humana, relinquitur, quod Chriſtus ſit vnus maſculinè, & vnũ neutraliter. Chriſtus namq. non eſt duo ſuppoſita; quia non habet, niſi vnicum ſuppoſitum diuinum: nec eſt duæ naturæ; nam, licet hæc propoſitio ſit vera, Chriſtus eſt deitas, hæc tamen eſt falſa, Chriſtus eſt humanitas, vel natu- 2

Digitized by Google

natura humana; quia natura humana non eſt nata prædicari de ſuo ſuppoſito, vt in corpore huius articuli dicit ſanctus Thomas. Ergo Chriſtus non eſt duo propter duas naturas, ſed vnum propter vnitatem ſuppoſiti.

3 Vnde nulla ratione admittenda eſt ſententia Durandi in 3. diſt. 6. q. 1. n. 13. aſſerentis, quod Chriſtus non eſt dicendus abſolute, & abſque additamento, vnum, nec plura neutraliter, ſed ſolum cum additamento; vt ſi dicamus, Chriſtus eſt vnum ſecũdum ſuppoſitum, & duo ſecundum naturas: hæc enim ſententia tanquam periculoſa reijcienda eſt. Nec obſtat, quod aliquando SS. Patres dicunt, quod Chriſtus ſit aliud, & aliud: ex quo videtur colligi, quod ſit duo, nam aliud, & aliud duo ſunt, ſicut alius, & alius; huiuſmodi enim loquutio, & aliæ conſimiles habent duas interpretationes. Prima eſt, quam aſſignat ſanctus Thomas ad ſecundum huius articuli, quod talis loquutio eſt exponenda, vt ſit ſenſus, Chriſtus eſt habens aliam, & aliam naturam. Secunda explicatio eſt eiuſdem S. Doctoris ſupra, q. 2. art. 3. ad 1. vbi exponens illud Auguſtini in Enchirid. ad Laurentium cap. 36. [Diuina ſubſtãtia, & humana vtraque eſt vnus Dei filius; ſed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem,] ait, quod illa loquutio, [qua dicitur Chriſtus aliud; & aliud, non importat diuerſitatem ſuppoſiti, vel hypoſtaſis, ſed diuerſitatem naturarum.] Et ideo conceditur, quod Chriſtus ſit aliud, & aliud: ex hoc tamen non ſequitur, quod Chriſtus ſit duo neutraliter: & ratio diſcriminis eſt; quia terminus numeralis immediate refertur ad ſuppoſitum, vt dictum eſt. Et ſi fiat argumentum, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, licet ſint tres perſonæ maſculinè, dicuntur tamen vnum neutraliter, propter vnitatem naturæ, iuxta illud Ioan. 10. *Ioa. 10.* [Ego, & Pater vnum ſumus.] Ergo ſimiliter Chriſtus, licet ſit vnus maſculine propter vnitatem ſuppoſiti, ſeu perſonæ, poterit abſolutè dici duo neutraliter propter dualitatem naturæ.

Reſpondetur negando cõſequentiam: & ratio diſcriminis eſt, quam aſſignat S. Thom. in 3. ſentent. diſt. 6. quæſt. 2. artic. 1. ad 3. [quia natura diuina prædicatur in recto de perſonis propter identitatem rei, ſed duæ naturæ, quæ ſunt in Chriſto non prædicantur de eo in recto: Quamuis enim diuina natura prædicetur de eo in recto, non tamen humana, ſicut nec de aliquo alio homine. Si autem tres perſonæ different ſecundum rem à natura, quamuis eſſet vna numero in eis, non tamẽ poſſet propter hoc dici, quod tres perſonæ eſſent vnum ſimpliciter; ſed forte quod eſſet vnus Deus; ſicut multi homines dicuntur vnus populus.] Vnde non eſt ſimile. 4

Dub. Difficultas hinc inſurgit circa iſtã propoſitionem, Chriſtus eſt humanitas, & diuinitas: vtrum ſit aliquã ratione concedenda. Ad cuius reſolutionem notandum, quod illa coniunctio (&) poteſt accipi duobus modis. Primo diuiſiuè, & tunc æquiualet huic propoſitioni hypoteticæ: Chriſtus eſt humanitas, & Chriſtus eſt diuinitas. Secundo complexiue, & tunc æquiualet huic propoſitioni cathegoricæ de copulato extremo, Chriſtus eſt humanitas, & diuinitas ſimul, quemadmo-

admodum in hac propoſitione, materia, & forma ſunt Petrus, Petrus, & Paulus portant lapidem. Eſt ergo ſententia Gregorij Ariminenſis in primo, diſtinct. 28. q. 2. ad 13. argumentum, quod propoſitio illa, eſt vera, diuinitas, & humanitas sũt vnus Chriſtus, ſi coniunctio (&) accipiatur complexiuè. & idem eſſet dicendum de hac propoſitione, Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas, ſumendo ly (&) complexiue; & ratio eſt, quia illæ duæ naturæ vniuntur ſubſtantialiter in eodem ſuppoſito Chriſti: ergo ſicut hæc eſt vera; materia, & forma ſimul ſumptæ ſunt Petrus; ita etiam hæc erit vera, natura diuina, & humana ſimul vnitæ in perſona Verbi ſunt Chriſtus; & ſimiliter iſta erit vera, Chriſtus eſt ſimul natura humana, & diuina. Confirmari poteſt hæc
S. Athan. ratio ex ſymbolo Athanaſij dicentis. [Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus.] Quibus verbis ſignificare videtur, quod Diuinitas, & humanitas conſtituãt vnum Chriſtum, ac per conſequẽs, quod ſimul ſumptæ duæ illæ naturæ prædicentur de Chriſto, & Chriſtus de illis.

5 Nihilominus dicendum eſt, illam propoſitionem eſſe damnandam tanquam erroneam. Ita ſentit M. Medina ſupra q. 2. art. 4. ad 2. argumentum: probat hoc multis rationibus; ſed potiſſima deſumitur ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. vbi inter errores Ioannis Hus damnatur hæc propoſitio: duæ naturæ, ſcilicet diuinitas, & humanitas sũt vnus Chriſtus: Ergo ſimiliter illa propoſitio, Chriſtus eſt humanitas, & diuinitas eſt erronea. Probatur conſequentia, nam per conuerſionem ſimpliciter vna infertur ex altera.

Si dicatur; Concilium damnaſſe illam propoſitionem, ſumpto, &, diuiſiuè, non autem complexiuè, & ita excuſari Gregorium Ariminenſem ab errore; ſicut excuſat illum Magiſter Medina, vbi ſupra. Contra hoc eſt efficaciſſimum argumẽtum, quia copula (&) in illa propoſitione damnata à Concilio non poteſt iuxta regulas dialecticas accipi diuiſiuè, ſed ſolum complexiuè: & ratio eſt; nam quando copulatum ſubijcitur, & copula eſt pluralis numeri; ſicut in propoſitione damnata à Concilio, ſemper ly (&) ſecundum proprietatem ſermonis, ſumitur complexiuè, vt patet ex alijs propoſitionibus ſupra inductis. Vnde multo melius Mag. Medina in hoc art. ait eãdem propoſitionem eſſe erroneam; etiam ſi ly (&) accipiatur complexiuè, & Gregorius alia via poteſt ab errore excuſari, dicendo, ipſum accepiſſe abſtractum pro concreto, vel propoſitionem illam intellexiſſe in ſenſu cauſali, ac ſi diceretur: Chriſtus eſt perſona compoſita ex diuinitate, & humanitate in eadem hypoſtaſi vnitis. Præterea excuſari poteſt, quia ſuo tempore nondum erat celebratum Cõcilium Conſtantienſe, in quo illa propoſitio fuit damnata. 6

7 Ad rationem adductam pro ſententia Gregorij reſpondetur, ſolum concludere, quod natura diuina, & humana ſignificatæ in cõcreto prædicentur de Chriſto propter vnitatem ſuppoſiti diuini, quod eſt Deus, & homo. Ad illud vero quod obijcitur ex ſymbolo Athanaſij, reſpondetur primo, quod hæc propoſitio, Petrus eſt anima rationalis, & caro,

ro, non eſt propria, niſi accipiantur nomina partium pro toto compoſito, ac ſi diceretur, Petrus eſt compoſitus ex anima rationali, & carne, ſeu corpore humano; & in hoc ſenſu Chriſtus etiam poteſt dici perſona compoſita ex diuinitate, & humanitate ſeclusis imperfectionibus, vt diſput 12. dictum eſt. Reſpondetur 2. quod illa ſimilitudo non tenet in omnibus, & differentia conſiſtit in hoc, quod anima rationalis, & caro conſtituunt vnã naturam in Petro, Diuinitas autẽ, & humanitas non cõſtituunt vnam naturam, ſed vnum ſuppoſitum Chriſti, qui in vtraque natura ſubſiſtit. Sicut ergo hæc eſt falſa, Petrus eſt humanitas; ita etiam hæc eſt falſa, Chriſtus eſt humanitas. Vnde nec diuiſiuè, nec complexiuè affirmari poteſt, quod Chriſtus ſit diuinitas, & humanitas.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Chriſto ſit tantum vnum eſſe.

1 Concluſio eſt affirmatiua: Probatur. Vnio hypoſtatica, & accidentalis in hoc differũt, quod, quæ vniuntur accidentaliter, habent aliud eſſe ab eſſe ſubſtantiali ſuppoſiti, & ita in vno ſuppoſito, vel perſona poteſt multiplicari eſſe accidentale. Aliud enim eſt eſſe, quo Socrates eſt albus, & quo Socrates eſt muſicus, & quo eſt homo. Quæ vero vniuntur hypoſtaticè, non multiplicantur; quia pertinent ad vnam perſonam; ſicut eſſe capitatum, & eſſe corporeum, & eſſe animatum totum pertinet ad vnam perſonam Socratis; & ideo ex omnibus his non fit, niſi vnum eſſe in Socrate. Sed humana natura coniungitur filio Dei hypoſtaticè, vel perſonaliter, vt ſupra dictũ eſt, & non accidentaliter. ergo ſecundum humanam naturam non aduenit ſibi nouum eſſe perſonale, ſed ſolum noua habitudo eſſe perſonalis præexiſtentis ad naturam humanam, vt ſcilicet perſona illa dicatur ſubſiſtere non ſolum ſecundum diuinam naturam, ſed etiam ſecundum humanam. q.2.ar.6.

Expoſitio Articuli.

2 Tres graues difficultates ſe offerebant in præſenti diſputandæ, in quibus recentiores quidam Theologi impugnant doctrinam S.Thomæ. Prima eſt. Vtrum humanitas Chriſti exiſtat formaliter extra ſuas cauſas per propriã exiſtentiam creatam ſibi connaturalem; an vero, ſicut ſubſiſtit per ſubſiſtentiam increatam Verbi, ita etiam immediatè exiſtat per exiſtentiam increatam. Secunda eſt. Vtrum natura humana ſemel terminata per propriam exiſtentiam ſeparatam à perſonalitate creata; ſit aſſumptibilis à ſuppoſito Verbi, & terminabilis per diuinam perſonalitatem illius. Tertia. Vtrum ſuppoſita ſententia diui Thomæ, quod in Chriſto non eſt niſi vnum eſſe exiſtẽtiæ; in caſu quo Verbum relinqueret humanitatem, flueret ſtatim ab ipſa humanitate aliquod eſſe ſubſtantiale, per quod ipſa humanitas exiſteret extra ſuas cauſas: an vero annihilaretur eo ipſo ex vi talis derelictionis, ſecluſo quocunque alio nouo miraculo. Sed duæ priores difficultates iam ex profeſſo diſcuſſæ ſunt à nobis diſp.

diſpu. 13. Ideo in præſenti ſolum examinabimus tertiam difficultatem. Hoc vnum tantum circa duas priores difficultates eſt in præſenti aduertendum, quod in eorum ſententia, qui dicunt in Chriſto eſſe duplex eſſe exiſtentiæ, aliud increatum eſſentiæ diuinæ, aliud creatum naturæ humanæ, difficile vitari poteſt, quin in Chriſto ſit duplex eſſe, ac per conſequens Chriſtus ſit duo, ſaltem neutraliter, quod eſt contra S. Thomam, & etiam contra auctores illius ſententiæ. Probatur

3 hoc. Primo, quia S. Thomas in argumento, ſed contra huius articuli,

S. Thom. ſic arguit. [Vnumquodq; ſecundû hoc dicitur ens, ſecundum quod dicitur vnum; quia vnum, & ens conuertuntur; ſi ergo in Chriſto eſſent duo eſſe, & non tantum vnû, Chriſtus eſſet duo, & non vnum.] Quibus verbis apertè videtur concludere, quod, ſi in Chriſto eſt duplex eſſe, quod Chriſtus ſit duo, & non vnum. Vnde in corpore articuli ex ex eo probat, quod in Chriſto ſit vnum eſſe dumtaxat, quia natura humana vnitur filio Dei hypoſtaticè, ſeu perſonaliter. Si enim non vniretur iſto modo [oporteret, inquit, ponere in Chriſto duo eſſe; vnum quidem ſecundum quod eſt Deus; aliud autem ſecundum quod eſt homo.] Secundo, quia in ſolutione ad tertiû apertè docet, quod diuinæ perſonæ non habent triplex eſſe, ſed vnum tâtum. Nam reddês rationem, propter quam, licet ſint tres perſonæ diuinæ, habent tamen vnum eſſe; In Chriſto autem, licet ſit duplex natura, eſſe tamen eſt vnum tantum, ait, [Quia perſona diuina eſt idem cum natura, in perſonis diuinis nô eſt aliud eſſe perſonę pręter eſſe naturę; & ideo tres perſonæ non habent niſi vnum eſſe; haberent autem triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe perſonæ, & aliud eſſe naturæ,] vbi ſanctus Doctor apertè ſupponit, quod eſſe ſit vnû, vel multiplex iuxta vnitatem, aut pluralitatem ſuppoſiti, niſi quando eſſe perſonæ, non eſt aliud ab eſſe naturæ, vt in diuinis. Cum ergo in Chriſto natura humana realiter diſtinguatur à perſona Chriſti, relinquitur, quod iuxta ſententiam ſancti Thomæ ſit in illo vnicum eſſe propter vnitatem perſonæ, ſeu hypoſtaſis: nô obſtante, quod habeat duas naturas. Et loquitur ſanctus Thomas de eſſe exiſtentiæ, de quo procedebat argumentum, non autem de eſſe ſubſiſtentiæ. aliâs conceſſiſſet in diuinis triplex eſſe iuxta numerum perſonarum; quia ſecundum fidem catholiam in diuinis ſunt tres ſubſiſtentiæ perſonales, ſicut & tres perſonæ. Etenim, eſſe perſonale in vniuerſum multiplicatur, ſecundum multiplicationem perſonæ, ſiue eſſe naturæ diſtinguatur ab eſſe perſonæ, ſiue non.

Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, quod S. Thom. loquitur quidem in hoc articulo de eſſe exiſtentiæ, [nô tamen de quocunque; ſed de eo, quod abſolutè, & ſimpliciter vocatur eſſe: non autem eſſe quaſi partiale, & aliud integrum componens. Et ita in Deo concedit vnum eſſe ob rationem dictâ, & in Chriſto ſimiliter, eo quod licet in eo ſint duę exiſtentię, conueniunt tamen ad componendum vnum eſſe ſimpliciter totius, & quia humana natura in Chriſto accedit Verbo, vt cum eo componat vnum eſſe perſonę: ideo non dicitur habere eſſe, nempe ſimpliciter.] Sed hęc ſolutio non videtur congruere verbis 4 Vaſquez in hoc artic. diſp. 71. in fin.

bis S. Thomæ, nec ſatisfacere argumento propoſito. Etenim S. Doctor clariſsime docet, eo ipſo; quod natura aliqua, vel forma, non vnitur in hypoſtaſi, vel perſona, tribuit ſuppoſito eſſe diſtinctum ab eſſe ſuppoſiti. ex quo infert, quod iuxta multiplicationem formarum multiplicatur eſſe exiſtentiæ, vel inexiſtentiæ, & ponit ſanctus Doctor exemplum; [ſicut in Socrate ponitur aliud eſſe, ſecundum quod eſt albus, & aliud ſecundum quod eſt homo, quia eſſe album non pertinet ad eſſe perſonale Socratis.] Præterea: eſſe exiſtentię creatum; quod ponitur in humanitate Chriſti, eſt eſſe ſubſtantiale. Ergo eſt eſſe ſimpliciter. Cum ergo in Chriſto Domino ſit aliud eſſe increatum, quod etiam eſt eſſe ſimpliciter, relinquitur, quod iuxta ſententiam quam impugnamus, ſit in Chriſto duplex eſſe ſimpliciter, quod eſt contra S. Thomam. Denique eſt argumentum. Illud eſſe creatum, quod ponitur in humanitate Chriſti, vel vnitur hypoſtaticè perſonę Verbi, vel non vnitur hypoſtaticè. Si vnitur; ergo trahitur ad eſſe perſonale Verbi, & ita in Chriſto non erit niſi vnicum eſſe exiſtentiæ: hoc autem oportet, vt ſit eſſe increatum; aliàs Chriſtus non haberet exiſtentiam increatam. Ergo iam in Chriſto nulla erit exiſtentia præter exiſtentiam increatam. Si non vnitur hypoſtaticè: ergo in Chriſto eſt duplex eſſe; aliud increatum, aliud creatum: & ita Chriſtus non eſſet vnũ, ſed duo neutraliter, quod eſt inconueniens.

6 Adde, quod ſi in humanitate Chriſti ponatur aliqua forma ſubſtantialis creata, vel aliquod eſſe ſubſtantiale, ſibi connaturale, quod nõ trahatur ad eſſe pſonale Verbi, nec ſit illi vnitum hypoſtaticè, videtur ſequi, quod Chriſtus ſit vnũ ens per accidens, ſicut album; quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe, niſi vtrumque vniatur perſonaliter in eodem ſuppoſito. Item etiam ſequeretur ex eadem ſententia, quod vnio duarum naturarum in Chriſto non ſit perfectiſſima vnio: ſi quidem aliquid creatum ponitur in natura humana aſſumpta à Verbo, quod non fuerit vnitum hypoſtaticè eidem perſonæ, nimirum exiſtentia creata. Hæc autem inconuenientia, & alia quæ diſputat. 14. tetigimus, facile euitari poſſunt, ſi in humanitate Chriſti nulla conſtituatur exiſtentia creata; ſed aſſeramus, eam exiſtere per ſolam exiſtentiam Verbi. Ergo id iuxta doctrinam S. Thomæ tenendum eſt.

DISPVTATIO LXXV.

Vtrum, ſi humanitas Chriſti dimitteretur à Verbo, hoc ipſo ſtatim annihilaretur; an vero ſuperet ab illa propria ſubſiſtentia, vel exiſtentia creata.

PRIMA ratio, qua probari poteſt, quod in caſu poſito annihilaretur, deſumitur ex S. Thoma in corpore huius articuli, & ex ijs, quæ diſput. 14. dicta ſunt. Nam humanitas in Chriſto non habet aliam exiſtentiam niſi exiſtentiam Verbi; ergo ſeparata à Verbo humanitas illa non exiſteret. Ergo annihilaretur. Si dicatur, quod in tali caſu 7

ſu

ſu humanitas Chriſti ablato impedimento exiſtentiæ increatæ, explicaret ſe in propriam exiſtentiam ſibi connaturalem, & ita nec corrumperetur, nec cederet in nihilum. contra hoc eſt

Secundum argumentum. Exiſtẽtia non dimanat à natura humana per ſimplicem reſultantiam ad modum propriæ paſſionis; nam eſſe exiſtentiæ ſolum competit per ſe enti per eſſentiam, quod eſt Deus: Ergo tunc non explicaret ſe humanitas Chriſti per ſimplicem reſultantiam in propriam exiſtentiam; Non enim eſt poſſibilis alius modus, quo humanitas tunc poſſet explicare ſe in propriam exiſtentiã, niſi per ſimplicem reſultantiam.

Tertio arguitur. Humanitas relicta à Verbo non poteſt habere aliquam actionem productiuam exiſtentiæ ſibi connaturalis: quia nulla res poteſt operari antequam exiſtat, cum nihil operetur, niſi in quantum eſt actu. Ergo exiſtentia creata non poſſet procedere ab humanitate Chriſti dimiſſa à Verbo. Probatur conſequentia; nam eo ipſo, quod dimitteretur, amitteret exiſtentiam quam habebat, ac per conſequens, nõ eſſet in actu, vt poſſet cauſare exiſtentiam ſibi connaturalem.

Confirmatur; Nam tunc humanitas non eſſet in actu per exiſtentiam diuinam, quia ſupponimus dimiſſam eſſe à Verbo; nec etiam eſſet in actu per exiſtentiam creatam ſibi connaturalem, quia cauſalitas humanitatis comparatione propriæ exiſtentiæ præintelligitur ante illam, ſicut cauſa præintelligitur ante ſuum effectum; Ergo humanitas dimiſſa à Verbo nullo modo eſſet in actu, vt poſſet cauſare propriam exiſtentiam, ac per conſequens tunc humanitas ſecluſo nouo miraculo cederet in nihilum.

8 Quarto. Illa productio exiſtentiæ creatæ, quam acquireret humanitas, ſi dimitteretur à Verbo, non eſſet creatio; quia non fieret ex nihilo, cum in termino à quo ſupponatur humanitas extra ſuas cauſas. Nec etiam eſſet generatio, eo quod generatio eſt mutatio de nõ eſſe ad eſſe, illa autem productio non eſſet mutatio de non eſſe ad eſſe: ſed de eſſe exiſtentiæ increatæ, quod habebat in Verbo, ad eſſe propriæ exiſtentiæ ſibi connaturalis, ergo. Præterea nam aliàs iterũ humanitas Xp̃i generaretur, quod eſt impoſſibile, vt conſtat ex illo Io. 3. [Quomodo poteſt homo naſci cũ ſit ſenex? nunquid poteſt in vẽtrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?] Nec eſt poſſibilis alia mutatio, per quam produceretur propria exiſtentia humanitatis Chriſti, ſi dimitteretur à Verbo; ergo ſic dimiſſa maneret abſque omni prorſus exiſtentia, ac per conſequens annihilaretur, nam mutaretur de eſſe ad non eſſe, quod eſt annihilari. Si dicatur, quod illa exiſtentia creata produceretur in caſu poſito per generationem antiquam, qua Chriſtus homo natus eſt ex Virgine. Contra hoc *Ioan. 3.*

9 Arguitur quinto. Productio paſſiua, & actiua; ita ſunt inter ſe connexæ, vt vna eſſe non poſſit abſque altera; ergo effectus de nouo productus paſſiue requirit nouã productionem actiuam, quæ ſimul ſit cũ productione ipſa paſſiua. Ergo ſi tunc produceretur de nouo exiſtentia creata humanitatis Chriſti, neceſſarium eſſet, vt interueniret noua actio productiua eiuſdem

exi-

exiſtentiæ; non ergo ſufficit recurrere ad generationem antiquam.

10 His tamen non obſtantibus dicendum eſt,quod,ſi humanitas dimitteretur à Verbo, eo ipſo conſequeretur propriam exiſtentiã creatam ſibi connaturalem,abſque noua actione productiua eiuſdem exiſtentiæ, ſed in virtute actionis, vel generationis antiquæ, qua in inſtãti incarnationis producta fuit extra ſuas cauſas. Ad cuius euidentiam, ſupponendum eſt ex præmiſsis diſput.14.quod creatio animę Chriſti non fuit à principio cõpleta, & terminata per proprium terminum, hoc eſt per exiſtentiam creatam eidem animæ connaturalem, quia præuenta fuit per aſſumptionem ab exiſtentia Verbi diuini, & impedita, quia nõ erat compoſſibile,quod eadem anima ſimul exiſteret exiſtentia creata,& increata, vt ex ſupradictis conſtat. Et idem proportionabiliter dicẽdum eſt de generatione humanitatis, quæ ſimiliter non fuit completa, & terminata per propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam:quia præuenta fuit à ſubſiſtentia, & exiſtentia Verbi eidem humanitati communicata per aſſumptionem. Vnde antiqua generatio humanitatis Chriſti de facto cauſaret exiſtentiam creatam, & ſubſiſtentiã humanitatis ſibi connaturalem, ſi relinqueretur ſuæ naturæ, & non impediretur per ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Verbi. Sed eo ipſo, quod humanitas dimitteretur à Verbo,ſtatim relinqueretur ſuæ naturæ, & tolleretur impedimentum obſtans, ne antiqua generatio humanitatis compleretur, & terminaretur per propriam exiſtentiam creatam. Ergo abſque noua actione, virtute generationis antiquæ compleretur, & terminaretur per propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam; ſicut lapis ablato impedimento abſque noua actione generantis ſtatim deſcenderet.

11 Confirmari poteſt, & explicari magis hæc ratio exemplo deducto ex ſacramentis nouæ legis legitimè receptis,ſed cum fictione, quæ obſtitit,ne tunc cauſarent gratiam ſacramentalem in ſubiecto recipiente.Hæc enim ſacramenta recedente fictione conſequuntur ſuum effectum,quem habuiſſent à principio; quia ſolum propter impedimẽtum fictionis non cauſauerunt talem effectum in inſtanti receptionis:vnde ablato impedimento abſque noua actione, ex opere operato efficiunt illum. Ergo ſimiliter humanitas Chriſti virtute prioris generationis compleretur, & terminaretur per propriam exiſtentiam,& ſubſiſtentiam, ſi dimitteretur à Verbo, & tolleretur impedimentum: nam etiam propter illud non produxit à principio propriam ſubſiſtentiã, & exiſtentiam humanitatis aſſumptæ, quam tamen de facto produxiſſet, niſi præuenta fuiſſet à ſubſiſtentia, & exiſtentia Verbi.

12 ET per hæc patet ſolutio ad primum argumentum, ad quod ibi etiam bene reſponſum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur,quod exiſtentia non profluit a forma ſubſtantiali per ſimplicem emanationem, ſed tanquam effectus eius formalis ſecundarius; nam primarius eius effectus eſt eſſe eſſentiæ, ſecundarius vero eſt eſſe exiſtentiæ: Conſequeretur autem humanitas Chriſti, ſi dimittetur à Verbo, hunc effectum ſecundarium abſque noua actione virtute

te generationis antiquę, vt dictum eſt.

Ad 3. reſpondetur, quod cauſa efficiens non operatur, niſi in quantum eſt actu; & ita oportet, quod exiſtat actu in ſe; vel in ſua virtute, vt ſuum effectum producat. Cæterũ cauſa formalis, ſicut, & materialis poteſt cauſare prius natura, quàm exiſtat: nam ipſa cauſalitas eſt via ad eſſe. Quia ergo exiſtẽtia eſt effectus ſecundarius procedens ab humanitate, vt à cauſa formali virtute generationis præſentis vel antiquæ, ideo, ſi dimitteretur à Verbo, cauſaret formaliter propriam exiſtentiam prius natura, quàm intelligeretur eſſe: & per hæc patet ſolutio ad confirmationem.

13 Ad quartum reſpondetur, quod in caſu poſito, exiſtentia creata humanitatis eſſet effectus generationis antiquæ, vt dictum eſt. Illa enim mutatio fuit de non eſſe ad eſſe proprium, vel alienum, quod ſufficit ad veram generationem; aliàs Deus homo non fuiſſet vere genitus ex Virgine contra ea, quæ ſuperius dicta ſunt. Quod autem humanitas Chriſti dimiſſa à Verbo amitteret eſſe Diuinũ, accidit generationi humanitatis Chriſti, ſecundum quod à principio fuit coniuncta cum aſſumptione, & à termino eiuſdem aſſumptionis præuenta. Vnde ſuppoſita prædicta aſſumptione conſequitur neceſſario, quod, ſi dimitteretur à Verbo ipſa humanitas, mutaretur de eſſe Verbi diuini ad eſſe proprium ſibi, & connaturale abſque noua actione, vel miraculo; ſed ex vi prioris generationis, & miraculi, quo aſſumpta eſt à Verbo.

14 Ad quintum reſpondetur, quod productio paſſiua, quæ omnino eſt noua productio requirit nouam productionem actiuã effectui proportionatam, ſicut quando à principio generatur homo; non autem, quando effectus de nouo productus in actu eſt terminus completiuus antiquæ actionis, quæ à principio non habuit in actu ſecundo vltimum complementum, propter aliquod impedimentum obſtans. Tũc enim ſufficit recurrere ad generationem, vel actionem antiquã, vt aſſignemus cauſam illius effectus; ſicut patet in exemplo inducto ſacramentorum nouæ legis, & ita fit in caſu præſentis diſputationis. Secundo reſpondetur, quod 15
eo modo, quo generatio humanitatis Chriſti fuit antiqua, etiam productio exiſtentiæ creatæ, quam conſequeretur humanitas, ſi dimitteretur à Verbo, eſſet antiqua: non quidem in actu ſecundo, quia ſecundum hunc modum eſſet noua, ſed in actu primo, & in virtute; nam ex vi prioris generationis producta fuiſſet à principio propria & connaturalis exiſtentia, & ſubſiſtentia humanitatis; niſi præuenta fuiſſet ab exiſtentia Verbi. Quo fit, vt virtute etiam eiuſdem generationis manſerit virtus in humanitate Chriſti ad cauſandum proprium effectum ſecundarium nimirum ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ſibi connaturalem, poſito caſu, quod dimitteretur à Verbo.

QVAESTIO XVIII.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto, quantum ad voluntatē.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Chriſto ſint duæ voluntates.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur. Filius Dei aſſumpſit humanam naturam perfectā, vt ſupra oſtenſum eſt: ad perfectionem autem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ eſt naturalis eius potentia, ſicut & intellectus; ergo filius Dei humanam voluntatem aſſumpſit in humana natura, & ex alia parte in Chriſto eſt voluntas increata, quæ pertinet ad Diuinam naturam, cum ſit perfectus Deus, & homo: ergo.

Notandum eſt, cōcluſionem S. Tho. eſſe de fide definitam in 6. Synodo generali actione 4. vbi ſancta Synodus confitetur, in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto duas naturas, duaſque naturales voluntates, & duas naturales operationes. Idem definitur in Concilio Lateranenſi ſub Martino primo can. 12. vbi ſic dicitur. [Si quis ſecundum ſceleratos hæreticos in Chriſto Deo vnitis ſubſtantialiter ſalutis, & à ſanctis Patribus noſtris piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, diuinam, & humanam ſubterfugit ſimul confiteri, aſſerens contra ſanctorum doctrinam, & vnam voluntatem, & vnam operationem, ſit condemnatus.] Idem definitur in ſexta ſynodo generali, quam in argumento ſed contra artic. 6. huius quæſt. refert S.Thomas.

Concil. Later.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Chriſto fuerit aliqua voluntas ſenſualitatis præter rationis voluntatem.

Concluſio. Oportet dicere, quod in Chriſto fuerit ſenſualis appetitus, ſiue ſenſualitas; quæ dicitur voluntas per participationem. Probatur ratione articuli præcedentis; nam eiuſmodi appetitus ſenſualitatis includitur in humana natura, ſicut animal in homine; ſed Chriſtus aſſumpſit naturam humanam perfectam: ergo.

Notādum eſt, omnes motus appetitus ſenſitiui fuiſſe in Xp̄o rationi ſubiectos, ita nimirū, vt nullus vnquam inſurrexerit contra rationem; ſed omnes, & ſingulos fuiſſe rationi conformes, & per eam regulatos; ſicut oſtenſum eſt ſupra, cum de merito Chriſti ageretur. Licet enim aliqui motus fuerint in Chriſto naturales in ordine ad cauſam proximam, à qua procedebant in eſſe naturæ, ſicut nutritio, augmentatio proprij corporis, fames, ſitis, & ſimiles; quia tamen eius anima ſanctiſsima ex coniunctione ad Diuinitatem, habebat omnipotentiam ſupra proprium corpus, vt ex præmiſſis conſtat; ideo in genere moris omnes procedebant à deliberata eius voluntate, & erant ei abſque vlla repugnantia ſubiecti. Sicut enim mortuus eſt, quando voluit; ita etiam eſuriuit, cum

voluit;& ſitiuit, cum voluit. Vt ſupra oſtenſum eſt.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Chriſto fuerint duæ voluntates quantum ad rationem.

CONcluſio. Si loquamur de potentia voluntatis, in Chriſto eſt vna ſola voluntas humana eſſentialiter, & non participatiue dicta. Si vero loquamur de voluntate, quæ eſt actus, ſic diſtinguitur in Chriſto voluntas, quæ eſt vt natura, quæ dicitur thelîſis; & voluntas, quæ eſt vt ratio, quæ dicitur buliſis. Prima pars probatur in argumento ſed contra. In vno homine non eſt niſi vna voluntas propriè dicta, quæ eſt voluntas rationis; Chriſtus autem eſt vnus homo: ergo in Chriſto eſt vna tantum voluntas humana. Secunda pars probatur in corpore; nam actus voluntatis, qui eſt circa finem competit ei, vt natura; actus vero, qui eſt circa media, quæ ſolum ex ordine ad aliud ſunt volita; ſicut ſumptio medicinæ propter ſanitatem, eſt actus voluntatis, vt ratio: ergo.

CIrca iſtum Articulum videnda ſunt, quæ docet S. Thomas, & eius interpretes 1.2.qu.8. art.2.& 3. vbi agitur ex profeſſo de actu volũtatis, qui verſatur immediate circa finem, & communi vocabulo dicitur intentio, & de electione, quæ verſatur circa media: Primus actus competit voluntati, vt natura; non quia intentio finis non poſſit eſſe libera, quantum ad exercitium actus; ſed quoniam finis determinat voluntatem, quantum ad ſpecificationem ad hunc ſenſũ, quod quidquid voluntas appetit, vult ſub ratione boni, quod eſt vniuerſale obiectum volũtatis, nec poteſt velle malum ſub ratione mali. Cum ergo humana voluntas Chriſti ſit eiuſdem rationis cum voluntate noſtra, relinquitur, quod in ea ſint prædicti duo actus voluntatis, alter circa finem, ſeu circa obiectum, quod eſt ſecundum ſe bonum; alter circa media; quæ ſunt bona, & volita ex habitudine ad aliud.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Chriſto fuerit liberum arbitrium.

COncluſio eſt affirmatiua. Probatur. Electio eſt proprius actus liberi arbitrij, vt in prima parte habitum eſt; ſed in Chriſto fuit electio, iuxta illud Iſaiæ 7.[Butirum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum] ergo, &c. 1.p q.83. art. 3. & 4. Iſa. 7.

GRauis difficultas ſe offerebat in præſenti diſcutienda, quænam indifferentia ſit de eſſentia liberi arbitrij, & qualis determinatio repugnet libertati. Ex hoc enim maxime dependet legitima explicatio libertatis, quæ fuit in humanis actionibus Chriſti Domini, per quas meruit apud Patrem ea omnia, quæ ſibi, & nobis in præmiũ ſuorum meritorum collata ſunt, vel conferentur. Sed, quoniam in libro de Auxilijs per plures diſputationes, hæc omnia ſatis diffuſe ptractaui, & quę in particulari pertinent ad libertatem operum Chriſti, dicta ſunt iam in tractatu de eius merito, ibi poterit Theologus, quæ breuitatis gratia hic omittuntur, ſi voluerit, videre. Diſp. 22. 23. 115. & 116.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntas humana Chriſti fuerit omnino conformis diuinæ voluntati in volito.

PRima concluſio. Secundum voluntatem ſenſualitatis, & ſecundum voluntatem rationis, quæ eſt per modum naturæ, aliud poterat Chriſtus velle, quã Deus. Probatur. Voluntas ſenſualitatis, refugit naturaliter dolores ſenſibiles,& corporis læſionem: ſimiliter etiam voluntas, vt natura, repudiat ea,quæ ſunt naturæ contraria, & quæ ſunt ſecundum ſe mala, puta mortẽ,& alia huiuſmodi: ergo.

Secunda concluſio. Secundum voluntatem, quæ eſt per modum rationis, Chriſtus ſemper idẽ volebat, quod Deus. Probatur. Deus volebat mortem Chriſti non abſolutè conſideratam ſecundum ſe, ſed ex ordine ad finem, nimirum ad reparationem generis humani: atqui voluntas humana Chriſti voluit eandem mortem in ordine ad iſtum finem, vt patet ex illo *Matth. 26.* Matthæi 26. [Non ſicut ego volo: ſed ſicut tu vis fiat:] ergo.

CIrca vtramque huius articuli concluſionem videnda ſunt, quæ docet S.Thomas, & eius interpretes 1.2.q.19.art.9.& 10. vbi explicatur, qualiter nos conformare teneamur voluntatem noſtram diuinæ voluntati in volito formali,vel materiali: etenim quæ ibi docet ſanctus Thomas non modicam lucem his afferent, quæ in præſenti articulo determinat,circa conformitatem humanæ voluntatis Chriſti cum voluntate Diuina.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum.

COncluſio eſt negatiua. Probatur in argumento, ſed contra ex determinatione ſextæ Synodi, vbi dicitur. [Prædicamus duas naturales voluntates non contrarias (iuxta quod impij aſſerunt hæretici,) ſed ſequentem eius humanã voluntatem, & non reſiſtentem,vel reluctantem, ſed potius ſubiectam diuinæ eius, atque omnipotenti voluntati.] Secundo probatur in corpore. Contrarietas non poteſt eſſe niſi oppoſitio attendatur in eodẽ, & ſecundum idem: ſed in Chriſto nulla fuit oppoſitio voluntatum in eodem,& ſecundum idem; quia licet appetitus ſenſitiuus, & voluntas ipſius Chriſti, vt natura, aliud voluerint, quàm voluntas diuina, & voluntas rationis ipſius Chriſti, non tamen erat ſub eadem ratione.Etenim diuina voluntas, & humana Chriſti conſiderata,vt ratio, volebat mortem,vt medium ad ſalutem generis humani: appetitus autem ſenſitiuus, & humana voluntas Chriſti vt natura, refugiebat mortẽ, non vt erat medium ad ſalutem generis humani;quia motus ſenſualitatis ad hoc ſe extendere non valebat; ſed vt malum particulare ipſius appetitus.ergo, &c.

Habetur in Epiſt. Agath. ad 6.Syn. gener. & legitur ibi act. 4. & recip. act 8.

Præterea probatur; quia placebat Chriſto ſecundum volũtatem diuinam, & etiam ſecundum voluntatem rationis, vt voluntas naturalis in ipſo, & voluntas ſenſualitatis, ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouerentur. Ergo in Chriſto

nulla fuit repugnantia, vel contrarietas voluntatum.

Concluſio huius articuli eſt de fide, habetur definita in Conc. Lat. 1. can. 15. & in 6. Synod. ſuperius allegatis, & probatur; nam omnes vires & motus, etiam appetitus ſenſitiui erant in Chriſto ſubiecti diuinæ potentiæ, & virtuti, vt patet ex 6. Syn. inducta; immo omnes erant ſubiecti, & regulati per rationem, vt ſupradictũ eſt: aliàs Chriſtus potuiſſet peccare, ſaltem venialiter, per motum appetitus in ordinatũ inſurgentẽ contra rationem, cuius contrariũ oſtenſum eſt in diſp. 68. Prætereà; nam aliàs non fuiſſet in Chriſto plenitudo gratiæ, cum qua non ſaluatur contrarietas voluntatis diuinæ, & humanæ per modum rationis. Cũ ergo in Xp̄o fuerit multo maior plenitudo gratiæ, qua ſit in cęteris beatis, & in alijs beatis tiam poſt reſurrectionem corporũ nulla futura ſit contrarietas voluntatum, diuinæ, & humanæ, vt eſt ratio, relinquitur etiam in Chriſto non fuiſſe.

QVAESTIO XIX.

De pertinentibus ad virtutem Chriſti quantum ad operationẽ.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Chriſto ſit vna tantum operatio diuinitatis, & humanitatis.

1 Concluſio. In Chriſto ſunt duæ operationes, diuina ſcilicet, & humana. Probatur. Vbicunque mouens & motum habẽt diuerſas formas, ſeu virtutes operatiuas, ibi oportet, quod ſit alia operatio mouentis, & alia operatio propria moti; licet motũ participet operationem mouentis, & mouẽs vtatur operatione moti, & ſic vtrumque agat cum communione alterius. Sed in Chriſto humana natura habet propriam formam, & virtutem per quam operatur, aliàs eſſet imperfecta, & ſimiliter diuina habet propriam operationem, aliàs oporteret dicere, quod ex virtute diuina, & humana cõſtitueretur vna virtus, & vna operatio. Ergo humana natura habet propriam operationẽ diſtinctã ab operatione diuina, & è conuerſo.

Expoſitio Articuli.

2 Notãdum eſt, concluſionem S. Tho. eſſe de fide. Habetur definita in Conc. Later. 1. can. 12. cuius verba ſunt. [Si quis, ſecundum ſceleratos hæreticos, in Chriſto Deo vnitis ſubſtantialiter ſaluatis, & à SS. Patribus noſtris piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus diuinam, & humanam ſubterfugit ſimul confiteri, aſſerens contra ſanctorum doctrinam, & vnam voluntatem, & vnã operationem, ſit cõdemnatus.] Idẽ definitur in 6. Syn. gener. act. 4. 8. & 9. cuius verba refert S. Thomas in corpore huius articuli. Quod etiã docet Leo Papa X. ad Flauium c. 4. & Dionyſius Areopagita Epiſ. 4. ad Caium & cap. 2. de diuinis nominibus, cuius verba refert S. Thomas in ſolutione ad primum huius articuli, in quo etiam ſoluit omnia ferè argumenta, quæ in contrarium obijci ſolent, & alia quam plurima proponit, & diluit in diſputatis q. de vnione Verbi artic. 1. Duo autem argu-

Con. La.

Digitized by Google

argumēta ſunt à nobis diſſoluēda.

3 Primo arguitur. Sicut operatio eſt ſuppoſiti mediante natura, ità & filiatio. Sed in Chriſto eſt tantum vna filiatio realis propter vnitatem ſuppoſiti, vt docet S. Thomas infra q. 35. art. 5. Ergo ſimiliter eſt in eo vnica dumtaxat operatio.

Secundo arguitur: Omnes operationes ad extra ſunt communes toti Trinitati; ſed operationes humanitatis Chriſti erant actiones ad extra. ergo erant communes toti Trinitati: ſed in Patre, & Spiritu ſancto non ſunt duæ operationes, altera diuina, altera humana; ſed ſolum operatio diuina. Ergo ſimiliter in Chriſto, non fuit alia operatio præter diuinam.

4 Ad primum quidam dixerunt, quod in Chriſto ſit tantum vnica filiatio diuina, per quā etiam refertur ad matrē; alij vero inter quos annumeratur Scotus, Durandus, & Gabriel poſuerunt in Chriſto duas filiationes, & relationes reales filij; alterā, qua ex Patre ſine matre natus eſt ab æterno; alteram, qua ex matre ſine patre natus eſt temporaliter. At S. Thomas, & eius diſcipuli infra qu. 35. art. 5. docēt, eſſe quidem in Chriſto duas filiationes, ſeu relationes filij; alteram realem & æternam, qua refertur ad Patrē; alteram rationis, qua in tempore refertur ad matrem. Ratio potiſſima huius eſt, quia ſubiectum filiationis, non eſt natura, aut pars naturæ, ſed ſolum perſona, vel hypoſtaſis: in Chriſto autem non eſt hypoſtaſis, vel perſona niſi æterna. Vnde non poteſt eſſe in illo aliqua filiatio realis niſi ęterna; ac per conſequens oportet, quod filiatio, qua in tempore refertur ad matrē, ſit relatio tantum rationis; ſicut & aliæ relationes, quæ ex tempore dicuntur de ipſo Deo, vt probat ſanctus Tho. 1. p. q. 13. art. 7. Vnde Beata Virgo dicitur, & eſt verè, & realiter mater Dei, ſeu Chriſti; non quidem ex relatione reali, qua filius ex tempore refertur ad matrē, ſed ex relatione reali, qua ipſa Mater immaculata refertur ad filium; ſicut Deus realiter dicitur, & eſt creator à creatione temporali, quæ eſt in creaturis; nam creare ſolum addit eſſentiæ diuinæ relationem rationis. Humanæ autem operationes Chriſti ſuſcipiuntur immediatè in natura humana, & in eius potentijs; mediatè vero reſpiciunt, & denominant ſuppoſitum. Vnde ſicut in Chriſto ſunt duæ naturæ realiter diſtinctæ, ita etiam in illo ſunt conſtituendæ duæ operationes realiter diſtinctæ.

Scotus in 3. diſt. 8. q. 1. Durand. q. 3. Gabr. q. vnica.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod (vt ſupra dictum eſt,) operationes humanæ Chriſti, quantum ad aliquid peculiari quadam ratione tribuuntur Chriſto, ſecundum quam non procedunt à Patre, vel Spiritu ſancto; nimirum quatenus operabatur per naturam humanam, ſibi hypoſtaticè vnitam, quod non conuenit Patri, & Spiritui ſancto. Verbi gratia, quando Chriſtus reſuſcitauit Lazarum clamando, Lazare veni foras; illa reſurrectio effectus fuit pendens à tota Trinitate, vt à cauſa principali, quatenus omnes perſonæ conueniunt in eadem eſſentia, & omnipotentia, ſeu virtute operatiua: ſimiliter etiam omnes perſonæ diuinæ per eandem virtutem fuerunt cauſa vniuerſalis illius vocis Chriſti, & cuiuslibet alterius operationis humanæ. Cæterum perſona 5 *Io.* 11.

Gg 4 Verbi

Digitized by Google

Verbi vltra iſtam cauſalitatem cōmunem tribus perſonis, erat cauſa proxima eliciens illam vocem mediante natura humana, quam terminabat; nam ſecundũ hanc rationem eiuſmodi operatio,cum fuerit actio vitalis, dicit intrinſecum ordinem,& dependentiam,non ſolum in genere cauſæ efficientis, ſed etiã formalis ad humanitatem Chriſti, tanquam ad principium formale quo, & ad Verbum terminans naturam humanam, tanquam ad principium coniunctum eliciens per humanitatem, & per potentiam eius vitalem eandem operationem humanam.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Chriſto ſint plures operationes humanæ.

Concluſio. Ex parte principij à quo habet actio, quod ſit & dicatur humana, tantum fuit in Chriſto vna operatio humana.Probatur. Quando agens inferius non agit per propriam formam, ſed ſecundum quod mouetur ab alio,eadem eſt operatio ſuperioris agentis,& inferioris; ſed omnes operationes Chriſti ſenſitiuæ partis non dicuntur humanæ, ſecundum aliquam formam propriam, ſed quatenus mouentur à ratione. Ergo in Chriſto eſt vna operatio humana, ſicut & vna natura humana, & vna ratio.

ARTICVLVS III.

Vtrum actio humana Chriſti potuerit ſibi eſſe meritoria.

Prima concluſio. Chriſtus habuit per meritum omne id, quod habent alij per meritum, niſi ſit tale, cuius carentia deroget dignitati Chriſti. Probatur. Nobilius eſt habere aliquid per ſe,quàm illud habere per aliud; ſed id, quod eſt nobilius, & perfectius tribuendum eſt Chriſto,ergo.

Secunda concluſio. Chriſtus non meruit ſibi gratiam, nec ſcientiã, nec gloriam animæ, nec diuinitatem.Probatur; quia,cum meritum non ſit niſi eius, quod nondum habetur,oporteret,quod Chriſtus aliquando iſtis caruiſſet, quibus carere magis diminuit dignitatẽ Chriſti,quàm eam augeat meritum.

Tertia concluſio. Chriſtus gloriam corporis,& ea, quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam, ſicut eſt aſcenſio, veneratio, & alia huiuſmodi,habuit per meritum. Probatur:nam gloria corporis,& ſi quid aliud huiuſmodi minus eſt, quàm dignitas merendi, quæ pertinet ad charitatem. Ergo tribuendum eſt Chriſto, quod hæc habuerit ex merito, licet aliquando eis caruerit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Chriſtus alijs mereri potuerit.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur.Gratia Chriſti fuit gratia capitis, vt ſupra oſtenſum eſt; ergo, ſicut peccatũ Adæ, quia fuit peccatũ capitis,deriuatur ad alios, ita & meritũ Chriſti ſecundũ illud Ro.5.[Sicut ꝑ vnius delictũ in omnes homines in condemnationẽ,ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.] *Rom.5.*

De merito Chriſti egimus ex profeſſo ſupra quæſt.8. art.8. poſt

poſt tractatum de gratia Chriſti, vbi à Diſput.42. vſque ad Diſp.50. diſputauimus de merito Chriſti ſecundum ſe, de actibus per quos meruit, & de his, quæ ſibi, & nobis meruit. Et ex his, quæ ibi dicta ſunt, manēt ſatis diſcuſſa, & explicata, quæ in his duobus articulis circa operationes Chriſti meritorias, dicit S.Thomas.

QVAESTIO XX.

De conuenientibus Chriſto, ſecundum quod Patri fuit ſubiectus.

ARTICVLVS I.

Vtrum dicendum ſit, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri.

Conclusio. Chriſtus Deo Patri ſubiectus fuit ſecundum bonitatem, ſeruitutē, & obedientiam. Probatur in argumento, ſed contra, ex illo Ioan.
Ioa.14. 14. [Pater maior me eſt.] Secundo in corpore. Natura humana ex ſui conditione habet triplicem ſubiectionem ad Deum. Primo, ſecundum quādam participationem diuinæ bonitatis, cui ſubijcitur omnis bonitas creata. Secundo, quantum ad Dei poteſtatem, prout ſcilicet, quælibet natura creata ſubiacet operationi diuinæ diſpoſitionis. Tertio, quantum ad proprium ſuum actum, in quantum ſcilicet obedit mandatis Dei. Sed in Chriſto fuit verè, & propriè natura humana: ergo ſecundum eandem naturam fuit hac triplici ratione Patri ſubiectus.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus ſit ſubiectus ſibi ipſi.

Prima concluſio. Si hæc Propoſitio, Chriſtus eſt Dominus, vel ſeruus ſui ipſius, intelligatur ratione alterius hypoſtaſis, vel perſonæ, quaſi alia ſit perſona Verbi Dei dominantis, & alia hominis ſeruientis, propoſitio eſt falſa; quia pertinet ad hæreſim Neſtorij ſupra impugnatam. 1

Secunda concluſio. Chriſtus ſecundum humanam naturam, eſt ſibi ſubiectus, ſecundum naturam diuinam. Probatur rationibus factis articulo præcedenti.

DISPVTATIO LXXIV.

Vtrum Chriſtus vere, & propriè dicatur ſeruus.

Qvidam ex recentioribus Theologis ſentiunt, Chriſtum non poſſe appellari verè, & propriè ſeruum: non ſolum abſolutè, ſed nec etiam cum illo additamento, ſecundum humanitatem: & loca Scripturæ, in quibus Chriſtus Dominus dicitur ſeruus, putant eſſe metaphoricè intelligenda, & explicanda; ſicut cum appellatur lapis, aut leo, propter aliquam ſimilitudinem. Et hanc ſententiam adeo certam eſſe arbitrantur, vt oppoſitam cenſeant

M.Vazq. in hoc ar tic. Diſp. 80.c.3.& ſeqq.

ſeant

ſtant erroneam. Probant hoc. Primo auctoritate Concilij Francofordienſis, & Hadriani, qui definire videntur, humanitati Chriſti poſt aſſumptionem ſeruilem ſtatum, & conditionem non potuiſſe conuenire; ſicut nec filiationem adoptionis. Etenim inter propoſitiones Elipandi Archiepiſcopi Toletani, quas Concilium, & Hadrianus dãnauit, hæc vna fuit, qua aſſerebat, Verbum diuinum ipſa aſſumptione carnis factum eſſe ſeruum, & peregrinum. Contra quem modum loquendi, Concilium Francofordienſe, & Hadrianus manifeſtè docuerunt, Chriſtum non eſſe ſeruum.

Hadrian. Verba Hadriani ſunt: [Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt adoptiuum eum filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum, & (quod pudet dicere) ſeruum eum, impij, & ingrati tantis beneficijs liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenoſa fauce ſuſurrare? cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum ſeruum nũcupare?] Quibus verbis Hadrianus multo acrius inuehitur in Elipandum, & ſectatores illius, quòd dixerint, Chriſtum ſeruum, quàm quod adoptiuum appellauerint, vt indicant illa verba, [& quod pudet dicere.] Sed Chriſtus non eſt propriè filius adoptiuus etiam ſecundum humanitatem, vt docet S. Thom. q. 23. ar. 4. ergo nec ſeruus.

3 Côc. Fracoford. Secundo arguitur ex Conc. Francofordienſi in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ non longe à fine, vbi poſtquam oſtendit, Chriſtum non eſſe dicendum ſeruum, neque adoptiuum. [Intelligite (inquit) in hac profeſſione veſtra duplices diabolicæ fraudis latuiſſe dolos: hoc eſt, vt vos, qui gratia baptiſmi redempti eſtis, ab vnitate Catholicæ diſiungeret Eccleſiæ, & ſchiſmatici erroris laqueo à via ſalutis æternæ retraheret, & gentibus, inter quas habitatis (intelligit Mahumetanos) Chriſtianæ fidei initia intercluderet, dum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem Deum colimus, & adoramus, ſeruum prædicatis, & adoptiuum.] vbi errorem appellat vtramque illam propoſitionem, de qua in Concilio agebatur contra Elipandum, Chriſtus eſt ſeruus, & Chriſtus eſt filius adoptiuus.

Tertio arguitur ex epiſtola Concilij Alexandrini, quæ eſt apud Cyrillum decima, & recipitur in Concilio Epheſino, vbi ſic dicitur: [Sed nec Deum, aut Dominum Chriſti Verbum Dei Patris aſſerimus, ne iterum manifeſtius in duo diuidamus vnum Chriſtum, & crimen ſacrilegij recidamus, Deum illi ſeipſum facientes, & Dominum.] Et paulo poſt: [Verumtamen, nec ſeruus eſt ſibi ipſi, nec dominus, quoniam ineptum eſt, vel potius impium, hoc ſentire, vel docere.] Idẽ definitur in anathematiſmo 6. & Cyrillus in lib. ad Euoptium in defenſione huius ſexti anathematiſmi, acriter reprehendit hunc modum loquendi, quo vtebatur Neſtorius: [Erat ipſe (ſcilicet Chriſtus) infans, & infantis dominus.] Côc Alexandrin.

Quarto arguitur ex locis Scripturæ, ex quibus habetur, Chriſtum non eſſe ſeruum, etiam ſecundum humanitatem. Etenim Matthæi 3. dicit Pater æternus: [Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.] quem locum Hadrianus Pontifex, vbi ſupra, explicat 4 Mat. 3. Hadrian.

Digitized by Google

cat de Chriſto ſecundum humanitatem. [Animaduertite, inquiens, quia nihil vobis reſtat, vt ſecũdum diuinitatem tantummodo credatis dixiſſe Patrem: Hic eſt Filius meus dilectus.] Item etiam ipſe Chriſtus *Ioa.13.* de ſe ait, [Vos vocatis me Magiſter, & domine, & bene dicitis, ſum etenim.] Ex quibus verbis Conc. Francoford. epiſt. allegata colligit, quod Chriſtus, ſecundum quod homo non ſit ſeruus, ſed Dominus; ait enim. [Credamus eum Dominum, & non ſeruum ipſo dicente: [Vos vocatis me Magiſter], & Domine.]

Quinto, idem probant auctoritate ſanctorum Patrum, præſertim *S Damaſcenus.* Damaſceni lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 21. vbi oſtendens Chriſtum naturam ſeruam non aſſumpſiſſe, ait, [Quin illud quoque ſciendum eſt, cum nec ſeruum quidem dicere nobis licere.] & infra. [Sane ſeruilis ordinis eſſet caro, niſi Deo Verbo copulata eſſet: at cum ſemel ei perſonaliter vnita eſt, quonam 3 iam pacto in ſeruilem claſſem redigetur?] Quibus verbis omne genus ſeruitutis videtur excludere ab humanitate Chriſti, propter vnionem ad Verbum. Idem dicit *Nicetas.* Nicetas lib. 3. Theſauri capit. 38. numero 5.

5 Sexto idem probant. De ratione ſerui eſt, ita ſub alterius dominio conſtitui, vt cum eo nec in bonis, neque in honore, neque in ſede communicet. ſic enim definit Ariſtoteles ſeruum primo Politicorum cap. 3. cum dicit, ipſum eſſe alterius:; ſed natura humana Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ communicat in bonis, in honore, & ſede cum Deo Patre, ad cuius dexteram ſedet: ergo etiam ſecundum humanitatem non poteſt cum proprietate dici ſeruus, vel ſub conditione ſeruili manere.

Confirmatur, & explicatur magis huius rationis efficacia; nam triplex communicatio in bonis cũ Deo reperitur in humanitate Chriſti, quæ ſtatui ſeruitutis conuenire nequit. Prima eſt, quod in ipſa humanitate habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt dicitur ad Coloſſenſ. 2. ratione cuius humanitas, & diuinitas Chriſti cõueniunt in eodem ſuppoſito Verbi, & ſubſiſtunt in eadem perſona. Secunda in honore; nam humanitas Chriſti propter coniunctionem ad Verbum, eodem cultu latriæ adoratur, quo Deus ipſe. Tertia in dignitate nominis; ſicut enim mulier coniuncta matrimonio Regi; dicitur, & eſt Regina: ita & humanitas coniuncta hypoſtatice Dei filio, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, dicitur, & eſt Regina, & domina, iuxta illud Pſal. 44. [Aſtitit Regina à dextris tuis *Pſal.44* in veſtitu deaurato.] Vnde & Apocal. 19. dicitur, quod habebat ſcriptum in femore, hoc eſt in humanitate, [Rex Regum, & Dominus Dominantium.] Ergo Chriſtus etiam ſecundum humanitatem, non eſt cum proprietate ſeruus, ſed ſolum ſecundum metaphoram.

Septimo idem probatur alia ratione 6 ſumpta ex Damaſceno cap. 21. citato, vbi ait: [Seruitutis, ac dominationis vocabula non naturas indicant, ſed ex eorum ſunt genere, quæ ad aliquid referuntur; quemadmodum & paternitas, ac filiationis voces,] quod etiam docet Ariſt. & S.Thom. ergo non poteſt eſſe vera ſeruitus, & propria, *Ariſt. S. Thom.* niſi ſeruus diſtinguatur ſecundum ſuppoſitũ à ſuo domino. Sed Chriſtus

ſtus

ſtus etiam ſecundum humanitatem non diſtinguitur perſonaliter, vel ſecundum ſuppoſitum à perſona diuina, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo etiã ſecundũ humanitatem, nõ poteſt dici cũ proprietate ſeruus Dei, & eadem ratione non poterit verè, & propriè dici ſeruus, aut ſibi ſubiectus ſecundum diuinitatem.

Oppoſitam ſententiam docet expreſſe S.Thom. in articulo primo, præſertim in ſolutione ad 2. argumentum, & art.2. in corp. quam ſequitur Magiſter Medina,& pro ea refert S.Hieronymum, Auguſtinũ, & Chryſoſtomum. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod ſeruitus eſt duplex: Altera eſt ſeruitus legalis, ſeu pænalis, quæ eſt vilis quædam conditio, qualis eſt illorum,qui in bello capti efficiuntur ſerui capientium: qua etiam [qui facit peccatum ſeruus eſt peccati,] vt dicitur Ioan. 8. Altera vero eſt ſeruitus naturalis, qua iure creationis quælibet creatura eſt ſub dominio Dei;& ſi rationalis ſit, tenetur Deo ſubijci,præceptis eius parere, ipſum colere, & reuereri, ac demum tanquam ſupremum & abſolutum rerum omnium dominum confiteri, iuxta illud [Dominus vniuerſorum tu es.] Et hac ſeruitute, etiam in ſtatu innocentiæ, primus parens fuit verè, & propriè ſeruus Dei: quo ſuppoſito ſtatuendæ ſunt tres concluſiones.

Hier.ſup. c.53.Iſai. Aug.ſup. P l.103. conc. 2. Chryſoſt. orat. qđ Chriſtus ſit Deus.

Ioan.8.

7 PRima concluſio. Chriſtus,etiã ſecundum quod homo,non eſt ſeruus,propriè loquendo de ſeruitute primi generis.In hac concluſione conueniunt omnes Doctores Catholici, quam probant efficaciter argumenta facta à principio. Præterea probari poteſt; nam hac ratione dicit Apoſtolus: [Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati,] quia non habuit verè carnem peccati, ſed peccatrici carni ſimilem. Licet enim veram carnem humanam aſſumpſerit, vt ex præmiſſis conſtat, non tamen fuit caro illa ſub ſeruitute peccati, aut ſub quacunque alia poſt peccatum ſubſequuta, qualis eſt ſeruitus iure belli, aut titulo emptionis, & venditionis introducta. Præterea probatur; nam primi parentes in ſtatu innocentiæ non fuerunt verè ſerui legali ſeruitute; ergo multo minus Chriſtus dicendus eſt ſeruus ſecũdum illam ſeruitutem, etiam cum illo additamento, in quantum homo.

SEcunda concluſio.Chriſtus Dominus ſecundum humanitatem verè, & propriè eſt ſeruus Dei ſeruitute ſecundi generis. Concluſio eſt expreſſa S. Thomæ artic. 1. huius quæſtionis ad 2. vbi ſic ait: [Quamuis non propriè dicatur, quod natura ſit domina, vel ſerua, poteſt tamen propriè dici, quod quælibet hypoſtaſis, vel perſona ſit domina, vel ſerua ſecundum hanc, vel illam naturam: ac ſecundum hoc nihil prohibet Chriſtum dicere Patri ſubiectum, vel ſeruum ſecundum humanam naturam.] Et loquitur de ſeruitute ſecundi generis, vt patet ex corpore eiuſdem articuli. Et in articulo ſecundo expreſſe docet, quod Chriſtus ſecundum humanam naturam, eſt ſeruus ſui ipſius ſecundum naturam diuinam. Idem docet Magiſter Medina in vtroque articulo, ſed præſertim articulo ſecundo pluries repetit, prædictam propoſitionem eſſe veram in ſermonis proprietate: Idem ſentit Suarez in hoc artic. diſput. 8

ſput.44. ſect.1. & 2. Vnde irrationabiliter quidam ſententiam illam inſimulant erroris. Probatur noſtra concluſio ex illo Iſaiæ 42. [Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum.] quem locum ſancti Patres communiter interpretantur de Chriſto, & S. Hieronymus vbi intelligit verba illa ſecũdum proprietatem ſermonis, & Iſaiæ 49. [Parum eſt mihi, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas, dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ.] & Chriſtus ipſe per Pſalmiſtam fatetur. [O Domine, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.] & idem habetur ex alijs locis Scripturæ, quæ in præſenti refert Magiſter Medina.

Iſa.42. *Iſai.49* *Pſ.142.*

9 Secundo probatur. Chriſtus ſecundum humanitatem, eſt verè, & propriè creatura, vt Diſput.70. & 72. oſtenſum eſt: ergo ſecundum eamdem humanitatem eſt vere, & proprie ſub dominio Dei, & conſequenter ſeruus. Probatur iſta conſequentia: nam dominus, & ſeruus dicuntur correlatiue: ergo, ſi Deus titulo creationis eſt verus Dominus Chriſti, ſecundum humanitatem, neceſſe erit dicere, quod Chriſtus ſecundum humanitatem vere, & proprie ſit ſeruus Dei.

Reſpondet M. Vazquez, rationẽ ſolam creaturæ, non eſſe fundamentum relationis ſeruitutis, ſed cum negatione communicationis in bonis, quæ negatio non reperitur in humanitate Chriſti; & ideò, licet humanitas Chriſti ſit propriè creatura; Chriſtus tamen, etiam ſecundum humanitatem, non poteſt dici ſeruus. Sed contra hanc ſolutionem eſt efficax argumentum; nam alij Sancti, qui ſunt filij Dei per gratiam, ſunt vere, & proprie ſerui Dei. Hoc enim nomine inſigniuit ſe ipſum Paulus, pluries repetens in ſuis epiſtolis, [Paulus ſeruus Ieſu Chriſti:] & tamen communicant in bonis Domini, iuxta illud, [quod ſi filius, & hæres per Deum.] & ad Romanos 8. [Quod ſi filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.] ergo ſimiliter Chriſtus, licet ſecundum humanitatem communicet in bonis Patris, poterit ſecundum eãdem humanitatẽ dici ſeruus Dei.

Diſp. 80. c.11. *Rom.1.* *Rom.8.*

10 Sed dicunt, eſſe differentiam: nã alij homines iuſti, ita à Deo in filios adoptantur, vt tamen non ad omnia bona Dei adoptantis; ſed ad aliquam ipſius participationem admittantur. Neque enim eam habent bonorum communicationem cum Deo, quam habet humanitas: ſed fruitionem & viſionem Dei conſequuntur; qua ſola ratione Deus ipſe hæreditas iuſtorum dicitur. Hoc autem genus adoptionis ſeruitutis conditionem ſecũ admittit. Nam iuſti hoc modo ita adoptati manent ſub poteſtate Dei, vt illius honorem, & nomen non habeãt, nec in eandem cum eo ſedem conſcendant: Chriſtus autem ſecundum humanitatem, ita eſt filius Dei, vt illius honorem, vt dictum eſt, habeat, & in eandem cum eo ſedem conſcendat, cum quo eſt incompoſſibile, quod ſit vere, & proprie ſeruus Dei. Verumtamen hæc ſolutio non videtur ſatisfacere; nam licet hnmanitas Chriſti communem habeat ſubſiſtẽtiam increatam cum Verbo diuino ratione vnionis hypoſtaticæ: & in honore, & ſede communicet cum Patre: nihilominus, vt recte dicit

Solutio. *Impugn.*

Digitized by Google

Medi.art. 1.ad 1. dicit M. Medina, impoſſibile eſt, quod Chriſtus ſecundum naturam humanam habeat omnia, quæ Pater habet; non enim Chriſtus eſt purus actus ſecundum naturam humanam, vel infinitus ſimpliciter, nec ſecundum eandem naturam humanam comprehendit Deum, cognoſcendo ipſum quantum cognoſcibilis eſt, vt ex ſupradictis conſtat. Nec etiam habet ratione naturæ humanæ incomprehenſibilitatem, æternitatem, vel omnipotentiam ſimpliciter, quam habet Pater:ſed id habet ratione diuinæ naturæ; ergo, quod Chriſtus ſecundum naturã humanam habeat cõmunionem cum Patre in pluribus bonis,& honoribus,quàm habeant alij Sancti, non tollit, quod Chriſtus ſecundum eandem naturam, ſeu ratione illius ſit vere, & proprie ſeruus Dei titulo creationis, & ſub eius dominio, & poteſtate conſtitutus. Et confirmatur:quoniam hæc ſeruitus nullam includit imperfectionem, quæ non ſit connaturalis, & intrinſeca naturæ humanæ,in quantum eſt natura creata dependens à Deo in eſſe, & conſeruari, tam in his,quæ ſpectant ad ordinem naturæ, quàm in concernentibus ordinem gratiæ: ſed potius redundat in magnum honorẽ eiuſdem humanitatis,& veram eius libertatem, iuxta illud Apoſtoli,
1.Cor.7 [Qui in Domino vocatus eſt ſeruus,libertus eſt Domini:]ergo nulla apparenti ratione ſubtrahi poteſt ab humanitate Chriſti hoc genus ſeruitutis, vel ſubiectionis in ordine ad Deum.

11 Confirmatur. Beatiſſima Virgo habet quamdam communionem cum Patre in aliquibus honoribus, & dignitatibus; nam verè eſt mater Dei, mater(inquam)eius,cuius Deus eſt pater: & præterea vocari Regina cæli digna eſt,vt canit Eccleſia: & tamen non obſtante eiuſmodi communicatione in his, & alijs multiplicibus bonis, & honoribus, adhuc eſt vere, & proprie ſerua Dei, immo & ancilla, ipſa atteſtante: [Ecce ancilla Domini, *Luc.2.*
fiat mihi ſecũdum verbum tuum.] ergo ſimiliter Chriſtus ſecundum humanitatem erit vere, & proprie ſeruus Dei, & ſubiectus Patri;quãuis communionem habeat cum illo in bonis cæleſtibus, in honore, & diuinitate,modo ſuperius explicato. Idem argumentum poteſt fieri de ligno Crucis,quod propter contactum ad corpus ſanctiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eius ſanguinem adoratur adoratione latriæ; & tamen communicat cum alijs omnibus creaturis corporalibus in ratione ſeruitutis, & ſubiectionis, ſecundum quam omnes creaturæ etiam inſenſibiles ſeruiũt Deo, iuxta illud [Quoniam omnia *Pſ.118.*
ſeruiunt tibi.] & Sapien.16.[Crea- *Sap.16.*
tura enim tibi factori deſeruiens, exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, & lenior fit ad bene faciendum pro his, qui in te confidunt.] ergo.

12 Tertio probatur.Chriſtus ſecundum humanitatem non eſt ſupremus rerum omnium Dominus: nã hoc dominium competit illi ratione diuinitatis: ergo ſecundum humanitatem eſt ſub dominio Dei, ac per conſequens eſt vere,& proprie ſeruus eius.

Solutio. Reſpondent ad hoc argumẽtum auctores oppoſitæ ſententiæ,quod, licet Deus ſit omnium creaturarũ ſupremus Dominus, & conſequenter ſit etiam Dominus ſupremus huma-

humanitatis Chriſti: tamen Chriſtus etiam ſecundũ humanitatem, non eſt proprie ſeruus Dei; quia propter vnionẽ hypoſtaticam Deificationem participat. Et cum arguitur; nam iure creationis Deus eſt ſupremus Dominus omnium eorum, quæ ſunt in creatura. Reſpondent, quod, ſi per dominium intelligatur poteſtas faciendi in creatura, & ex creatura id, quod ſibi placuerit, veriſſimum eſt, Deũ eſſe ſupremum Dominum omniũ, quæ ſunt in creatura. Si vero per dominium intelligatur vera relatio Domini ad ſeruum, id negant, & aſſignant rationem: quoniam etiam ſi Pater poſſet Filium occidere, & omnium bonorum illius eſſet Dominus; nihilominus non eſſet Dominus ipſius Filij, nec Filius eſſet ſeruus Patris, quia in hæreditate, & in honore communicationem haberet cum illo. Sic ergo (inquiunt) licet Deus libere poſſit deſtruere humanitatem Chriſti: quia tamen arctiſſimam habet cum eo communicationem, relatio dominij, & ſerui inter eos eſſe nequit.

Impugn. Hæc tamẽ ſolutio facile impugnatur; nam dominium nihil aliud eſt, quam poteſtas vtendi re in omnes vſus lege permiſſos. Ergo, ſi Deus habet poteſtatem vtendi humanitate Chriſti, & faciendi in ea, & de ea, quidquid ſibi placuerit, ſequitur, quod habeat verum dominium eiuſdem humanitatis; ac per conſequens ſit verus Dominus illius. Cum ergo Dominus dicat relationem ad ſeruum iuxta qualitatem ſeruitutis, neceſſe eſt, vt ſecundum eandem rationem Chriſtus quantum ad humanitatẽ ſit ſeruus Dei, ſecundum quam Deus eſt eiuſdem humanitatis ſupremus Dominus.

Tertia concluſio. Ad euitandum errorem Arij, qui poſuit Filium minorem Patre, non eſt dicendum ſimpliciter, quod Chriſtus ſit ſubiectus Patri, aut ſeruus eius, ſed cum illa determinatione, ſecũdum humanitatem; quam tamen determinationem ſemper oportet intelligere, etiam ſi expreſſe non apponatur. Concluſio eſt S. Tho. art. 1. huius quæſt. ad 1. & art. 2. in corp. vbi hanc conſtituit regulam generalem. [Cum hoc nomen Chriſtus ſit nomen perſonæ; ſicut & hoc nomen, Filius, illa per ſe, & abſolute poſſunt dici de Chriſto, quæ conueniunt ei ratione ſuæ perſonæ, quæ eſt æterna, & maxime huiuſmodi relationes, quæ magis proprie videntur ad perſonam, vel hypoſtaſim pertinere. Sed ea, quæ conueniunt ſibi ſecundum humanam naturam, ſunt ei potius attribuenda cum determinatione, vt videlicet dicamus, Chriſtum eſſe ſimpliciter maximum, & dominum, & præſidentem. Quod autem ſit ſubiectus, vel ſeruus, vel minor, eſt ei attribuendum cum determinatione, ſcilicet ſecundum humanam naturam.] Hæc concluſio manet ſatis probata ex his, quæ Diſput. 70. & 72. dicta ſunt circa illam propoſitionem, Chriſtus ſecundum humanitatem eſt creatura. 13 S.Thom.

14 Ad primum argumentum ex verbis Hadriani reſpõdetur, quod non intendit Summus Pontifex excludere ab humanitate Chriſti ſubiectionem ſeruitutis naturalis, ſecundum quod omnis creatura Deo ſeruit, & eius eſt ordinationi ſubiecta: ſed legalem ſeruitutem, quæ peccatum ſupponit, vel ex eo naſcitur. Quæ explicatio colligitur ex eadem epiſt. ad Epiſco- Hadrian. Pont.

ſcopos Hiſpaniæ, cuius hæc ſunt verba. [Sed & hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis parens,qui de terra virgine creatus eſt,liber eſſet cõditus,vel ſeruus? ſi ſeruus,quomodo tunc imago Dei? ſi liber, quare & Chriſtus quoque non ingenuus de Virgine?&c.]Et circa finẽ eiuſdem epiſtolę ſubditur:[Opus namque eius, (ſcilicet Chriſti)eſt,vt ſit vnicus, proprius, & dilectus filius Dei,noſtrum opus eſt,vt ſimus ſerui per conditionem,& filij per gratiam adoptionis.] Quatenus videlicet auxilio diuino excitati, & adiuti, ad iuſtificationis gratiam conſequendam nos diſponimus. Vel dicendum quod ſolum intendit excludere rationem ſeruitutis à ſuppoſito Chriſti: quia non eſt in illo niſi vnum ſuppoſitum increatum: non autem ab eius natura humana, vel à Chriſto ſecundum humanitatem.

16 **Obiectio M. Vazq. vbi ſupra c.5.ſexta ratio.** Sed contra hanc ſolutionẽ obijcitur; quoniam Hadrianus epiſtola præallegata omnia loca Scripturæ, quibus videtur Chriſtus ſeruus appellari in veteri teſtamento, interpretatur in ſenſu allegorico, & improprio: ſic enim ait: [Nam & ſi in vmbra Prophetiæ dictus eſt ſeruus,propter ſeruilis formæ conditionem, quam ſumpſit ex Virgine, ſicut ſcriptum eſt, [Conſideraſti ſeruum meum Iob, &c.] Hoc nos vna cum beato Gregorio intelligimus, & ſecundum hiſtoriam de S. Iob, & allegoricè de Chriſto dictum. Nunquid propterea ſerui ei nomen imponere debemus,quia ſub perſona Iob ſcriptura eum tropicè deſignat?] Deinde illud Pſal. 115. [Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ?,] & Pſal.85. [Saluum fac filium ancillæ tuæ.] & Iſai.44. [Noli timere ſeruus meus Iacob.] eodem modo, nempe tropico, & allegorico ſenſu de Chriſto intelligit Hadrianus, ſubiungens: [Poſtquam autem ceſſauit vmbra veritatis, & ipſa in promptu manifeſtata eſt veritas, quæ ſub allegorica ſylua latebat, nuſquam eum à Patre ſeruũ vocatum legimus, ſed filium, & dilectum ſuum.] Fruſtra autem in hoc laboraſſet Hadrianus, ſi aliquod genus veræ ſeruitutis Chriſto reliquiſſet: deberet nãque fateri de illo genere omnia teſtimonia citata intelligenda eſſe, nec conditionem ſerui ipſi poſſe denegare.

Iob.1. *Pſ.115.* *Pſal.85* *Iſai.44.*

16 Reſpondetur, quod error potiſſimus Fælicis,& Elipandi, quem Hadrianus damnare cõtendit,fuit, Chriſtum ſecundum humanitatem, non eſſe proprium filium Dei, ſed adoptiuum,vt conſtat ex libro primo Ionæ Aurelianenſis de cultu imaginum, qui præmittitur ante epiſtolam Hadriani tom.3.Conciliorum pag.634.in impreſſione Veneta, vbi ſic dicitur: [Emerſit ex eadem Hiſpania tempore ſanctæ memoriæ Caroli pijſſimi, atque inuictiſſimi Auguſti quidam Fælix nomine, actu infælix, Vrgelitanenſis ciuitatis Epiſcopus, qui iuncto ſuo ſceleratiſſimo errori Elipando Toletanæ Vrbis Epiſcopo, ſecundum humanitatem non eſſe proprium filium Dei, ſed adoptiuum prædicare auſus eſt, & hac virulẽta doctrina vterque Hiſpaniã magna ex parte infecit.] & infra [Quibus milites Chriſti,vtpote inuictiſſimis armis muniti, eius væſanam doctrinam propulſauerunt; eiuſdem namque Principis iuſſu in vnum coacti, adhibita etiam ſan-

Ionas Aurelianen.

ctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate, eundem Fęlicem damnauerunt: immo cum auctore ſui erroris Neſtorio, quem imitatus eſt, perpetuo anathemati mancipat erunt.] vbi nulla ſit mentio illius propoſitionis, Chriſtus ſecundum humanitatem eſt ſeruus Dei. Vnde Hadrianus ſolum damnat ex profeſſo, & principaliter illam propoſitionem, Chriſtus eſt filius adoptiuus, etiam intellectam ſecundum humanitatem, eo quod in Chriſto non eſt niſi vna perſona diuina, quæ ſubſiſtens in duabus naturis eſt per naturam filius Dei, non autem per gratiam adoptionis, ſicut nos ſumus. Et licet obiter etiam damnet hanc propoſitionem, Chriſtus eſt ſeruus; eam tamen reprobat in eo ſenſu, quem facit, ſecundum, quod annectitur, & coniungitur cum altera propoſitione, Chriſtus eſt filius adoptiuus, in qua ſignificatur, quod ſit in Chriſto altera perſona Dei adoptantis, & altera hominis, qui adoptatur: quod pertinet ad errorem Neſtorij, quem Fælix, & Elipandus imitati ſunt, vt dicitur in præallegato libro primo de cultu imaginum, quamuis formaliter, & expreſſe (vt patebit infra) non fuerint Neſtoriani. Et in eodem ſenſu damnatur illa propoſitio, Chriſtus eſt ſeruus Dei, ſicut & iſta, Chriſtus eſt Do-

17 minus ſui ipſius. Hoc enim modo

S. Thom. S. Thom. in 2. articulo huius quæſtionis ad primum argumentum explicat Cyrillum in epiſtola ſynodica, & Damaſcenum lib. 3. Fidei Orthodoxæ cap. 21. ait enim S. Doctor, [quod Cyrillus, & Damaſcenus negat Chriſtum eſſe dominum ſui ipſius, ſecundum quod per hoc importatur pluralitas ſuppoſitorum, quæ requiritur ad hoc, quod aliquis ſimpliciter ſit dominus alicuius.] Eodem modo loquitur Hadrianus, cum ait, quod Chriſtus non ſit ſeruus, ſed Dominus, vt colligitur ex toto contextu epiſtolæ, præſertim ex illis verbis: [Vos iniurioſe adoptiuum, & ſeruum caninis non confundimini linguis latrare.] & circa finem epiſtolæ. [Ipſe vnicus & proprius & dilectus, & non ſeruus, & adoptiuus:] vbi ex eo, quod Chriſtus eſt vnicus filius Dei naturalis, & vnica perſona diuina, concludit, quod non ſit ſeruus, & adoptiuus. Quando ergo, inquit, teſtimonia veteris teſtamenti, in quibus Chriſtus Dominus vocatur ſeruus, eſſe intelligenda allegorice, ſeu metaphorice, loquitur de ſeruitute legali, ſecundum quam Chriſtus etiã vt homo, non eſt proprie ſeruus, ſed liberator, & ſaluator, vt ex pręmiſſis conſtat: aut explicandus eſt de ſeruitute, qua ſeruus diſtinguitur perſonaliter à ſuo Domino, ſicut nos diſtinguimur; & per hæc patet ſolutio ad ſecundum argumentum.

Ad tertium reſpondet ex profeſſo ſanctus Thomas in 2. art. ad 1. explicans auctoritatem Cyrilli in Concilio Epheſino receptam, iuxta ea, quæ nos diximus ad definitionem Hadriani Primi. Et ſimiliter dicendum ad quartum, & ad quintum. Et præſertim ad auctoritatem Damaſceni reſpondet S. Thom. ſolutione allegata ad primum, interpretando verba Damaſceni, ſicut & verba Cyrilli. 18

Ad ſextum reſpondetur, quod Ariſtoteles loquitur de eo, qui eſt ſeruus ſeruitute legali; non autem de eo, qui eſt ſeruus na- 19

Digitized by Google

turali ſeruitute titulo creationis in ordine ad ſupremum rerum omnium Dominum;nam cum hac ſeruitute optimè compatitur in filijs adoptiuis communicatio per gratiam in bonis paternis, in gloria, & excellentia, qualis eſt poſſibilis ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ, & prædeſtinationis. Poteſt etiam Ariſtoteles explicari de ſeruo, qui ſecundum ſuppoſitum diſtinguitur à Domino;nam ipſe Ariſtoteles vnionem hypoſtaticam nõ cognouit: Chriſtus autem etiam ſecundum humanitatẽ,non eſt ſeruus Dei,vllo ex his duobus modis, ſed alio longe diuerſo, qui iam ſuperius explicatus eſt. Et per hæc patet ſolutio ad confirmationem.

Ad ſeptimum reſpondetur, ex auctoritate Damaſceni inducta ſatis colligi,quod cum aſſeruit,Chriſtum non eſſe ſeruum, ſed omnium rerum Dominum,id intelligit de ſeruo ſimpliciter, qui ſecundum ſuppoſitum diſtinguitur à Domino. Nihilominus cum additamẽto, Chriſtus ſecundum humanitatem, poteſt dici ſeruus Dei,vel ſuî ipſius ſecundum Diuinitatem, vt ex præmiſſis conſtat.

QVAESTIO XXI.

De oratione Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſto competat orare.

Concluſio. Chriſto, ſecundum quodeſt homo, & humanam voluntatẽ habens, competit orare, iuxta illud Luc. 6. [Exijt in montem orare, & erat pernoctãs in oratione Dei.] *Luc.6* Probatur in corpore. Voluntas humana Chriſti non erat per ſeipſam efficax ad implendum, quæ volebat, niſi per virtutem diuinam: ergo poterat per orationem petere à Deo, vt eam impleret.

Triplicem difficultatem mouet in hoc articulo M.Medina. Prima. Vtrum Chriſto ſecundum diuinitatem conueniat orare. Secunda. Vtrum Chriſto, ſecundum quod homo,conueniat orare. Tertia. Vtrũ Chriſtus oret pro nobis nunc in cælo proprie loquẽdo de oratione. Videantur,quæ ipſe docet; optime enim reſoluit has tres difficultates, quibus ſubinde nihil eſt ſuperaddendum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſto conueniat orare ſecundum ſuam ſenſualitatem.

PRima concluſio. Chriſtus non orauit ſecundum ſenſualitatẽ, ita vt ipſa oratio ſit actus ſenſualitatis. Probatur:nam ſenſualitas nõ poteſt orare; primo, quia motus ſenſualitatis non poteſt ſenſibilia tranſcendere; ergo non poteſt in Deũ aſcendere,quod requiritur ad orationem. Secundo, quia oratio eſt actus rationis, vt in ſecunda *2.2.q 83. art.1.* parte habitum eſt: ergo.

Secunda concluſio. Chriſtus orauit ſecundum ſenſualitatem, inquantum ſcilicet oratio eius exprimebat ſenſualitatis affectum, tanquam ſenſualitatis aduocata: & hoc, vt nos de tribus inſtrueret. Primo, vt oſtenderet ſe veram naturam humanam ſuſcipere, cum omnibus naturalibus affectibus. Secundo,

cundo, vt doceret, licitum eſſe homini ſecundum naturalem affectū aliquid velle, quod Deus non vult. Tertio, vt oſtēdat, quod proprium affectum debet homo diuinæ voluntati ſubijcere, iuxta illud: [Verumtamen, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.] *Matth. 27.*

ARTICVLVS III.

Vtrum fuerit conueniens Chriſtum pro ſe orare.

Conclusio eſt affirmatiua. Probatur; nam ipſe Chriſtus orādo dicit, Ioan. 17. [Clarifica filium tuum.] Secundo probatur in corpore; nam id fuit cōueniens, vt nobis daret exemplum orandi, & vt oſtenderet naturam eius humanam habere à Patre, quidquid boni habet. *Ioa. 17.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum oratio Chriſti ſemper fuerit exaudita.

Conclusio. Omnis oratio Chriſti procedens ex abſoluta eius voluntate, fuit exaudita. Probatur. Chriſtus abſoluta voluntate rationale nihil petijt à Deo, niſi ſecundum conformitatem diuinæ voluntatis, à qua nunquam eius voluntas deliberata fuit diſcordans; ergo omnis talis oratio Chriſti fuit exaudita, & impleta.

QVAESTIO XXII.

De Sacerdotio Chriſti.

IN hac quæſtione habet S. Thōmas ſex concluſiones; iuxta numerum Articulorum. 1

Prima concluſio in articulo primo. Chriſto conuenit eſſe Sacerdotē. Probatur ex illo Heb. 4. [Habemus Pōtificem, qui penetrauit cælos, Ieſum filium Dei.] Secūdo in corpore. Officiū Sacerdotis eſt, eſſe mediatorem inter Deum, & populum, & offerre dona, & ſacrificia pro peccatis, vt dicitur Heb. 5. Sed hoc maxime cōuenit Chriſto, qui humanū genus Deo recōciliauit, ſecundū illud Coloſſ. 1. [Et per eum reconciliare omnia.] ergo. *Artic. 1. Heb. 4. Heb. 5. Coloſſ. 1*

Secunda concluſio in artic. 2. Chriſtus in quantū homo ſimul fuit Sacerdos, & hoſtia. Probatur ex illo ad Eph. 5. [Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum oblationē, & hoſtiā Deo in odorē ſuauitatis.] *Artic. 2. Eph. 5.*

Tertia concluſio in articulo tertio. Sacerdotiū Chriſti habet plenam vim expiandi peccata. Probatur ex illo ad Hebr. 9. [Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit cōſcientias noſtras ab operibus mortuis.] Opera autem mortua dicuntur peccata: ergo. Præterea probatur in corpore. Ad peccatorū perfectā emundationem duo requiruntur; ſcilicet gratia, qua deletur culpa, & ſatisfactio, qua remittitur reatus pœnæ: *Artic. 3. Heb. 9.*

Digitized by Google

vtrumque autem eorum efficit ſacerdotium Chriſti, vt patet ex illo
Rom. 3. Rom.3. [Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,&c.] & ex his, quæ ſu-
*Diſput.*4. perius de ſatisfactione Chriſti dicta ſunt: ergo.

Artic.4. QVarta cõcluſio in Articulo 4. Chriſto non conuenit effectũ ſacerdotij in ſe ſuſcipere, ſed potius ipſum alijs cõmunicare. Probatur in corpore. Primum agens in quolibet genere ita eſt influens, quod non eſt recipiens in genere illo; ſicut ſol illuminat, ſed non illuminatur; & ignis calefacit, ſed non calefit: Chriſtus autem eſt fons totius ſacerdotij; nam ſacerdos legalis erat figura ipſius, ſacerdos autẽ nouæ legis in perſona ipſius opera-
2.*Cor.*2 tur, ſecundum illud 2.ad Corint.2. [Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui ꝓpter vos in perſona Chriſti.] ergo non competit Chriſto effectum ſacerdotij recipere.

Artic.5. QVinta cõcluſio in Articulo 5. Chriſti ſacerdotium permanet in æternum. Probatur ex illo
*Pſ.*109. Pſal. 109. [Tu es ſacerdos in æternum.] Secundo in corpore: nam finis ſacrificij, quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona tẽporalia, ſed æterna, quæ per eius mortem adi-
Heb. 9. piſcimur, ſecundum illud Hebr. 9. [Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum,&c.] Item etiam dicitur ſacerdotium Chriſti æternum, quia poſt illud nõ eſt futurum aliud ſacerdotium.

Artic.6. SExta concluſio in articulo ſexto. Sacerdotium Chriſti dicitur eſſe ſecũdum ordinem Melchiſedech, propter excellentiam veri ſacerdotij ad figurale ſacerdotium legis. Probatur ex illo Pſalm.109.
*Pſ.*109. [Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.]

Notationes.

OMnes concluſiones præcedentium articulorum ſufficienter explicãtur à M.Medina,& ideo 2
nihil oportet his, quæ docet, ſuperaddere. Vnum tamen argumentum *Argum.*
eſt in præſenti diſſoluendum, quo aduerſus ſecundam concluſionem probari ſolet, quod Chriſtus non fuerit reuera ſacerdos & hoſtia, quam obtulit in Cruce, & eſt huiuſmodi. Sacerdos, qui offert hoſtiam, debet eam occidere; ſed Chriſtus non occidit ſeipſum; quia occiſus eſt ab alijs: ergo non fuit verè ſacerdos,& hoſtia.

Confirmatur. Si ſacerdos ſacrificij incruenti nullam ſacram actionem efficeret circa hoſtiam conſecratam eam frangendo, vel conſumendo, &c. re vera non eſſet offerens illam hoſtiam: ergo, ſi Chriſtus nullam actionem fecit circa hoſtiã cruentam, ſeipſum occidendo, vel ad ſuam mortem cooperando, videtur, quod non fuerit vere ſacerdos offerens illam hoſtiam.

Hoc argumentum tangit S.Thomas articulo ſecundo, ad quod ipſe reſpondet in ſolutione ad primũ, 3
quod Chriſtus non ſe occidit, ſed ſeipſum voluntarie morti expoſuit, ſecundum illud Iſaiæ 53. [Oblatus *Iſai.*53.
eſt, quia ipſe voluit.] & ideo dicitur ſeipſum obtuliſſe.

Contra hanc ſolutionem objicitur: nam etiam Martyres voluntariè ſe paſſioni,& morti obtulerunt, qui tamen non fuerunt ſacerdotes, & hoſtia: ergo non ſufficit, quod Chriſtus volũtariè ſe obtulerit paſſioni, vt in eo ſaluetur vera ratio ſacerdotis, & hoſtiæ.

In ſolutione huius argumenti multa

multa dicit Caietanus Ientaculo tertio, & Magiſter Vazquez Diſputatio.83. cap. 5. §. At obijciet quis. Sed legitima ſolutio eſt, quam adhibet Magiſter Medina articulo ſecundo allegato, quod nimirum Chriſtus Dominus non ſolum voluntarie ſeipſum obtulit paſſioni, & morti, vt alij Martyres, qui ſeipſos vltro pro Chriſto morti obtulerunt; ſed etiam aliquid cooperatus eſt ad ſuam mortẽ, non quidem directè ſe occidendo, ſed indirectè, vt dicit ſanctus Thomas infra quæſtione 47. articulo 1. in corpore: [quia videlicet poterat ſuam mortem impedire. Primo quidem aduerſarios reprimendo, vt eum non vellent, aut non poſſent interficere. Secundo, quia ſpiritus eius habebat poteſtatem conſeruandi naturam carnis ſuæ, ne à quocumque læſiuo inflicto opprimeretur. quod quidem habuit anima Chriſti; quia erat Verbo Dei coniuncta in vnitate perſonæ, vt Auguſtinus dicit in lib. 4. de Trinitate cap. 4. Quia ergo anima Chriſti non repulit à proprio corpore nocumentum illatum; ſed voluit, quod natura corporalis illi nocumento ſuccumberet, dicitur ſuam animam poſuiſſe, vel voluntariè mortuus eſſe.] Et ideo, quantum eſt ex parte actionis ſacræ circa hoſtiam oblatam, fuerunt in Chriſto omnia neceſſaria, vt eſſet verus ſacerdos, & hoſtia. Hoc autem non habet locum in Martyribus; quia non fuit in eorum poteſtate impedire, ne læthalia vulnera illis illata expellerent animam à corpore, neque ipſi phyſica actione emiſerunt ſpiritum; & ita nihil cooperabantur etiam indirectè ad ſuam mortem, neque occiderunt ſe indirectè, ſicut Chriſtus [qui inclinato capite, & clamans voce magna emiſit ſpiritũ,] vt dicitur Ioan. 19. & Matth. 27. Et iuxta hanc doctrinam intelligenda eſt ſolutio S. Thomæ ſuperius aſſignata. *Ioan.19* *Matth.27*

Eſt & alia differentia; quia Martyres, cum pro fide Chriſti vltro ſe offerebant morti, non gerebant officium publici ſacerdotis, nec eorum mors erat commune ſacrificium pertinens ad actum religionis, quale fuit ſacrificium cruentum, & oblatio Chriſti, qua ſe obtulit Patri in ara crucis: ſed erat actus fortitudinis, & externæ confeſſionis fidei: & ideo ex hac etiam parte Chriſtus offerens ſemetipſum, fuit verus ſacerdos, & hoſtia, quod tamen non cõpetit martyribus, ſe vltro pro fide Chriſti offerentibus.

Circa tertiam concluſionem eſſet agendum de excellentia ſacerdotij Chriſti comparatione ſacerdotij legalis, & explicandum, in quibus proprietatibus, vel notis fuerit excellentius: ſed de hoc tractauimus ex profeſſo in Commentarijs noſtris ſuper cap. 42. Iſaiæ num. 29. & ſequentibus. Ibi poterit pius Lector, quæ hic prætermittuntur, videre; nam ad plenam intelligentiam auctoritatis Apoſtoli ex epiſtola ad Hebræos inductæ maxime conducunt. Ibi etiam breui compendio totam epiſtolam ad Hebræos explicatam dedimus, in qua ex profeſſo agit Apoſtolus de auctoritate, & excellentia legis gratiæ ſupra legem antiquam aduerſus Hebræos, qui legem Moſaicã nouæ legi, & Moyſem legiſlatorem Chriſto auctori legis gratiæ præferebant: Cum tamen

men de Saluatore noſtro ſcriptum
Iob.36. ſit, [Non eſt ſimilis ei in legiſla-toribus.]

5 Circa quartam concluſionem notandum, illam eſſe de fide: habetur enim definita in Concilio primo Epheſino allegato à ſancto Thoma in argumento ſed contra articuli quarti, & tradita fuit à S.
Heb.7. Paulo cap.7. ad Hebræos, vbi ait, [Talis enim decebat, vt nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus, qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.] de quo plura dixi ſuper cap. 42. Iſaiæ numero 29. vbi etiam aſſignata eſt ratio ex diuo Paulo, propter quam ſacerdotium Chriſti dicatur, & ſit æternum ſacerdotium, vt ſanctus Thomas docet in quinta concluſione.

6 Circa ſextam concluſionem videndus eſt ſanctus Paulus cap. 6. & 8. ad Hebræos; vbi aſſignat rationem, propter quam ſacerdotium Chriſti ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, & non ſecundum ordinem Aaron, de quo plura videri poterunt in Commentarijs noſtris ſuper Iſaiam cap.42.nu.29. prææallegato. Videantur etiam, quæ in præſenti docet Caietanus, & Magiſter Medina.

QVAESTIO XXIII.

De adoptione Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deo conueniat filios adoptare.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur ex illo ad Epheſ. 1. [Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei.] *Eph. 1.* Secundo in corpore. Homo adoptat alium ſibi in filium, in quantum ex ſua bonitate admittit eum ad participationem ſuæ hæreditatis; ſed Deus ex ſua infinita bonitate admittit ad participationem beatitudinis æternæ, quæ eſt hæreditas Dei, intellectuales creaturas, eas prædeſtinando: ergo.

Notãdum eſt, quod filiatio Dei adoptiua ex parte creaturæ intellectualis eſt relatio realis habens pro fundamento generationẽ ſpiritualem, ſeu regenerationẽ, qua Deus per gratiam filios ſpirituales ſibi generat eos ad participationẽ regni cæleſtis admittẽs, iuxta illud Ioan.3.[Niſi quis renatus fuerit ex *Ioan. 3.* aqua, & Spiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum Dei.] & ad Rom. 8.[Quod ſi filij, & hæredes, hæredes *Rom. 8.* quidem Dei, cohæredes autẽ Chriſti.] Et ſi quis obijciat, quod adoptio humana, eſt ſolum relatio rationis in filio adoptato: ergo & adoptio diuina. Reſpondetur negando conſequentiã; quia adoptio hominis nihil reale ponit in filio adoptato,

Digitized by Google

ptato, ſed ſolũ denominationem rationis ortã ex reali adoptatione, quæ eſt in patre; cæterum adoptio diuina ponit in Filio adoptato aliquid reale inhærens, videlicet gratiã habitualem, per quã fit conſors diuinæ naturæ, & acquirit ius ad hęreditatem paternã adoptãtis. Vnde hæc adoptio importat relationem realem filij adoptati ad patrẽ adoptantem, & in Deo ſolũ addit relationem rationis ſuper eſſentiã diuinam, vt Diſp. 2. dictum eſt, cum de incarnatione Verbi ageretur.

ARTICVLVS II.

Vtrum adoptare conueniat toti Trinitati.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur. Quamuis generare in diuinis ſit propriũ perſonæ Patris, tamen facere quemcumque effectũ in creaturis eſt cõmune toti Trinitati, propter vnitatem naturæ, & operationis, ſecundum illud Ioan. 5.
Ioan. 5. [Quæcunque Pater facit, hęc & Filius ſimiliter facit:] ſed generare per gratiam filios adoptiuos, ſit ad extra in creaturis: ergo id eſt cõmune toti Trinitati.

ARTICVLVS III.

Vtrum adoptari ſit proprium rationalis creaturæ.

1 Prima concluſio. Adoptari conuenit ſoli creaturæ rationali. Probatur. Filij adoptiui ſunt hæredes Dei, vt dicitur Rom. 8. ſed Dei hæreditas cõuenit ſoli creaturæ rationali, ſiue intellectuali, quia ſola eſt capax æternæ hæreditatis: ergo.

Secunda concluſio. Adoptari nõ conuenit omni creaturæ rationali; ſed ſolum habenti charitatem. Probatur, nam per gratiã, & charitatem, quæ infunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, adoptamur in filios Dei; propter quod Rom. 8. Spiritus sãctus dicitur Spiritus adoptionis filiorum: ergo.

Expoſitio Articuli.

Tres difficultates mouet M. Medina inter alias in hoc Artic. 2
Prima eſt. Vtrum Patres veteris teſtamenti, & omnes iuſti antiquę legis fuerint vere, & proprie filij Dei adoptiui. Secunda. Vtrum præſcitus, dum eſt in gratia, ſit vere filius Dei adoptiuus. Tertia. Vtrũ Deus plus diligat iuſtum præſcitum, quã peccatorem prædeſtinatum, & eas ſatis diffusè, & dilucidè pertractat; & ideo à nobis ſunt in præſenti breuiter diſſoluendæ.

Circa primam notandum, quod Leo Caſtrenſis in Comment. ſuper cap. 1. Iſaiæ, explicans illa verba, [Filios enutriui, & exaltaui,] aſſeruit, quod ſancti, & prædeſtinati nõ fuerunt propriè filij Dei adoptiui ante incarnationẽ Verbi, cõuictus aliquibus teſtimonijs Sanctorũ aſſerentium, quod Iudęi typice, & ſecundum figuram filij Dei appellati ſunt. Alex. Alen. 3. par. q. 10. memb. 6. art. 5. ſentit, iuſtos ante aduẽtum Chriſti fuiſſe filios Dei in potentia, non in effectu, id eſt, cum aſſequutione hæreditatis. Pro eadem ſententia refertur Sotus in 4. diſt. 2. q. 1. art. 4. §. ſubinde. S. Bonauentura in 3. diſt. 10. par. 2. q. 2. cenſet, quod ante aduentum Chriſti nõ fuit plena ratio filiationis.

Breuiter dicẽdum, omnes iuſtos 3
tã legis naturæ, quàm legis ſcriptę,

Digitized by Google

& præſertim prædeſtinatos fuiſſe vere & proprie filios Dei adoptiuos, hoc eſt, non metaphorice, & improprie. Habetur hoc ex ſacris
Rom. 9. literis, præſertim ad Rom. 9. [Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnẽ, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum.] ex quo teſtimonio S. Thomas ibi lect. 1. noſtram colli-
Exo. 4. git ſententiam. Et Exod. 4. [Filius meus primogenitus Iſrael.] Oſeæ
Oſea 9. 9. [Ex Aegypto vocaui filium
Matth. 15. meum.] Matthæi 15. [Non eſt bonum ſumere panem filiorũ, & mittere canibus.] vbi iuſti, qui ante aduentum Chriſti claruerunt, expreſſe appellantur filij Dei; quia nimirum per adoptionis gratiam collatum fuit illis ius ad hæreditatem Patris; quamuis de facto non fuerint illam conſequuti ante paſſionem, & mortem Chriſti. Et ratio à priori id ſuadet; quoniam filiatio Dei adoptiua in hoc cõſiſtit, quòd filij per gratiam, & charitatem ſint diuinæ conſortes naturæ, & hæredes regni cæleſtis; ita nimirum, vt verum ius habeant ad regnum illud, ſuo tempore poſſidendum, iuxta verbum Domini.
Matth. 25. [Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnũ à conſtitutione mundi.] Confirmari poteſt hæc ratio auctoritate S. Auguſtini lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 3. vbi expreſſe docet, Abraham, Iſaac, & Iacob, & alios huiuſmodi fuiſſe vere filios Dei, eo quod per gratiam conſequuti ſunt plenam remiſſionẽ peccatorum, & per fidem, quæ per dilectionem operatur. Sed gratia per quam iuſtificati ſunt Patres antiqui, & alij iuſti, & ſimiliter eorum fides, erat eiuſdem rationis cũ gratia & fide, quam habent poſt paſſionem Chriſti filij adoptiui, vt conſtat ex illo 2. ad Cor. 4. [Habẽ- *2. Cor. 4*
tes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, credidi propter *Pſ. 115.*
quod loquutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur.] & 1. ad Corint. 10. [Nolo enim vos *1. Cor. 10.*
ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerũt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt; bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Criſtus.] Et vt oſtenderet idem Apoſtolus, gratiam, & fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti in hominibus iuſtis antiquæ, & nouæ legis eandem eſſe prorſus ſecũdum eſſentiam, inquit. [Corde enim cre- *Rom. 10.*
ditur ad iuſtitiam: ore autem con- *Iſai. 28.*
feſſio fit ad ſalutem. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.] Vnde S. Auguſtinus lib. 3. prætallegato cõ- *S. Auguſt.*
tra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. loquens de Sanctis legis antiquæ, qui per fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti iuſtificati ſunt, inquit. [Hi pertinent ad teſtamentum nouum filij promiſſionis, & regenerati à Deo Patre, & libera matre. Huius generis fuerunt antiqui omnes iuſti, & ipſe Moyſes teſtamenti miniſter veteris, hæres noui; quia ex fide, qua nos viuimus vna, eademq; vixerunt; incarnationem, paſſionem, reſurrectionemq; Chriſti credentes futuram; quam nos credi-

Digitized by Google

credimus factã,] Et infra. [Eadem igitur fides in illis, qui nondum no mine;ſed re ipſa fuerunt ante Chri ſtiani:& in iſtis, qui nõ ſolum ſunt, verum etiam vocantur, & in vtriſque eadem gratia per Spiritum ſan
1. Cor. 4. ctum. Vnde dicit Apoſtolus. Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſecundum quod ſcriptum eſt,
Pſ. 115 Credidi propter quod loquutus ſũ, & nos credimus propter quod & loquimur,] Ergo omnes iuſti legis antiquæ legis verè, & proprie fuerunt filij Dei.

4 *Obiectio* Sed contra hanc veritatem obijciuntur aliqua argumẽta. Primum argumentum eſt. Apoſtolus ad Ro. 8. ſolum tribuit adoptionem filiorum Iuſtis,qui in noua lege liberan
Rom. 8. tur à peccato. Ait enim.[Nõ accepiſtis ſpiritũ ſeruitutis iterũ in timore;ſed accepiſtis ſpiritũ adoptio
Gal. 4. nis filiorũ,]& ad Gal. 4.[Miſit Deus filium ſuum, &c.vt adoptionem filiorum reciperemus,] ſentit ergo, ante aduentum Chriſti, nullam fuiſſe in veteri teſtamento veram adoptionem filiorum, ſed potius ſeruitutem legis, quæ à filiatione etiam
Solutio. adoptiua diſtinguitur. Reſpõdetur, Apoſtolum ſignificare dumtaxat voluiſſe, quod lex vetus, nullã virtutem habebat generandi filios Dei per gratiam, quam tamẽ habet lex noua:nam illa erat lex ſeruorum, hæc filiorum, vt dicitur ad Galat. 4. Illa terrena promittebat Iſaiæ 1.
Iſa. 1. [ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: hæc cœleſtia
Matt. 5 Matth. 5. [Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum:] Illa oſtendebat morbum, ſed gratiam ſanantem non conferebat, nã,vt arguit Apoſt.[ſi ex lege iuſtitia; ergò Chriſtus gratis mortuus eſt:]hæc ſanat infirmos,& à peccato liberat,& morte æterna; Illius ſacramenta nullam continebant,vel conferebant gratiam virtute propria, propter quod Apoſt. docet,fuiſſe vacua,& egena elementa:huius ſacramenta, & gratiam continent, & eam digne ſuſcipientibus conferunt, vt ait ſacr. Conc. *Concil. Trid.*
Trid. In illa myſteria gratiæ ſub velamine quodam, & vmbris tradebantur; nam omnia in figura contingebant illis; in hac ſole iuſtitiæ orto effugatæ ſunt vmbræ, & veritas manifeſtata, Apoſtolo dicente: [Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.] Demum lex antiqua nullum in patriam introduxit cæleſtem,aut in poſſeſſionem hęreditatis paternæ: Dicit enim Apoſt. [Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti,non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes,& confitentes;quia hoſpites & peregrini ſunt ſuper terrã,] & infra: Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem: Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis cõſumarentur,]Et iterum ait:[Nihil ad perfectum adduxit lex.] Cæterum lex gratiæ actualem poſſeſſionem regni filijs,quos per baptiſmum genuit in gratia decedentibus, & purgatis à pœnis peccatis debitis ſtatim tribuit,eodem Apoſtolo dicente. [Chriſtus autem aſ- *Heb. 9.*
ſiſtens Pontifex futurorum bonorum,&c. per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta.] Et ſedens ad dexteram Patris, nos conſedere fecit in cæleſtibus, vt dicitur ad Epheſ. 2. Illi ergo ſancti,& iuſti,qui

in lege antiqua fuerunt Dei filij adoptiui, ad nouum teſtamentum pertinebant ſecundum ſpiritum, vt Auguſtinus docet loco ſuperius allegato, & adoptionis ſpiritum ex fide viua Ieſu Chriſti acceperunt, non ex lege antiqua, & hoc tantum conuincut loca ſcripturæ ſuperius adducta. Et eodem modo interpretandi ſunt ſancti Doctores, qui affirmant adoptionem antiquorum Patrum fuiſſe figuram, & typum veræ adoptionis, quæ nobis confertur per Chriſtum, præſertim S. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 14. & Chryſoſtomus homil. 14. ſuper Epiſtolã ad Romanos, & alij, quos allegat Leo Caſtrenſis, vbi ſupra.

5 Secundum argumentum. Filiatio antiquorum Patrum, tam legis naturæ, quàm ſcriptæ, erat vmbra, & figura filiationis nouæ legis, ſecundum illud Apoſtoli (1. Cor. 10.) [Omnia in figura contingebant illis.] Et Hebræorum 10. (Heb. 10) [Vmbram habens lex futurorum, non ipſam imaginẽ rerum.] Sed figura, & res figurata, non conueniunt vniuocè in eadem ratione formali. Ergo filiatio legis antiquæ, non fuit vera, & propria filiatio, ſed ſolum typica, & figuratiua; ſicut imago Imperatoris non eſt verè imperator, ſed typus, & figura illius. Reſpondetur, quod quando figura eſt diuerſæ rationis ab eo, quod typicè repræſentat, tũc id, quod dicitur figuratiuè tale, non eſt vere, & propriè tale, ſed metaphoricè, vt patet in imagine Imperatoris. Quãdo vero figura eſt eiuſdem rationis cum eo, quod typicè repræſentat, bene poteſt eſſe figuratiuè tale, & ſimiliter verè, & propriè: ſicut manna datum Patribus antiquis erat vere, & proprie panis, ſecundum illud Pſalm. 77. (Pſ. 77.) [Panem Angelorum manducauit homo,] & tamen erat figura panis cæleſtis, ideſt Chriſti, qui nobis in cibum confertur in Euchariſtia; & ſimiliter agnus Paſchalis erat verus agnus, & tamen erat figuratiuus illius, de quo ſcriptum eſt, [Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.] (Ioan. 1.) Proportionabiliter dicimus in præſenti, quod filiatio adoptiua antiquorum Patrum erat vera filiatio, & non metaphorica, & nihilominus fuit typus, & figura filiationis adoptiuæ, quæ in noua lege confertur nobis per Chriſtum. Ad cuius maiorem explicationem conſiderandum eſt, quod in ſacris literis aliquid dicitur verè eſſe tale quid, quia eſt res ſignificata, & typicè figurata per rem, quam nomen ſignificat; ſicut Chriſtus dicitur vitis vera Ioan. 15. quia myſticè ſignificatur per vitem, & Ioannis ſexto: [Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum,] (Ioa. 6.) vbi Chriſtus appellat ſe ipſum panem verum, quia per manna datum patribus fuit præfiguratus. E contra vero panis de cælo miſſus Patribus in deſerto, dicitur non fuiſſe verus panis, quia erat figura panis cæleſtis, quem in Sacramento Euchariſtiæ dedit nobis Chriſtus ad manducandum, quamuis abſolutè conſideratus, & in ſe ipſo manna datum Patribus fuerit verus panis, ideſt non fictitius, aut metaphoricus. Proportionabiliter nos dicimus in præſenti, quod filiatio adoptiua antiquorum patrum, & aliorum, qui in lege naturali, & ſcripta Deo placuerunt, fuit vere & proprie filiatio Dei adoptiua; ſed quoniam fuit typus, & figura filiationis, quæ in noua lege confertur nobis per Chri-

Digitized by Google

Chriſtum, ideo non dicitur vera filiatio. Igitur reducendo hanc ſolutionem ad breuiorem formam, dicimus, quod (verũ) accipitur dupliciter. Primo, vt conuertitur cum ente, & ſic vitis materialis eſt vitis vera, & manna fuit panis verus, & ſimiliter filiatio antiquorum patrum fuit ante aduentum Chriſti vera filiatio adoptiua. Secundo accipitur pro eo, quod eſt ſignificatum, vt diſtinguitur cõtra ſignum, & figuram: eo modo, quo Sanctus Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana diſtinguit res contra ſigna, & in hac acceptione manna non fuit verus panis, ſed Chriſtus eſt panis verus, & viuus, qui de cælo deſcendit: & eodem modo filiatio ſanctorum, qui in lege naturali ſcripta claruerunt, non fuit vera filiatio adoptiua, ſicut eſt filiatio nouæ legis; eo quod hæc filiatio ſignificabatur per illam, tanquam per figuram.

6 Sed contra hanc ſolutionem eſt argumentum. Sequitur, quod Euchariſtia non ſit verus panis, & cibus in illa ſecũda acceptione; nam etiam eſt typus cibi gloriæ. Et ſimiliter ſequeretur, quod filiatio nouæ legis in eadem acceptione, non ſit vera filiatio adoptiua; nam etiã eſt figura, & typus filiationis gloriæ, in qua nullum poteſt interuenire peccatum. Reſpondetur, quod ſicut eadem res in ordine ad vnum induit rationem medij, & in ordine ad aliud habet rationem finis; ita filiatio adoptiua nouæ legis, in ordine ad filiationem legis antiquæ, habet rationem rei ſignificatę, & ſic dicitur vera filiatio etiam in illa ſecunda acceptione; in ordine autem ad filiationem patriæ, habet rationem filiationis typicæ, & ſecundum hoc eſt quidem vera filiatio adoptiua in prima acceptione, non autem in ſecunda. Poteſt hoc amplius explicari exemplo deducto ex ſacramentis nouæ legis, in quibus, vt S. Thomas & eius diſcipuli docent, tria reperiuntur. Primum dicitur ſacramẽtum tantum, ſecundum res tantum, tertium res, & ſacramentum ſimul. Sacramentum tantum eſt illud, quod ſignificat rem ſacram, & non ſignificatur: res tantum eſt, quæ ſignificatur per ſacramentum, & non ſignificat: res, & ſacramentum ſimul eſt, quæ ſignificatur, & ſignificat reſpectu diuerſorum, vt dicitur infra quæſt. 61. Proportionabiliter dicimus in præſenti, quod filiatio adoptiua, quæ confertur poſt paſſionem Chriſti, eſt res ſignificata myſtice per filiationem, quam conſequuti ſunt per gratiam homines ante aduentum Chriſti, & ſic ſortitur nomen veræ filiationis in ſecunda illa acceptione comparatione filiationis antiquorum Patrum. Cæterum eadem filiatio nouæ legis, comparatione filiationis patriæ, quam typicè deſignat, dicitur typica filiatio adoptiua, & non vera filiatio in ſecunda acceptione, ſed ſolum in prima. Et ratio huius eſt: non ſola filiatio patriæ eſt perfectiſſima filiatio adoptiua, qua non ſolum à ſeruitute peccati liberati ſunt filij Dei, ſed etiam à facultate peccandi, & à fomite peccati, à morte, atque ab omnibus alijs effectibus eiuſdem peccati; de hac enim filiatione, iuxta interpretationem S. Auguſtini, loquebatur Apoſtolus ad Romanos 8. dicens. [Sed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi in nobis metipſis ingemiſſimus adoptionem filiorum expectantes 7

redem-

Rom. 8 redemptionem corporis noſtri.] Quæ verba exponens Auguſtinus ait. [Nunquid non per lauacrum ſanctum regenerati, adoptati, & redempti ſumus? & tamen reſtat regeneratio, adoptio, redemptio, quã in fine venturam nunc patiẽter expectare debemus, vt tunc filij huius ſæculi ex nulla parte iã ſimus.] Et per hæc facilè ſoluuntur alia argumenta, quæ contra iſtam doctrinam obijci ſolent.

Aug. lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 3.

Ad ſecundam difficultatem Gabriel in 3. diſtinctione 10. q. vnica reſpondet, quod præſcitus, dum eſt in gratia, non eſt propriè, & ſimpliciter filius Dei adoptiuus, & ratio illius eſt; quia non eſt per voluntatem Dei ad hæreditatem, hoc eſt ad gloriam præordinatus. Sed hæc ſententia eſt valde temeraria, & fauet hæreſi Ioannis Hus aſſerentis, præſcitos nunquam eſſe poſſe iuſtos, & viua membra Eccleſiæ, cuius error damnatur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. vbi inter errores Ioannis Hus damnatur quintus, quo aſſerebat. Præſcitus, etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem iuſtitiam, tamen nunquam eſt pars ſanctæ Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licèt aliqnando excidat à gratia aduentitia, ſed non à gratia prædeſtinationis.] Dicendum eſt ergo, omnes præſcitos toto tempore, quo ſunt in gratia, eſſe vere, & propriè filios Dei adoptiuos; licet non ita perfectè, ſicut iuſti prædeſtinati.

Probatur hoc. Fundamentum filiationis Dei adoptiuæ eſt gratia, & charitas, vt ſupra dictum eſt, & conſtat ex illo 1. Ioan. 3. [Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.] Ergo præſciti, qui ſunt in gratia, & charitate, ſunt pro illo tẽpore filij Dei adoptiui. Ad argumentum in contrarium reſpondetur, non eſſe de ratione filij adoptiui, quod in exequutione poſſideat hæreditatem patris adoptantis, ſed ſufficit, quod habeat verum ius ad hæreditatem, & eam ſuo tempore acquirat, niſi per eum ſteterit: Et hoc modo præſciti, quamdiu ſunt in gratia, habent ius ad gloriam, ſed de facto nunquam confertur illis; quia ſua culpa impedimentum præſtant non perſeuerando vſque in finem.

1. Io. 3.

Ad arg.

Ex quo ſequitur, quod prædeſtinati quamdiu ſunt in peccato mortali, non ſunt filij Dei adoptiui, nec habent ius ad hæreditatem æternam ſecundum præſentem iuſtitiã, quia pro tunc non habent gratiam, & charitatem, in qua fundatur filiatio Dei adoptiua: ſed per peccatum efficiuntur pro tunc ſerui Diaboli, iuxta illud Ioan. 8. [Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.] Verum eſt, quod ſecundum æternã Dei electionem, & prædeſtinationẽ abſolutam, quæ immutabilis eſt, prædeſtinati etiam exiſtentes in peccato mortali ſunt filij Dei, & hæredes vitæ æternæ. nam tandem conuertentur, & ſalui fient; ſed tamen abſolutè, & ſimpliciter loquẽdo pro tempore, quo exiſtunt in peccato mortali, vel originali, non ſunt filij Dei, vt dictum eſt. E contra vero præſciti, dum habent gratiam, & charitatem vere ſunt filij adoptiui ſecundum præſentem iuſtitiam, & abſolute loquendo; ſed tamen ſecundum electionem Dei æternam, & prædeſtinationem nunquam fuerunt, nec erunt filij Dei adoptiui, nec poſſidebunt hæreditatem patris, ſed ſua culpa à gratia

tia, & adoptione filiorum decedét, & peribunt in æternum.

10 Iuxta hanc doctrinam intelligendus eſt S. Auguſtinus lib. de correptione, & gratia cap. nono, dũ ait, quod præſciti nõ ſunt veri filij Dei; loquitur enim de filiatione, quæ attenditur ſecundum electionem, æternam, & prædeſtinationem ad 1. Ioa. 2 gloriam: Et in eodem ſenſu exponenda ſunt verba illa Sancti Ioannis. [Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcũ.] Senſus enim eſt. Ex nobis fuerunt ſecundum præſentem iuſtitiam, & gratiam, qua iuſtificati ſunt, & filij Dei per adoptionem facti, ſed non erant ex nobis ſecundum æternam Dei electionem, & prædeſtinationem ad gloriam: nam ſi hoc modo ex nobis fuiſſent, hoc eſt, ſi prædeſtinati eſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum, & perſeueraſſent in gratia vſque in finem.

11 AD tertiam difficultatem reſpondetur cum S. Thoma in 3. ſenten. diſtinct. 32. q. 1. art. 5. quæſtiũcula 1. in corp. quod abſolutè, & ſimpliciter loquendo, plus diligit Deus prædeſtinatum peccatorem, quàm iuſtum præſcitum; quoniam diligere eſt velle bonũ alicui: Deus autem abſolute loquendo maius bonũ vult prædeſtinato peccatori, quàm iuſto præſcito. Illi enim vult Deus abſolutè vitam æternam, quod tamen bonum abſolutè loquendo non vult præſcito. Cũ ergo ipſa vita æterna ſit multo maius, & excellentius bonum ijs, quæ Deus vult reprobo, dum eſt in gratia, relinquitur; quod abſolutè loquendo plus diligat illum, quàm iſtum. Cæterum ſecundum præſentem iuſtitiam, & ſecundum quid, plus diligit Deus pro tunc iuſtum præſcitum, quàm peccatorem prædeſtinatum, quia pro tunc maius bonum vult illi, quàm iſti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit filius Dei adoptiuus.

COncluſio eſt negatiua. Probatur. Filiatio proprie conuenit hypoſtaſi, vel perſonæ, non autẽ naturæ; vnde in diuinis filiatio eſt proprietas perſonalis, vt prima parte dictum eſt. Sed perſonæ Chriſti, cum ſit vnica, & increata, competit eſſe filium Dei per naturam. Ergo nullo modo poteſt dici filius per adoptionem, quæ eſt filiatio participata. Probatur conſequentia, nam quod conuenit alicui per naturam, & per ſe, non poteſt illi conuenire participatiuè. 1 1. p. q. 33 ar. 2. & 3.

Expoſitio Articuli.

NOtandum eſt, quod Durandus in 3. ſententiarum diſtinct. 4. q. 1. affirmat, quod Chriſtus, in quãtum homo, ſit filius Dei adoptiuus. Ratio potiſſima illius eſt; nam Chriſtus in quantum homo eſt filius Dei: ſed in quantum homo non eſt filius Dei naturalis, aliàs omnes homines eſſent filij Dei naturales. Ergo eſt filius Dei adoptiuus. Hæc vero ſententia communiter reijcitur à Theologis: Sed tamen non omnes conueniunt, an ſit certum ſecũdum fidem, quod Chriſtus, in quantum homo, ſit filius Dei naturalis, & non adoptiuus. id quod diſput. ſequenti diſcutiendum eſt.

DI-

DISPVTATIO LXXV.

Vtrum ſit de fide, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit filius Dei naturalis, & non adoptiuus.

2 IN hac difficultate omnes Doctores Catholici cō ueniunt in hoc, quod, ſi illa particula, (ſecundū, vel in quantum) deſignet tantum ſuppoſitum, certa fide tenendum eſt, quod Chriſtus, in quantum homo, ſit filius Dei naturalis, & non adoptiuus. Si autem deſignet naturam humanam, ita vt ſenſus ſit: Chriſtus ſecundum humanitatem eſt filius Dei adoptiuus cenſent non eſſe de fide, quod Chriſtus non ſit filius adoptiuus, ſed ita certum, vt contrarium non ſit admodum veriſimile, & probabile. quibus verbis ſignificare videntur vtramque opinionem abſque periculo temeritatis, aut erroris poſſe defendi. Probant ſuam ſententiam. Primo; quia, licet concilium Francoford. Hadrian. Papa, & loca ſcripturæ inferius alleganda, multum faueant huic veritati, quod nimirū Chriſtus in quātum homo ſit filius Dei naturalis, & non adoptiuus, nō tamen in hoc ſenſu illam expreſsè definiunt; præſertim, quia omnes hiſtoriæ, quæ de Concilio Francofordienſi loquuntur, docent, coactum eſſe contra errorem Elipandi, quē dicunt eſſe eundem cum errore Neſtorij, vt videre licet apud S. Antoninum 2.part.tit.14.cap.1. §. 6. & Nauclerum generat. 27. & alios. Ergo directè non videtur damnatus ille error, niſi quatenus introducebat in Chriſto perſonam creatam. Reliqua ergo, quæ ex ſcholaſtica diſputatione pendent, non videntur definita.

Suarez in hoc art. diſp. 49. ſect. 2. §. dico tamen.

3 Secundo id probatur ratione Durandi. Chriſtus in quantum homo verè, & propriè eſt filius Dei, ſumendo particulam (in quantum) ſpecificatiuè, ſed in quantum homo non eſt filius Dei naturalis: nam id conuenit Chriſto in quantum æternaliter eſt genitus à Patre, non autem in quantum eſt temporaliter genitus ex matre. Ergo in quātum homo eſt Filius Dei adoptiuus. Maior, in qua eſt difficultas, probatur. nam Adrianus, & Concilium Franeford. locis inferius allegandis apertè docent, quod Chriſtus ſecundum humanitatem, ſit proprius filius Dei; ſed præſertim Hadrianus exponens illud Matt. 3. [Hic eſt filius meus dilectus,] ait, [Animaduertite, quia nihil vobis reſtat, vt ſecundum diuinitatem tantummodo credatis dixiſſe Patrem, hic eſt Filius meus dilectus, ſed potius ſecūdum humanitatem, ſuper quem Spiritus ſanctus dicitur deſcendiſſe.]

Suarez vbi ſupra ſect. 1.

Hadrian.

Confirmatur primo eadem maior, quoniam ad Romanos octauo Chriſtus dicitur Primogenitus in multis fratribus, & ad Coloſſenſes primo appellatur primogenitus omnis creaturæ, & ad Heb. 1. [loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorū;] hæc autem propriè conueniunt Chriſto in quantum eſt homo; nam in quantū Deus non habet fratres, nec conſtituitur hæres, ſed natura ſua eſt dominus omnium ſimul cum Patre, & Spiritu ſancto. Ergo Chriſtus, in quan-

Digitized by Google

quantum homo, eſt filius Dei.

4 Confirmatur ſecundo. Chriſtus in quantum homo, ſeu in humanitate ſua eſt particeps diuinæ beatitudinis, ſeu hæreditatis; ergo in ipſa humanitate habet ius ad hæreditatem illam. Ergo ſecundum illam humanitatem eſt filius multo perfectius, & excellentius, quã alij.

Confirmatur tertio. Quia homines iuſti vocantur filij Dei, & hæredes. Ergo multo magis Chriſtus etiam vt homo, nam ipſe eſt primarius hęres; alij vero eius cohęredes, vt ad Rom. 8. dicitur.

Tertio arguitur pro eadem ſententia. Multi doctores Catholici cenſent, quod Chriſtus in quãtum homo, vel ſecundum humanitatem eſt filius Dei adoptiuus. Ergo oppoſitum non pertinet ad fidem.

Quarto. Chriſtus ſecundum humanitatem, ſeu in ipſa humanitate eſt filius Dei, & hęres per gratiã factam non quidem ſuppoſito, ſed eius humanitati, abſque vllis eius pręcedentibus meritis. Ergo ſecundum eandem humanitatem eſt filius Dei adoptiuus, vel ſaltem oppoſitum non eſt de fide. Fauẽt huic ſententię alij, qui arbitrantur, Theologos dum diſputant: Vtrum hæc noua filij appellatio veram adoptionis obtineat rationem, de voce potius, ac ratione dicendi, quàm de re ipſa altercari. Sed hanc quæſtionem nõ eſſe de nomine, ſed de re grauiſſima ex his, quę dicentur infra, manifeſtum fiet.

2 Secunda ſententia eſt aliorum, qui ſentiunt eſſe de fide, quod Chriſtus etiam in quantum homo ſit filius Dei naturalis, & non adoptiuus. Ita cenſuit M. Medina in hoc art. vbi docet, oppoſitã ſententiam eſſe condemnatã in Conc. Francoford. & ab Hadriano I. ſed tamen q. 24. dub. vlt. concl. 3. dicit nõ eſſe contra fidẽ, aſſerere, quod Chriſtus, sm̃ quod homo, eſt filius Dei adoptiuus; dũ tamen concedatur, quod ratione ſuppoſiti eſt filius Dei naturalis. Idem ſentit Vaſquez diſp. 89. c. 6. & ſequentibus, vbi dicit primam ſententiam eſſe contra fidem, quod etiam colligitur ex ſancto Thoma in hoc articulo.

Ad cuius explicationem notandum, quod illa particula (in quantum homo) poteſt accipi dupliciter. Primo reduplicatiuè, & tunc omnes conueniunt, quod Chriſtus in quantum homo, id eſt ratione humanitatis, non habeat quod ſit filius Dei; quia humanitas non eſt ratio formalis, propter quam Chriſtus eſt filius Dei: aliàs omnis homo eſſet filius Dei. Secundo poteſt accipi ſpecificatiuè pro natura humana; & tunc hæc propoſitio, 5
Chriſtus in quantum homo, vel ſecundum naturam humanam, eſt filius Dei adoptiuus, facit hunc ſenſum, quod natura humana, ſeu Chriſtus in ipſa natura humana, ſit filius Dei adoptiuus.

PRima Concluſio. Hæc propoſitio: Chriſtus eſt filius Dei naturalis, & non adoptiuus, eſt de fide, & oppoſita eſt hæretica. Hanc concluſionem admittunt auctores vtriuſque ſententiæ, quam probant efficaciter confeſſio Petri apud Matthæum 16. capit. [Tu es Chriſtus filius Dei viui,] & vox Patris quæ audita eſt: [Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,] & Apoſtolus ad Hebr. primo capite probat ex profeſſo, Chriſtum eſſe Dei filium naturalem, & Eccleſia vniuerſalis in ſymbolo fidei. Credo, inquit, 6

Mat. 16

Mat. 3.

Digitized by Google

inquit, in Deum Patrem, &c. & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum. Filius autem vnicus Dei Patris eſt filius eius naturalis, nam adoptiui ſunt plures: ergo ſecundum Fidem Catholicam Chriſtus, abſolutè loquendo, eſt filius Dei naturalis, quod etiam patebit amplius concluſione ſeq.

7 SEcunda concluſio. Si illa determinatio, ſecundum quod homo, vel in quantum homo, ſpecificet ſuppoſitum, etiam eſt de fide, quod Chriſtus, in quantum homo, ſit filius Dei naturalis, & non adoptiuus. In hac etiam concluſione conueniunt auctores vtriuſque ſententiæ, & probatur argumentis factis pro concluſione præcedenti. Præterea. In Chriſto non eſt niſi vnum ſuppoſitum diuinum, videlicet perſona Filij, cui conuenit per naturam eſſe filium Dei: ergo.

8 TErtia concluſio. Etiam ſi accipiatur illa particula (in quantum, vel ſecundum quod homo) vt determinat naturam humanam, nulla ratione eſt concedendum, quod Chriſtus ſecũdum quod homo ſit filius Dei adoptiuus, & oppoſitũ fuit error Fælicis, & Elipandi in Concilio Francofordien. & ab Hadriano Summo Pontifice damnatus: Hanc concluſionem defendunt auctores ſecundæ ſententiæ, & videtur expreſſa S.Thom. in hoc art. in corpore, vbi ait, [quod Chriſtus nullo modo poteſt dici filius adoptiuus:] & loca Scripturę, & rationes, quibus hoc probãt, oſtendunt id eſſe de fide.

9 Præterea probatur efficaciter hæc concluſio: nam, vt in præſenti refert Magiſter Medina, in Conc. Frãcoford. quod ſuperius allegauimus, condemnatus fuit Elipandus Archiepiſcopus Toletan', eo quod dixerit, Chriſtum, ſecundum quod homo, eſſe filium adoptiuum, & cõdemnatio fuit approbata auctoritate Hadriani primi ſupra inducta. Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, errorem Elipandi in prædicto Concilio damnatũ eundẽ fuiſſe cum hæreſi Neſtorij, ponentis in Chriſto duas perſonas: alteram diuinam, ſecundum quam eſt filius Dei naturalis: alteram humanam, ſecundum quam, dicebat, eſſe filium adoptiuum. *Solutio.* Sed hæc ſolutio non ſubſiſtit; nam Elipandus nunquam fuit Neſtorianus, & multo minus Arianus; ſed expreſſe confeſſus fuit ſemper, in Chriſto eſſe vnicam dumtaxat perſonam diuinam ſubſiſtẽtem in duabus naturis, vt cõſtat ex epiſtola Hadriani ſupra citata, & ex Concilio ipſo Francoford. immo ex ipſa confeſſione Elipandi, quam refert Vazquez vbi ſupra cap.2. vbi poſt multa, quæ de myſterio Trinitatis dixerat Elipandus, vt explicet myſterium Incarnationis, ſubdit. *Impugn.* [Quẽ (ſcilicet filium Dei,) ſacra Scriptura teſtatur pro ſalute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circumciſum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, ſepultum, ſeruum, captiuum, peregrinum, leproſum, deſpectum: & quod deterius eſt, non ſolum ab Angelis; ſed etiam ab hominibus minoratum, vermem eſſe dictum, ex Scriptura in perſona eius dicente: Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.] *Pſ. 21.* Cuius gloriam ſecundum diuinitatem ſtupẽt cæleſtia, & magnitudinem contremiſcunt terrena: & qui dicit, Gloriam meam alteri non dabo: homo interior in *Iſai. 42.* vna,

vna,eademque Dei,& hominis perſona agglomeratus, atque carnis veſtimentis indutus: quia non per illum,qui natus eſt de Virgine, viſibilia,& inuiſibilia cōdidit, ſed per illum, qui non eſt adoptione,ſed genere;neq; gratia, ſed natura:& per iſtum Dei ſimul, & hominis filium adoptiuum humanitate, & non adoptiuū diuinitate mūdum redemit,] & tamen confeſſio Elipandi damnata fuit à Concilio in eo,quod aſſeruit,Chriſtum eſſe adoptiuum humanitate:ergo.

Confirmari poteſt hęc ratio. Nā Concil.& Hadrian.locis pręallegatis,vt impugnent, & condēnent errorē Elipandi,nullū adducunt ſacrę ſcripturæ locū, vel rationē ad probandū in Chriſto eſſe vnicā dumtaxat perſonam diuinā, ſed totis viribus incūbunt, vt teſtimonijs ſcripturæ oſtendant,Chriſtū, etiam in quantum homo,eſſe filium Dei naturalem,& non adoptiuum;ſignum ergo eſt, id ex profeſſo contra Elipandum voluiſſe definire.

11 Secundo probatur concluſio ratione deſumpta ex S. Thoma, ſolutione ad ſecundum huius articuli. Chriſtus,ſecundum quod homo,eſt filius Dei per gratiā vnionis;gratia enim habitualis,per quam alij ſunt filij adoptiui,nō facit in Chriſto de non filio filiū, ſed eſt quidā effectus filiationis naturalis in anima Xp̄i, ſm̄ illud Io.1.[Vidimus gloriā eius gloriā quaſi vnigeniti à Patre, plenū gratię, & veritatis,] ſed gratia vnionis non facit filiū adoptiuū,ſed communicat humanitati aſſumptæ propriā perſonalitatē filij Dei naturalis,vt ex ſupradictis conſtat. Ergo Chriſtus, ſm̄ quod homo, eſt filius Dei naturalis,& nō adoptiuus. *Ioan. 1.*

12 Tertio probatur. Filiatio per ſe primo competit perſonę: ſed perſona Chriſti etiam ſubſiſtens in natura humana non eſt capax filiationis adoptiuę; hęc enim non habet locum,niſi in perſona extranea,cui non competunt naturaliter bona paterna.Ergo Chriſtus,etiā vt ſubſiſtit in natura humana, non poteſt dici filius Dei adoptiuus.

AD primum arg. iam patet ex dictis,qualiter in ſenſu, quem intendimus, fuerit error Elipandi directè damnatus. 13

Ad 2.reſpondetur, quod ſi particula(in quantū) determinet, & deſignet ſuppoſitū,Chriſtus,in quantum homo, eſt filius Dei naturalis: Si autem determinet naturā humanam; ita vt ſenſus ſit, quod filiatio adoptiua competat naturę humanæ,quæ vnita eſt Chriſto, tunc dicendum eſt cum S. Thoma ad primum huius articuli, [quod ſicut filiatio non propriè conuenit naturę,ita nec adoptio.] Vnde humanitas Chriſti propriè loquendo, nec eſt filia Dei naturalis, neque adoptiua, ſed eſt vnita perſonaliter filio Dei naturali. Secundo reſpontur, & explicatur magis pręcedens ſolutio, quod Chriſtus, in quantum eſt homo ſubſiſtens in natura humana, eſt filius Dei naturalis; nam per gratiam vnionis factum eſt, vt eſſet Deus homo, & homo Deus; & ſimiliter factum eſt per eandem gratiam vnionis, vt idem filius Dei naturalis, qui ante ſęcula natus eſt ex patre ſine matre, naſceretur in tempore ex matre ſine patre: Et ad loca inducta ex Concilio Francoford. & ex Matth. 17. cap. & alij locis ſcripturæ reſpondetur, ſolum concludere, Chriſtum non accepiſſe propriam perſonalitatem, aut diuini- *S.Thom.*

unitatem ex matre: ſed æternaliter eam habere per naturalem generationem à Patre, quam tamen perſonalitatem in tempore humanitati aſſumptæ cõmunicauit: ita vt nulla prorſus alia filiatio ſit in Verbo incarnato, ſeu in Chriſto, niſi filiatio naturalis, qua vere dicitur, & eſt filius Dei. Et per hæc patet ſolutio ad primam confirmationem.

14 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod humanitas Xpi eſt particeps Diuinæ beatitudinis, ſeu hæreditatis, nõ quidem per gratiam habitualem, ſicut nos ſumus, ſed per gratiam vnionis, qua eidẽ humanitati communicatum eſt eſſe perſonale filij Dei. Vnde non ſequitur, quod Chriſtus ſecundum humanitatem, vel in humanitate ſit filius Dei adoptiuus.

Ad tertiam confirmationem reſpondetur eodem modo, quod nos ſumus hæredes per gratiam habitualem, quæ facit filios adoptiuos, eo quod gratia illa non eſt nobis connaturalis: Chriſtus autem in quantum homo eſt hæres per gratiam vnionis, quæ, cum ſit increata, tribuens humanitati ipſum eſſe perſonale filij Dei, nullo modo tribuit Chriſto, quod ſit etiam ſecundum humanitatem filius Dei adoptiuus. Secundo reſpondetur quòd admiſſio ad cæleſtem hæreditatem fuit quidem gratuita comparatione humanitatis; non autem comparatione ſuppoſiti, ſeu perſonę Chriſti, quam per ſe primo reſpicit filiatio, & ideo gratia habitualis non facit Chriſtum filium adoptiuum.

15 Ad tertium argu. reſpondetur, quod auctores, qui cenſent Chriſtum, in quantum homo, vel ſecundum humanitatem, eſſe filium Dei adoptiuum, non ſunt in hac parte admittendi: aut vero ſunt interpretandi in ſenſu quodam improprio: ita vt humanitatis adoptatio accipiatur pro vnione humanæ naturæ ad perſonam filij, ſicut S. Thomas explicat in ſolutione ad primum huius articuli quadam auctoritate Hylarij.

Ad quartum reſpondetur, quod filiatio non competit humanitati. nõ enim humanitas Chriſti eſt Dei filia, ſed vnita perſonaliter Dei filio. Et licet per gratiam factam humanitati Chriſti conſtitutus fuerit in quantum homo hæres vniuerſorum; quia tamen gratia illa erat connaturalis perſonæ Verbi ſubſiſtenti in natura humana, ideo ſecundum illam dici non potuit Chriſtus filius Dei adoptiuus.

QVAESTIO XXIV.

De prædeſtinatione Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſto conueniat prædeſtinatum eſſe.

PRIMA Concluſio eſt affirmatiua. Habetur ad Romanos 1. [Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.] Probatur in corpore. Prædeſtinatio propriè accepta eſt quædam diuina præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei sũt fienda in tempore: ſed in tempore factũ eſt per gratiã vnionis à Deo, vt homo eſſet Deus, & Deus eſſet homo, idq; Deus ab æterno prædeterminauit ſe facturũ in tempore: aliàs diuinæ menti aliquid de nouo accideret. Ergo Chriſto conuenit prædeſtinari. 1 *Ro. 1.*

Se-

Secunda concluſio. Perſonæ Chriſti attribuitur prædeſtinatio, non quidem ſecundum ſe, vel ſecundum quod ſubſiſtit in diuina natura, ſed ſecundum quod ſubſiſtit in natura humana. Probatur, nam ad Rom.
Ro. 1. 1. de Chriſto dicitur. [Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem,] & mox ſubiungitur, [qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute,] vt ſignificaretur, quod ſecundum hoc, quod eſt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, eſt prædeſtinatus filius Dei in virtute.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc propoſitio ſit falſa, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt prædeſtinatus, eſſe filium Dei.

2 Concluſio eſt: prædicta propoſitio eſt vera. Probatur. Prædeſtinatio duo importat; Vnũ quidem ex parte ipſius prædeſtinationis æternæ antecedens id, quod ſub prædeſtinatione cadit. Secundo importat effectum tẽporalem, qui eſt aliquod gratuitum Dei donum: ſed ſecundum vtrumque iſtorum attribuitur prædeſtinatio Chriſto ratione ſolius humanæ naturæ; etenim natura humana nõ ſemper fuit Verbo vnita, & ei etiam hoc per gratiam eſt collatum, vt filio Dei in perſona vniretur. Ergo ſolum ratione humanæ naturæ prædeſtinatio competit Chriſto. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo eſt prædeſtinatus, eſſe filium Dei.

Circa iſtos duos articulos tria ſunt per ordinem examinanda. Primo. Vtrum Chriſtus vere, & propriè dici poſſit prædeſtinatus. Secundo. Ad quid fuerit prædeſtinatus. Tertio. Vtrum humanitas Chriſti ſecundum proprietatem ſermonis dicatur prædeſtinata.

DISPVTATIO LXXVI.

Vtrum Chriſtus abſolute loquendo, & abſque determinatione aliqua ſit verè, & propriè prædeſtinatus.

PARS negatiua probatur. Primo. Id, quod prædeſtinatur, eſt poſt prædeſtinationem, quia prædeſtinatio quandam anteceſſionem importat comparatione prædeſtinati, vt art. 1. huius quæſt. docet S. Tho. ſed Chriſtus non eſt poſt prædeſtinationem, quia non incœpit eſſe, vt ex præmiſſis conſtat, ergo Chriſtus abſolutè loquendo non eſt prædeſtinatus propriè. 3

Secundo arguitur. Hæc conſequentia eſt bona, Chriſtus eſt prædeſtinatus, Chriſtus eſt Deus: ergo Deus, vel Dei filius eſt prædeſtinatus: nam eſt ſyllogiſmus expoſitorius, cum ſit de medio ſingulari. Sed nõ poteſt dici abſolutè, quod Deus, aut filius Dei ſit prædeſtinatus: nã Deo competit prædeſtinare, non autem prędeſtinari. Ergo etiam non poteſt dici abſolutè, quod Chriſtus ſit prædeſtinatus.

Tertio. Terminus poſitus in ſubiecto ſupponit materialiter pro ſuppoſito, vt docet S. Thomas ſupra q. 16. art. 9. in corp. ſed in hac propoſitione, Chriſtus eſt prædeſtinatus, ly, Chriſtus ponitur in ſubiecto; ergo ſupponit materialiter pro ſuppoſito. Suppoſitum autẽ Chriſti eſt vnicum tantum, ſcilicet ſuppoſitum diuinum, de quo non poteſt abſolute prædicari, quod ſit prædeſtinatum. Ergo videtur, quod hæc

Digitized by Google

propoſitio ſit abſolute falſa; Chriſtus eſt prædeſtinatus.

Confirmatur. Hac ratione ſanctus Thom.q.16. art. 9. in c. probat, iſtam propoſitionem eſſe falſam, Chriſtus incæpit eſſe, quia terminus poſitus in ſubiecto ſupponit materialiter pro ſuppoſito, quod in Chriſto non incæpit eſſe, cum fuerit ab æterno. Ergo propter eandem rationem hæc erit falſa, Chriſtus eſt prędeſtinatus.

Quarto. Hæc vox, prædeſtinatus, ſecundum quod ea Theologi vtuntur, quando de aliquo abſolutè dicitur, ſignificat, illum per diuinam voluntatem eſſe ab æterno ordinatum ad aliquod eſſe diuinum, ſeu ad beatitudinem ſupernaturalem: hoc autem non poteſt dici abſolute de Chriſto, eo quod ſuum eſſe, & beatitudinem habet per æternã, & naturalem generationem. Ergo Chriſtus non eſt abſolutè prædeſtinatus.

5 Quinto. Id, quod pertinet ad propriam conſtitutionem, & compoſitionem alicuius, non cadit ſub prædeſtinatione, nec eſt prædeſtinatum; quia prædeſtinatio pertinet ad gratiam, & non ad naturam, propter quod homo non habet animam rationalem ex prædeſtinatione, nec eſt prædeſtinatus, vt habeat animam rationalem; quia id pertinet ad propriam naturam, & conſtitutionem hominis: ſed ſubſiſtere in duabus naturis diuina ſcilicet, & humana pertinet ad propriam eſſentiam, & compoſitionem perſonæ Chriſti, vt diſput. vndecima oſtenſum eſt. Ergo Chriſtus non dicitur propriè prædeſtinatus.

6 PRo reſolutione ſit prima Concluſio. Hæc propoſitio, Chriſtus eſt prædeſtinatus, eſt vera ſecundum proprietatem ſermonis. Probatur. Chriſtus ſignificat ſuppoſitum Chriſti ſubſiſtens in natura humana, ſed hoc ipſum, quod nimirum Chriſtus ſubſiſtat in natura humana, prædeſtinatum eſt ab æterno. Ergo & Chriſtus ſimpliciter dici poteſt ab æterno prædeſtinatus. Præterea probatur argumentis pro concluſione ſequenti adducendis.

Secunda concluſio. Hæc propoſitio, Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei; eſt propria, & formalis; tam ex parte ſubiecti, quàm ex parte termini prædeſtinationis. & idem dicendum de iſtis propoſitionibus: Hic homo, demonſtrato Chriſto, prædeſtinatus eſt filius Dei, Filius Dei, ſecundum quod homo, prædeſtinatus eſt filius Dei. Probatur: nam iſtæ propoſitiones, vt iacent, habentur in ſacris litteris, prę ſertim ad Roman. primo [Qui prædeſtinatus eſt filius Dei, *Rom.* 1. &c.] & apud Doctores ſanctos, quos refert in pręſenti Magiſter Medina, qui omnes intelligunt prędictum locum Apoſtoli in ſermonis proprietate: Ergo. Secundo probatur: Quod Chriſtus ſit filius Dei, eſt effectus quidam, qui cępit eſſe in tempore per Dei gratiam, ſcilicet per gratiam vnionis, qua factum eſt, quòd ſubſiſtens in duabus naturis, Diuina ſcilicet, & humana, quam formaliter importat hoc nomen (Chriſtus) ſit filius Dei. Licet enim perſona Chriſti, quantum ad ſuppoſitum diuinum, & naturam Diuinam, fuerit ab æterno, & ſecundum hoc prędeſtinari non potuerit: nihilominus tamen ſecundum naturam humanam non fuit

ab

ab æterno; ſed in tempore incæpit ſubſiſtere in eadem natura. Ergo Chriſtus,formaliter loquendo, prædeſtinatus eſt filius Dei. Tertio. Verba ſignificantia actum animæ interiorem,appellant proprium cōceptum ſupra terminum, cui coniunguntur,vel applicantur, vt prima part.quæſt. 14.art.13. ad 1.docet S. Thomas: ſed Verbum prædeſtinare, vel prædeſtinatum, ſignificat actum interiorem Dei prædeſtinantis, & præordinantis, quod per gratiam futurum eſt in tempore. Ergo appellat, & applicat ſuum ſignificatum formale,ſupra ſignificatum formale ſubiecti, ſcilicet Chriſti;ita vt ſenſus ſit, Chriſtus in quantum ſubſiſtit in natura humana, prædeſtinatus eſt filius Dei, hoc eſt, vt ſit filius Dei naturalis. Denique probatur auctoritate ſancti Auguſtini de prædeſtinatione ſanctorum capite decimo-

S. Aug: quinto cuius verba ſunt.[Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator, ipſe mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus,qui vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparauit?] Et infra, [Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundum vniuſcuiuſque menſuram ſe per cuncta eius membra diffundit: Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus.] Et libro de Dono perſeuerantiæ cap. 24. [Nullum, inquit, eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quam ipſe Ieſus;] ſentit ergo, quod Chriſtus Ieſus ſit prædeſtinatus. Ergo abſque vlla determinatione hæc propoſitio eſt vera, & propria, Chriſtus Ieſus eſt prædeſtinatus.

AD primū argumētum reſpondetur,quod Chriſtus ſecundū ſuppoſitum, & naturam diuinam eſt ante prædeſtinationem; cæterum ſecūdum naturam humanam, cui perſona Chriſti eſt vnita in tēpore,ſubſequitur prædeſtinationē: & ſecundum hoc Chriſtus dicitur prædeſtinatus. Sed dices: Chriſtus abſolute, & ſecundum naturam diuinam eſt ante omnem prædeſtinationem. Ergo Chriſtus non eſt dicendus abſolutè prædeſtinatus,ſed cum addito diminuente, ſcilicet ſecundum naturam humanam. Reſpondetur, quod quando aliquod prædicatum natum eſt conuenire ſubiecto ſecundum ſe totum, tunc non prædicatur de illo abſolute, ſed ſecundum quid; ſicut Æthiops, qui eſt albus ſecundum dentes, non eſt ſimpliciter albus, quoniam albedo nata eſt conuenire non ſolum dentibus, ſed etiam alijs partibus corporis: Quando vero prædicatum natum eſt conuenire ſubiecto ſolum ſecundum partem, tunc etiam ſi non conueniat ſubiecto ſecundum ſe totum; nihilominus prędicatur de illo abſolutè, & ſimpliciter. ſicut, qui eſt criſpus ſecundum capillos, dicitur ſimpliciter criſpus; quia criſpitudo non poteſt conuenire ſubiecto, niſi ſecundum capillos. Quia ergo prædeſtinatio non poteſt conuenire Chriſto, niſi ſecundum naturam humanam, ideo hæc propoſitio, Chriſtus eſt prædeſtinatus, concedēda eſt abſolutè,etiamſi eſſe prædeſtinatum ſolum conueniat Chriſto ſecundum naturam humanam.

Obiect. Solutio.

Digitized by Google

8 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, conſequentiam ibi factam eſſe nullam; quoniam variatur appellatio: etenim in antecedenti (prædeſtinatus) appellat ſupra Chriſtum, in quantum eſt homo, in conſequenti vero ſupra Deum, vel Dei filium ſecundum naturam increatam, vel filiationem Diuinam. Iam enim ſupra dictum eſt, quod Verbum prædeſtinare, vel prędeſtinatum appellat, quoniam ſignificat actum animæ interiorem.

Ad tertium reſpondetur, quod terminus poſitus in ſubiecto, ſupponit quidem materialiter pro ſuppoſito, niſi quando prędicatum appellat: tunc enim ratione appellationis ſubiectum ſupponit formaliter. In prędicta autem propoſitione, illud prędicatum (prędeſtinatus) appellat (vt dictum eſt) & ideo facit, quod ſubiectum, ſcilicet Chriſtus, ſtet formaliter pro ſuppoſito, vt ſubſiſtit in natura humana; & per hęc patet ad confirmationem.

9 Ad quartum argumentũ reſpondetur, quod Chriſtus ſecundum ſuppoſitum, & naturam diuinam habet per ęternam, & naturalem generationem ſuum eſſe perſonale, & ſuam beatitudinem; cęterum ſecundum quod homo, & ſecundum humanitatem, habet eſſe perſonale filij Dei, & beatitudinem per gratiam vnionis: & ſecundum hoc dicitur prędeſtinatus.

Ad quintum reſpondetur, quod quando conſtitutio, & compoſitio alicuius eſt merè naturalis, tunc id, quod componit, vel conſtituit rẽ, non cadit ſub prædeſtinatione, de qua loquimur in pręſenti; quia ordo naturę ſupponitur ad ordinem gratię, & prędeſtinationis diuinę, vt ſupra dictum eſt. Cęterum, quando conſtituens & conſtitutum, componens, & compoſitum, vel aliqua pars eius pertinet ad ordinem gratię, ſicut compoſitio, qua perſona Chriſti dicitur compoſita, tunc optimè poteſt ſub prędeſtinatione cadere. quia tunc non ſolum terminus prędeſtinationis cadit ſub prędeſtinatione: ſed etiã obiectum illius, licet ordine quodam, vt diſputatione ſequenti patebit. Quia ergo, quod perſona Chriſti ſubſiſtat in natura humana, & ſit ei hypoſtaticè vnita, eſt quidam effectus pertinens ad ordinem gratiæ, ideo poteſt optime id ſub prædeſtinatione cadere.

DISPVTATIO LXXVII.

Ad quid fuerit Chriſtus Dominus prædeſtinatus.

TOTA difficultas in hoc conſiſtit. Vtrum Chriſtus, in quantum homo, ſit prędeſtinatus, vt ſit filius Dei naturalis, ſiue ad filiationem Dei naturalem; an vero ſit prædeſtinatus ad beatitudinem animę, & ad alia dona gratię, vel ad vtrumque ſimul. 1
Circa quod omnes doctores conueniunt, quod Chriſtus in quantum homo, fuerit prędeſtinatus, vt ſit filius Dei naturalis. Sed tamen quidam ſentiunt, quod non ſit propriè prędeſtinatus ad gloriam animę, vel ad reliqua dona ſupernaturalia. Alij, inter quos eſt Altiſiodorenſis lib.3. ſummę tract.1. cap.2. Scotus in 3.

Digitized by Google

in 3.diſtinct.7. quæſt. 3. exiſtimant Chriſtum Dominum principaliter prædeſtinatum fuiſſe ad gloriam animæ,& ſecundario ad eſſe perſonale filij Dei, ſiue ad filiationem Dei naturalem.

Breuiter dicendum, quod,ſi loquamur de termino ad quem per ſe primo, & principaliter prædeſtinatus eſt Chriſtus, in quantum homo, talis terminus fuit eſſe filium Dei naturalem: quia vnio hypoſtatica humanitatis cum Verbo, ex qua habet Chriſtus, in quantum homo, quod ſit filius Dei, fuit principaliter intenta, & ſubſequuta ex prædeſtinatione Chriſti. Si autem loquamur de eo, ad quod ſecundariò, & conſequenter Chriſtus Dominus fuit prædeſtinatus, vere affirmatur, & propriè, quod ſit prædeſtinatus ad gloriam animæ, & ad reliqua dona ſupernaturalia. Colligitur hoc ex varijs locis ſcripturæ, præſertim ex illo Romanorum 1. [Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.] Quibus verbis explicat potiſſimum terminũ prædeſtinationis Chriſti, & principaliter intentum. Et cum ſubdit. [Secundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum &c.] declarat terminum ſecundarium, ad quem prædeſtinatus eſt Chriſtus,vt nimirum ſit ſanctus, & ſanctificator aliorum. Et Ioannis cap. 1. explicat primarium terminum prædeſtinationis Chriſti, cum ait. [Et Verbum caro factum eſt.] Secundariũ vero cum ſubdit. [Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.]

Rom. 1

Ioan. 1.

2 Pro maiori explicatione aduertendum eſt cum ſancto Thoma art.2.ad 2.quod,cum dicitur Chriſtus,ſecundum quod homo,eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei,non eſt ſenſus, quod humana natura ſit ratio formalis, aut cauſa, quod Chriſtus ſit prædeſtinatus, vt ſit filius Dei naturalis;aliàs omnis homo eſſet hoc modo prædeſtinatus. ſed illa determinatio (ſecundum quod homo) deſignat naturam,quæ eſt ſuſceptiua effectus prædeſtinationis; quia prædeſtinatio refertur ad exaltationem naturæ humanæ in Chriſto. Sicut, cum dicimus hominem eſſe criſpum ſecundum capillos, non eſt ſenſus, quod capilli ſint ratio formalis, aut cauſa, quod homo ſit criſpus: aliàs quilibet habens capillos eſſet criſpus: ſed deſignat ſubiectum immediatum ſuſceptiuum criſpitudinis, ex qua procedit, quod homo ſimpliciter, & abſolute dicatur criſpus, etiam ſi criſpitudo non competat alijs partibus corporis.

Sed contra hanc doctrinam eſt argumentũ. Prædeſtinatio pertinet ad ordinem gratiæ. ergo oportet, quod prædeſtinato fiat gratia;cum per ipſam prædeſtinationem ordinatur ad beatitudinem: ſed Chriſto nulla fit gratia, nec fieri poteſt; quoniam omnia ſunt ei debita per naturam, ſecundum illud Ioannis [Omnia tua mea ſunt, & omnia mea tua ſunt &c.] Ergo Chriſtus nõ eſt prædeſtinatus propriè ad vnionem hypoſtaticam, vel ad gloriam animæ. Reſpondetur, quod quando ille, qui prædeſtinatur eſt filius adoptiuus, oportet,quòd fiat gratia ſuppoſito, vel perſonæ, quæ prædeſtinatur; ſed quando perſona, quæ prædeſtinatur ſecundum aliquam naturam,eſt filius Dei naturalis,nõ oportet,quod per prædeſtinationẽ fiat aliqua gratia

Arg. 1.

Io. 17.

Solutio.

perſonæ, quæ prædeſtinatur: ſed ſufficit, quod talis gratia fiat naturæ, ſecundum quam prædeſtinatur; & ita contingit in præſenti. Etenim & ipſa vnio hypoſtatica, & beatifica fuit maxima gratia facta naturæ aſſumptæ à Verbo; quia per vnionem hypoſtaticam fuit illi cõmunicata perſonalitas Verbi, abſque vllis eius præcedentibus meritis: & per vnionem beatificam fuit eleuata ad claram Dei viſionem, quæ eſt ſupra omnem facultatem naturæ creatæ.

Secundum argumentum eſt. Ad terminum formalem prædeſtinationis neceſſario præſupponitur obiectum, quod per ipſam prædeſtinationem ad illum terminum ordinetur; ſed in prædeſtinatione Chriſti nullũ præſupponitur obiectum, quod ordinetur ad filiationem Dei naturalem per ipſam prędeſtinationem: ergo Chriſtus etiã in quantum homo non eſt prædeſtinatus, vt ſit filius Dei naturalis, ac per conſequens, eſſe filium Dei naturalem non eſt proprius, & formalis terminus prædeſtinationis Chriſti, in quantum eſt homo. Minor probatur: nam in Chriſto Domino eſt ſuppoſitum diuinum, natura diuina, & natura humana. Sed nihil horum eſt obiectum prædeſtinationis: quia non ſuppoſitum, vel natura diuina, eo quod per prædeſtinationem nulla potuit illi gratia fieri; obiecto autem prædeſtinationis fit gratia per ipſam prędeſtinationem. Nec etiam natura humana eſt obiectum prædeſtinationis; quia natura humana etiam vnita Verbo, non eſt filia Dei naturalis: ergo.

5 Ad hoc argumentum Aſturicenſis quæſtione 7. de gratia Chriſti dubio 2. pag. 960. ſex refert ſolutiones Theologorum, & ipſe tandem ſeptimã ſolutionem aſſignat: ex quibus omnibus valde probabilis apparet nobis illa, quam proſequitur Magiſter Medina artic. 1. huius quæſtionis, [quod nimirum obiectum prædeſtinationis Chriſti eſt ipſemmet Chriſtus apprehenſus ab intellectu diuino, vt poſſibiliter ſubſiſtens in natura humana, & in hac apprehenſione, & conceptione præſupponitur ad terminum prædeſtinationis, qui eſt ipſe Chriſtus, vt actu exiſtens, & ſubſiſtens in duabus naturis] Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, eſſe differentiam inter prædeſtinationem ad terminũ ſubſtantialem; & prædeſtinationem ad terminũ accidentalẽ: Nam prædeſtinatio ad terminum accidẽtalem, qualis eſt noſtra prædeſtinatio ad gloriam, neceſſario præſupponit ex ordine naturæ ſubiectum ipſum, & actualem exiſtentiam eiuſdem ſubiecti, quam habet à Deo, vt eſt auctor naturæ; quia natura exiſtens ſupponitur ad gratiam, & gloriam, tanquam ſubiectũ in quo recipitur. Propter quod S. Thomas ſupra quæſt. 1. art. 3. docet, quod prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum, eorum videlicet, quæ per ipſam prædeſtinationem non conſtituuntur, vt ibi explicat Caietanus. Cæterum prædeſtinatio ad terminum ſubſtantialem ſupernaturalis ordinis, non poteſt ſupponere ex natura actualem exiſtentiam ſubiecti, quod prędeſtinatur; eo quod ante ipſum eſſe ſubſtantiale ſupernaturalis ordinis, quod eſt terminus prædeſtinationis, nullum aliud eſſe reperitur in ſubiecto, vel obiecto quod prædeſtinatur. Vnde oportet, quod

ſubie-

ſubiectum, & terminus prædeſtinationis ſint idem ſecundum rem, quamuis differant ſecundum rationem. Quia ergo terminus per ſe, & primarius, ad quem Chriſtus in quantum homo fuit prædeſtinatus, eſt quid ſubſtantiale, quippe qui in quantum homo prædeſtinatus eſt, vt ſit filius Dei naturalis; relinquitur, quod in eius prædeſtinatione non ſupponatur ante ipſum terminum actualis exiſtentia ſubiecti, quod prædeſtinatur, neque Chriſtus ipſe vt ſubſiſtens actualiter in natura humana; ſed ſufficit, quod in priori ſigno rationis ante prædeſtinationem apprehendatur à Deo, vt poſſibiliter ſubſiſtens in eadem natura humana. Sicut enim ex liberalitate, & gratia Dei (licet ordinis naturæ) Petrus à Deo præcognitus, vt poſſibilis, deducitur ad actualem exiſtentiam; ita proportionabiliter Chriſto, quatenus erat poſſibiliter exiſtens in natura humana, facta eſt gratia per diuinam prędeſtinationem, vt per vnionem hypoſtaticam ſubſiſteret actu in natura humana, ita vt ex vi eiuſdem vnionis eſſet naturalis filius Dei. Nam licet antea Chriſtus ſecũdum diuinitatem eſſet filius Dei per naturam, vtpote ab æterno à Patre genitus, tamen in tempore, ſecundum quod homo, incæpit eſſe per vnionem hypoſtaticam filius Dei naturalis. Etenim hæc filiatio fuit terminus, ad quem Chriſtus in quantum homo prædeſtinatus eſt.

6 Contra hanc ſolutionem obijcit

1.Obiec. Aſturicenſis duo argumenta. Primum argumentum eſt. Tota gratia, quæ poteſt fieri Chriſto vt poſſibili conſiderato, non conſiſtit in hoc, quod ſit filius Dei naturalis; nam hoc totum comprehenditur in conceptu Chriſti, quo vt poſſibilis concipitur, ſed in hoc tantũ, quod actualiter exiſtat. At gratia prædeſtinationis Chriſti non potiſſimum conſiſtit in hoc, quod eſt actualiter Chriſtum exiſtere, ſed in hoc, quod eſt eſſe naturalem Dei filium. Ergo inſufficienter exponitur prædeſtinationis Chriſti gratia, per hoc, quod eſt, Chriſtum vt conceptum per modum poſſibilis ſub actuali conſtitui exiſtentia.

Secundum argumentum eſt. Res vt conſiderata ſub modo, & ſtatu poſſibilitatis non eſt capax alicuius gratiæ ſuſcipiẽdæ, ſed tota gratia, quæ illi fit in actuali eius productione, in ipſo termino productionis eſt conſideranda. Certum eſt enim, quod creaturæ antequam ex nihilo prodirent, & quamdiu in Dei omnipotentia latebant, non erant ſimpliciter capaces beneficij cuiuſpiam; ſed totum beneficium creationis ſuſceperũt in ipſo creationis termino. Ergo Chriſto, vt concepto per modum poſſibilis, & vt in ſtatu poſſibilitatis conſiderato, nulla fuit facta prædeſtinationis gratia. Rurſus vt in termino ſuę productionis non erat obiectum gratiæ ſuſcipiendæ, ſed fuit potius ipſummet beneficium collatum, vt inquit aſſignata ſolutio: ergo Chriſtus pro nullo ſtatu, neque poſſibilitatis, neque actualis exiſtentiæ, habuit ſimpliciter rationem obiecti prædeſtinationis. 2.Obiec.

7 Hæc tamen argumẽta præfatam ſolutionem nõ euertunt. Ad primũ enim dicitur, gratiam per diuinam prædeſtinationem factam Chriſto Domino, in quantum eſt homo, nõ conſiſtere ſolum in hoc, quod Chriſtus exiſtat Deus, & homo; ſed etiã in hoc, quod ita exiſtat, vt ex vi actua- Ad 1.obiect.

actualis vnionis hypoſtaticæ ſit filius Dei naturalis, quod quidem ante vnionem illam non competebat Chriſto. Licet enim perſona Chriſti ſecundum naturam diuinã, ſit ab æterno filius Dei conſubſtantialis Patri, hæc tamen filiatio non competebat illi ex vi vnionis hypoſtaticæ, ſed ex vi generationis æternæ, iuxta illud Pſalmi 109.
Pſ. 109 [Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.] quem locum de generatione æterna Verbi diuini interpretantur cõmuniter Sancti Patres, vt in commentarijs noſtris ſuper Iſaiã oſtendimus. *Iſai.49. nu. 1.* Per generationem vero tẽporalem, ſiue per vnionem hypoſtaticam exequutioni mandatam in plenitudine temporis, competit Chriſto in quãtum eſt homo, quod ſit filius Dei naturalis ex vi gratiæ vnionis hypoſtaticæ, iuxta illud
Pſal. 2. Pſal. 2. [Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.] Quæ verba in triplici ſenſu explicantur à ſanctis Doctoribus, vt in commentarijs noſtris ſuper cap. 9. Iſaiæ num. 45. & ſequentibus, cap.55. num.5. & cap.42. num.11. obſeruauimus. Primo intelliguntur de generatione æterna Verbi diuini, qua à Patre accepit eſſe filium Dei per naturam. Sic explicat S.Auguſt. ſuper eundem Pſalm. & in enchyridione ad Laurentium cap.49. & tomo 6. in oratione de 5. hæreſibus cap. 4. S.Chryſoſtom. tom.4.hom.2. ſuper epiſt.ab Hebr. S.Thomas ſuper eandem epiſt.& 4. contra gentes cap.2. & S. Athanaſius de vnitate ſummæ Trinitatis. Secundo explicantur de reſurrectione Chriſti; nam reſurrectio regeneratio quædam eſt, iuxta illud Matthæi 19. [In regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ.] *Matth. 19* ſic explicat locum illum S. Hilarius ſuper eundem Pſalmũ, immo (quod valde notandum eſt,) S. Paulus Act. 13. cuius *Act.13.* verba ſunt. [Hanc repromiſſionem Deus adimpleuit filijs veſtris reſuſcitans Ieſum, ſicut in Pſal.2. ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.] In reſurrectione quippe diuinitas reunita fuit toti humanitati, quæ per mortem fuerat diſſoluta; & diuina virtute factum eſt, vt qui in triduo mortis homo non erat, cum toto illo tempore fuerit anima Chriſti à corpore ſeparata, iterato in die reſurrectionis (anima corpori reunita) eſſet homo, & cõſequenter tũc verificaretur, quod homo eſt Deus, ſeu filius Dei naturalis. Tertia explicatio, quæ magis facit ad noſtrum propoſitum, eſt S. Athanaſij ſuper eundem Pſal. qui verba illa intelligit de generatione Chriſti temporali, qua filius Dei factus eſt homo. Hanc enim Pater æternus ſibi appropriat; quia virtute diuina, & eius omnipotentia facta eſt, vt fatetur Gabriel Angelus, cum Verbi incarnationem Beatiſſimæ Virgini nunciauit, dicens: [Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.] Cui conſonat illud Hierem. 31. [Nouum creauit *Hiere. 31* Dñs ſuper terram, fæmina circumdabit virum.] & iuxta hanc interpretationem ſenſus eſt, Dominus, ſcilicet Pater, dixit ad me Chriſtũ ſuum, filius meus es tu, id eſt dicendo effecit, quando Verbum caro factum eſt, vt tu homo eſſes filius meus naturalis. Ante incarnationem quippe nullus homo erat naturalis filius Dei; quia filius Dei

non

non erat homo, ſed cum primum noſtram naturam aſſumpſit natus in vtero Virginis, factum eſt, vt filius Dei eſſet homo, & idem homo diceretur, & eſſet naturalis filius Dei. & hoc importat verbum, dixit: dicere enim Dei eſt facere, iuxta illud: [Ipſe dixit, & facta ſunt.]

Pſ.148.

Ad 2. obiect. Ad ſecundum reſpondetur, quod res conſiderata in ſtatu poſſibilitatis eſt capax recipiendi gratiam in termino productionis. Per hanc enim perducitur de ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum actualis exiſtentię, vel exercitij eius; pręſertim quãdo gratia illa terminatur per ſe primo ad aliquid ſubſtantiale; ſicut terminatur gratia vnionis hypoſtaticæ. Sicut enim in naturalibus gratia quædam fit Petro, cum de potentia, ſeu de ſtatu poſſibilitatis reducitur ad actum; licet gratia illa ſit ordinis naturalis, quæ gratia creationis nuncupatur: ita proportionabiliter gratia ſumma facta eſt Chriſto, in quantum homo, cum per diuinam prædeſtinationem factũ eſt, vt ſubſiſtens poſſibiliter in duabus naturis ſimul, diuina ſcilicet & humana, fieret actu ſubſiſtens in vtraque natura, & ex vi gratiæ vnionis hypoſtaticæ eſſet filius Dei naturalis. Notandum tamen cum S. Thoma art. 2. huius quæſtionis ad primum argumentũ, quod cum dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei, hoc poteſt dupliciter intelligi. Primo, vt hæc determinatio, ſecundum quod homo, referatur ad actum ſignificatũ per participium (prædeſtinatus) ex parte eius, quod materialiter cadit ſub prædeſtinatione, & tunc ſenſus eſt, quod prædeſtinatum ſit, vt Chriſtus ſecundum quod homo ſit filius Dei, & in hoc ſenſu propoſitio illa eſt falſa: nam Chriſtus non eſt filius Dei ſecundum quod homo, hoc eſt ratione humanitatis, ac per conſequens non eſt prædeſtinatus, vt ratione humanitatis, vel ſecundum quod homo eſſet filius Dei; id enim conuenit Chriſto Domino, ratione ſuppoſiti diuini, & diuinæ naturæ. Alio modo poteſt intelligi, ita vt determinatio (ſecũdũ quod homo) referatur ad ipſam propriã rationẽ actus, prout ſcilicet prædeſtinatio importat in ſui ratione anteceſſionem, & effectum gratuitum, & hoc modo conuenit Chriſto ratione humanæ naturæ, & ſecundum hoc dicitur prædeſtinatus, ſecũdum quod homo.

9 Secunda ſolutio argumenti principalis, quam Aſturicenſis reputat eſſe omnibus alijs à ſe adductis magis accommodatam ad diluendum argumentum, aſſerit, quod obiectum prædeſtinationis eſt Chriſtus, vt actu ſubſiſtens in natura humana; terminus vero, ad quem per ſe primo ſecundum quod homo prædeſtinatur, eſt eſſe filium Dei naturalem. Ad cuius explicationem ſupponit primo, quod, vt conſtat ex dictis Diſputatione 12. compoſitio perſonæ Chriſti proprijſſime conſiſtit in quadam mutua, & alterna humanitatis à Diuinitate, & diuinitatis, ſeu diuini ſuppoſiti ab humanitate acceptione: ita quod Verbum in diuinitate ſubſiſtẽs accipit ab humanitate, quòd ſit ſuppoſitum humanum, & verus homo. Humanitas vero accipit à diuinitate, ſeu (vt formalius loquamur) à diuini Verbi ſuppoſito, quod ſubſtantialiter exiſtat, ita vt homo ſit Deus, veruſq; filius Dei.

Aſturic. pag. 961.

Secun-

Digitized by Google

Secundo ſupponit, quod, licet Chriſtus ſit terminus, qui, prędeſtinationis ſuæ, ſit etiam obiectum, quod, prædeſtinationis eiuſdem; in ipſo tamen Chriſto diſtinguenda eſt ratio termini à ratione obiecti: humanitas quippe ratio eſt obiectiua, appellariq; poteſt proinde obiectũ, Quo; ſubſiſtentia autem Verbi perſonalis conſiderata, prout eſt apta nata conferri humanitati, & prout eſt de facto collata liberaliter, & gratuito, ipſa eſt ratio termini prædeſtinationis Chriſti, & poteſt etiã vocari terminus, Quo: Chriſtus autem, quia vtramque rationem in concreto ſumptam complectitur, & eſt obiectum, Quod, & terminus, Qui, prædeſtinationis ſuæ.

10 Tertio ſupponit, quod quamuis in eodẽ inſtanti temporis per gratiam vnionis factum ſit, vt Deus eſſet homo, & homo eſſet Deus; nihilominus ordine rationis, immo & naturæ in myſterio incarnationis prius intelligimus Deum humanatum, quàm hominem Deificatum. Nam prius fuit ordine rationis, quod Verbum eſſet ſuppoſitum humanũ, & verus homo, quod habet ab humanitate aſſumpta, quàm quod homo, ſeu ipſum humanũ ſuppoſitũ eſſet verus Deus, filiusq; Dei naturalis, quod quidẽ fuit ſummum bonum, quod humanitas à Verbo ſuſcepit. Et quidem fuiſſe prius ordine rationis, quòd Deus fieret homo, quàm quod ipſe homo, ſeu ſuppoſitum humanum hoc tam excellens bonum à diuino Verbo ſuſciperet; quod nimirũ eſſet filius Dei, probat Aſturicenſis

Ioan. 1. ex illo Ioan. 1. [Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre:] Priora enim illa verba (Verbum caro factum eſt) deſignant illud primum, quod in myſterio Incarnationis euenit, quod nimirum Verbum eſſet caro, ſeu humanum ſuppoſitũ, & verus homo. Poſteriora autem verba deſignant id, quod ſubſecutum eſt ex aſſumptione carnis, nimirum vt homo ille, ſeu ſuppoſitũ illud humanum eſſet filius Dei; nã illa particula (&) concomitantiam, & conſequentiam denotat, quaſi diceret: Quia Verbum caro factum eſt & humanum ſuppoſitum per aſſumptionem carnis, ideo conſecutum fuit hoc tantum beneficium in natura humana, vt homo ille ex vi vnionis hypoſtaticæ Verbi diuini cum carne humana eſſet vnigenitus, & naturalis filius æterni Patris. Idipſum poſſumus nos confirmare teſtimonio Gabrielis Archangeli Verbi incarnationem annunciantis; ait enim: [Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.] Quibus verbis ordinem naturæ, ſeu rationis, de qua loquimur, deſignat: quaſi diceret. Ex eo, quod virtute Spiritus ſancti ſuperuenientis factum eſt, vt ex Virgine Verbũ diuinũ naſceretur, & carnẽ ſuſciperet; conſequutũ eſt, vt homo ille natus ex Virgine vocaretur, & eſſet filius Dei. *Lucæ 1.*

11 Et ſi quis petat rationem, propter quã prius fuerit in exequutione ſecundum ordinem rationis, quod Verbum diuinum ſit ſuppoſitum humanum, vniendo ſibi hypoſtatice naturam aſſumptam, quàm quod homo Chriſtus Ieſus ſit filius Dei. Reſpondetur, eam eſſe: nã id, quod primo Deus intendit in myſterio incarnationis fuit exaltatio natu-

ræ

ræ humanæ in Chriſto, vt nimirum homo re vera eſſet Deus, naturaliſq; filius Dei. Id quod ſignificaſſe videtur Apoſtolus illis verbis 1.
1.Cor.2 Cor.2. [Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.] Medium autem, vel quaſi medium, quo iſtũ finem aſſequutus eſt, fuit aſſumptio naturæ humanæ. Humiliauit enim ſeipſum Deus, & exinaniuit formã ſerui accipiens, vt exaltaretur homo, & deificaretur. Nam propter ſuam eximiam charitatem, & bonitatem omnia in commodum noſtrum conuertit, vt Athanaſius eleganter docet concione 2. contra Arianos, & duabus ſequentibus. Primum autem in intentione eſt vltimum in exequutione: vnde prius intelligimus Deum fieri hominem, quàm, quod homo ſit naturalis filius Dei.

12 Quibus ſuppoſitis, facile ſoluitur argumentum factum. Dicendum eſt enim, quòd obiectum prædeſtinationis Chriſti, in quantum eſt homo, quod præſupponitur ad proprium eius terminum, eſt Verbum diuinum in quantum ſuppoſitum humanum, ſiue in quantum ſubſiſtit in natura humana: terminus autem, ad quem primario fuit Chriſtus in quantum homo prædeſtinatus, eſt filiatio Dei naturalis, ſiue vt eſſet homo ille ex vi vnionis filius Dei. Hæc ſolutio eſt ſatis ingenioſa, nec videtur aduerſa ſolutioni Magiſtri Medinæ, immo nec omnino diuerſa, ſed potius explicatio, & corroboratio eiuſdem
Obiect. ſolutionis. Et ſi quis objiciat contra iſtam ſolutionem: Deum fieri hominem eſt ordinis gratiæ, cum ſit quid ſupernaturale: ergo eſt terminus alicuius prædeſtinationis: ergo præſupponit aliud obiectum prædeſtinationis; omnis enim terminus prædeſtinationis præſupponit obiectum, ſaltem ſecundum ordinem naturæ, vel rationis. Obiectum autem illud, cum etiam debeat eſſe ſupernaturale, erit etiam terminus prædeſtinationis præſupponens aliud obiectum, & ſic dabitur proceſſus in infinitum. Reſpondetur, quod Deum fieri ho- Solutio.
minem, proprie loquendo, non eſt terminus alicuius prædeſtinationis: Deus enim proprie loquendo non fuit prædeſtinatus, vt eſſet homo; cũ in hoc nulla gratia potuerit Deo fieri. Deum ergo fieri hominem, prædeſtinatum fuit, non tanquam terminus principaliter intentus per aliquam prædeſtinationem, ſed tanquam obiectum præſuppoſitum ad terminum propriũ prædeſtinationis Chriſti, in quantum homo. Hanc enim excellentiam habet præ cæteris prædeſtinatio Chriſti, in quantum homo, vt non præſupponat ex ordine naturæ obiectum, quod prædeſtinatur; ſicut præſupponitur in prædeſtinatione noſtra: ſed obiectum ipſum, quod ſecũdum ordinẽ rationis ad terminũ præſupponitur, efficiat.

Sed vrget adhuc argumentum. 13
Suppoſito huius prædeſtinationis obiecto, quod nimirum Verbum ſit factum caro, ſeu ſuppoſitum humanum, ex omnimoda neceſſitate conſequutum fuit, & non ex aliqua gratia, quod homo ſit filius Dei naturalis: ergo eſſe filium Dei naturalem non conuenit obiecto prædeſtinationis ex gratia, vel ex gratuita Dei prędeſtinatione. Quod enim conuenit obiecto prædeſtinationis ex debito naturali, ſiue ex neceſ-

neceſſitate, non poteſt comparari in ordine ad illud, tanquam terminus proprius eiuſdem prædeſtinationis; nam vbi eſt debitum, ceſſat ratio gratiæ, ſiue doni gratuiti.

14 Reſpondetur, quod illa neceſſitas, qua Chriſtus in quantum homo eſt filius Dei naturalis, non eſt neceſſitas abſoluta, quæ fundetur in aliquo debito naturalis ordinis, ſed eſt neceſſitas conſequuta ex gratuita Dei prædeſtinatione, & ex gratia ipſa vnionis, ex qua Chriſtus in quantum homo habet, quod ſit filius Dei: & ideo eſſe prædicto modo filium Dei naturalem, potuit re vera eſſe terminus proprius prædeſtinationis Chriſti, in quantum eſt homo. Secundo reſpondetur, quod prædicta neceſſitas non oritur ex obiecto, quo, prædeſtinationis Chriſti; nimirum ex humanitate aſſumpta, ratione cuius dumtaxat conuenit Chriſto eſſe prædeſtinationis obiectum, vt ex præmiſſis conſtat; ſed conſurgit ex obiecto, Quod, eiuſdem prædeſtinationis, nimirum ex ſuppoſito Verbi terminante naturam humanam, quam aſſumpſit. Vnde argumentum ſolum concludit, quod terminus prædeſtinationis, ſcilicet eſſe filium Dei naturalem; cōpetat per naturam Chriſto ſecundum ſuppoſitum, ſiue ratione diuinæ naturæ, & non ex gratia vnionis, vel ex prædeſtinatione gratuita, quod libenter fatemur: quia per myſterium Incarnationis, vel prædeſtinationis nulla gratia facta fuit naturæ diuinæ, vel ſuppoſito Verbi ſubſiſtenti in natura humana, ſed tota gratia facta fuit ipſi naturæ humanæ aſſumptæ, ſeu Chriſto Domino ratione naturæ humanæ. Nō tamen probat argumentum, quod eſſe filium Dei naturalem, non cōpetat Chriſto in quātum eſt homo, ſiue ratione humanitatis ex gratuita Dei prædeſtinatione, & ex gratia vnionis; quia (vt dictum eſt) eſſe filium Dei naturalem, non conuenit Chriſto ratione humanitatis ex neceſſitate, ſed ex gratia vnionis, & ex prędeſtinatione gratuita, ac per conſequens, eſſe filiū Dei naturalē, poteſt eſſe proprius terminus prædeſtinationis Chriſti, in quantum eſt homo.

DISPVTATIO LXXVIII.

Vtrum humanitas Chriſti verè, & propriè dicatur prædeſtinata ſimpliciter, vel ad aliquem terminum.

PRima ſententia docet, quod, licet humanitas Chriſti nō ſit proprie prædeſtinata, abſolute loquendo, nec etiā ſit prædeſtinata ad beatitudinem; nihilominus proprie dicitur, & eſt prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam. Probant hoc 15 M. Suar. Diſp. 50. ſect. 4.

PRimo. Nam graues auctores prædictam loquutionē admittunt, & affirmant, quod humanitas Chriſti ſit prędeſtinata ad vnionem hypoſtaticam. Hi ſunt S.Thomas in 3. diſt. 10. quæſt. 3. quæſtiuncula 1. S.Bonauentura eadem diſt. art. 1. quæſt. 2. Alenſis 3. par. quæſt. 3. membro 1. Durandus, & Scotus diſt. 7. quæſt. 3. S.Thom.

Confirmatur auctoritate ſancti Auguſtini lib. de prædeſtinatione S. Auguſ.

San-

Digitized by Google

Sanctorum cap. 15. vbi ait: [Prædeſtinata eſt iſta humanæ naturæ tanta ſubiectio, vt quo attolleretur altius, non haberet.] & eodem modo loquuntur Aymo, & Hugo Cardinalis ſuper caput primum ad Romanos.

16 Secundo argumentantur. Vnio proprie conuenit naturæ, non perſonæ, & ad vnionem non aſſumitur, vel mouetur per operationem propriam, ſed potius eſt mota, ſeu aſſumpta ab alio: ergo prædeſtinatio ad vnionem non poteſt proprie denominare perſonam, ſed naturã.

1. Confir. Confirmatur, quia hæc vnio prædeſtinata eſt à Deo ab æterno: ergo aliquid poteſt dici proprie prędeſtinatum ad hanc vnionem, quia vnio non eſt mere abſoluta, ſed reſpicit vnibilia: ergo, ſicut Verbum dicitur prædeſtinatum, vt vniatur carni, ita caro poteſt dici prædeſtinata vniri Verbo.

2. Confir. Confirmatur ſecundo; nam hoc modo facile, & expedite explicatur myſterium Incarnationis, quia re vera, quod primo Deus decreuit, nihil aliud fuit, quàm humanitatẽ vnire Verbo diuino. Quod ſic oſtenditur; quia gratia vnionis in tempore humanitati confertur, & ad illam ſuſcipiendam ab æterno ordinata, ſeu prædeſtinata eſt, non in alio, ſeu per aliud, ſicut pars poteſt dici ordinari cum toto ad aliquod bonũ, ſed in ſe, & per ſe: quia gratia per ſe primo illi fit: ergo optime poteſt denominari prædeſtinata ad hanc vnionem.

17 M. Vazq. D ſp. 90. cap. 4. Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium, naturam humanam abſtracte ſignificatam, vere, & propriè dici poſſe prædeſtinari, vel prædeſtinatam eſſe, tam ad viſionem Dei beatificam, quàm ad vnionem hypoſtaticam. quod probant ſequentibus argumentis, & in ordine ſit

Tertium argumentũ. Humanitas per ſe fuit vnita Verbo, & aſſumpta ab eo, & non ratione ſuppoſiti: quia ſuppoſitum eſt in aſſumptibile, vt ſupra oſtẽſum eſt: ergo Deus primario contulit naturæ humanæ donum illud ſupremum vnionis hypoſtaticæ, & non ratione ſuppoſiti: ergo propriè, & per ſe, humanitas ipſa prædeſtinata eſt ad vnionem hypoſtaticam.

Quarto id ipſum probatur de alijs donis gratiæ, & gloriæ; nam Deus poteſt largiri hæc dona non ſolum ſuppoſito, ſed etiam naturæ abſtractæ, & conſideratæ non ratione ſuppoſiti, ſed etiam ſecũdum ſe; aliâs, ſi ratione ſuppoſiti dumtaxat haberet humanitas Chriſti hæc dona gratiæ & gloriæ, ſequeretur, quod ſi dimitteretur à Verbo, & mutaret ſuppoſitum, eo ipſo amitteret gratiam habitualem, & gloriam: ergo Deus ab æterno potuit prædeſtinare, & prædeſtinauit de facto humanitatem Chriſti ſecundum ſe conſideratam, ad huiuſmodi dona gratię & glorię.

Quinto confirmari poteſt hęc ſententia. Illud proprie prędeſtinatur, cui fit gratia per ipſam prędeſtinationem; nam prędeſtinatio, vt dicit S. Auguſtinus, & S. Thom. eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro; ſed humanitati Chriſti ſecundum ſe conſideratę, facta eſt gratia per prædeſtinationem, non autem ratione ſuppoſiti: etenim ſuppoſitum, ſeu perſona Chriſti ſecundum ſe; non eſt capax recipiendi vllam gratiam ab aliquo, cum ſit Dominus omnium. Ergo humanitas Chriſti proprie, & 18 S. Auguſt. S. Thom.

per

per ſe, dicitur prędeſtinata, tum ad vnionem hypoſtaticam, tum etiam ad vnionem beatificam.

Vt autem manifeſtum fiat, quænam in hac parte fuerit ſententia S. Thomę, diſtinguere oportet id, quod prędeſtinatur ab eo, ad quod prædeſtinatur. Exemplum eſt in prædeſtinatione Angelorum, vbi id, quod prædeſtinatur, eſt Angelus, cuius eſſe naturale ſupponitur ad prędeſtinationem: id vero, ad quod prædeſtinatur Angelus eſt gloria, id eſt, vt conſequatur gratiam ſine merito, & gloriam ex merito. Propter quod S. Auguſtinus ait, [quod prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro.] Proportionabiliter dicendum eſt in pręſenti. Etenim id, quod prædeſtinatur, eſt hic homo: id vero, ad quod prędeſtinatur, eſt, vt nimirum ſit filius Dei naturalis per gratiam vnionis, per quam factum eſt, vt Deus eſſet homo, & homo eſſet Deus. Licet enim ſit naturale perſonæ Verbi ſecundum ſe conſideratę, quod ſit filius Dei, non tamen eſt ei naturale ſecundum humanam naturã, ſecundũ quam hoc ſibi conuenit per gratiam vnionis, vt art. 1. huius quæſt. in ſolutione ad ſecundum, & tertiũ dicit S. Thomas.

S. Auguſt.

19 Sed tamen aduertendũ eſt, quod cum loquimur abſolutè, & propriè de prædeſtinatione abſque vllo additamento, ſemper eſt accipienda in ordine ad terminum potiſſimum eiuſdem prædeſtinationis, non autẽ in ordine ad alia, quę concomitantur, vel conſequuntur ipſum terminum potiſſimum, & magis principalem. Sicut quando ſcriptura docet abſolutè, quod aliquis ſit de numero prædeſtinatorum, ſemper intelligitur, quod ſit prędeſtinatus ad gloriam eſſentialem animę, quæ eſt potiſſimus terminus prędeſtinationis, ad quem ordinantur merita procedentia ex gratia, & ad quem conſequuntur gloria corporis, & alia præmia accidentalia. Cæterum, quando prædeſtinationi adiungitur aliqua determinatio, puta, ſi dicamus, quod Iudas, vel alius præſcitus, fuerit prædeſtinatus ad gratiã, talis loquutio eſt vera, ſecundum proprietatem ſermonis, licet nullus pręſcitus ſit de facto conſequuturus gloriam.

20 Prima concluſio. Natura humana Chriſti non eſt propriè prædeſtinata, ſi abſolutè loquamur de prædeſtinatione. Concluſio eſt expreſſa S.Tho. art. 1. huius quæſt. ad ſecundum, quod probat duplici ratione. [Primo quidem ratione communi. Non enim dicimus, naturam alicuius prędeſtinari, ſed ipſum ſuppoſitum; quia prædeſtinari, eſt dirigi in ſalutem, quod quidem eſt ſuppoſiti agentis propter beatitudinis finem. Secundo ratione ſpeciali, quia eſſe filium Dei, nõ conuenit humanæ naturæ: eſt enim hæc falſa, humana natura eſt filius Dei; niſi forte quis velit ſic exponere ex torta expoſitione: Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, id eſt, prædeſtinatum eſt, vt humana natura vniretur filio Dei in perſona.]

21 Confirmatur hæc ratio. Cũ aliquid abſolutè dicitur prædeſtinatũ, ſemper intelligitur, quod ſit prędeſtinatum ad terminum potiſſimum ipſius prædeſtinationis, vt dictũ eſt: ſed in prædeſtinatione, de qua loquimur, terminus potiſſimus eſt, eſſe filium Dei naturalem per gratiam vnionis, vt patet ex illo Roman. 1. [Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in

Rom. 1.

vir-

virtute:] Cum ergo humanitas Chriſti non ſit propriè filia Dei, relinquitur, quod proprie loquendo non ſit prædeſtinata.

Secunda concluſio. Humanitas Chriſti non eſt proprie prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam? Concluſio eſt contra auctores primæ, & tertiæ ſententię. Aſſerit eam S.Thom. in ſolutione præallegata ad primum, quam probant efficaciter duæ rationes S. Doctoris ſuperius inductæ. Confirmari poteſt

22 hæc ſententia. Id quod propriè, & per ſe prædeſtinatur ad vnionem hypoſtaticam, prædeſtinatur etiam ad terminum vnionis; ſicut, quod prædeſtinatur ad vnionem beatificam, prædeſtinatur ad terminum vnionis beatificæ, qui eſt eſſe beatum: Sed humanitas Chriſti non eſt propriè prædeſtinata ad terminum vnionis hypoſtaticæ: Ergo nō eſt propriè prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam. Minor probatur. Id quod prędeſtinatur ad vnionem hypoſtaticam, denominatur ex termino vnionis, ita vt in recto prædicetur de illo; Sed de humanitate Chriſti non prædicatur propriè filiatio Dei naturalis in concreto, qui eſt terminus prædeſtinationis Chriſti: nam hæc propoſitio eſt falſa: humanitas eſt filia Dei naturalis: ergo humanitas non eſt propriè prædeſtinata ad vnionē hypoſtaticam. Cōfirmatur hoc. Terminus vnionis hypoſtaticæ eſt Deꝰ homo, ſeu quod homo ſit filius Dei in virtute: ſed humanitas non eſt propriè filia Dei. Ergo humanitas non eſt proprie prædeſtinata ad terminum vnionis.

23 Si dicatur, quod quamuis humanitas non ſit proprie filia Dei, propriiſsimè tamen eſt vnita hypoſtaticè filio Dei. Contra hoc eſt, quia vt dicit S.Tho. in ſolutione allegata ad ſecundum, hæc expoſitio eſt extorta: etenim ex eo, quod prædeſtinatum ſit, vt natura humana vniretur filio Dei in perſona, non ſequitur, quòd ſit propriè prædeſtinata, vt ſit filia Dei in virtute.

Secundo. Vt ſupra oſtenſum eſt, vnio tripliciter poteſt accipi. Primo pro actione vniendi, ſiue vnitione. Secundo pro relatione. Tertio pro termino vnionis: ſed humanitas Chriſti non eſt propriè prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticā, vt eſt actio, neque vt relatio; quoniam actio, vel relatio non prædicatur proprie de humanitate Chriſti: neque etiam eſt propriè prædeſtinata ad terminum vnionis, vt oſtenſum eſt, quia humanitas non eſt Deus: ergo nō eſt proprie prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam.

Tertio. Humanitas Chriſti non 24 dicitur propriè prædeſtinata ad vnionem beatificam, vt fatentur auctores primæ ſententiæ. Ergo neque ad vnionem hypoſtaticam.

Quarto. Prædeſtinari ad vnionem hypoſtaticam, non diminuit, ſed potius auget rationem prædeſtinationis; cum huiuſmodi prædeſtinatio ſit perfectiſſima inter omnes, & aliarum exemplar, vt Auguſtinus docet lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 15. & de dono perſeuerantiæ cap. 24. Ergo, ſi humanitas Chriſti eſt propriè prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam, ſequitur, quod ſit abſolutè prædeſtinata cum omni proprietate, quod tamen eſt contra auctores huius ſententiæ.

Quinto. Cum dicitur, natura humana prædeſtinata eſt ad vnionem hypoſtaticam, illa præpoſitio, ad,

denotat potiſſimam cauſam finalẽ prædeſtinationis, ſed vnio formaliter loquendo, & proprie, nõ eſt potiſſimus finis huius prædeſtinationis; quia bonum, ad quod principaliter Chriſtus prædeſtinatur, eſt filiatio Dei naturalis: ergo.

Tertia concluſio. Humanitas abſtracte ſignificata, non dicitur, neque eſt proprie prædeſtinata ad vnionem Dei beatificam. Concluſio eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ; eam tamen defendũt auctores ſententiæ primę, & eſt expreſſa S. Thom. vbi ſupra. Probatur. Eius eſt prædeſtinari ad beatitudinem proprie loquendo, cuius eſt operari, & mereri; nam per operationem meritoriam dirigitur prædeſtinatus in beatitudinem; ſed humanitati in abſtracto non conuenit proprie operari, aut mereri, quia operationes non ſunt formarum, ſed ſuppoſitorum: dicit enim Ariſtoteles, quod natura humana non flet, vel net, ſed Socrates flet, & Calias net: ergo idem, quod prius.

AD primum respondetur, quod natura humana in Chriſto eſt prædeſtinata vt quo, nõ autẽ vt qđ; nam quod prædeſtinatur, eſt perſona Chriſti ratione humanæ naturæ, vt in tertio Sententiarum diſt. 10. allegata dicit S. Thomas.

26 Ad confirmationem reſpondetur, quod ex verbis illis Sancti Auguſtini ſolum cõcluditur, totũ hoc fuiſſe à Deo prædeſtinatum, quod nimirum humana natura vniretur Deo in perſona, quod veriſſimum eſt, vt art. 1. huius quæſtionis ad ſecundum dicit S. Thom. Non tamen colligitur ex hoc, quod natura humana ſit propriè prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam.

Ad ſecundum reſpondetur, quod vnio, naturæ conuenit, & perſonæ; etenim & natura humana vnita eſt perſonæ Verbi, & perſona Verbi vnita eſt naturæ humanæ, vt ſupra oſtenſum eſt. Vnde licet vnio hypoſtatica non poſſit cõuenire perſonæ creatæ, aut illam denominare; conuenire tamẽ poteſt perſonę diuinæ, quia reuera ꝑſona Verbi vnita eſt naturæ humanæ, vt ſup. oſtẽſum eſt.

Ad cõfirmationem reſpondetur, quod hæc vnio, vt eſt actio, prædeſtinata eſt nõ ꝓpter ſe, ſed propter terminũ vnionis: terminus autẽ vnionis hypoſtaticæ, eſt Chriſt⁹ ſubſiſtens in natura diuina, & humana; & ideo prædeſtinari proprie conuenit perſonæ, non autem ipſi naturę.

Secundo reſpondetur, quod Chriſtus ſecundum quod homo, vel ratione humanæ naturæ, eſt propriè prædeſtinatus ad hãc vnionem, per quam factum eſt, vt ſubſiſtens in duabus naturis, ſit Deus, & homo: ex hoc tamen non ſequitur, quod humanitas ſit proprie ꝑdeſtinata ad vnionẽ: Sicut Chriſtus, sm̃ quod homo, eſt mortuus, tñ humanitas non eſt mortua propriè loquendo. Et ſimiliter Chriſtus ratione naturę humanæ eſt filius Virginis; cum tamẽ natura humana nõ ſit filia Virginis, niſi impropriè, partem accipiendo pro toto, vel abſtractu pro cõcreto. 27

Ad ſecundã confirmationem reſpõdetur, quod iuxta noſtrã ſententiã multo facilius, & magis proprie explicatur myſteriũ Incarnationis; etenim quod primo, & per ſe Deus decreuit in hoc myſterio, fuit, vt idẽ filius Dei eſſet verus homo sm̃ humanitatẽ aſſumptã, vt ſic homo eſſet verus filius Dei, & genus humanum à morte liberaret, quod ex verbis Symboli Conc. Nicęni colligitur. [Qui ꝓpter nos homines, & 28

pro-

Digitized by Google

propter noſtrã ſalutẽ deſcendit de cęlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.] Vnde vnio hypoſtatica humanitatis cũ Verbo ad hoc ordinata eſt, tanquã ad finẽ; vt nimirũ Deus eſſet homo, & homo eſſet Deus. Cũ ergo humanitas Chriſti non ſit proprie homo, nec Deus, aut filius Dei, relinquitur, quod cũ proprietate, nõ ſit per ſe prædeſtinata ad vnionẽ hypoſtaticã. Et licet per eãdem vnionẽ hypoſtaticam nulla fuerit facta gratia filio Dei sm̃ ſe, bene tamen fuit illi facta gratia, sm̃ quod ſubſiſtit in natura humana: quia, vt in ſolutione ad ſecũdũ art. 1. dicit S. Tho. [Quamuis ſit naturale perſonæ Verbi ſecundum ſe conſideratæ, quod ſit filius Dei in virtute, non tamen eſt ei naturale ſecundum humanam naturam, ſecundum quã hoc ſibi conuenit per gratiam vnionis.] & idem docet in ſolutione ad tertium.

S.Thom.

29 Ad tertium argumentũ factum pro ſecunda ſententia, fatemur quidem humanitatem ſecundũ ſe abſq; propria perſonalitate fuiſſe aſſumptã à Verbo diuino, & illi hypoſtaticè vnitatem; ſed ex hoc nõ ſequitur, quòd fuerit primò, & per ſe prędeſtinata ad vnionem hypoſtaticã, ſiue ad donũ vnionis, quo homo Ieſus, eſt filius Dei naturalis; nã hoc donum, primo per ſe collatum eſt perſonæ Chriſti, ſecundũ quod ſubſiſtit in natura humana. Dicit enim Auguſtinus: [Prædeſtinatus eſt Ieſus, vt qui fuerat ſecũdum carnem filius Dauid, eſſet tamen in virtute filius Dei.]

Aug. lib. de præd. Sanct. c. 15.

30 Ad quartum reſpondetur, quòd quidquid ſit de potentia Dei abſoluta, de facto tamen dona gratiæ, & gloriæ conferuntur ſuppoſito ſubſiſtenti in natura humana, vel Angelica; ſeu naturæ in concreto ſignificatæ. Nec ex hoc ſequitur, quod ſi humanitas dimitteretur à Verbo, eo ipſo amitteret gratiam habitualẽ, & gloriam; nam in tali caſu flueret ab humanitate propria perſonalitas creata (vt ex ſupra dictis patet) & gratia habitualis præexiſtens in anima, tãquam in ſubiecto immediato redundaret in ſuppoſitum; & ita propria, & connaturalis perſona illius humanitatis à Verbo dimiſſæ, eſſet grata à Deo, & beata eadem habituali gratia, & beatitudine actuali, quam habebat humanitas illa, dum eſt Verbo hypoſtaticè vnita. Sicut gratia habitualis, qua iuſtificatus eſt homo remanet in anima poſt mortem hominis deſtructo ſuppoſito: quia licet in fieri gratia illa tribuatur ſuppoſito ſubſiſtenti in natura humana, tamen in conſeruari non pendet à ſuppoſito.

Ad quintum reſpondet ex profeſſo S. Thom. art. 1. huius quæſt. ad ſecundum in hæc verba. [Quidam dixerunt, prædeſtinationem intelligendam eſſe de natura, non de perſona: quia ſcilicet humanæ naturæ facta eſt hæc gratia, vt vniretur filio Dei in vnitate perſonę. Sed, ſecũdum hoc, locutio Apoſtoli eſt impropria.] quod probat duabus rationibus ſuperius adductis. Qua ſolutione reiecta reſpondet S. Doctor, quod gratia illa, qua homo Chriſtus Ieſus eſt filius Dei naturalis, nõ eſt facta naturæ humanæ proprie loquendo: quia natura humana non eſt filia Dei, ſed ſuppoſito Chriſti, non quidẽ ſecundum ſe, vel ſecundum naturam diuinam; ſed ſolum ratione humanæ naturæ: non quia natura humana ſit ratio, vel cauſa, quare Chriſtus ſit prædeſtinatus fi- 31

Digitized by Google

lius Dei, aliàs omnis homo eſſet prædeſtinatus filius Dei in virtute: ſed quoniam prędeſtinatio refertur ad exaltationem humanæ naturæ in ipſo, vt art. 2. huius quæſtionis, ad ſecundum dicit S. Thomas. Sed

Obiect. contra eſt argumentum. Anima dicitur propriè prædeſtinata ad beatitudinem: ergo & humanitas erit propriè prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam.

Reſponſ. Reſpondetur primo; quod non tam proprie dicitur anima prædeſtinata ad beatitudinem, ſicut totum compoſitum, cuius per ſe primo ſunt operationes, per quas conſequitur beatitudinem; vnde anima potius dicitur conprædeſtinata, quàm prædeſtinata. Secundo reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt; nam anima ſeparata habet propriam ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem incompletam independentem à toto compoſito, quam tamen non habet humanitas: non enim poteſt ſubſiſtere deſtructo cōpoſito, ſcilicet homine.

ARTICVLVS III.

Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit noſtra prædeſtinationis exemplar.

1 PRima concluſio. Si prædeſtinatio Chriſti conſideretur ſecundum ipſum actum prædeſtinantis, ſic non poteſt dici exemplar noſtræ prædeſtinationis. Probatur; quia vno modo, & eodem actu æterno prædeſtinauit Deus nos, & Chriſtū.

Secunda concluſio. Si prædeſtinatio Chriſti conſideretur ex parte termini, vel effectus, ſic prædeſtinatio Chriſti eſt exēplar prædeſtinationis noſtræ. Primo, quantū ad bonū, ad quod prędeſtinamur; nam filiatio naturalis, ad quā fuit Chriſtus prædeſtinatus, eſt exemplar filiationis adoptiuæ, ad quā nos prędeſtinamur. Vnde dicitur Rom. 8. [Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.] Rom. 8. Secundo, quantum ad modum cōſequendi terminum; quia de plenitudine gratia eius nos omnes accepimus, vt dicitur Ioannis 1.

BReuis difficultas ſe offert in præſenti. 2 Vtrum prædeſtinatio Chriſti, ſit exemplar homogeneū, & eiuſdem rationis cū noſtra prędeſtinatione. Altiſiodor. lib. 3. ſuæ Summæ tract. 1. cap. 2. & Scotus in 3. diſt. 7. qui ſentiunt Chriſtum fuiſſe principaliter prædeſtinatum ad gloriā animæ, ſecūdario vero ad filiationē Dei naturalē, conſequenter fateri tenentur, prędeſtinationē Chriſti eſſe exēplar homogeneū, & eiuſdem rationis cum noſtra prædeſtinatione. Oppoſitam ſententiā docēt cōmuniter Doctores, & videtur S. Tho. ꝑ cuius explicatione ſit

PRima concluſio. Prædeſtinatio Chriſti ad terminū primarium eſt exēplar heterogeneum, ſiue alterius rationis à prædeſtinatione noſtra. Cōcluſio eſt S. Tho. art. 1. huius quæſt. ad primū, vbi ait: [Quod nos prędeſtinamur, vt ſimus filij adoptiui, Chriſtus autē ſingulari modo præ alijs, eſt prędeſtinatus filius Dei naturalis.] Idem dicit art. 3. in corp. & in 3. Senten. diſt. 10. q. 3. ar. 1. quæſtiunc. 2. Cū ergo filiatio Dei naturalis ſit alterius rationis à filiatione adoptiua, relinquitur, quod prædeſtinatio Chriſti ad terminum primarium, ſit exēplar alterius rationis à prædeſtinatione noſtra. S. Thom.

Secunda concluſio. Prædeſtinatio Chriſti ad terminum ſecundarium eſt exemplar eiuſdē rationis, 3

quam-

Digitized by Google

quamuis perfectionis cum prædeſtinatione noſtra. Probatur. Gratia habitualis,& gloria eſſentialis animæ,ad quam ſecundario prædeſtinatus eſt Chriſtus, eſt eiuſdem ſpeciei cũ gratia habituali, & gloria, ad quam nos prædeſtinamur: ergo ex parte termini ſecundarij prædeſtinatio Chriſti, eſt exẽplar homogeneum prædeſtinationis noſtræ.

Et ſi quis inquirat: an prædeſtinatio Chriſti ſit exemplar eiuſdem rationis cum prædeſtinatione Angelorum. Reſpondetur,quod quantum ad aliquid, eſt quidem exemplar eiuſdem rationis, ſicut dictum eſt de prædeſtinatione hominũ, nimirum quãtum ad gratiã habitualem,& gloriam abſolute conſideratam; nam hæc ſimpliciter loquendo ſunt eiuſdem ſpeciei in anima Chriſti,in Angelis,& in ceteris hominibus. Cæterum quãtum ad aliquid, eſt exẽplar diuerſæ rationis; nam prædeſtinatio Chriſti eſt prædeſtinatio Redemptoris, & ita eſt exemplar homogeneum prædeſtinationis hominum, qui redempti ſunt per Chriſtum: Angeli autem beati non ſunt redempti per Chriſtum; quia nunquam fuerunt lapſi. Vnde ſecundum aliã rationem prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar homogeneũ prædeſtinationis hominum, ſecundum quam non eſt homogeneum exemplar prædeſtinationis Angelorum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis.

1 PRima cõcluſio. Si prædeſtinatio conſideretur ſecundum ipſum prædeſtinationis actum, prædeſtinatio Chriſti nõ eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Probatur: quia vno,& eodem actu Deus prædeſtinauit Chriſtum,& nos.

SEcunda concluſio. Si conſideretur prædeſtinatio ſecundum terminũ prædeſtinationis, ſic prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Probatur in argumento ſed contra, ex Epheſ. cap. 1. [Prædeſtinauit nos in adoptionem *Eph. 1.* filiorum per Ieſum Chriſtum.] Secundo in corpore. Nam Deus prædeſtinauit noſtram ſalutem ab æterno, prædeſtinãdo, vt per Ieſum Chriſtum compleretur: ſub prædeſtinatione enim æterna,non ſolum cadit id,quod eſt fiendum in tempore, ſed etiam modus,& ordo, ſecundum quem eſt complendũ: ergo in executione prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Expoſitio Articuli.

NOtandum eſt, quod Chriſtus 2 in quantum Deus eſt cauſa efficiens principalis prædeſtinationis noſtræ,ſicut eſt Pater, & Spiritus ſanctus; nã omnia opera ad extra ſunt indiuiſa,& cõmunia omnibus tribus perſonis Trinitatis: Si autem conſideretur Chriſtus, in quantum homo, in triplici genere cauſæ eius prędeſtinatio eſt noſtræ prædinationis cauſa, quantum ad eius effectum. Primo quidem in genere cauſæ finalis,vt cõſtat ex Apoſtolo 1. Corint. 3. [Omnia veſtra *1. Cor. 3* ſunt,ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas,ſiue Mundus,ſiue vita, ſiue Mors,ſiue præſentia, ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.] Id quod etiam expreſſe docet Concil. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 7.

Digitized by Google

vbi docet S.Synodus, quòd cauſa finalis noſtræ iuſtificationis eſt gloria Dei, & Chriſti. Secundo in genere cauſæ formalis extrinſecæ, hoc eſt in genere cauſæ exẽplaris, vt ex dictis in art.3.conſtat. Tertio in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis, vt ex præmiſſis Diſp.33. colligi poteſt. Vtrum autem Chriſtus fuerit cauſa moralis meritoria noſtræ prædeſtinationis, quantum ad integrum effectum illius, iam ex profeſſo diſcuſſum eſt lib.5. de Auxilijs Diſp.39. & de eadem quæſt. plura diximus ſupra Diſputatione 50. cum de merito Saluatoris noſtri ageretur.

DISPVTATIO LXXX.

Vtrum Chriſtus ſit primus omnium prædeſtinatorum.

3 PRæſens Diſputatio habet maiorem difficultatẽ, ſuppoſita opinione S. Thomæ, & aliorum aſſerentium, quod ſi Adam non peccaſſet, filius Dei incarnatus nõ fuiſſet, de qua egimus quæſt. 1.ar.3.Diſput.8. Etenim, qui putant, etiam Adamo non peccante, futuram fuiſſe Verbi incarnationem, abſque vlla prorſus difficultate videntur ſaluare, Chriſti prædeſtinationẽ fuiſſe primã, & noſtro modo intelligendi præceſſiſſe in ſigno rationis prædeſtinationem aliorum, non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum. Probatur ergo ſuppoſita illa ſententia S. Thomæ, Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum ante omnes.

PRimo arguitur. Deus ad noſtrũ modum intelligendi prius decreuit ſaluare homines, quàm mittere Saluatorem; nam, ſicut dicitur in Symbolo. [Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & homo factus eſt.] Sed illud propoſitũ ſaluandi homines erat prædeſtinatio eorum: ergo prius in ſigno rationis prædeſtinati fuerunt homines, quàm Chriſtus.

Secundo. Peccatum fuit præuiſum ante prædeſtinationẽ Chriſti, quia in eius remedium fuit prædeſtinatus: ergo ante prædeſtinationẽ Chriſti præuidit Deus gratiã datã homini; gratia enim, cui opponitur peccatũ, intelligitur ante ipsũ peccatum; ſed illa gratia erat effectus prædeſtinationis hominis: Ergo prius intelligitur homo prædeſtinatus, quàm Chriſtus. Non ergo eſt Chriſtus primus omnium prædeſtinatorum. 4

Tertio. Qui ordinatè vult, prius vult finem, quàm ea, quæ ſunt ad finẽ; ſed prędeſtinatio Chriſti ordinatur ad noſtram ſalutem veluti ad finem, nam incarnatio Verbi eſt volita propter noſtram ſalutem, vt dictum eſt: ergo.

Quarto. Prius natura intelligitur Adã gratus, quã Chriſtus prædeſtinatus, aliàs gratia ſtatus innocentiæ eſſet ex meritis Chriſti, cuius contrarium docet S.Thom. ergo prius intelligitur Adam prędeſtinatus, quàm Chriſtus. Probatur conſequentia: nam prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ, vt docet SS. Auguſt.& Thomas: ergo, ſi prius fuit Adæ præparata gratia, quàm Chriſtus fuerit prædeſtinatus; relinquitur, prius fuiſſe Adam prædeſtinatum, quàm Chriſtum. 5

Ex his tamen, quæ Diſp.8. dicta ſunt,

Digitized by Google

ſunt, facilis eſt huius dubitationis reſolutio. Dicendum eſt enim, Chriſtum eſſe primũ omnium prædeſtinatorum, non quidẽ prioritate temporis, ſed ſolum rationis; ita nimirum, vt prius intelligatur Chriſtus prædeſtinatus, quàm alij. Quæ ſententia eſt cõmunis Theologorum, & probari poteſt ex diuerſis illis ſignis rationis Diſp. 8. aſſignatis, quæ conſtituunt cõmuniter Theologi, vt explicent ordinem, quem habet prædeſtinatio Chriſti ad prædeſtinationem aliorum.

6 Præterea probatur. Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa finalis prædeſtinationis noſtræ, vt patet ex locis Scripturæ ſupra inductis: ergo fuit primo intenta in mẽte artificis ſupremi; finis enim eſt magis volitus & prius, quàm ea quæ ordinãtur ad finem. nam finis eſt prior in intentione ijs, quæ ordinantur ad finem: ergo ordine rationis prius fuit volita prædeſtinatio Chriſti, quàm prædeſtinatio aliorum.

Secundo probatur. Prædeſtinatio Chriſti eſt exẽplar prędeſtinationis noſtræ, vt art. 3. dictũ eſt; ſed exemplar præintelligitur ad exemplata: ergo prædeſtinatio Chriſti præintelligitur ad pdeſtinationẽ noſtrã.

7 Tertio. Chriſtus fuit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, quãtum ad integrũ effectum illius, vt ex præmiſſis conſtat: ergo prædeſtinatio Chriſti fuit prior in ſigno rationis, quàm prædeſtinatio noſtra. Cõfirmatur. Chriſtus prædeſtinatus fuit vt caput, nam eius gratia fuit gratia capitis, vt quæſt. 8. art. 1. viſum eſt. Reliqui vero prædeſtinati ſunt vt eſſent mẽbra corporis eius

1. Cor. 12 myſtici, vt conſtat ex illo: [Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autẽ membra corporis, cũ ſint multa, vnum tamẽ corpus ſunt, ita & Chriſtus.] & infra. [Vos autẽ eſtis corpus Chriſti, & mẽbra de mẽbro.] ſed caput pręintelligitur ad mẽbra: ergo prædeſtinatio Chriſti fuit in ſigno rationis ante prædeſtinationem noſtrã.

8 AD primum argumentũ reſpondetur, ꝙ propoſitum ſaluandi homines, eſt quidẽ prædeſtinatio, quando per illud propoſitum tranſmittuntur efficaciter homines in vitã æternam; nam prędeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Propoſitũ autem ſaluandi homines, ſecundum quod præintelligitur ad prædeſtinationẽ Chriſti, non erat efficax ad trãſmittendum homines in vitam æternã: vnde prædeſtinatio aliorum nõ fuit prior, quàm prædeſtinatio Chriſti. Secundo reſpondetur, quod in genere cauſæ obiectiuæ, & quaſi materialis, prius noſtro modo intelligẽdi voluit Deus ſaluare homines, quàm mittere Saluatorem, quia incarnatio Verbi fuit volita in remedium originalis peccati, & non aliter, vt quæſt. 1. art. 3. viſum eſt: ſed in genere cauſæ finalis prius in ſigno rationis voluit Deus prædeſtinationem Chriſti, & exaltationem humanitatis eius, quàm ſalutem hominum.

Ad ſecundum argumentum fatemur quidem, peccatum primi parentis, non ſolum, vt eſt defectus naturæ, ſed etiam, vt opponebatur gratiæ, & iuſtitiæ originali, fuiſſe præuiſum ante prædeſtinationem Chriſti. Fatemur etiam, gratiã ſtatus innocentiæ fuiſſe præuiſam ante prædeſtinationem Chriſti; ſed tamẽ illa gratia, vt præuiſa ante Chriſti prædeſtinationem, non fuit effectus prædeſtinationis Adæ, vt Diſp. 9

40. de Auxilijs oſtẽſum eſt: quia per illam vt præuiſam non erat efficaciter tranſmittendus in vitam æternam. Vnde nõ ſequitur, quod prædeſtinatio Adæ, vel alterius hominis fuerit in aliquo ſigno rationis ante prædeſtinationem Chriſti.

Obiect. Sed obijcies. Peccatũ, quod opponebatur tali gratiæ, vt præuiſa, erat effectus reprobationis. Ergo gratia illa, vt præuiſa, erat effectus prædeſtinationis. Reſpõdetur, quod peccatum illud vt præuiſum ante incarnationem Chriſti, quamuis ſecundum ſe fuerit ſufficiens cauſa ad reprobandum genus humanum; tamen de facto non eſt præuiſum vt cauſa reprobationis, ſed ſolum vt obiectum, in cuius remedium venit Chriſtus, quia pro illo priori nullũ ordinem dicebat ad reprobationẽ; ſicut nec gratia illa primi parentis, vt præuiſa, dicebat ordinem ad prædeſtinationem hominis.

Reſponſ.

Ad tertium reſpondetur, quod prædeſtinatio, & exaltatio humanitatis Chriſti ordinatur quidem ad ſalutem noſtram, tanquam ad finem proximum, vel potius tanquã ad effectum: ſed prædeſtinatio noſtra ordinatur ad prædeſtinationem Chriſti, & exaltationem humanitatis eius, tanquam ad vlteriorem finem, & magis principalem. Vnde abſolute loquendo multo magis, & prius ſecundum rationem fuit volita à Deo prædeſtinatio Chriſti, quàm prędeſtinatio noſtra.

Ad quartũ fatemur, quòd prius intelligitur Adam gratus in ſtatu innocentię, quàm Chriſtus prędeſtinatus; ſed tamen gratia illa primi parentis, vt præuiſa, ante prædeſtinationem Chriſti nõ fuit effectus prædeſtinationis Adæ, ſed cuiuſdam ſupernaturalis prouidentię, vt ſuperius dictum eſt. Vnde non ſequitur, quod prius fuerit Adã prædeſtinatus, quàm Chriſtus. Sed contra eſt argumentum. Per illam gratiam ſtatus innocentiæ cõſequutus eſt Adam aliquem gradum gloriæ. Ergo per illam fuit efficaciter trãſmiſſus ad vitam æternam. Sed omnis gratia tranſmittens hominem efficaciter in vitam æternam eſt effectus prædeſtinationis eius. Ergo gratia illa ſtatus innocẽtiæ fuit re vera effectus prædeſtinationis Adæ. Reſpondetur, quod Adã conſequutus eſt aliquem gradum gloriæ per gratiam ſtatus innocentiæ, vt reparatam per Chriſtum, & per pœnitentiam Adæ: & ſub hac ratione, gratia illa fuit effectus prædeſtinationis primi parentis; non autem, ſi conſideretur, vt præuiſa ante prædeſtinationem Chriſti; quoniam ſub hac ratione nullũ ordinem dicebat ad prædeſtinationem (vt dictum eſt.) Saluator mundi, qui per paſſionem, & mortem ſuam genus humanum à ſeruitute Dęmonis liberauit, concedat nobis, vt myſterium ipſum Incarnationis, quod (ipſo donante) videmuš nunc per ſpeculum in ænigmate, facie ad faciem in cælo contemplari mereamur. Ipſi honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Obiect.

Reſponſ.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE.

QVAE SPECIALI ALIQVA ponderatione in hoc Opere explicantur.

Numerus paginam: Litera a, primam columnam, b, ſecundam deſignat.

GENESIS.

3 ADAM vbi es? 344.b
4 Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. 61.b. 214.a. 276 b
6 Omnis caro corruperat viam ſuam. 2.a
22 Nunc cognoui quod timeas Dominum. 343 a
29 Et cognouit Abraham Saram vxorem ſuam. 343.b
1 Regum 9. Vbi eſt domus videntis. 376.b
23 Sicut lux auroræ oriente ſole mane abſque nubibus rutilat. 376.b
1 Paralipomenon 28. Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. 55.a
Iob 6. Vtinam appenderentur peccata mea, &c. quaſi arena maris hæc grauior appareret. 41.b
6 Quaſi momentum ſtatera reputata ſunt. 42.a
41 Ipſe rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. 271.273.a.b
Prouerbior 16. Vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus. 73.a
Eccl. 19. Ex viſu cognoſcitur vir. 367 b
24 Primogenita ante omnem creaturam 69.b
Pſalmorum 8. Quid eſt homo, quod memor eſt eius? 132 b
8 Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. 366.a
16 Satiabor, cum apparuerit gloria tua. 14 b
39 Corpus autem perfeciſti mihi. 3.a
50 Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c. 60 a
67 Dabit voci ſuæ vocem virtutis. 259.a
68 In titulo: In finem pro his, qui commutabuntur. 31.b

68 Qua

Digitized by Google

68 *Quæ non rapui, tunc exſoluebam.* 38.a
68 *Zelus domus tuæ comedit me.* 439.b
72 *Tenuiſti manum dexteram meam.* 317.a
88 *Exprobauerunt commutationem Chriſti tui.* 31.b
92 *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* 10.b
102 *Qui replet in bonis deſideriū tuum.* 14.b
129 *Copioſa apud eum redemptio.* 31.a
146 *Et ſapientiæ eius non eſt numerus.* 399 b
Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* 195.b
9 *Paruulus enim natus eſt nobis.* 1.b.269.b
10 *Conſūmatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.* 29.a
11 *Et flos de radice eius aſcendet.* 196.a
11 *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* 236.b
11 *Et requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, & intellectus.* 342.a
19 *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem.* 143.a
40 *Omnis caro fœnum.* 3.a
52 *Ecce intelliget puer meus.* 199.a
53 *Vere languores noſtros ipſe tulit.* 420.a
53 *Si poſuerit pro peccato animā ſuam, videbit ſemen longæuum.* 43.a.277.a.294.b
63 *Quis eſt iſte qui venit de Edō, &c. Ego qui loquor iuſtitiam.* 166.b
64 *Oculus non vidit Deus abſque te, &c.* 6.b
Hieremiæ 4. *Et quaſi viator declinans ad manēdum.* 278.b
31 *Nouum creauit Dominus ſuper terram: fœmina circundabit virum.* 1.b. 113.a. 152.b
Ezech. 18. *In quacumque die ingemuerit peccator.* 60.a
Danielis 3. *Quaſi medium roris ſtantem.* 317.a
Abacuc 3. *Percuſſiſti caput de domo impij.* 275.a
Zachariæ 4. *Et exæquauit gratiā gratiæ eius.* 64.b

MATTHÆI.

3 *Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* 30.b
7 *Non noui vos.* 344 b
8 *Vade, fiat tibi ſicut vis.* 411.a
8 *Domine ſi vis potes me mundare.* 414.a
9 *Dixit Paralitico, ſurge.* 413.b
19 *Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum.* 367.b
20 *Nonne ex denario diurno conuenisti mecum?* 279.b
22 *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum.* 388.a
24 *Chriſtus ambulabat ſuper aquas.* 411.b
26 *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.* 319.b
26 *Pater ſi poſſibile eſt.* 300.a
27 *Emiſit ſpiritum.* 303.b
28 *Data eſt mihi omnis poteſtas.* 366.a

MARCI.

13 *De die autem illa, vel hora nemo ſcit neque filius.* 343.a b
Vltimo. Prædicate euangelium omni

Digitized by Google

omni creaturæ. 3. b

LVCAE.

1 *Ecce concipies in vtero, & paries.* 195. b
2 *Videamus hoc Verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus.* 152. b
2 *Ieſus autem proficiebat ſapientia.* 328. b. 344. a. 404. a
4 *Obmuteſce, & exi ab homine.* 411. b
7 *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 62. a
8 *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat.* 412. a
9 *Tetigit me aliquis, &c.* 412. a
11 *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* 273. a
19 *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam.* 330. a
19 *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.* 69. a. 74. b

IOANNIS.

1 *ET Verbum caro factū eſt* 2. a. 3. b. 113 a. 194. b
1 *Gloriam quaſi vnigeniti a Patre.* 147. a
1 *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* 258. b
1 *Super quem videris Spiritum ſanctum deſcendentem, & manentem.* 414. a
3 *Non ad menſuram dat Deus Spiritū Filio.* 235. b. 237. a. b
5 *Filius non poteſt à ſe facere quicquam.* 343. b
6 *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* 195. a
8 *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis.* 274. a
9 *Oportet me operari, &c. donec dies eſt, venit nox, in qua nemo poteſt operari.* 283. b. 301. b
10 *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* 320. b
10 *Hoc mandatum accepi à Patre.* 295. a
10 *Ego & Pater vnum ſumus.* 459 b
11 *Vbi poſuiſtis eum?* 344. a
11 *Domine iam fœtet.* 2. a. b
11 *Lazare veni foras.* 259. a. 406. b. 411. a
12 *Nunc princeps huius mundi eücietur foras.* 273. a
12 *Ille me clarificabit.* 237. a
14 *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* 164. b
14 *Quia Pater maior me eſt.* 437. b
19 *Et inclinato capite emiſit Spiritum.* 42. a. 305. b
20 *Palpate, & videte, quod ſpiritus carnem, & oſſa non habet.* 195. a

Actorum 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris.* 412. b

Romanorum 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid.* 444. a
1 *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei.* 74. b
3 *Quem propoſuit Deus propitiatorem per Fidem ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.* 29. a. 263 b
5 *Vbi abundauit delictum ſuperabundabit & gratia.* 18. & ſeqq.
5 *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius inobedientiam, &c.* 41. a
6 *A quo quis ſuperatur, eius ſeruus efficitur.* 273. a

7 *Et*

Digitized by Google

7 *Et captiuantem me in lege peccati.* 273.b
8 *Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis,&c.* 68.a
11 *Non ex operibus, aliàs gratia non eſt gratia.* 59.b
1.Corinth.1. *Factus eſt nobis iuſtitia,ſatisfactio,& redemptio.* 29.a
2 *Neque oculus vidit,neque auris audiuit.* 7.a. 368.b
3 *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti,&c.* 70.a. 83.a
4 *Quid habes,quod non accepiſti?* 55.a
5 *Abſorpta eſt mors in victoriã.* 274.b
6 *Empti eſtis pretio magno.* 31.a
8 *Vnus Dñs noſter Ieſus Chriſtus,per quæ omnia.* 451.a
9 *Diſpenſatio mihi credita eſt.* 276.b
13 *Charitas nũquã excidit.* 390.a
2.Corinth.5. *Vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit.* 283.b
Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuũ factum ex muliere.* 439.a
4 *Vt eos, qui ſub lege erant, &c.* 82.b
Epheſiorum 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiã.* 266.a. 359.a
1 *Inſtaurare omnia, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* 266.b. 269.a
1 *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit.* 320.b
2 *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* 50.b
3 *Vt innoteſcat principatibus,& poteſtatibus per Eccleſiam.* 266.b
4 *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* 236.a
Philippenſ. 2. *Humiliauit ſe factus obediens, propter quod & Deus exaltauit illũ.* 30.b. 277.a. 294.b. 295.a
3 *Sequor autem, ſi quomodo cõprehendam.* 339.a
Coloſſenſ.1. *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum.* 273.a.b
1 *Myſterium à ſæculis abſconditum in Deo.* 7.a
1 *Oportebat eum propter quem omnia, &c.* 70.a
1 *Pacificans per ſuum ſanguinem, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* 207.b. 269.a
2 *Delens, quod aduerſum nos erat chyrographum decreti.* 43.b
1.Timoth.1. *Chriſtus venit in hũc mundum,vt peccatores ſaluos faceret.* 69.a. 77.a
2 *Vnus mediator Dei, & hominum, &c.* 50.b. 90.b
3 *Manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum.* 1.b
2.Timoth.2. *Vt reſipiſcant à diaboli laqueis,a quo captiui tenentur.* 173.a.b
4 *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* 29.b. 43.a
Ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri,&c.* 79.b
3 *Apparuit benignitas,& humanitas, &c.* 80.a
Hebrçorum 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* 267.b. 269.b
5 *Cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* 30.b
9 *Emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis.* 2.b
10 *Corpus autem aptaſti mihi.* 3.a

10 *Ingrediens mundum, dicit ecce venio.* 283.*a*
10 *Vt faciam Deus voluntatem tuã.* 279.*a*
Iacobi 1. *Quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* 279.*b*
1. Petri 1. *Magna & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt diuinæ eſſemus conſortes naturæ.* 211.*b*
1. Ioannis 5. *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed nec peccare poteſt; quia ſemen Dei manet in illo.* 425.*b*
Pſal. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*
109 *Ex vtero ante luciferum genui te.* 506.*a*
Matth. 19. *In regeneratione cum ſederit filius hominis.* 506.*b*
Act. 13. *Hanc repromiſſionem Deus impleuit filijs veſtris reſuſcitans Ieſum, ſicut in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu: ego hodie genui te.* 506.*b*
Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei.* 498.*b*.500.*b*.503.*a*.*& ſeqq.*



INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM. ET SENTENTIARVM,
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Numerus paginam. a, primam columnam, b, ſecundam deſignat.

A

Actio vitalis non poteſt procedere niſi à potentia vitali. 57.a. 101.b

Actus virtutis eſt præſtantior habitu. 40.a

Actiones nõ multiplicantur ex terminis mediatis. 126.b

Actiones ſunt ſuppoſitorum, ſicut & eſſe; non autem formarum, niſi vt quo. 46.a. 135.a. 425.a

Actionum aliæ ſunt productiuę ſui termini, vt calefactio; aliæ vnitiuæ, vt viſio corporea, & beatifica. 109.a

Actio corporea poteſt aſſumi, vt inſtrumentum ad producendum effectũ ſpiritualem in ſubiecto ſpirituali, vel corporeo. 262.b

Actio inſtrumenti, & cauſæ principalis an ſit eadem. 305.a

Actio vitalis eſt vita in actu ſecundo, & ita procedit à vita in actu primo, ſeu à principio vitali. 323.b

Actiones diuerſę poſſunt eſſe eiuſdem potentię, quarum vna ad aliam refertur. 331.b

Actus idem numero indiuiſibilis poteſt eſſe ſimul neceſſarius, & liber reſpectu eiuſdem obiecti diuerſimode cõſiderati. 291.b

Accidentia habent proprias inexiſtentias formales, ſicut proprias eſſentias. 87.a. 103.b. Non ſubſiſtunt formaliter per ſubſiſtentiam perſonæ, ſed tantum cauſaliter. 87.a. Virtute naturali non poſſunt per ſe ſubſiſtere. 174. b. Intenſio, & remiſſio actualis competit illis, quatenus inhęrent ſubiecto, aptitudinalis vero, quatenus poſſunt inhærere. 175.b

Accidens poteſt dari de potentia abſoluta, abſque vlla intenſione, & remiſſione actuali. 175.b

Accidens ſpirituale non poteſt inhærere corpori, neque accidens corporale ſpiritui. 175.b

Accidens eſt incapax ſubſiſtentiæ, vniri tamen poteſt hypoſtaticè exiſtentiæ increatæ. 172.b. 174.b

Accidentia, etiam reſpectiua ſolo numero differentia non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. 290.a

Adamo non peccante, Verbum diuinũ carnẽ humanã non aſſumpſiſſet ex vi decreti, quod fuit actu in Deo. 75.a. Nec ex vi alterius decreti. 76.b. Nec ſcimus, quid in particulari in eo caſu

Digitized by Google

ſu eſſet Deus determinaturus liberè, circa myſterium Incarnationis. 77.a
Adamo data eſt gratia media diſpoſitione liberi arbitrij à Deo excitati, & moti. 135. a. Infuſæ fuerunt illi per accidens à principio omnes ſciẽtiæ humanæ. 222.b. Gratia ſtatus innocentiæ nõ fuit illi collata ex meritis Chriſti. 268.b
Adoptio, ſicut filiatio conuenit immediate perſonæ, & ita Chriſtus vt homo non poteſt ad aliquam hæreditatem adoptari. 278. a
Agens per contactum virtutis poteſt contingere extremum, non tangendo medium. 264. b
Analogia, & ſimilitudo corporis myſtici Eccleſiæ ad corpus naturale nõ tenet in omnibus. 250.a. 254.b
Angelus dilectione naturali, & electiua ſe diligit ſecundum diuerſa. 292.b. Relictus ſuę naturę cognoſcit euidenter omnes ſubſiſtentias creatas; poteſt tamen Deus vtens ſua potentia abſoluta occultare illi aliquam ſubſiſtentiam creatam. 11.b
Angelus per naturam non cognoſcit euidenter, etiam peracto Incarnationis myſterio, naturam humanam ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi. 11.b
Angelis non fuit collata gratia, & gloria eſſentialis ex meritis Chriſti; bene tamen alia præmia accidentalia. 77.b. 268.b
Angelorum numerus excedit totam collectionem aliorum indiuiduorũ. 250.a
Angelorum meritum non proceſſit efficienter à gratia cõſummata. 312.b
in Angelo ſi poneretur albedo, non faceret illum album. 325.b
Angeli per ſcientiam inditam cognoſcunt omnia entia naturalia diſtinctè, & in particulari. 363.a
Angeli per ſcientiam inditam non poſſunt intelligere plura per modum plurium. 364. a. Non cognoſcunt per illam certo futura contingentia. 373.b
Angelorum prędeſtinatio, & glorificatio quoad ſubſtantiam nõ dependet ex meritis Chriſti, ſicut pendet prædeſtinatio, & glorificatio hominum. 77. a
Angeli fuiſſent prædeſtinati, & glorificati etiam non exiſtente peccato originali. 77. a
Angelus non cognoſcit euidenter capacitatem, vel potentiam obedientialem, quam habet natura humana in ordine ad Deum, vt eſt agens ſupernaturale. 8.b. Euidenter cognouit, humanitatem Chriſti exiſtere extra ſuas cauſas, non tamen id à priori cognoſcebat intuitiuè videndo ſingularem eius exiſtentiam, ſed à poſteriori per effectus certo cognoſcebat eam exiſtere aliqua exiſtentia. 126. a
Angelis collata fuit gratia, media diſpoſitione liberi arbitrij à Deo excitati, & moti auxilio ſpeciali. 135.a
Angelis, & Adamo data fuit gratia cũ natura concomitanter, non tamen ex vi natiuitatis, ſicut Chriſto. 147. a
in Angelis ſuppoſitum, & natura diſtinguuntur realiter: non tamen indiuiduum, & natura. 173.a
Anima peccatoris abſque gratia, ſicut Lazarus quatriduanus in monumento fætet, & opera meritoria exercere non poteſt. 2.b
Anima Chriſti, ſi ab ipſa ſepararetur intellectus, & voluntas, non intelligeret, nec vellet. 101. a
Anima Chriſti prius intelligitur creari, quàm aſſumi, non tamen prius intelligitur creata, quàm aſſumpta. 120. b. 126.a
Anima Chriſti per creationem per ſe accepit, quaſi in actu primo eſſe

exi-

exiſtentiæ createç, quam accepiſſet de facto virtute creationis,niſi fuiſſet prçuenta ab exiſtentia Verbi. 126. a. Si relinqueretur à Verbo, acquireret propriam exiſtentiam,& ſubſiſtentiam virtute actionis diuinç, qua fuit creata. 204. a. Ordine exequutionis prius natura fuit aſſumpta à Verbo, quàm tota humanitas. 206.a. Potuit vti ſcientia indita ſine conuerſione ad phantaſmata. 283.b; Quomodo habuerit omnipotentiam reſpectu ſui corporis, & exequutionis ſuæ voluntatis.419. b. Fuit paſſibilis, & quomodo. 428. a. habuit dolorem ſenſibilem,& triſtitiam. 428.b. Habuit timorem, admirationem,& iram,& quomodo. 429. a

Anima Chriſti dupliciter conſideratur, & ſecundum partem ſuperiorem, & inferiorem. 429.b

Anima Chriſti vnicum dumtaxat habuit actum charitatis, regulatū per ſcientiam beatam, & per iſtum meruit ſub aliqua ratione. 213.a

Anima Chriſti, dato, & non conceſſo, quod meruerit per actum charitatis regulatum per ſcientiam inditam, adhuc per illum non meruit ſibi gloriam eſſentialem. 213.b

Anima Chriſti habuit ſcientiam beatā per modum naturæ, & non ex merito. 329.a

Anima Chriſti, & eius voluntas pro nullo tempore fuit deſtituta aliqua perfectione beatitudinis, communi omnibus beatis. 329.b. In paſſione habuit ſummum gaudium, & ſummam triſtitiam de obiectis diuerſis. 330.a. Habuitq; intellectum poſſibilem,& agentem. 332.a. Habuit à principio ſcientiam per ſe infuſam omnium rerum ab intellectu creato cognoſcibilium.333.b Non habuit vllam ſcientiam naturalem infuſam per accidens, ſed eas ſucceſſu temporis acquiſiuit, abſtrahēdo ſpecies à phantaſmatibus. 336.a

Anima Chriſti duplicem habuit potentiam, & obedientialem in ordine ad obiecta ſupernaturalia,& naturalem in ordine ad naturaliter cognoſcibilia. 334.a

Anima rationalis ſeparata cognoſcit per ſpecies infuſas à Deo immediatè, & hic eſt ei naturalis modus cognoſcendi pro illo ſtatu,ſed dum eſt in corpore per ſpecies acceptas ab obiectis. 335.a

Anima comprehenſoris non ſubditur, ſed dominatur corpori ſuo totaliter. 335. b

Animæ beatæ, & ante reſurrectionem, & poſt, intelligere poſſunt abſque conuerſione ad phantaſmata. 335.b

Anima Chriſti cognoſcit ſcientia beata, & viſionis omnia, quæ Deus intuitiuè cognoſcit.349.b. Cognoſcit certo futura contingentia, & libera propter exiſtentiam eorum in æternitate, & in decreto diuinæ voluntātis. 353.b.Non cognoſcit per ſciētiam infuſam actu ſimul omnia obiecta, quæ ſub ea cadunt, ſed habitualiter, & ſucceſſiuè. 363.b

Anima Chriſti quot ſpecies habeat ſeruientes ſcientiæ inditæ, ratione humana non poteſt inueſtigari. 364.b

Anima Chriſti propter vnionem habuit plenitudinem prudentiæ monaſticæ, politicæ,regalis, & monarchicç in ordine ad omnes creaturas in ſingulari. 366.a

Anima Chriſti per ſcientiam inditam altiori modo cognoſcit omnia illa, quæ per diuinam reuelationem hominibus innoteſcunt. 368.b. Certo cognoſcit in proprio genere futura contingentia etiam libera, per ſcientiam inditam. 370.a. 371.a. Cognoſcit illa in ſuis cauſis determinatis, & in

& in ſeipſis. 173.a

Anima Chriſti per ſcientiam inditam videt intuitiuè omnia præterita, præſentia, & futura. 376.a. Et quomodo cognoſcat intuitiuè futura per ſcientiam inditam, quamuis non exiſtant, explicatur. 379.a. Cognouit omnia entia ſupernaturalia, & myſteria gratię exhibita in quacumque differentia temporis. 381.b. Cognouit euidenter in atteſtante omnia myſteria gratiæ exhibita, & exhibēda. 382.a

Anima Chriſti non cognoſcit omnia poſſibilia ordinis ſupernaturalis per ſcientiam inditam. 382.a. Cognouit myſterium Trinitatis euidentia in atteſtante, & alios articulos Fidei. 382.a. Non tamen cognouit eſſentiam diuinam in ſeipſa per ſcientiam inditam. 358.b

Anima Chriſti pro ſua libertate potuit vti ſcientia indita, conuertendo ſe ad phantaſmata, & non ſe conuertendo. 390.b. Per ſcientiam inditam cognouit ſubſtantias ſeparatas, quæ per phantaſmata cognoſci non poſſunt. 390.a.b. 392.b

Animæ Chriſti connaturalis eſt modus cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata. 392.b. Sicut per diſcurſum. 396.a

Animæ Chriſti perfectiſſimo modo cōueniunt, quæ naturaliter competunt animæ rationali. 392.b

Anima Chriſti aliquando vſa fuit diſcurſu per ſcientiam inditam. 393.a. 396.a. Non ſubditur corpori in vſu ſcientiæ inditæ. 394.a. Per ſcientiam inditam ſicut verbis, ita & mente vnum ex altero inferebat. 396.b

Anima Chriſti principium, & concluſionem, & ſimplici intuitu, & per diſcurſum poterat cognoſcere in vſu ſcientiæ inditæ. 397.a. Nec fuit ei cōueniens quilibet diſcurſus. 397.b

Anima Chriſti certo cognoſcebat per ſcientiam inditam, & beatam miracula, quæ Deus decreuerat, vt fierēt per eius humanitatem, tanquam per inſtrumentum. 417.b

Anima Chriſti cum vnica ſcientia indita, & ſimpliciſſima habuit plures ſpecies, & quare. 400.a.b. Quænam ſpecies intelligibiles fuerint illi infuſæ. 224.b

Anima Chriſti habitu cognoſcit omnia quorum eſt iudex, & in inſtanti extremi iudicij diuina virtute fient omnibus nota omnia bona opera, vel mala cuiuſlibet. 401.a. Et in inſtanti iudicij vtetur ſcientia indita, & beata. 401.b

Anima Chriſti non habuit omnipotentiam ſimpliciter. 404.b

Anima Chriſti prius natura ſubſiſtit, vt quod, per ſubſiſtentiam Verbi, quàm tota humanitas. 206.b

Anima creatur à Deo per actionem diſtinctam à generatione, non autem corpus. 210.a

Anima rationalis ſeparata, quia eſt ſemiperſona, intelligit, vt quod, incōpletum, dum vero eſt vnita corpori, eſt principium formale intellectionis medio intellectu. 51.a. 210.

Anima rationalis continet perfectiones omnium formarum eminentiori modo in eſſendo, non tamen in terminando. 191.b

Anima rationalis, etiam dum informat corpus corruptibile, eſt id quod, & id, quo totum compoſitum ſubſiſtit. 202.b

Anima rationalis fit, & accipit eſſe per creationem, & non per generationem. 203.a

Anima rationalis etiam in ſtatu reſurrectionis non indiuiduat corpus, ſed indiuiduatur à corpore. 203.a. Dum eſt in corpore vnicum tantum habet eſſe ſubſtantiale, quod accipit per crea-

Digitized by Google

creationem, & communicat humanitati. 203.b. Dum manet in corpore, & eſt ſeminatura, & ſemiperſona. 203.b. Vt aſſumatur à Verbo, ſufficit, vt ante aſſumptionem intelligatur creari in fieri. 208.b

Animæ rationali cõmunicata fuit per aſſumptionem ſubſiſtentia Verbi, prius natura, quàm eſſet vnita humanitati: aliter dicẽdum eſt de corpore. 209.b

Anima, & corpus, quando generatur homo, vniuntur ſeipſis immediatè, nec intercedit aliquis modus ſubſtantialis, quo actu, & formaliter vniantur. 110.a

Animæ purgatorij ſimpliciter ſunt in termino, ſecundum quid in via; ideo poteſt illis remitti culpa venialis. 277.a

Antichriſtus quare dicatur caput omnium malorum. 275.a

Appetitus naturalis non elicitus oritur ex potentia, quatenus poteſt proprium actum habere, & non habet, nec alium perfectiorem. 191.b

Aſſiſtentia extrinſeca Spiritus ſancti non ſufficit, vt potẽtiæ eliciant operationes ſupernaturales. 218.a

Aſſumptio eſt quaſi alicuius ad ſe ſumptio. 116.a

Aſſumptio importat terminum à quo, & terminum ad quem. 116.a

Æternitate menſuratur viſio beata. 349.b. Continentur in ea omnia, quæ menſurantur noſtro tempore ſecundũ reales exiſtentias proprias. ibid.

Æternitas eſt tota ſimul nullam habens ſucceſſionem. 350. a. In qua ſimul sũt in actu infinitæ cogitationes. ibid

Æternitate non menſuratur cognitio animæ Chriſti indita, bene tamen eſſentia diuina, ad cuius exemplar ſunt producta ſpecies talis ſcientiæ. 374.a

B

Beati non habent appetitum alicuius rei, quæ ſit incompoſſibilis cũ viſione beatifica. 14.a. Non ſunt æquales in gloria. 21.a.

Beatitudo æterna, quamuis reddatur operibus meritorijs ex iuſtitia ſuppoſita permiſſione diuina, tamen appellatur gratia. 64.b

Beati non habent fidem, nec in præparatione animi, quia per modum habitus vident Deum. Non ſic D. Paulus in raptu. 225.b. Non habent habitum ſpei, licet expectent glorificationem corporis, quia non ſpectat ad obiectum illius primarium, ſed ſecundarium. 226.b. 227.a. Habent tamen actum deſiderij. 227.a

Beati, ſicut & Chriſtus de potentia ordinaria non poſſunt habere reuelationem obſcuram alicuius myſterij, quia non decet ſtatum, & perfectionem illorum. 226.b

Beati, & Chriſtus habent timoris donum, quantum ad habitum, & eius actum primarium, ſed non quoad ſecundarium. 228.a

Beati, quia non ſunt viatores, non ſunt prophetæ: ſicut fuit Chriſtus, in quantum viator. 230.a

Beatus videt in Verbo omnia, quæ ſpectant ad ſuum ſtatum. 349. b. Poſt reſurrectionem poterit vti ſcientia extra Verbum, conuertendo ſe ad phantaſmata, vel non ſe conuertendo circa obiecta ſecundaria. 394.a

Beatitudini opponitur formaliter poſſibilitas peccandi. 423.b

Bonitas moralis in actu virtutis ex parte conformitatis ad rectam rationem non eſt infinita. 20.b

Bonum diuinum, à quo auertitur homo per peccatum, ſicut eſt infinitum ſimpliciter in ſeipſo; ita bonum

ad quod conuertitur per actum charitatis. 21.a

C

Cadauer Chriſti de facto fuit in triduo vnitum hypoſtaticè Verbo diuino. 170.a

Caput propriè debet eſſe eiuſdem naturæ cum membris. 265.a

Caput Eccleſiæ, & membra ſunt vna perſona myſtica. 40.b

Cauſa efficiens, vt operetur, debet habere non ſolum exiſtentiam, ſed etiã ſubſiſtentiam. 134.b

Cauſa finalis cauſat ſecũdum quod eſt in apprehenſione, antequam ſit in re. 138.b

Cauſa materialis non poteſt ſe explicare in effectum, abſque adiutorio alterius cauſæ. 182.b

Cauſa principalis eſt, quæ operatur per formam propriam ſibi inhærentem eiuſdem ordinis cum effectu. 218.a. Attingit effectum virtute propriæ formæ, inſtrumentum vero, vt mouetur à principali agente. 260.a

Cauſa inſtrumentalis non operatur, niſi exiſtat, vel extiterit, ita quod res futura non poteſt à Deo etiam de potentia ſua abſoluta eleuari, vt inſtrumentum phyſicum ad producendum effectum realem. 260.b

Cauſa inſtrumentalis duas conditiones neceſſario expoſtulat. 260.b. Vt operetur, non ſufficit eius exiſtentia in æternitate. 261.a

Cauſalitas inſtrumenti, comparatione miraculorum, conſiſtit in delatione Imperij practici Dei ad ipſos effectus, & in quo conſiſtat hæc delatio imperij diuini, explicatur. 261.b

Cauſæ inſtrumentariæ: ſicut humanitati Chriſti, dupliciter datur virtus, inchoatiuè, & completiuè. 261.b

Cauſæ inſtrumentalis virtus non eſt proprie in genere, nec in ſpecie, ſed reducitur ad genus, vel ſpeciem virtutis perfectæ. 262.a

Cauſalitas phyſica non expoſtulat cõtactum quantitatiuum, ſufficit virtualis. 264.a

Cauſa eſt prior ſuo effectu. 309.b

Charitas eſt radix meriti. 243.a

Charitatis actus, aut viſionis beatificæ, non eſt bonum hominis ſimpliciter infinitum, niſi tantum obiectiue. 21.a. Et attingit obiectum infinitũ, non tamen infinito modo. ibid.

Charitatis actu diligit homo Deum, non quantum diligibilis eſt, ſed ſecundum ſuam capacitatem. 23.a

Charitas Chriſti, in eſſe charitatis, habet infinitatem ſimpliciter infinitate morali, ſicut & gratia, ſimiliter & iuſtitia. 242.b

Charitas non eſt principium merendi, quatenus eſt creaturarum dilectio, ſed vt immediate ad Deum terminatur. 288.b

Charitas viæ manet in patria, & eſt eiuſdem ſpeciei cum charitate patriæ, ſicut puer, & vir. 289.b

Charitatis actus non reſpicit Deum, vt offenſum ab homine, neque in quantum eſt illi offerẽda ſatisfactio pro iniuria, ſed in quantum eſt bonus in ſeipſo. 33.b

Charitas, quæ ſequitur viſionem beatam, non fuit in anima Chriſti terminus meriti, & ita potuit eſſe principium merendi. 292.a

Charitatis, & contritionis actus non reparãt formaliter totum id, quod peccando abſtulimus à Deo. 68.b

Charitatis actus mere naturalis non attingit Deum, vt eſt auctor gratiæ. 68.a.b

in *Chriſto* eſt duplex eſſe eſſentię, ſicut duplex natura, ſed vnicum eſſe exiſtentiæ. 102.b

Digitized by Google

Chriſtus totus deſcendit ſecundum ſuppoſitum ad inferos, non tamen totus totalitate naturæ. 102.b. In primo inſtanti ſuæ cõceptionis meruit. 136.a. In primo inſtanti data eſt ei gratia mediante diſpoſitione liberi arbitrij, ſicut adultis. 136. a. Præter gratiam vnionis habuit gratiam habitualem creatam animę inhærentem, ſicut alij Iuſti. 211.b. Nõ potuit eſſe in illo niſi vnica filiatio naturalis, ſicut eſt vnica perſona. 212.a. In illo tantum reperitur vnica relatio realis filiationis, qua refertur ad Patrem. 212. a. Erat illi ſimpliciter neceſſaria ex parte operis aliqua gratia inhærens eius animæ, vel potentijs, ſiue per modum habitus, ſiue per modum motionis, vt eius operationes humanæ eſſent ſimpliciter ſupernaturales, & meritoriæ: non tamen erat neceſſaria ex parte ſuppoſiti operantis. 216. a. & 217. a

Chriſti voluntas, abſque dono gratuito inhærente, non poterat per ſolã gratiã vnionis referre in Deum auctorem gratiæ ſuas operationes. 216.b

Chriſtus, ablato quocumque dono gratuito inhærẽte, eſſet ſimpliciter gratus ex parte ſuppoſiti gratitudine perſonali, tamen natura humana non eſſet formaliter grata gratitudine inhærente. 217.b

Chriſtus habuit omnes virtutes, excepta pœnitentia, fide, & ſpe, quæ pręſupponunt in ſubiecto imperfectionem. 221.a. Habuit virtutes morales, non ſolum per ſe infuſas, ſed etiã acquiſitas; vt eius voluntas, & appetitus ſenſitiuus perficeretur modo ſibi connaturali. 221. b. Non ponuntur in illo virtutes morales ad moderandas paſſiones, ſicut nec in Adamo in ſtatu innocentiæ, ſed propter alias cauſas. 223.a

In Chriſto quare ponãtur virtutes morales acquiſitæ à principio per accidens infuſæ, & non ſcientiæ acquiſitæ, aſſignatur optima ratio. 223.b

Chriſtus vt homo habuit à principio ſcientiam beatam, & inditam, qua cognoſcebat omnia ſcibilia per ſciẽtias humanas. 224.a

Chriſtus potuit breuiori tempore acquirere ſciẽtias, quàm virtutes morales. 224.a

Chriſtus non habuit fidem, bene tamen meritum actus fidei, non formaliter, ſed eminenter. 225.a

Chriſtus non habuit eminenter habitũ fidei, eo quod in præparatione animi habuit fidem, ſed propter aliam rationem, quæ aſſignatur. 225. b. Cum magna perfectione habuit omnia dona Spiritus ſancti. 227.b. Excellentiſſime habuit omnes gratias gratis datas. 229.a. Fuit viator ſecundum corpus paſſibile, & comprehenſor ſecundum partem ſuperiorẽ animæ. 229.b

Chriſtus quamplurima cognouit, & annunciauit, quæ procul erant à ſenſibus viatorum, cum quibus ipſe habitauit. 229. b. Ideo fuit verè Propheta. ibid. Habuit prophetiã permanenter ſine obſcuritate. 230. a. b. Habuit plenitudinem gratiæ, quantum ad eius quantitatem intenſiuã, & ſecũdum virtutem quoad omnes operationes, & effectus gratiæ. 231. a

Chriſto eſt propria plenitudo gratię ex parte gratiæ; ex parte vero ſubiecti competit alijs. 231. a. Illi data eſt gratia abſque menſura, alijs in menſura. 235.b

Chriſti albedo non eſt perfectior in ratione intrinſeca albedinis, quàm ſit in alio ſuppoſito. 241.b

Chriſto vnà cum gratia habituali infuſa eſt iuſtitia commutatiua, non

vero pœnitentiâ. 39.b. 246.a

Chriſtus, ſi haberet intenſiorem gratiam, diceretur intenſius qualis; nō tamen magis gratus, vel magis perfectus. 248. a. In quantum homo, ſpecificatiuè eſt caput Eccleſiæ, non tamen reduplicatiue. 253. a. Sed in quantum Deus, reduplicatiuè eſt caput Eccleſiæ inuiſibile. 253.a. Cæterum in quantum Deus homo, eſt caput Eccleſiæ, etiam ſi ſumatur ly (in quantum) reduplicatiuè. 253.a

Chriſtus vt homo nec eſt membrum, nec pars Eccleſiæ, nec ab alio membro recipit influxum ſpiritualis vitæ. 254.a. Nihilominus vt homo in aliquo ſenſu poteſt dici membrum, videlicet per reſpectum ad Deum, à quo recipit influxum gratiæ. 254.a

Chriſtus per metaphoram dicitur leo, & tamen non dicitur brutum. 254.b

Chriſtus eſt caput (demptis damnatis) omnium hominum, ſecundum ſuos gradus, & quantum ad corpora, & quantum ad animas, præcipue quātum ad animas. 255.a. Vt homo, ſiue eius humanitas ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit, & eſt inſtrumentum coniunctum cauſans moraliter, & phyſicè gratiam, miracula, & omnes alios effectus ſupernaturales. 258. a. Vt Deus operatur in Sacramentis per auctoritatem, vt homo meritoriè, & efficienter, ſed inſtrumentaliter: non vt cauſa principalis. ibidem.

Chriſti operationes aliæ puræ diuinæ, aliæ puræ humanæ, aliæ mediæ, vt miraculoſę. 259.a. Eius humanitas nō habet aliquam formam propriā, per quam phyſicè producat gratiā, & effectus ſupernaturales: ſed eos attingit, vt mouetur à Verbo Diuino. 260. a. Eadem Chriſti humanitas nō potuit eſſe cauſa efficiens inſtrumentalis gratiæ, quæ data eſt antiquis Patribus ante Incarnationem; ſed ſolum cauſa moralis. 260. a

Chriſti mors, licet ſit formaliter priuatio vitæ, fundamentaliter tamen eſt quid poſitiuum, & hoc ſufficit, vt ſit inſtrumentum noſtræ ſalutis, & vt caro Chriſti ratione mortis operata ſit noſtram ſalutem. 263.a. b

Chriſtus in quantum homo eſt propriè caput Angelorum, & vt ſic iudicat illos, & confert illis præmia accidentalia, licet non ſit ita propriè quantum ad omnem influxum gratiæ, ſicut eſt caput hominum; cum non ſit eiuſdem naturæ cum Angelis. 26[illegible].a.b. 267.a. Vt homo eſt iudex omnium humanarum actionum, & cogitationum cordium, nō prout exiſtunt in æternitate, ſed vt ſunt in ſeipſis. 363.a

Chriſtus vt homo eſt ſuperior Angelis, & hominibus. 362.a.b. Eſt iudex viuorum, & mortuorum. 349.b

Chriſtus præſciuit, quæ paſſurus erat. 344. Quomodo ſciat diem iudicij. 343.a.b

Chriſtus etiam vt homo ſcientia creata omnia ſcit, nec vllius rei vnquam habuit ignorantiam. 342. a. b. In quantum homo prædixit multa contingentia futura, & libera, quæ cognoſcere per ſcientiam inditam expediens erat. 370.b

Chriſtus in quantum homo eſt cauſa finalis cuiuſque entis creati ſupernaturalis. 381.b

Chriſto vt comprehenſori competit ſcientia beata. 386.b

Chriſtus per ſcientiam inditam cognouit myſterium Trinitatis, loquebatur de illo verbis externis, & cum diſcurſu. 386 b. 388.a

Chriſti Dñi verba aerē percutiētia virtute Dei agebāt in dæmonē, & quomodo cauſabāt in eis ſilentiū. 411.b

Chriſti quædam operationes dicuntur

Theandricæ. 415.b. Operationum eius tria genera, & qua ratione ab ipſo effectiuè phyſicè procedant. 415.a

Chriſtus in quantum Deus faciebat auctoritatiuè miracula, in quantum homo miniſterialiter, quando volebat. 417.a

Chriſtus eſt ſacerdos in æternũ. 419.a. Quos defectus corporis aſſumpſerit. 420.a.b. In natura aſſumpta nullum peccatum potuit committere, nec contrahere, nec aſſumere. 422.b. Nõ eſt ſimpliciter creatus, vel creatura, nec incæpit eſſe. 424.a. Non potuit præceptis non obedire priuatiuè, bene tamen negatiuè. 426.a. Non habuit fomitem peccati. 426.a. Nec motum deordinatum appetitus ſenſitiui præuenientem omnem vſum rationis; & oppoſitum eſt errori proximum. 426.b. Nullam habuit ignorantiam. 427.a. Habuit paſſiones appetitus ſenſitiui, quæ vocantur in Chriſto propaſſiones. 428.a. Fuit viator, & comprehenſor. 429.b. Et quomodo. ibid.

Chriſtus non incæpit eſſe ſimpliciter, ſed ſolum incæpit eſſe homo. 443.a. b. 451.b. Dicitur tamen incæpiſſe cum addito diminuente, ſcilicet ſecundum naturam humanam. 454.a

Chriſtus eſt vnus maſculinè, & vnum neutraliter. 458.a. Vnicum eſſe in illo eſt. 462. a. Si eius humanitas dimitteretur à Verbo, non annihilaretur, ſed acquireret propriam ſubſiſtentiam. 465. Sm̃ humanitatem eſt propriè ſeruus Dei, ſicut & minor Patre. 476.b. Non tamen eſt filius Dei adoptiuus etiam in quantum homo. 496.b

Chriſtus propriè eſt prędeſtinatus. 500. a.b. Terminus præcipuus, ad quem fuit prædeſtinatus eſt, vt ex vi vnionis hypoſtaticæ eſſet naturalis filius Dei. 503.b. Prædeſtinationis eius obiectum eſt ipſe Chriſtus, vt ſubſiſtens in natura humana. 508. Natura eius humana non eſt propriè prædeſtinata. 512. Eſt primus omnium prædeſtinatorum, & eorum caput. 519.

Chriſtus non eſt duo, ſed vnicum tantum ſuppoſitum. 458.b. Nec admittendus eſt Durandus. 459. a. Tantũ habet vnum eſſe. 461.a. Nec habet, nec habere potuit virtutem pœnitentiæ, ſicut nec peccatum propriũ. 32. a

in Chriſto plures actus virtutum ſunt ordinati ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa generis humani, vt actus tẽperantiæ, ieiunij, humilitatis, obedientiæ, &c. 33.a. In illo ponenda eſt vna virtus, ſcilicet iuſtitia commutatiua erga Deũ, quæ tales actus ad talem finem dirigat. ibid. & 38. b. Eius actio ſatisfactoria in eſſe morali conſiderata, continet formaliter rationem iuſtitiæ, & habet omnes conditiones perfectæ iuſtitiæ commutatiuæ. 34. a

Chriſtus de rigore iuſtitiæ ſatisfecit in quantum ſuppoſitum humanum, ſiue vt Deus homo. 36.b. Qui vt ſuppoſitum diuinum, ſiue vt Deus, pertinebat ad alterum extremum, cui fiebat ſatisfactio. ibid. Et vt Deus acceptabat cum alijs perſonis ipſam ſatisfactionem. ibid.

Chriſtus ſatisfecit ex proprijs ſuppoſiti ſatisfacientis, & aliàs indebitis ab eodem ſuppoſito, & reddidit Deo æquiualens. 37.a. Et non ex obligatione aliqua iuſtitiæ, ſed ex gratuita voluntate, & miſericordia debitum generis humani ſuper ſe ſuſcepit. 37.b

Chriſto cum gratia habituali, infuſa eſt virtus iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum; non tamen virtus pœnitentiæ,

Digitized by Google

tentiæ, cum illius fuerit capax, non autem iſtius. 39. b
in Chriſto omnes mortui ſunt moraliter loquendo. 49. b
Chriſtus vt homo verè, & realiter eſt natus ex Maria Virgine, ad quam tamen non refertur relatione reali filiationis, ſed relatione rationis. 42. a. Non ordinauit quamlibet operationem meritoriam, vt per eam abſque ſacrificio crucis ſatisfaceret pro culpa. 43. b. Satisfecit condignè pro peccatis noſtris, tanquam quod. 46. a
Chriſtus, & humanitas eius non ſunt duo agentia partialia, ſicut duo trahentes nauim. 47. a. Nec ſatisfecit per humanitatem, & deitatem, ſed ſolum per humanitatem. 50. b. Non fuit prædeſtinatus ante præſcientiam peccati originalis. 77. b. Fuit tamen primus inter omnes prædeſtinatos, ibid. Cuius prædeſtinatio fuit exemplar prædeſtinationis Angelorum, & hominum. ibid.
Chriſti filiatio naturalis Dei eſt exemplar filiationis adoptiuæ, ad quam prædeſtinati ſunt Angeli, & homines. 77. b
Chriſtus fuit conſummator gratiæ, & gloriæ Angelorum, non redemptor. 78. a
ſi Chriſtus non fuiſſet prædeſtinatus, nullus homo eſſet prædeſtinatus ex vi decreti prædeſtinandi homines, quod de facto fuit in Deo. 78. a. Principalius venit ad delendum peccatum originale, quàm actuale. 81. a. Qui non veniſſet, ſi tantum fuiſſent peccata venialia, vel ſi fuiſſent mortalia paucorum hominum, & in iſtis caſibus Deus prouidiſſet de medijs, quibus poſſent homines à peccatis reſurgere. 81. b. Sed veniſſet, ſi fuiſſent peccata mortalia in omnibus fere hominibus, vel in maiori parte, etiam non exiſtente peccato originali. ibid.
Chriſtum duabus conſtare naturis, diuina, & humana, eſt de fide. 85. b. Eſt ſimpliciter vnum neutraliter, & vnus maſculinè propter vnum ſuppoſitum, ſed duo ſecundum quid, propter duas naturas. 90. b
Chriſtus duplicem habuit poteſtatem excellentiæ, vnam auctoritatiuam, quæ competit ei, vt Deus; alteram quaſi miniſterialem, quæ competit ei, vt homo. 56. b
Creatura nec amat, nec cognoſcit Deum, quantum amabilis, & cognoſcibilis eſt, aliàs comprehenderet illũ. 21. a
Creatura pura quantumuis ſancta non poteſt perfectè ſatisfacere de condigno, ſiue ad æqualitatem perfectam pro culpa originali, vel mortali propria, vel alterius, etiam de potentia abſoluta Dei. 53. b. Exiſtens in gratia de potentia Dei abſoluta potuit ſatisfacere ad æqualitatem imperfectam, pro culpa totius generis humani. 55. a. Illi potuit communicari gratia, & charitas in eſſe phyſico intenſior, quàm quæ fuit in anima Chriſti, non tamen in eſſe morali, id eſt, vt eſt principium merendi, & ſatisfaciendi. 56. b
Creatura nullius rei poteſt habere dominium, cuius Deus non ſit primus, & abſolutus Dominus, à quo omne dominium creatum pendet. 57. a
Creatio non ponit in Deo, niſi relationem rationis ad creaturas. 14. a
Compoſitum dicitur ex Baſilio, quod vnum cum ſit, ex diuerſis conſtat. 97. a
Compoſitum à parte prædicati appellat ſuum formale ſignificatum ſupra formale termini; cui coniungitur, vel de quo prædicatur. 92. a
Compoſitio duplex ex his, & cum his,

Theandricæ. 415.b. Operationum eius tria genera, & qua ratione ab ipſo effectiuè phyſicè procedant. 415.a

Chriſtus in quantum Deus faciebat auctoritatiuè miracula, in quantum homo miniſterialiter, quando volebat. 417.a

Chriſtus eſt ſacerdos in æternũ. 419.a. Quos defectus corporis aſſumpſerit. 420.a.b. In natura aſſumpta nullum peccatum potuit committere, nec contrahere, nec aſſumere. 422.b. Nõ eſt ſimpliciter creatus, vel creatura, nec incæpit eſſe. 424.a. Non potuit præceptis non obedire priuatiuè, bene tamen negatiuè. 425.a. Non habuit fomitem peccati. 426.a. Nec motum deordinatum appetitus ſenſitiui præuenientem omnem vſum rationis; & oppoſitum eſt errori proximum. 426.b. Nullam habuit ignorantiam. 427.a. Habuit paſſiones appetitus ſenſitiui, quæ vocantur in Chriſto propaſſiones. 428.a. Fuit viator, & comprehenſor. 429.b. Et quomodo. ibid.

Chriſtus non incæpit eſſe ſimpliciter, ſed ſolum incæpit eſſe homo. 443.a. b. 451.b. Dicitur tamen incæpiſſe cum addito diminuente, ſcilicet ſecundum naturam humanam. 454.a

Chriſtus eſt vnus maſculinè, & vnum neutraliter. 458.a. Vnicum eſſe in illo eſt. 462. a. Si eius humanitas dimitteretur à Verbo, non annihilaretur, ſed acquireret propriam ſubſiſtentiam. 465. Sm̃ humanitatem eſt propriè ſeruus Dei, ſicut & minor Patre. 476.b. Non tamen eſt filius Dei adoptiuus etiam in quantum homo. 496.b

Chriſtus propriè eſt prędeſtinatus. 500. a.b. Terminus præcipuus, ad quem fuit prædeſtinatus eſt, vt ex vi vnionis hypoſtaticæ eſſet naturalis filius Dei. 503.b. Prædeſtinationis eius obiectum eſt ipſe Chriſtus, vt ſubſiſtens in natura humana. 508. Natura eius humana non eſt propriè prædeſtinata. 512. Eſt primus omnium prædeſtinatorum, & eorum caput. 519.

Chriſtus non eſt duo, ſed vnicum tantum ſuppoſitum. 458.b. Nec admittendus eſt Durandus. 459. a. Tantũ habet vnum eſſe. 461.a. Nec habet, nec habere potuit virtutem pœnitentiæ, ſicut nec peccatum propriũ. 32.a

in Chriſto plures actus virtutum ſunt ordinati ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa generis humani, vt actus tẽperantiæ, ieiunij, humilitatis, obedientiæ, &c. 33.a. In illo ponenda eſt vna virtus, ſcilicet iuſtitia commutatiua erga Deũ, quæ tales actus ad talem finem dirigat. ibid. & 38. b. Eius actio ſatisfactoria in eſſe morali conſiderata, continet formaliter rationem iuſtitiæ, & habet omnes conditiones perfectæ iuſtitiæ commutatiuæ. 34. a

Chriſtus de rigore iuſtitiæ ſatisfecit in quantum ſuppoſitum humanum, ſiue vt Deus homo. 36.b. Qui vt ſuppoſitum diuinum, ſiue vt Deus, pertinebat ad alterum extremum, cui fiebat ſatisfactio. ibid. Et vt Deus acceptabat cum alijs perſonis ipſam ſatisfactionem. ibid.

Chriſtus ſatisfecit ex proprijs ſuppoſiti ſatisfacientis, & aliàs indebitis ab eodem ſuppoſito, & reddidit Deo æquiualens. 37.a. Et non ex obligatione aliqua iuſtitiæ, ſed ex gratuita voluntate, & miſericordia debitum generis humani ſuper ſe ſuſcepit. 37.b

Chriſto cum gratia habituali, infuſa eſt virtus iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum; non tamen virtus pœnitentiæ,

Digitized by Google

tentiæ, cum illius fuerit capax, non autem iſtius. 39. b

in Chriſto omnes mortui ſunt moraliter loquendo. 40. b

Chriſtus vt homo verè, & realiter eſt natus ex Maria Virgine, ad quam tamen non refertur relatione reali filiationis,ſed relatione rationis. 42. a. Non ordinauit quamlibet operationem meritoriam,vt per eam abſque ſacrificio crucis ſatisfaceret pro culpa. 43. b. Satisfecit condignè pro peccatis noſtris, tanquam quod. 46.a

Chriſtus, & humanitas eius non ſunt duo agentia partialia,ſicut duo trahentes nauim. 47. a. Nec ſatisfecit per humanitatem, & deitatem, ſed ſolum per humanitatem.50.b. Non fuit prædeſtinatus ante preſcientiam peccati originalis.77. b. Fuit tamen primus inter omnes prædeſtinatos. ibid. Cuius prædeſtinatio fuit exemplar prædeſtinationis Angelorum,& hominum. ibid.

Chriſti filiatio naturalis Dei eſt exemplar filiationis adoptiuæ, ad quam prædeſtinati ſunt Angeli, & homines. 77.b

Chriſtus fuit conſummator gratiæ, & gloriæ Angelorum, non redemptor. 78. a

ſi Chriſtus non fuiſſet prædeſtinatus, nullus homo eſſet prædeſtinatus ex vi decreti prædeſtinandi homines, quod de facto fuit in Deo. 78.a. Principalius venit ad delendum peccatum originale, quàm actuale. 81. a. Qui non veniſſet, ſi tantum fuiſſent peccata venialia,vel ſi fuiſſent mortalia paucorum hominum,& in iſtis caſibus Deus prouidiſſet de medijs, quibus poſſent homines à peccatis reſurgere. 81.b. Sed veniſſet,ſi fuiſſent peccata mortalia in omnibus fere hominibus, vel in maiori parte, etiam non exiſtente peccato originali. ibid.

Chriſtum duabus conſtare naturis, diuina, & humana, eſt de fide. 85.b. Eſt ſimpliciter vnum neutraliter, & vnus maſculinè propter vnum ſuppoſitum, ſed duo ſecundum quid, propter duas naturas. 90.b

Chriſtus duplicem habuit poteſtatem excellentiæ, vnam auctoritatiuam, quæ competit ei, vt Deus; alteram quaſi miniſterialem, quæ competit ei, vt homo. 56.b

Creatura nec amat,nec cognoſcit Deum,quantum amabilis,& cognoſcibilis eſt, aliàs comprehenderet illũ. 21. a

Creatura pura quantumuis ſancta non poteſt perfectè ſatisfacere de condigno, ſiue ad æqualitatem perfectam, pro culpa originali,vel mortali propria, vel alterius,etiam de potentia abſoluta Dei.53.b. Exiſtens in gratia de potentia Dei abſoluta potuit ſatisfacere ad equalitatem imperfectam, pro culpa totius generis humani. 55.a. Illi potuit communicari gratia, & charitas in eſſe phyſico intenſior, quàm quæ fuit in anima Chriſti, non tamen in eſſe morali, id eſt,vt eſt principium merendi,& ſatisfaciendi. 56.b

Creatura nullius rei poteſt habere dominium, cuius Deus non ſit primus, & abſolutus Dominus, à quo omne dominium creatum pendet. 57.a

Creatio non ponit in Deo, niſi relationem rationis ad creaturas. 14,a

Compoſitum dicitur ex Baſilio, quod vnum cum ſit, ex diuerſis conſtat. 97. a

Compoſitum à parte prædicati appellat ſuum formale ſignificatum ſupra formale termini; cui coniungitur, vel de quo prædicatur. 92.a

Compoſitio duplex ex his, & cum his,

& quomodo differant. 94.a

Compoſitio in ſuo conceptu formali non includit imperfectionem extremorum. 94.b

Compoſitio perſonæ Chriſti,licet ineffabilis, eſt tamen proprie compoſitio. 95.a

Compoſitio vera reperitur inter accidens,& ſubiectum, & quare. 96.b

in Compoſitione Chriſti ex humanitate, & perſonalitate Verbi reperiuntur omnes quatuor conditiones,quę ſecundum Caietanum ſufficiunt, & requiruntur ad veram compoſitionem. 97.a. Quæ non competit perſonæ diuinæ ſecundum ſe conſideratæ, ſed vt ſubſiſtit in natura humana, vel in vtraque. 99.b

Contradictoriarum propoſitionum nō oportet alteram eſſe nobis euidenter cognitam, licet à parte rei oporteat, quod vna ſit vera, & altera falſa. 9.b

Contritio, vt antecedit gratiam,habet ſufficientem virtutem, vt ſit diſpoſitio ad illam, non tamen,vt per illam fiat ſatisfactio ex iuſtitia imperfecta pro culpa. 66.b

Conuerſio ad Deum per actum charitatis non eſt ſimpliciter infinita intrinſecè, & intenſiuè, ſed ſolum extrinſecè,& obiectiuè. 21.a

D

Damaſcenus quomodo intelligatur, quando dicit,Verbum aſſumpſiſſe humanitatem, nec ſubſiſtentia, nec exiſtentia priuatam: & quando ait, humanitatem habere exiſtentiā in Verbo,non per Verbum. 125.a

Delectatio importat actum per modū acceſſus, & proſecutionis;triſtitia per modum receſſus,& fugæ. 330.a

Delectatio voluntatis pertinet ad perfectionem beatitudinis animæ,eſtq; inſeparabilis ab ipſa. 329.b

Deliberatio certa de agendis, ſine dubitatione poteſt eſſe in inſtanti;ſicut in Chriſto. 284.a

Deliberatio, & conſilium non eſt de vltimo fine, ſed de medijs. 284.b

Deus naturam humanam ſibi vniens hypoſtaticè communicauit ſe omni creaturæ. 11

Deus ſummo modo communicauit ſe creaturæ intenſiuè, & extenſiuè. ibid. Factus eſt homo abſque ſui mutatione, per ſolam realem mutationem naturæ humanæ. 14.a

Deus ſolus in genere phyſico eſt ſimpliciter infinitus. 19.b. Illi nullum malum re ipſa poteſt inferri,nec aliquod bonum adiungi. 20. a

Deo nihil opponitur priuatiuè, ſeu cōtrariè. 21.b

Deus vt communis toti Trinitati habebat influentiam generalem,vt cauſa prima in ſatisfactionem Chriſti; ex qua influentia generali non deſumebatur valor infinitus ſatisfactionis. 35.b

Deus, ſuppoſito myſterio Incarnationis, & quod Chriſtus ſeipſum obtulit in redemptionem pro nobis, ex iuſtitia acceptauit hanc ſatisfactionem. ibid. 40.b

Deus abſolute non poteſt alteri obligari, bene tamen ſuppoſito pacto,& promiſſione diuina, quæ obligatio non inducit imperfectionem. 42.b

Deus æquè, vel magis diligit actum charitatis, quàm odio habeat ipſam offenſam conſideratam in quantum eſt malum hominis. 56.a. Nam tantum bonum hominis eſt gratia, & charitas, quantum malum hominis fuit peccatum. ibid.

Deus infinitè amans ſeipſum odio infinito proſequitur peccatum, vt eſt malum Dei intentatum: actum verò charitatis puræ creaturæ finitè dili-

diligit. 56. a. Si nihil amplius exigeret ab homine in ſatisfactionem pro culpa originali, vel mortali, niſi actum charitatis merè naturalem, tunc gratis remitteret illi offenſam abſque ſatisfactione ex iuſtitia. 68. a. Licet ſimpliciſſimo intuitu omnia ſimul intelligat, ordinet, & diſcernat, tamen noſtro modo concipiendi diuerſa ſigna rationis in ipſius intellectu conſtituuntur ex parte obiecti. 72.b

Deus voluit Incarnationem Verbi propter ſeipſum, tanquam propter vltimum finem: ſed propter finem proximum, ſine quo incarnatio non eſſet, eam voluit propter redemptionem generis humani. 78.b

Deum eſſe hominem eſt terminus aſſumptionis. 122.b

Deus ante præuiſa merita Sanctorum Patrum depoſuit futuram Incarnationem Verbi cum omnibus circumſtantijs loci, & temporis: ſed in exequutione voluit, vt ſancti Patres ad eandem Incarnationem recipiendam præpararentur meritis, & orationibus, & hæc præparatio fuit meritum congrui. 144.a. Ante præuiſa merita prædeſtinauit in intentione efficaciter homines ad gloriam, & tamen in exequutione nulli adulto confertur gloria abſque præcedentibus meritis gratiæ. ibid.

Deus ſolus poteſt eſſe principium effectiuum vnionis hypoſtaticæ. 151.a

Deus præintellectus tribus perſonis, ſi aſſumeret naturam humanam, terminaret eam per ſubſiſtentiam abſolutam. 160.a

Deus poteſt producere quantitatem ſine ſubſtantia, & propria inexiſtentia, & eam ſibi vnire hypoſtaticè. 172.a. Non poteſt ſupplere vicem cauſæ formalis, bene tamen rationem termini completiui, & conditionis requiſitæ ex parte materię ad introductionē formæ. 183.a. 3[?]3.b. Nec poteſt ſupplere rationem actus vitalis. 325.a. Producit de facto accidens ordinis ſupernaturalis, non tamen poteſt producere ſubſtantiā ſupernaturalem. 241.b

Deus vnico actu ſimpliciſſimo charitatis diligit neceſſario ſuam bonitatem abſolutè conſideratam; vt tamē eſt ratio diligendi creaturas in exercitio, diligit eam liberè. 291.b

Deus non poteſt cognoſci euidenter in quantum terminat viſionem beatā, quin cognoſcatur euidenter, vt eſt in ſeipſo trinus, & vnus. 384. a. Non poteſt eſſe cauſa peccati, etiam indirectè, & quare. 423.a

Deum eſſe in peccato habitualiter non minus repugnat, quàm ipſum peccare actualiter. 423.b

Diabolus caput eſt omnium malorum quantum ad exteriorem gubernationem, non tamen quantum ad interiorem influxum. 271.b

Dictio, quemadmodum, vel, quaſi, accipitur in multis locis Sacræ Scripturæ explicatiuè, non diminutiuè. 147.a

Dignitas perſonæ ſatisfacientis redundat in dignitatem, & valorem intrinſecum ſatisfactionis. 22.a

Dignitas perſonæ offenſæ redundat in grauitatem, & malitiam offenſæ, in ratione offenſæ. 22.a

Dignitas perſonæ offerentis ſatisfactionem, & ſe humiliantis non ſe habet concomitanter, & per accidens in ordine ad valorem operis ſatisfactorij. 31.a

Dignitas omnis, quæ potuit cōmunicari humanitati Chriſti de facto fuit ei communicata. 138.a

D. Dionyſius non intendit negare gratiam habitualem in Chriſti humanitate, quando dicit, quod Chriſtus nō

eſt

eſt ſortitus vnctionem externā.220.a
Diſcurſus duplex explicatur, quorum alter non conuenit Chriſto. 397.b
Diſpoſitiones etiam imperfectæ, & remotæ ſunt ab eodem agente à quo procedit forma. 319.b
Diſponi vltimate ad gratiam, & eſſe iuſtificatum non includunt conditiones incompoſſibiles, & ita poſſunt eſſe in eodem inſtanti. 311.b
Diſpoſitio ad gratiā non eſt meritoria etiam de congruo gratiæ iuſtificantis. 135.b
Diſtinctio tanquam res à re duplex eſt. 179.b
Diſtinctio, & vnitas ſpecifica in relatiuis à terminis, numerica vero à ſubiectis deſumitur. 290.a
Diuinitas non fuit principium(quo)operationis humanæ, per quam Chriſtus ſatisfecit. 50.b
Diuinitas in Chriſto non poteſt de potentia Dei abſoluta ſupplere vices animę rationalis, & creati intellectus, bene tamen ſuppoſiti, & ſubſiſtentiæ creatæ. 101.a
Diuinitas per ſeipſam immediatè non eſt forma ſanctificans humanitatem Chriſti, nec eleuans eius potentias, vt operentur opera ſupernaturalia, & meritoria. 219.a
Diuinitas qualiter ſit in Sacramento Euchariſtiæ per concomitantiam. 157.a
Diuinitas nōpoteſt eſſe actus corporis, quo formaliter viuat, nec actus animæ, quo formaliter intelligat. 324.a
Donum perſeuerantiæ non poteſt cadere ſub merito, quia eſt principium effectuum illius. 310.a
Dona Spiritus ſancti, quę ſunt de neceſſitate ſalutis, ſunt habitus. 418.b
Donum gratiæ quandoq. datur ad ſubſtantiam actus producendam, quandoque vero quo ad modum actus. 418.b
Durandi ſententia de peccabilitate Chriſti in natura aſſumpta, quo ſenſu ſit temeraria, & erronea. 422.a.b

E

Eccleſia petit à Deo bona temporalia, vt ordinantur ad ſpiritualia per Chriſtum, tanquam per interceſſorem, & cauſam meritoriam. 320.a
Effectus formalis primarius formę dari poteſt poteſt ſine ſecundario; non tamen contra. 128.a
Effectus formalis ſecundarius formæ conſeruari non poteſt ablato primario. 124.a
Effectus qualiter contineatur in cauſa. 224.a. Nec adęquat ſemper virtutem ſuæ cauſæ. 248.a
Effectus formalis gratiæ Chriſti habitualis ſecundum ſe, præſcindendo à gratia vnionis, non fuit infinitus etiam in eſſe gratiæ. 248.b
Emptio, & redemptio pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. 31.a
Entitas omnis ſpectans ad naturam ex cepta materia prima ſine forma eſt aſſumptibilis à Deo: non tamen entitas conſtitutiua ſuppoſiti. 181.b
Entia naturalia, & ſupernaturalia ſunt diuerſi ordinis; nec poſſunt vnica ſpecie diſtinctè repreſentari, niſi per eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis, quę eſt omnium diſtincta ſimilitudo. 364.b
Entia ſupernaturalia, alia ſunt quid creatum, alia quid increatum. 384.a
Eſſentia diuina vt communis tribus perſonis non eſt principium formale, quo, generationis Verbi, ſed vt eſt in Patre, qui ſolus generat Filium. 36.a
Eſſentia Diuina non vt communis, ſed vt in Patre eſt principium generationis Filij. 127.a
Eſſentia diuina vnitur intellectui Beati abſque

abſque inhærentia, & informatione. 128.b
Eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis tenet ſe ex parte obiecti. 324.b
Eſſentia diuina intellectui creato repreſentat Deum finitè, & eſt ratio cognoſcendi illum finitè: tamen intellectui increato eſt ratio cognoſcendi infinitè comprehenſiuè. 324.b
Eſſentia Diuina vnita intellectui animæ Chriſti in ratione ſpeciei intelligibilis repreſentat ei ſimul omnes cogitationes, quæ erunt ſine termino. 352.a
Eſſentiæ Diuinæ non eſt ita proprium repreſentare omnia futura contingētia, vt id non poſſit ſupernaturaliter cōmunicari ſpeciebus creatis. 374.a
Ethimologia propria huius nominis (Incarnatio) aperitur. 1.b
Exiſtentia vnica duntaxat abſoluta conſtituitur in diuinis, per quam formaliter exiſtunt omnes diuinæ perſonæ. 116.a
Exiſtentia, ſeu eſſe, & eſſentia in rebus creatis realiter diſtinguuntur. 120.a
Exiſtentia, & ſubſiſtentia in creatis realiter diſtinguuntur, ſiue formaliter, ſiue vt res a re. ibid.
Exiſtentia eſt vltimus actus naturæ immediatè receptus in ſuppoſito ſubſiſtente. ibi. Nec eſt perfectio eſſentialis naturæ, ſed terminus vltimus illius. 120.b
Exiſtentia ſubſtantialis non habet rationem inexiſtentiæ. 121.b
Exiſtentia actualis non eſt de intrinſeco conceptu entitatis actualis, ſed ordo ad exiſtentiam, tanquam ad terminum. 125 b
Exiſtentia increata licet abſoluta, & communis, non vt communis, ſed vt in filio terminat naturam humanam in Chriſto. 127.a
Exiſtentia, & ſubſiſtentia diuina tribuit exiſtere, & ſubſiſtere abſque imperfectionibus inhærentiæ, & informationis. 128.b
Exiſtere eſt de eſſentia Dei: non tamen creaturarum. 157.b
Exiſtentia in Deo immediatè reſpicit naturam in creaturis verò immediatè perſonam ſubſiſtentem. 158.b
Exiſtentia diuina, cum ſit infinita continens eminenter omnem exiſtentiā, & inexiſtentiam creatam, poteſt illam ſupplere. 172.a
Exiſtere eſt de eſſentia Dei ſolius. 179.a
Exiſtentia, quam habet res futura in apprehenſione noſtra, non ſufficit ad efficientiam phyſicam inſtrumētalem. 263.b
Exiſtentia creata non poteſt recepi in ipſo ſuppoſito Verbi, ſed in ſuppoſito creato. 123.b
Exiſtere eſt effectus formalis ſecundarius formæ. 124.a
Eſſe abſtractum actuale, eſt perfectiſſimum prædicatum, ita vt excedat intelligere, & quamcunque formam exiſtentem. 121.b
Eſſe eſt effectus formalis naturæ. 190.a
Eſſe nullā ſupponit diſpoſitionē. 251.b
Eſſe ſubſiſtētiæ, & exiſtentiæ per ſe primo refertur ad ſuppoſitum, quod ſit, 451.b
Eſſe eſsētiæ in Chriſto duplex eſt. 453.b
Exaltatio ad eſſe beatificum eſt adeſſe tale, & ad operationem ſupernaturalem: ideo requirit lumen gloriæ, tanquam diſpoſitionem. 130.a
Exaltatio ad eſſe perſonale Verbi eſt ad eſſe ſimpliciter, ante quod non præſupponitur in humanitate aliquis habitus, vel diſpoſitio. 130 a
Euidentia poſſibilitatis, & euidentia credibilitatis myſteriorum fidei ſumitur ex diuerſis principijs. 10.b
Euidentia in atteſtante poteſt eſſe ſimul cum fide, ſed oppoſitum eſt probabile. 290.a

Epi-

Epiphanius quomodò intelligatur,quã do dicit,naturam humanam importare humanitatem exiſtentẽ. 124. b

F

Fidem habere in præparatione animi non excludit habitum, immo ipſa præparatio animi procedit ab habitu fidei. 225. b

Fides infuſa excludit viſionem claram Dei, vt eſt in ſeipſo. 226.b

Fides,& Spes informis ſunt diſpoſitiones remotæ ad gratiam iuſtificantẽ. 319. b

Filiatio, qua Chriſtus refertur ad matrem,eſt relatio rationis,& non realis in ipſo Verbo. 14. a

Filiatio per ſe primo, & immediatè competit perſonæ. 212.a

Filiatio adoptiua ſequitur ad gratiam habitualem, quando ſuppoſitum eſt capax illius. 212. b

Filiatio competit immediatè perſonæ. 278. a

Filiatio vera adoptiua in quo cõſiſtat. 488. a.b

Filij voluntas in his, in quibus à Patre dependet, reputatur voluntas eiuſdem patris. 35.a

Filius, quamdiu non eſt emancipatus comparatione patris, nullum poteſt per ſeipſum actum iuſtitiæ perfectè exercere,nec reddere ei ęquiualens, vel adæquans eſſe naturale, quod gratuita communicatione à Patre accepit. 35. a

Filius ſolus eſt incarnatus, non Pater, nec Spiritus ſanctus. 126.b.154.b

Filius Dei aſſumpſit animam, & intellectum. 199. a. Aſſumpſit carnem mediante anima, & animã mediante ſpiritu. 199.b. & 200.a. Non tamen aſſumpſit animam prius, quàm carnem. 209.b. Vide verbo, Chriſtus. Verbo, Incarnatio, & Verbum Diuinum.

Finis vltimus, propter quem Deus voluit creaturis ſe communicare omnibus modis, eſt ipſemet Deus. 71. a

Finis vltimus,& magis principalis ſemper eſt præſtantior medijs, non tamen finis proximus,præſertim quãdo media habent rationem cauſæ efficientis. 79. b. 81.a

Fini Incarnationis non conducebat ignorantia,nec peccatum. 344.b

Finitum quantumcumque creſcat, nõ poteſt adæquari infinito. 54. b

Forma creata,vtpote finita, & limitata, non poteſt cauſare proprium effectum formalem niſi inhærendo, vel informando ſubiectum, quod denominat. 128.a

Forma ſubſtantialis, cum ſit actus,poteſt conſeruari abſque materia prima,& vniri Deo hypoſtatice. 174.b

Fruſtra eſt potentia, quæ non reducitur in actum. 393.a

ad *Fundamentū* relationis realis vnionis, qua forma,& materia vniuntur, ſufficit actio generantis & vnitas compoſiti. 110.a

ad Fundamentum relationis ſimilitudinis inter duo alba, ſufficit ipſa albefactio, & vnitas in albedine, quæ eſt in vtroque extremo,abſque alia media entitate,vel formalitate.ibid.

Futura contingentia, antequam fiãt, non poſſunt certo cognoſci viribus naturæ. 373.b

G

Genuflexio Regis pluris æſtimatur in ratione humiliationis, & ſatisfactionis, quàm genuflexio militis. 312

Genus humanum perfectiſſimè exſoluit in ſuo capite, ſcilicet Chriſto, pœnam illam ſtatutã à Deo, In qua-

cunque die comederis, &c. 40.b

Generare eſt agere, aſſumere eſt terminare. 166.b

Gloria corporis data eſt Chriſto duplici titulo. 65.a

Gloriæ primus gradus correſpõdet pœnitenti duplici titulo. ibid.

Gloria animę Chriſti non fuit communicata corpori à principio diuina diſpenſatione, vt Chriſtus in corpore paſſibili redemptionem generis humani perficeret. 316.a

Gloria animæ, & charitas beatifica fuit in anima Chriſti prior ordine rationis & cauſalitatis, quàm ſcientia indita. 313.b

Gloria poteſt dari alicui pluribus titulis non habentibus repugnantiam. 314.a

Gloria animæ poſt reſurrectionem redundabit ad corpus. 335.b

Glorificatione animę ſuppoſita in Chriſto glorificatio corporis non eſt bonum arduum. 227.b

Gratia habitualis reſtituit Deo formaliter rationem patris. 23.b

Gratia tota, quæ interuenit in hoc myſterio Incarnationis, facta eſt naturæ humanæ, & non perſonæ aſſumenti naturam. 30.a

Gratia habitualis in eſſe phyſico eſt eiuſdem rationis in Chriſto, & in nobis, & ſimiliter operationes ſatiſfactoriæ: tamen in eſſe morali ſunt diuerſæ rationis. 39.b

Gratia habitualis in Chriſto ratione vnionis humanitatis ad Verbum fuit principium meriti infiniti. ibid.

Gratia, quæ ſupponitur ſatisfactioni Chriſti, non eſt facta perſonæ ſatisfacienti, ſed naturæ humanæ. 40.b

Gratia formaliter facit nos conſortes diuinæ naturæ, & obiectum diuinæ dilectionis. 65.a

Gratia habitualis reſultauit in Chriſto ex gratia vnionis per modum naturæ, quoad aliqua, non quoad omnia. 136.a

Gratia vnionis in Chriſto fuit prima gratia ſimpliciter, & primum principium effectiuum merendi. 138.a

Gratia prima non poteſt cadere ſub merito: quia non poteſt eſſe principium, & terminus meriti. 138.a

Gratia collata antiquis Patribus ante Incarnationem Verbi non pendebat ex meritis Chriſti in genere cauſæ efficientis, ſed finalis. 138.b

Gratia habitualis in Chriſto propriè nõ habet rationem proprietatis reſpectu gratiæ vnionis, quia non fuit producta ſecundario per eandem actionem, qua Verbum fuit vnitum. 146.a. & 251.b

Gratia habitualis ponitur in anima propter duo: vt eam faciat gratam, & vt ex ea redundent virtutes infuſæ, quibus anima operetur opera ſupernaturalia. 211.b

Gratia habitualis in ratione entis, & qualitatis, non poteſt eſſe infinita. 233.b. Sicut neque eius intenſio. ibid.

Gratia habitualis Chriſti non oportet, quod habeat infinitatem phyſicam etiam modaliter, vt poſſit cauſaliter ſanctificare infinitos homines, ſi eſſent. 238.a

Gratia habitualis Chriſti, vt eſt diſpoſitio concomitans gratiam vnionis, eſt infinita. 238.b

Gratia habitualis Chriſti conſideratur tripliciter. Primo quatenus formaliter iuſtificat animam, & ſic eſt finita. Secundo, vt eſt radix meriti, & ſatisfactionis rigoroſæ, & ſic eſt infinita dignitate morali. Tertiò, vt diſpoſitio concomitans gratiam vnionis, & ſic etiam eſt infinita. 239.b

Gratia habitualis, vt eſt in Chriſto, ex parte ſubiecti habet quandam perfectionem

Digitized by Google

ctionem moralem alterius rationis. 245. a

Gratia habitualis eſt vna ſpecie atoma, ſicut charitas. 245.a

Gratia habitualis poteſt dari maior de potentia Dei abſoluta, quàm gratia Chriſti in eſſe entis, vel qualitatis, nõ tamen in eſſe gratiæ ſecundum dignitatem moralem. 247.a.b

Gratia habitualis Chriſti nõ potuit antecedere gratiam vnionis, tanquam eius diſpoſitio. 251.b. Non dimanat tanquam propria paſſio à ſuppoſito diuino, nec à natura diuina Chriſti, nec humana. 252.a

in Gratia Chriſti habituali non eſt conſtituendus aliquis modus phyſicus, & intrinſecus, qui modaliter ſit infinitus, & ratione cuius gratia Chriſti in eſſe gratiæ habeat infinitatem phyſicam. 234.a

Gratia Chriſti nõ eſt infinita per ſolam extrinſecam Dei acceptationem, ſed aliquo modo ab intrinſeco ratione ſuppoſiti, à quo etiam habet infinitatem in eſſe gratiæ. 235. a. Eſt infinita; ſicut lux ſolis, quia ſe extendit ad omnes effectus poſſibiles gratiæ. 235.b. & 237. b. Eſt infinita in eſſe gratiæ ſecundum quandam moralẽ dignitatem deſumptam ex infinitate ſuppoſiti. 238.a

Gratia Chriſti eleuata per gratiam capitis non eſt cauſæ principalis, ſed moralis ſatisfactionis aliorum. 238. a

Gratia Chriſti ex parte, qua eſt infinita, augeri non poteſt. 239.b. Quantum eſt ex parte ſua virtutem habet ad mirendum Incarnationem Patris, & Spiritus ſancti, & alios effectus poſſibiles, quos tamen de facto non meruit; quia de facto non ordinauit ſua merita ad eos promerendos. 239.a

inter Gratiam Chriſti, & lucem ſolis conuenientia, & differentia aſſignatur. 241.a. & 246.a

Gratia Chriſti, & noſtra non diſtinguũtur phyſicè etiam modaliter, ſed ſunt eiuſdem ſpeciei. 244.b

Gratia Chriſti habitualis habet tantam intenſionem, vt adæquet omnes gradus gratiæ Angelorum, & hominum collectiuè ſumptos. 249.a

Gratia Vnionis, & habitualis ſimpliciter, & abſolutè dicitur naturalis Chriſto. 146.b.& 251.b

Gratia vnionis non poteſt eſſe formale, & immediatum principium, quo, actionis ſupernaturalis, & meritoriç, ſed ſolum radicale. 217.a

Gratia vnionis fuit prior in Chriſto quam gratia habitualis, non ordine temporis, ſed naturæ. 251.a

Gratia non datur immediatè ad operari, ſed ad eſſe; operatur tamen medijs virtutibus. 211.b

Gratia eſt participatio diuinæ naturæ. 234.a

Gratia capitis, & gratia Chriſti, vt eſt particularis homo, ſunt eadem gratia ſecundum eſſentiam, ſolum differunt ratione. 270. b. Gratia autem ſingularis hominis, & membri, neque ratione differunt. 271.a

Gratia, & charitas in termino non augetur per meritum quando augetur, bene tamen in via. 278.a

Gratia, & charitas Chriſti à principio ſuæ conceptionis fuit in termino. 278. b

Gratia, & charitas conſummata in nobis non eſt principium merendi, bene tamen in Chriſto. 310.b

Gratia non eſt terminus meriti, cuius eſt principium effectiuum, ſed tamen ſub maiori perfectione eſt terminus alterius actus meritorij. 292.a

Gratia conſummata, & augmentum gratiæ cadunt ſub merito. 309.a

Gratia inchoata, & imperfecta eſt in nobis; non tamen in Chriſto. 310.b

Gra-

Gratia imperfecta eſt principium meriti. 302.b
Gratia, quæ datur per Baptiſmũ aquæ, confertur nobis ex meritis Chriſti. 321.a
Gratia, quæ confertur adultis iuſtificatis per Baptiſmum ſanguinis, datur eis ex meritis Chriſti. 321.a
Gratia, & virtutes Theologicæ ſunt veluti ſemina beatitudinis. 383.a
Gratia non poteſt euidenter cognoſci, niſi cognoſcatur euidenter beatitudo. 383.a
Gratia, & alij habitus infuſi per ſpeciem creatam non poſſunt euidenter repręſentari, neque cognoſci. 384.a
Gratia non deſtruit naturam. 403.b
Gratiæ cauſa principalis eſt Deus, humanitas Chriſti eſt inſtrumentum coniunctum, Sacramentum eſt inſtrumentum ſeparatum. 407.b
Gratiæ gratis datæ non ſunt habitus, ſed dantur ad modum diſpoſitionis. 418.b
Gratia miraculorum pertinet ad gratias gratis datas. 418.b
Grauitas peccati non eſt infinita ſecundum entitatem phyſicam, quæ ſumitur ex conuerſione ad obiectum contrarium rationi: bene tamen in ratione offenſæ. 23.b
Grauitas peccati creſcit ex magnitudine perſonæ, contra quam peccatur. 23.b

H

Habitus ſupernaturales inhærentes potentijs conſtituunt illas in in ratione potentiæ proximæ in ordine ad actus ſupernaturales. 218.a
Habitus ſupernaturales, vt pote ſupremi, attingunt rationem potentiæ. ibid.
Habitus ſpecificatur ab obiecto primario, quo deficiente non permanet. 226.a
Habitus ratio ſpecifica conſtituitur ex vtraque ratione formali, qua, & ſub qua. 226.b
Habitus ſpecificãtur per actus, & actus per obiecta. 289.a
Habitus ſcientiæ inditæ, & virtutum moralium conſequuti ſunt in Chriſto à principio ſtatim ad modum naturæ ex vnione hypoſtatica, & viſione beatifica. 316.b
Habitus infuſi perficiunt hominem conformiter ad eius naturam. 403.b
Habitus infuſi perficiunt animam, ſecundum quòd rationalis eſt. 317.a
Habitus, & diſpoſitio neceſſario præſupponiunt eſſe. 130.b
Habere gloriam à principio per modum naturæ, & per actum meritorium charitatis regulatum ſcientia beata, ſunt duo tituli incompoſſibiles. 314.a
Habens gratiam peccare poteſt mortaliter in ſenſu diuiſo; non tamen in ſenſu compoſito. 425.b
Hæretici veritatem Dominicæ incarnationis impugnantes referuntur, & validiſſimè confutantur. 193.a
Homo dicitur omnis creatura. 3.b.
Homo qui peccauit, non potuit Deo ſatisfacere, ex iuſtitia perfecta, quia non ex proprijs, & alias indebitis, nec reddere potuit æquale pro offenſa illata. 37.a
Homo purus non poteſt Deo ſatisfacere ad æqualitatem pro beneficijs acceptis, vel pro iniurijs illatis. 37.a
Homo purus non habet virtutem iuſtitiæ commutatiuæ in ordine ad Deũ, bene tamen in ordine ad alios homines, quibus poteſt reddere æquale ex proprijs, & alias indebitis. 38.b
Hominibus dum iuſtificantur, infunditur cum gratia habituali virtus pænitentiæ, non tamen virtus iuſtitiæ com-

Digitized by Google

commutatiuæ erga Deum, quia illius ſunt capaces, non autem iſtius. 39.b. & 246.a

Homo meretur de condigno vitam æternam per opera ex gratia,& charitate procedentia. 55.b

Homo per actum contritionis, & charitatis ſatisfacit, ſecundum acceptationem diuinam imperfectè pro culpa propria mortali. 55.b

Homo pro quolibet inſtanti temporis eſt amicus, vel inimicus Dei,non tamen pro quolibet ſigno rationis. 66.a

Humanitas Verbi,ſuppoſita vnione hypoſtatica, nullam habet inclinationem ad propriam perſonalitatem, quæ eſt incompoſſibilis cum perſonalitate Verbi. 14.a. Eſt eiuſdem ſpeciei cũ humanitate noſtra. 36.b. Si relinqueretur à Verbo Dei, non haberet erga Deum iuſtitiam commutatiuam, ſed imperfectam. 38.b. Aſſumpta fuit ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Verbi.45.b. Medijs potentijs fuit principium formale quo actionũ, per quas fiebat ſatisfactio. 46.b. Propriè non dicitur paſſa, mortua,vel ſepulta vt quod, ſed ſolus Chriſtus Ieſus dicitur paſſus,&c. 48.b

Humanitas Chriſti fuit principium quo proximum, & ſuppoſitum Verbi ſubſiſtens in natura humana fuit principium,quod,proximum operationis meritoriæ, & ſatisfactoriæ. 50.b

Humanitas Verbo Dei vnita,eſt vera cauſa efficiens, & inſtrumentum coniunctum reparationis generis humani. 83.b

Humanitas Chriſti etiam de congruo non meruit vnionem ſuam hypoſtaticam cum Verbo, ſicut neque ſuam prædeſtinationem. 134.a

Humanitas Chriſti, ſi prius tempore quàm aſſumeretur, habuiſſet proprium ſuppoſitum, potuiſſet mereri ſuam vnionem hypoſtaticam cum Verbo per opera informata gratia de potentia abſoluta Dei. 136.b

Humanitas Chriſti de potentia abſoluta non potuit promereri vnionem cum Verbo, nec per opera antecedentia in priori naturæ,nec per ſubſequentia. 136.b. Non ſanctificatur intrinſecè per modum aliquem ſubſtantialem productum per vnionem hypoſtaticã in ipſa.219.b. Exiſtens in cælo concurrit inſtrumentaliter ad cauſandam gratiam in nobis, & habet contactum virtutis cum ſubiecto,circa quod operatur. 264.a. Non fuit inſtrumentum mortuum, aut merè naturale, ſed liberũ, quod ita agitur, vt etiam agat per propriam libertatem. 305.a. A principio fuit eleuata ad ſupremum eſſe, & ad ſupremam operationẽ. 328.a. Eſt cauſa principalis moralis omniũ immutationum ante,vel poſt incarnationem. 409.a. Poſt incarnationem tamen etiam eſt cauſa inſtrumentalis phyſica omnium miraculorum, & immutationum ſupernaturalium, quæ ad finem Incarnationis ordinantur. 409.b. Etiam earũ, quæ fiebant per Apoſtolos. 412.b. Eſt cauſa inſtrumentalis phyſica conuerſionis ſacramentalis. 410.b

Humanitas Chriſti pedibus contingendo aquas maris fuit inſtrumentum phyſicũ Deitatis, quo fecit ne aquæ cederent corpori. 411.b. Non tamen poteſt aſſumi,vt inſtrumentum ad creandum. 413.a

Humanitas Chriſti ad facienda miracula nullam habebat qualitatem per modum habitus, ſed ſolam motionem per modum tranſeuntis. 415.a. & 416.a

Humanitas Chriſti quomodo excedat alios

Digitized by Google

alios Sanctos in operatione miraculorum.416.b. Habebat rationem inſtrumenti quaſi in actu primo ad facienda miracula permanenter. 417.a. In actu vero ſecundo ex motione Dei. ibid. Per vnionem hypoſtaticā manet magis impeccabilis, & immobilis in bono, quàm Beati per viſionem beatam. 423.b. Vide verbo, Incarnatio. verbo, Chriſtus. verbo, Prædeſtinatio, & Verbum Diuinum.

Humores, vt flegma,bilis,vnitos fuiſſe hypoſtaticè filio Dei;ſicut informari anima rationali in homine probabile eſt. 197.b

I

IDem reſpectu eiuſdē non poteſt ſecundum idem eſſe cauſa, & effectus. 209.b

Ignorantia triplex conſtituitur. 427.b

Illuminari, & illuminatum eſſe non includunt conditiones incompoſſibiles, & ita poſſunt eſſe in eodem inſtanti. 311.b

Imperium diuinum licet ſit actio formaliter immanens, eſt tamen virtute tranſiens. 262. a

Impeccabilitas naturæ aſſumptæ prouenit ab impeccabilitate ſuppoſiti diuini. 425.b

Implicat, quod reſpectu eiuſdem operationis ſit duplex agens proximum vt quod, niſi in agentibus partialibus. 47. a

Implicat produci ſubſtantiam ordinis ſupernaturalis, cui ſit connaturalis gratia & charitas, &c. nec eſt eadē ratio de ipſis habitibus ſupernaturalibus. 57.b.& 241.b

Implicat,quod eadem gratia in eodem inſtāti ſit imperfecta, & conſūmata, viatoris,& comprehenſoris. 310.b

Implicat, quod eadem charitas in eodem inſtanti ſit ſimul intenſa, & remiſſa. 311.a

Implicat duos terminos contradictorios verificari ſimul de eodem.311.a

Implicat imperfectum,& perfectum eſſe ſimul in eodem inſtanti, bene tamen perfectum, & terminus imperfectionis poſſunt eſſe ſimul. 312.a

Implicat, vt voluntati repræſentetur ſummum bonum, nempe Deus clare viſus, & non delectetur, & quieſcat in illo. 329. b

Implicat, quod quis ſcientiam ſibi per accidens infuſam poſtea per proprios actus acquirat. 336. a. Vide verbo, Impoſſibile.

Incarnatio deriuatur à nomine, caro, quod per ſynecdochen pro homine compoſito ex anima,& carne, ſumitur duplici ratione. 2.a

Incarnationis myſterium potius nomine carnis, quàm humanitatis exprimitur in ſacris literis. 2.b

Incarnationis poſſibilitas non poteſt ſolo lumine naturæ euidenter cognoſci,vel demonſtrari. 4.b.7.b.8.a

Incarnationem Verbi eſſe conuenientem docet fides. 12.b

Incarnatio Verbi in eodem ſigno in quo fuit prædeſtinata,fuerunt determinatæ omnes illius circumſtantiæ. 76.a. Coniuncta cum redemptione generis humani, eſt maius bonum ſaltem extenſiuè, quàm Incarnatio ſolitariè ſumpta. 79.a. Secundum ſe eſt magis amabilis Deo, quàm redemptio generis humani ſecundum ſe,non tamen eſt magis volita à Deo de facto ſecundum ſe. 79.a

Incarnatio, quæ eſt magna, & vniuerſalis miſericordia, præſupponit magnam, & vniuerſalem miſeriam. 81.a.

Incarnatio Verbi quantum ad ſubſtantiam, & quantū ad opera ipſa Verbi incarnati, ordinata fuit à Deo ad

Digitized by Google

ſalutem humani generis, vt in finem non quidem principalem, ſed proximum. 82.a.83.b. Quantum ad gloriam, & exaltationem Chriſti non fuit ordinata ad ſalutem humani generis, vt ad finem, ſed è conuerſo gloria Chriſti eſt cauſa finalis ſalutis generis humani. 82. b
Incarnatio differri non debuit vſque ad finem mundi. 84. a. Per illam, ſiue per actionem vnionis hypoſtaticæ nullus producitur modus ſubſtātialis in humanitate ab ea ex natura rei diſtinctus. 109. b
Incarnatio, ſiue vnio hypoſtatica eſt ſolum vnitiua, & ita non habet terminum productum, & qua ratione dicatur factiua, explicatur. 113. a.
Incarnatio non attenditur ex termino mediato, ſed immediato, vnde ſolū eſt vnica vnio ſubſtantialis. 126. b. Eius exequutio tali tempore duplici titulo facta fuit, & propter Dei decretum, & propter merita de cōgruo Sanctorum Patrum, 145.a
Incarnationis Chriſti acceleratio, quo ſenſu fuerit ex merito Sanctorum Patrum. 145.a
Incarnationis fini nō erat conueniens, quod Chriſtus caruiſſet habitibus infuſis, vt eos poſtmodum mereretur, bene tamen gloria corporis. 317. a. Eidem fini repugnabat habere Chriſtum à principio per modum naturæ gloriā corporis. 316.b
in Incarnationis myſterio non eſt conſtituendum nouum miraculum abſque neceſſitate. 329.b. Vide verbo, Chriſtus, &c.
Inconueniens non eſt, quod ex duabus actionibus vna ſit prior in fieri, & altera in facto eſſe, prout conſtat in dictione, & intellectione. 208.a
Infinitas obiecti viſi, vel delecti per actum charitatis non redundat in conditionem ipſius actus, ſed eſt extrinſeca. 23. b
Infinitas maieſtatis diuinæ redundat in peccatum mortale in ratione offenſæ, tribuitq; illi infinitatem in genere moris. 23. b
Infinitum omnibus modis non poteſt eſſe niſi vnum: tamen infinitum ſecundum aliquam rationem poteſt eſſe multiplex. 43.a
Infinitas, quæ deſumitur ex ſuppoſito operante, non eſt ex acceptatione extrinſeca. 235.b
Infinitas moralis licet ſit extrinſeca gratiæ Chriſti ſumptæ in eſſe phyſico, tamen eſt intrinſeca illi in eſſe morali. 235.b
Infinitas ſuppoſiti Chriſti redundat in dignitatem gratiæ, meriti, & ſatisfactionis, non tamen in dignitatem ſcientiæ, qui eſt habitus ſpeculatiuus, ſicut nec in dignitatem albedinis. 241.b. Sed concomitanter ſolum ſe habet ad illam. 243.a. 358.a
Infinitæ cogitationes actu exiſtunt in æternitate, non tamen in propria menſura. 351.a
Infinitæ cogitationes actu non poſſunt produci; bene tamen actu, & ſimul poſſunt cognoſci. 352. a. Sed non cognoſcuntur numerādo vnam poſt aliam. 353.a
Infinitas cogitationum eſt aliquid reale actu conueniens illis, ſecundum eſſe, quod habent in æternitate. 353. b
ex Impoſſibili cognito euidenter poteſt deduci per euidentem conſequentiā aliquid repugnans lumini naturæ, non tamen ex impoſſibili ignorato, vel non euidenter cognito. 9.b
Impoſſibile eſt dari effectum primariū abſque forma, ſicut eſſe album abſque albedine, & ſubſtantiam ſubſiſtentem, & exiſtentem abſque aliqua ſubſiſtentia, vel exiſtentia propria, vel aliena. 183.b

Impoſ-

Impoſſibile eſt naturam proprio,& con naturali ſuppoſito terminatam aſſumi à Deo,quin deſtruatur ſuppoſitũ, non tamen quando natura eſt extraneo ſuppoſito terminata. 187.a
Impoſſibile eſt ſummam lætitiam ſimul compati cum ſumma triſtitia. 329. b
Impoſſibile eſt de potentia Dei,vt quis recedat à termino à quo, & ſimul quieſcat in illo. 330.a
Impoſſibile eſt de potentia Dei, quod voluntas per ſummam delectationẽ quieſcat in aliquo obiecto, & per ſummam triſtitiam fugiat ab eo. 330. a
Impoſſibile eſt, quod aliquid ſit terminus ꝓductiuus actionis, & cauſa inſtrumentalis ipſius. 410.b. Vide verbo, Implicat.
Inſtrumentum duplex; coniunctum & ſeparatum. 407.b
Inſtrumenti phyſici ratio quid expoſtulet. 407.b
Inſtrumentum phyſicum non poteſt eſſe creatura nihil operans. 408.b
Inſtrumentum duplex phyſicum, & morale, & in quo differant. 409.a
Inſtrumẽta phyſica ſunt in duplici differentia. 412.a
Inſtrumentum & agens principale non oportet,quod habeant realiter diſtinctas actiones. 410. b. Sufficit eſſe diſtinctas formaliter. ibid.
Inſtrumentum Dei ad effectum miraculoſum in corpore cauſandum poteſt eſſe actus vitalis, & internus. 412.b. 413.a
Inſtrumentum operatur virtute principalis agentis, quæ intentionaliter eſt in ipſo inſtrumento. 416.a
Inſtrumentum dupliciter dicitur, propriè,& communiter. 418.a
Inſtrumentum communiter dictum in operationibus ordinatis ad propriã ſalutem indiget habitu. 418.a
Inſtrumentum animatum liberum liberè operatur, quando mouetur per auxilium gratiæ præuenientis abſque habitu ſupernaturali. 418.b
Intellectus Beati abſque lumine gloriæ inhærente non poteſt videre Deum per eſſentiam. 216.a
Intellectus, & voluntas animæ Chriſti abſque dono gratuito inhærente eſſent formaliter potentiæ mere naturales. 216. a
Intellectus, & voluntas ſunt paſſiones naturæ intellectualis ordine quodã conſequentes. 183.b
Intellectus vnico actu demonſtratiuo conuincitur. 224. a
In intellectu creato animæ Chriſti fuit cognitio creata actualis, qua vt homo cognoſcebat, ita vt de potentia abſoluta non poſſet res cognoſcere per cognitionem increatã. 322.a. 323.a.b
Intellectus non denominatur intelligẽs niſi ab intellectione à ſe procedente vitaliter. 325.b
Intellectus agẽtis proprium munus eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. 332.a
Intellectus agens animæ Beatæ habuit ſuam propriam operationem abſtractionis in via, cuius in patria eſt incapax. 338.a
Intellectus creatus de poteſtate Dei nõ poteſt comprehendere Deum. 339.a
Intellectus naturaliter perfectior cæteris paribus ex parte luminis gloriæ producet viſionem beatificam magis perfectam ex parte ſubiecti, non tamen magis intenſam. 360.b
Iuſtitia perfecta eſt iuſtitia commutatiua. 31.b
Iuſtitia legalis ordinat bonum partis ad bonum totius,32.a. Diſtributiua ordinat bonum totius ad bonum partis. ibid. Commutatiua facit æqualitatem rei ad rem non tantum

in commutationibus, ſed etiam in iniurijs. ibid. & 37.a. Legalis conſtituitur ſpecialis virtus, vt ordinet ad bonum commune actus aliarum virtutum. 32. b. Quæ per ſe primo reſpicit bonum commune, tanquam finem proprium & obiectum. 33. a

Iuſtitia perfecta intrinſecè requirit diſtinctionem naturarum, & voluntatum inter ſatisfacientem, & eum, cui fit ſatisfactio. 35.a

Iuſtitia perfecta non eſt inter Patrem, & Filium in humanis in his, in quibus Filius dependet à Patre. 35.a

ad Iuſtitiam veram, & perfectam ſufficit quantum eſt ex parte debiti, quod ille qui ſatisfacit, vel pro quo fit ſatisfactio, teneatur ex debito ſatisfacere, & per ſatisfactionem reddat æquiualens. 42. a

Iuſtitiæ ad eſſentiam non requiritur, quod ſit inter diuerſa extrema, quæ ſibi inuicem poſſint ſubijci, ſed hoc eſt imperfectio iuſtitiæ in creaturis ex parte ſubiecti. 42.a

Iuſtitia Chriſti, & noſtra ſunt diſtinctæ ſpeciei etiam phyſice, quia habent diſtincta obiecta ſpecie diſtincta: nô ſic diſtinguitur gratia Chriſti, & noſtra. 245.b

L

Libertas arbitrij qua ratione cohæreat cum infallibilitate prouenien te ex decreto Dei. 373. b. Non expoſcit neceſſario facultatem ad oppoſita contrariè: ſufficit facultas ad oppoſita côtradictorie. 295.b. 426.a

Loquutio Chriſti fuit vera, & propria, & non metaphorica, aut phantaſtica. 396. b

Loquutio vocalis, ſi eſt vera actio vitalis, eſt ſignum loquutionis mentalis. 388.a. & 394. b

in Loquutionibus metaphoricis non ſemper valet argumentum ab inferiori ad ſuum ſuperius. 254.b

Lumen naturæ non dictat euidenter Incarnationem Verbi eſſe poſſibilem, vel impoſſibilem. 9.b

Lumen Solis habet infinitatem ſolum ſecundum quid. 360.a

Lumen ſuperioris ordinis non poteſt euidenter cognoſci per lumen inferioris ordinis. 283.a

M

Maria Virgo dicitur cum proprietate Dei genitrix, Deipara, Mater Dei, & nô tantum mater humanitatis Chriſti. 122. a. 153.b. Nô meruit de condigno, ſed de congruo Incarnationem Chriſti. 145.b. In ipſa Chriſti conceptione nihil actiuè operata eſt, ſed ſolum materiam miniſtrauit; quamuis prius præparauerit materiam, vt eſſet apta conceptioni. 152. b. 153. a. Munus, quod in conceptione Chriſti exercuit, non fuit terminatum prius têpore, vel natura, quàm Verbum Diuinum vniretur naturæ humanæ. 154. a

Mariæ Virginis dignitas non expoſcit gratiam magis intenſam, quàm gratia omnium Angelorum, & hominum collectiuè. 250. b. Eius tamen gratia excedit incomparabiliter in intenſione gratiam cuiuſlibet puræ creaturæ. ibid.

Materiam primam actu exiſtere ſine forma implicat. 170. b. Eſt enim pura potentia. 174.b. Secundum ſe habet actum entitatiuum metaphyſicum, non tamen exiſtentiam etiam partialem. 174.a. Non eſt ſubiectum denominationis, nec inhæſionis reſpectu generationis. 174. a. In ea nullum accidens poteſt immediate ſubiectari. 174.a

in Materia prima exiſtente ſub forma geniti ſubiectatur generatio. ibid.
Dicitur ſubiectum,circa quod exercetur generatio,& ſubſtare trāſmutationi formarum:quia recipit immediate vnam formam ſubſtantialem poſt aliam. ibid.
Medium quando participat totam ſuam bonitatem à fine,tunc finis eſt præſtantior, ſecus eſt,quando mediū ordinatur ad finē perficiendum 83.b
Medium comparatum vni extremo induit rationem alterius. 99.b
Membrum importat dependentiam, influxus ab alio membro. 254.a
Membra Chriſti qualiter participent influxum à capite. 255.& ſeqq.
Meriti ſex recenſentur conditiones. 278. b
Meritum puri hominis fundatum in gratia eſt ex iuſtitia imperfecta.29.b
Merito congrui poteſt aliquis mereri alijs primam gratiā,non ſibi. 135.b
Meritum congrui fundatur in dignitate perſonæ, & gratia habituali. ibid.
Merita ſequentia effectum prædeſtinationis non poſſunt eſſe ratio,vel meritum illius; quia id,quod eſt ex gratia, eſt effectus prædeſtinationis. 139. a
Meritum de condigno quatuor requirit conditiones.141.b. Et duæ priores ſufficiunt ad meritum de congruo. ibid.
Meritum de condigno eſt propriè, & ſimpliciter meritum, non autem meritum de congruo. 142.a
inter Meritum de condigno, & congrui ponūtur duæ differentiæ. 142.a
Merita de cōgruo beatę Virginis,quibus meruit Verbi Incarnationem, fuerunt multo excellentiora, quàm merita Sanctorum Patrum. 146. a
Mereri, vel demereri non poſſunt beati, nec damnati, nec exiſtentes in purgatorio. 277.a
Meritum Chriſti habuit omnes conditiones requiſitas ad merendum. ibid.
Meritum non competit immediate perſonæ, ſed ratione naturæ. 278.a
Meritum Chriſti non fuit infinitum ſimpliciter in eſſe phyſico,ſed in ratione meriti, ſicut eius ſatisfactio. 280. a
Meritum Chriſti ex duplici capite habuit infinitatem. 280.a
Meritum Chriſti,& præmium ex omni parte habuerunt ęqualitatem. 281.a
Meritum Chriſti fuit infinitum quoad ſufficientiam, & quoad efficaciam præmij infiniti. 281.b
Meritum Chriſti incæpit in primo ſuæ conceptionis inſtanti,& durauit toto tempore, quo eius anima fuit in corpore mortali. 283.a b. Nec fuit interruptum à primo inſtanti ſuæ cōceptionis vſque ad vltimum terminum vitæ ſuæ. 304.a. Potuit eſſe in eodem inſtanti, in quo primo fuit terminus creationis animæ. 284.a
Meritum principaliter conſiſtit in actu charitatis, vt terminatur ad Deum immediatè. 288.b. Et poteſt eſſe in inſtanti. 284.a
Meritum eſt via ad præmium. 309. b. Et cauſa præmij. ibid.
Meritum eſt à gratia imperfecta, & viatoris. 310.b
Meritum beatitudinis, & ipſa beatitudo habent conditiones repugnantes, & ita non poſſunt eſſe in eodem inſtanti ſimul. 312.b
Merita hominis iuſti fundantur in meritis Chriſti. 320.a
Merita Chriſti præuiſa ſunt cauſa prædeſtinationis noſtræ quātum ad omnes eius effectus. 409.a
Meritum, & ſatisfactio naturæ humanæ aſſumptæ tribuitur Verbo diuino vt merenti, & ſatisfacienti, non autē Patri,nec Spiritui ſācto. 424.b

Miracula Chriſti non cauſabant euidentiam myſterij Incarnationis etiã in atteſtante. 11.b
Miſſio non eſt de neceſſitate Incarnationis ſimpliciter, ſed Incarnationis Filij, & Spiritus ſancti, ſi fuiſſet incarnatus. 159.b
Myſteria Fidei ſunt nobis euidenter credibilia, non tamen euidenter poſſibilia. 10.b
Myſteriũ Trinitatis cognoſcitur à nobis per Fidem, & ſcientiam diuinæ Theologiæ. 386.b
Modus realis cuiuſque formæ identificatur cum illa. 235.a
Modus ille, quem quidam affirmant produci per Incarnationem in humanitate Chriſti, non poteſt eſſe relatio ſubſtantialis. 111.b
Modus cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata, eſt connaturalis animæ rationali, prout eſt in corpore. 592.a.b
Mors Chriſti dicitur cõmutatio Pſal. 88. 31.b
Mors Chriſti, & reſurrectio de facto ſunt cauſa phyſica noſtræ redẽptionis. 408.b
Mori cum ſit malum pœnæ, poteſt in Deum, vt in vltimum finem referri, & ab eo procedere, non autem peccatum, cum ſit malum culpæ. 424.b
Mors Chriſti, & omnes eius circumſtantiæ ſunt à Deo prædefinitæ. 296.a
Motus duo ſucceſſiui ordinati ad inuicem non poſſunt in eodem inſtanti terminari, bene tamen duo motus inſtantanei. 284.a
Multitudo cogitationum infinita in æternitate non eſt partim in actu, & partim in potentia, bene tamen in propria menſura. 353.b
Multitudo cogitationum infinita ſecũdum quantitatem non eſt infinita ſecundum ſpeciem. 357.b

N

Natiuitas ex matre inducit relationem realem in Filio reſpectu matris per ſe loquendo, hoc tamen non eſt ei eſſentiale. 42.a
Natura humana, in qua Verbum ſatisfaciebat, realiter diſtinguitur à Deo, & habet voluntatem realiter diſtinctam à voluntate diuina. 35.b
Naturæ duæ cõpletæ ſubſiſtentes propria, & connaturali ſubſiſtentia cõſtituunt duo ſuppoſita re diſtincta. 89.a
Natura humana in Chriſto non ſubſiſtit propria, & connaturali ſubſiſtentia, ſed diuina. 89.a. 115.b. 116.a. Eſt compoſita ex genere, & differentia; ex anima, & corpore. 92.a, Eſt ſimplicior, quàm Verbũ in quantum Verbum eſt hic homo. 95.a
Natura diuina, & perſonalitas in Chriſto habet quodammodo rationem actus reſpectu naturæ humanæ, quatenus illam complet, & terminat. 99.a
Natura humana trahitur in Chriſto ad idem eſſe perſonale Verbi. 103.b
Natura humana in myſterio Incarnationis fuit realiter mutata, ſed non de non eſſe ad eſſe creatum, ſed de non eſſe ad eſſe diuinum. 114.a
Naturam humanam immediatè ſubſiſtere per ipſum eſſe perſonale Verbi non eſt acquirere aliquem modum ſubſtantialem creatum, ſed eſt terminari immediatè per ſubſiſtentiam Verbi. 114.a
Natura aſſumpta à Verbo exiſtit immediatè per exiſtentiam Verbi. 120.b
Natura humana in Chriſto ſecundum eſſentiam habet entitatem actualem contra diſtinctam ab entitate actuali ipſius Verbi. 125.b

Natura humana in illo priori intelligitur quædam actualis entitas per ſuã eſſentiam cum ordine ad exiſtentiã Verbi. 125.b. Si à Verbo relinqueretur, eadem numero eſſet, & haberet eandem actualem entitatem, neque corrumperetur. 126.b
Naturale ſumitur dupliciter apud S. Thomam. 147. b
Natura diuina an fuerit incarnata. 151.a. & 163.b
Natura irrationalis non poteſt eleuari ad operationem ſupernaturalem, bene tamen ad vnionem hypoſtaticã. 173. b
Natura concurrit ad cauſandam propriam perſonalitatem in duplici genere cauſæ, materialis videlicet & formalis. 182. a
Natura conſeruari an poſſit à Deo abſque omni perſonalitate. 184.b
Natura creata eadem numero non poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis proprijs, nec in vno proprio, & in altero alieno; ſecus eſt de eſſentia diuina ob ſuam infinitatem. 184.a
Natura humana Chriſti nõ appetit propriam perſonalitatem. 189. b. Melius illi eſt eſſe terminatam perſonalitate Verbi, quàm propria. 190.b
Natura præſupponitur operationi, & merito. 310.a
Natura diuina in concreto, & in abſtracto prædicatur de Chriſto, non tamen natura humana. 453. a. 459. b
Neceſſitas, quam habuit Chriſtus moriendi, non erat abſoluta, ſed ex ſuppoſitione, quæ non obſtat libertati. 299. b
Negatio dependentiæ ab alio ſuppoſito non eſt formale conſtitutiuum ſuppoſiti, ſed quid cõſequens. 181.a. Sicut negatio albedinis, non eſt ratio formalis nigredinis, ſed quid cõſequens. ibid.
Nobilius eſt habere aliquid per ſeipſum, quàm per alium. 138.a
Non entia omnino non ſunt obiectum ſcientiæ viſionis, bene tamen futura. 379. a
Non implere præceptum, vel non obedire contingit dupliciter; negatiue, & priuatiue. 299.b

O

Offenſa cõtra maieſtatem Dei infinitam eſt ſimpliciter infinita in ratione offenſæ. 22. a. Quia eo eſt maior, quo perſona, quæ offenditur eſt excellentior. 30.b
Obiecta, quæ diuerſificantur in potentia & ſcientia inferiori, vniuntur in ſuperiori ſub alia altiori ratione. 365. a
inter *Opera* ſupernaturalia quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad modum duo conſtituuntur diſcrimina. 218. b
Operatio non ſequitur ad eſſe immediate, ſed mediante forma, quæ eſt principium, quo, operationis. 173.b
Operationes Chriſti in genere entis phyſici erant finitæ propter principium, quo, ſcilicet propter humanitatẽ, tamen in genere morali in ratione ſatisfactionis erãt infinitę propter infinitatem ſuppoſiti. 43.a
Operationes Chriſti; quia nõ erant infinitæ omnibus modis, ſed ſolum in eſſe morali, poterãt eſſe plures. 43.b
Operationũ Chriſti quælibet erat ſufficiens ad ſatisfaciendum ex iuſtitia pro culpa, quantum eſt ex natura & valore illarum. 43 b
Operationes Chriſti per ſolam gratiã vnionis abſque gratia habituali non erant meritoriæ & ſatisfactoriæ, nec formaliter ſupernaturalis ordinis. 48.a. & 313.b
Operationes ad extra quando non habent

bent admixtum aliquid cauſę formalis,ſunt communes toti Trinitati. 424. a
Opus omne meritorium vitæ æternæ debet referri per actum charitatis formaliter,vel virtute in Deũ, quatenus eſt auctor gratiæ. 216. b
Ordo, & connexio huius tractatus de Incarnatione cum reliquis explicatur. 1.a
Ordo totus naturæ, & gratiæ ordinatur ad prædeſtinationem Christi, & ad exaltationem humanitatis eius. 78.a. Et in exequutione prior fuit ordo naturæ. 80. a
Ordo naturæ de facto fuit volitus à Deo propter ordinem gratię formaliter, & explicite tanquam propter finem, & ordo gratiæ propter vnionem hypoſtaticam. 80.b
Ordo reſolutionis quando ſit contrarius ordini compoſitionis, & quando non,explicatur. 208. b

P

P*Atres* antiqui meruerunt de congruo Incarnationem Christi, & quoad ſubſtantiam, & quoad eius accelerationem. 141.b. Sed non meruerunt etiam de congruo Christi prædeſtinationem. 144.a
Pater eſt in Filio, & Filius in Patre ſecundum eſſentiam, ſecundum relationem,& ſecundum originem. 156. a. & 165.b
Pater, & Spiritus ſanctus non ſunt ſacramentaliter ſub ſpeciebus panis in Euchariſtia virtute conſecrationis ex vi verborum, vel per concomitantiam. 156.a. Neque vniuntur hypoſtaticè cum corpore, & anima Christi. 157. a. Ac per conſequens etiam per concomitantiam non ſunt incarnati. 159.b
Pater potuit incarnari, ſed non potuit mitti. 159.b
Paſſio, mors, & reſurrectio Christi, quæ operantur noſtram ſalutem inſtrumentaliter, licet actu non ſint in ſeipſis,manent tñ in virtute, ſcilicet in humanitate realiter immutata,& in acceptatione diuina. 262. b
Paſſione Christi dato pretio ſanguinis ex iuſtitia commutatiua redempti ſumus. 31.b. Paſſio Christi non minus operatur in baptiſmo ſanguinis per actum dilectionis, quàm in baptiſmo aquæ. 321. a
Peccatum, vt eſt malum hominis, intelligitur formaliter remiſſum in illo priori, antequam intelligatur cõtritio informata gratia:tamen vt eſt malum Dei ſolum intelligitur remiſſum radicaliter. 65.a. Et ita remanet locus ſatisfactioni imperfectæ, quæ fit per actum contritionis, non quidem vt antecedit gratiam habitualem: ſed vt illam ordine naturæ ſubſequitur. 64. & ſeqq.
Peccatum naturæ aſſumptæ tribueretur ſuppoſito Verbi. 424. a. Non autem Patri, nec Spiritui ſancto. ibid.
Peccatum, vt malum hominis,ita gratis remittitur per infuſionem gratiæ,vt nulla præcedat ſatisfactio pro illo. 61.a. 64.a
Peccatum vnum eſt grauius altero ex parte obiecti, non autem ex parte Dei offenſi. 23.b
Peccatum mortale habet quandam infinitatem ex parte auerſionis à ſummo bono,& ex parte Dei,qui offenditur. 20. a
Peccatum mortale in genere phyſico, non habet grauitatem infinitam. 19. b. Sed quantum eſt ex ſe, ſecundum affectum Deum perimit, & illum à ſuo regno deijcere,illiusq́. loco aliũ Deum ſubrogare contendit. 20.a

Pec-

Peccatum mortale, immo plura ſimul ſumpta non totaliter deſtruunt bonum naturæ, vel eius inclinationem naturalem, ſed ſolum minuunt. 20.b. Eius malitia non eſt infinita ſimpliciter, & intenſiuè, ſed extrinſecè, & obiectiuè etiam in genere moris. 21. a. Non auertit hominem à bono infinito modo infinito. 21.a. Eius malitia non eſt æqualis in omnibus damnatis ex parte auerſionis à bono incommutabili. 21. b. Non priuat bono diuino vt eſt in ſeipſo, ſed vt participatur à creatura rationali per gratiam. 21.b

Peccatum mortale demeritoriè, & formaliter expellit gratiam. 425.a

Peccatum mortale, & gratia non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto. 425.b

Peccatum veniale in ratione offenſæ non attingit vltimum finem, neque deſtruit, ſed ſolum deordinat creaturam rationalem circa media. 22.b

Peccatum veniale in ratione offenſæ contra Deum, vel contra ea, quæ ordinantur ad Deum, non habet grauitatem infinitam. 22.b. Immo re vera non eſt contra Deum, ſed præter Deum. ibid.

Peccato veniali id quod amatur, amatur propter Deum, non actu, ſed habitu. ibid. Vt eſt actus peccantis, & deficiẽtis à ratione eſſet deſtructiuũ diuinæ maieſtatis, ſi poneretur in Deo. ibid. Quia includit aliquid incompoſſibile cum diuina maieſtate. ibid.

Peccatum veniale eſt peccatum ſecundum quid, & poteſt remitti in purgatorio quoad culpam. 277.a

Peccata venialia remittuntur ex actuali applicatione meritorum Chriſti. 331 a

Peccatum veniale non auertit hominẽ ab vltimo fine, nec claudit portam paradiſi, quam reſerare venit Chriſtus. 81 a

Peccatum originale, & mortale ex natura ſua ſunt contra Deum, vt eſt auctor naturæ, & gratiæ, & auertunt hominem à fine naturali, & ſupernaturali. 67.b. 68.b

Peccato Adami non exiſtente, iuſti non morerentur. 75.b

Peccatum originale habet quandam infinitatem extenſiuam, quatenus ſe extenderet ad infinitos homines, ſi ex Adam ſeminali propagatione naſcerentur. 20.a

Peccatores licet velint Deum lædere, nihil efficiunt, & fruſtra nituntur. 20. a

Pœna damni correſpondens peccato ex parte auerſionis, non eſt æqualis in omnibus damnatis. 21.b

Pœna, quam ſuſtinuit Chriſtus in ratione pœnæ non fuit æqualis pœnæ debitæ offenſæ, moraliter tamen in ratione ſatisfactionis fuit incomparabiliter maior. 41.a

Pœna dicitur remitti gratis, quia remittitur per ſatisfactionem procedentem à gratia. 64.a

Pœnitens per actum contritionis non ſatisfacit ex iuſtitia etiam imperfecta pro peccato, quatenus eſt malũ hominis peccantis, ſiue quantum ad maculam. 61.a. Sed vt eſt Dei offenſa. 61.b

Pœnitens per actum charitatis, & contritionis, vt informatum gratia, non ſatisfacit Deo pro offenſa ad perfectam æqualitatem, & ex iuſtitia perfecta. 63. b

Pœnitenti datur remiſſio peccatorum duplici titulo, & miſericordiæ propter gratiam; & iuſtitiæ imperfectæ propter ſatisfactionem imperfectã. 65. a

Pœnitentia eſt vera pars iuſtitiæ, licet imperfecta. 63. a

Per-

Digitized by Google

Perſona diuina non eſt capax realis relationis temporalis. 14. b. Terminat naturam humanam ob ſuã infinitam perfectionem abſque eo, quod ſit forma illius. 14.b

Perſona Chriſti quantum ad rationem ſubſiſtendi, quæ eſt humanitas, erat eiuſdem rationis cum alijs hominibus. 36.b. Sed quantum ad id, quod ſubſiſtebat in natura humana, erat diuerſæ rationis. ibid.

Perſona diuina, quod patiatur in natura aſſumpta minimam pœnam pro peccato generis humani, magis præponderat, quàm ſi totum genus humanum ſuſtineret in æternum maximas pœnas. 41.a

Perſona Chriſti verè, & propriè eſt cõpoſita ex duabus naturis, diuina, & humana. 94.b. Ex ſuppoſito diuino, & humanitate. 96. a. Ex perſonalitate Verbi, & humanitate. 96.b

Perſona Verbi ab humanitate habet, quòd ſit homo, & humanitas à Verbo habet ſubſiſtentiam. 100.b

Perſona eſt rationalis naturę indiuidua ſubſtantia, intelligitur de perſona completa. 159.b

Perſonæ diuinæ an ſolũ poſſint terminare naturam alienam per ſubſtantiam relatiuam. 160. a

Perſona, & ſuppoſitum eſt inaſſumptibile. 186.a

Perſonæ diuinæ nõ habent triplex eſſe, ſed vnum tantum. 462.a

Perſona vna diuina, ſi aſſumeret duas naturas humanas, diceretur vnus homo propter vnitatem ſuppoſiti. 458. b

Perſonalitas diuina eminentiſſime continet omnem perfectionem perſonalitatis creatæ, non ſolum in eſſendo, ſed etiã in terminando. 14.a. 191.b. Satiat appetitum naturæ humanæ, & confert illi omnem perfectionem, quam poterat ei tribuere perſonalitas creata. 14.a

Perſonalitas creata ob ſuam imperfectionem non eſt terminus complens naturam, niſi eam informando. 14.b

Perſonalitate diuina perfectiſſimè ſatiatur in Chriſto naturalis appetitus, quẽ habet humanitas ſecundũ ſe ad propriam perſonalitatem, in quantũ eſt terminus, & in quantum eſt forma eiuſdem humanitatis. 14.b

ex Perſonalitate Verbi, & humanitate vnitis reſultat vnum per ſe, ſcilicet vnus homo, Chriſtus. 97.a

Perſonalitas non eſt propria paſſio naturæ, à qua fluat per ſimplicem emanationem; ſed eſt quaſi effectus ſecũdarius illius. 182.b

Perſonalitas Verbi potuit terminare animam per modum ſemiperſonalitatis, & hoc non eſt imperfectio in Verbo, ſed in anima. 210.b

Perfectius ordinari poteſt ad imperfectius tanquam ad finem proximum, & tanquam ad effectum. 79.a

Perfectius eſt habere aliquid ex merito, quàm ſine merito, quomodo intelligatur. 329. a

Perfectiones, quæ reperiuntur in Deo, aliæ includunt in ſuo formali conceptu infinitatem, aliæ non. 405.b

ly *Phyſicè*, vt ſignificat idem quod verè, & realiter eſt loquutio antiqua, vt quod ſacramenta cauſant phyſicè gratiam, & humanitas Chriſti. 88. b

Prædeſtinatio præſupponit præſcientiã futurorum, quæ non conſtituuntur per ipſam prædeſtinationem. 63. b

Prędeſtinatio Dei eſt perfectiſſima prouidentia extendens ſe ad ſubſtantiã rei, & ad omnes, & ſingulas circumſtantias, & modos illius. 75.b

Prædeſtinatio Angelorum, ſuppoſita præſcientia peccati originalis, pendet in genere cauſæ finalis à prædeſtinatione Chriſti. 78.a

Præ-

Prædeſtinatio Chriſti in genere cauſæ finalis fuit prius præuiſa, & volita, tamen in genere cauſæ materialis & obiectiuæ prius fuit præuiſum peccatum originale. 78.b. 80.a
Prædeſtinatio Chriſti non eſt facta ex præcedentibus meritis eius. 133.a
Prædeſtinationis Chriſti, vt homo, terminus formalis eſt eſſe Filium Dei naturalem, obiectum verò fuit ipſe Chriſtus vt homo. 507.& ſeqq.
Prædicata naturæ humanæ, quæ pugnant cum perſona Verbi, nec per communicationem idiomatum poſſunt de illo dici abſolutè. 424.a
Prædicata diuerſa, quæ poſſunt Chriſto conuenire ratione naturæ diuinæ, vel humanæ aſſignantur. 435. & ſeqq.
Prædicatum naturæ humanæ repugnãs perſonæ Chriſti, quando natum eſt illi conuenire ratione ſui, ſolum prædicatur de illo cum addito diminuente. 456. b
Præceptum moriendi nõ fuit inuentio volũtatis Chriſti; ſed diſpoſitio prouidentiæ diuinæ. 297.a
Præmium phyſicè non poteſt eſſe ſimpliciter prius, quàm meritum. 309. b
Præmium, quando eſt vltimum ſimpliciter, non poteſt ſimul eſſe in eodem inſtanti temporis cũ merito. 310.b
Præſcientia explicata peccati originalis futuri, præceſſit in mente diuina in ſigno rationis ex parte obiecti voliti ipſam Chriſti prędeſtinationẽ, & decretum abſolutum ſumendi carnem humanam. 73.b
Poſſibilitas peccandi habet formalem oppoſitionem cum beatitudine. 423. b
Poſſe peccare eſt imperfectio liberi arbitrij creati, quatenus eſt ex nihilo, vnde non eſt de eſſentia libertatis. 277. b. & 299.a
Poteſtas excellentiæ Chriſti auctoritatiua non eſt communicabilis puræ creaturæ, bene tamen poteſtas excellentiæ, quaſi miniſterialis. 56.b
Poteſtas Sacerdotis ad conſecrandum eſt participatio ſacerdotij Chriſti. 419. a
Potentialitas naturalis, & obedientialis in Chriſto debuit eſſe reducta in actum reſpectu omnium cognoſcibilium extra Verbum. 334.a. Vtraque reducitur in actum perfectiſſimè per ſcientiam inditam. 334. a
Potentialitas animæ Chriſti in ordine ad obiecta ſupernaturalia quantum ad numerum obiectorum expletur per ſcientiam inditam: non tamen quantum ad modum cognoſcendi. 334. b
Potentialitas obedientialis duplex in anima Chriſti in ordine ad obiecta ſupernaturalia. 334.b. Scilicet ad illa cognoſcenda in Verbo, & extra Verbum. ibid.
Potentialitas naturalis duplex in anima rationali ad cognoſcenda obiecta naturalia. 335. a
Potentia, & habitus ponuntur propter primariam operationem, qua deficiente ſunt fruſtra. 337.a
Potentia operatiua carens ſua operatione quãdo cenſeatur fruſtra. 337.b
Potentia corporea non poteſt niſi rem corporalem attingere. 379.b
Potentia viſiua quare poſſit eleuari ad videndum obiectum diſtans ſecundum locum, non tamen ad obiectum diſtans ſecundum tempus. 380.a
Potentia naturalis, niſi eleuetur, non poteſt elicere actus quoad ſubſtantiam ſupernaturales, etiam de potentia Dei. 216.a
Potentia vitalis non poteſt concurrere vt inſtrumẽtum ad operationẽ vitalem; ſed neceſſario debet eſſe cauſa proxima principalis. 218.a

Primum in vnoquoque genere eſt cauſa exemplaris omnium aliorum, quæ ſub eodem genere continentur, non tamen oportet, quod ſit cauſa efficiens. 269.b
Primi parentis peccato incurrit genus humanum ſeruitutem ſub poteſtate dæmonis, quæ conſiſtit in facultate ſubijciendi homines ſub iugo peccati, & mortis, niſi per gratiam Chriſti liberentur. 273.a
Principium effectiuum meriti, & terminus non poſſunt eſſe idem. 309.b
Principium merendi beatitudinem, & principium fruendi habent incompoſſibiles conditiones de lege ordinaria; & ideo non poſſunt eſſe in eodem inſtanti. 311.b
Prophetica cognitio tres expoſtulat cōditiones. 372.a
Prophetia, & ſcientia nullā habent incompoſſibilitatem, quam tamen habent fides, & ſcientia. 372.b
Prophetia, & ſcientia indita animæ Chriſti poſſunt habere idem obiectum materiale, ſub diuerſis tamen rationibus. 372.b
Prophetæ immediatè per lumen propheticum abſque diſcurſu cognoſcebant futura. 372.b
inter Prophetiam in Chriſto, & in alijs prophetis diſcrimen conſtituitur. 417.b
Prophetare poterat humanitas Chriſti, quoties volebat abſque noua qualitate, ſed ex ſola coniunctione ad Verbum, & ad ſcientiam beatam. 418.a
Prophetia pertinet ad gratias gratis datas. 418 b
Prophetæ ſolum eſt cognoſcere, & annūciare, quę procul ſunt à viatorum notitia, cū quibus ipſe habitat. 229.b
Propheta dicitur quaſi procul fans. ibi.
Propheta debet habere conuictum cum illis, quibus denunciat, quæ ſunt procul. 230.a
Propoſitio hæc: humanitas operatur, meretur, ſatisfacit, eſt valde impropria. 51.a
Propoſitio hæc; nullus poteſt facere ſibi debitum nouo titulo id, quod iam præhabet in re, non eſt vniuerſaliter vera. 65.a
Propoſitio de futuro contingenti eſt determinate vera, vel falſa pro quolibet inſtanti temporis, non tamen pro quolibet ſigno rationis. 66.a
a Propoſitione reduplicatiua ad cauſalem eſt bona conſequentia. 253.a
Propoſitio de futuro quo modo ſit reducibilis ad ſuam de ineſſe. 351.b
Propoſitio hæc; quod poteſt quis facere, ſi vult, abſolutè poteſt, quomodo intelligatur. 425.a
Propoſitio conditionalis nihil ponit ineſſe, neque affirmat aliquid eſſe poſſibile. 425.a
Propoſitiones iſtæ: Ieſus eſt homo, Chriſtus eſt homo, ſunt propriè per ſe, & in materia naturali. 432.a. Et æternæ veritatis. ibid.
Propoſitio iſta, Filius Dei eſt homo, ſuppoſito myſterio Incarnationis eſt in materia naturali, & directa, & quomodo. 432.a.433.a.b.434.b
Propoſitiones iſtæ, Deus eſt homo, & homo eſt Deus, ſunt propriè, & in materia naturali. 433.a
Propoſitio, vt ſit per ſe, & in materia naturali, quid requiratur. 432.b. 433. a
in Propoſitione ſubiectum ſupponit materialiter pro ſuppoſito; prædicatum autem formaliter. 433.a
Propoſitiones iſtæ, Deus factus eſt homo, homo factus eſt Deus, an teneant per conuerſionem ſimplicem. 438. a
Propoſitio hæc, Chriſtus eſt Filius Dei adoptiuus, eſt abſolutè falſa. 443.b
Propoſitio hæc, Chriſtus incæpit eſſe, eſt falſa; ſicut iſta, Chriſtus eſt creatura,

tura, & vna ſequitur ex altera. 445. b. 448. a

hæc Propoſitio, hic homo (demonſtrato Chriſto) incæpit eſſe, eſt falſa in rigore. 449. b. Damnata in vniuerſitate Parienſi, & reprobata ab Alexandro VI. & impugnantur, qui tenent oppoſitum. 450. a. b

Propoſitio hæc: Chriſtus in quantum homo eſt creatura, an ſit concedenda, vel neganda. 454. a. b. Hæc eſt abſolute falſa, Chriſtus, in quantum hic homo, eſt creatura. 455. b

Propoſitio hæc: Chriſtus eſt ab æterno, eſt vera in rigore. 451. a

Propoſitio, hic Deus generat, eſt abſolutè vera; hęc autem, hic Deus generat, demonſtrato filio, eſt falſa. 451. b 456. a

Propoſitio hæc: Chriſtus ſecundũ quod homo eſt Deus, an ſit neganda, vel concedenda; & eadẽ difficultas procedit de iſta: Chriſtus in quantum hic homo eſt Deus. 457. a. b

Propoſitio hæc: Chriſtus in quantum homo eſt hypoſtaſis, vel perſona, quo modo vera, & falſa. 457. b. & 458. a

Propoſitio iſta: Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas, quomodo ſit abſolutè neganda. 459. b. 460. a. Vbi ly (&) ſumi poteſt diuiſiuè, & complexiuè. ibidem.

Propoſitio hæc eſt falſa: anima Chriſti prius fuit aſſumpta, quàm creata, ſi ſumatur creatio in fieri; nam ſumpta in facto eſſe, e contra dicendum eſt. 207. b

Proportio eadem debet ſeruari inter demerita, & pænam damnatorum eſſentialem, quę ſeruantur inter merita, & gloriam eſſentialem iuſtorum. 21. b

Proprietas eadem actione producitur cum ſubiecto, vel principio, à quo dimanat. 146. b

Proprium eſt Diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, quod in ea fiat concurſus plurium naturarũ ſecundum ſubſtantiam. 148. b. 163. a

Propria paſſio dimanat à forma ſubiecti immediatè, & non à ſuppoſito. 251. a

Propriæ paſſionis emanatio à ſubiecto cum ſit naturalis, eſt determinata ad vnum, & fit ſecundum vltimum potentiæ. 251. a

Ad prouidentiam Dei ſpectat permittere, vt ex cauſis contingentibus, & defectibilibus aliquæ deficiant à fine ſuo, non tamen omnes. 78. b

Prudentia, & operatio verſantur circa ſingularia. 365. b

Q

QVantitas malitiæ priuationis debet attendi ex quantitate boni, quo priuat immediatè. 21. b

Quantitas, & qualitas, ſi formaliter eſſent in Deo, deſtruerẽt ipſum Deum. 22. b

Qui habet aliquid per meritum, habet illud quodammodo per ſe ipſum, qui autem ſine merito, habet illud per aliud. 138. a

Qui meretur, ſperat pręmium ſibi conferendum à præmiante: & non præſupponit illud habitum à natura. 310. a

Qui poteſt mereri maius, poteſt mereri minus: ſicut, qui poteſt facere maius, poteſt facere minus, intelligitur, ſi cætera ſunt paria. 314. b

Qui incipit eſſe in aliqua ſpecie, ſi incipit eſſe cum ſuppoſito, tunc incipit eſſe ſimpliciter. 454. a

R

RAtio conſtitutiua ſuppoſiti non eſt ſubſtantia completa pertinens directè ad prædicamentum ſubſtantiæ,

tiæ, ſed reductiuè. 181.b

Ratio ſpecifica ſcientiæ in ratione ſciẽtiæ ſumitur à primario eius obiecto. 358. a

Recompenſatio pro culpa, quæ eſt infinita in genere moris, fieri non poteſt ad perfectam æqualitatem, niſi ipſa ſatisfactio in ratione ſatisfactionis ſit valoris infiniti. 54.b

Regulæ obſeruandæ in modo loquendi de myſterio Incarnationis. 435.a.b

Religionis virtus reddit Deo debitum pro beneficijs acceptis. 32. b. & 33.b

Religio non ſatisfacit pro delictis.ibid.

Remiſſio culpæ, vt eſt malum hominis, eſt effectus formalis ſecundarius gratiæ abſque media ſatisfactione pænitentis; at vt eſt iniuria Dei, eſt effectus ſecundarius gratiæ, media ſatisfactione imperfecta pœnitentis. 66. b

Res oblata in ſacrificio crucis fuit ſimpliciter infinita, ſcilicet verus Deus, & homo Chriſtus Ieſus. 30.a

Res præterita poteſt aſſumi à Deo vt inſtrumentum phyſicum, non autem res futura. 263.b

Reuerentia pertinet ad oblationem offerentis. 30.a

Riſibilitas non poteſt eſſe niſi in homine in ratione paſſionis; quia pendet ab eius eſſentia in genere cauſæ formalis. 323.b

S

Satisfactio Chriſti in genere phyſico, non eſt ſimpliciter infinita. 19. a. Fuit tamen ſuperabundans, quia fuit infinita ſimpliciter in eſſe entis, ex parte rei oblatæ, quam infinitatem non habuit peccatum. 24.a. Nõ fundatur, nec innititur gratiæ factæ perſonæ ſatisfacienti. 30.a. Fuit & ex toto rigore ex parte rei oblatæ, & ex parte oblationis offerẽtis. 30.a. In ratione ſatisfactionis elicitur, imperatur, vel regulatur à virtute iuſtitiæ commutatiuæ. 31.a. Non pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, elicitiuè vel imperatiuè. ibid. Non eſt à virtute pœnitentiæ, nec religionis. 32.a. Eius infinita perfectio moralis ſolum prouenit ab infinitate ſuppoſiti, tanquam à prima radice. 33.a. Per quandam accommodationem dicitur facta Patri æterno. ibid.

Satisfactio Chriſti habet omnia requiſita ad rationem perfectæ iuſtitiæ. 35. b. Quantum eſt ex parte ſua ſubijceret, & obligaret ipſum Deũ, ſi Deus eſſet capax ſubiectionis, & obligationis. 42. a

Satisfactio condigna pro peccatis non eſt tribuenda humanitati Chriſti, tãquam quod, ſed ſolum, vt quo. 46.b

Satisfactio puri hominis pro culpa, non poteſt eſſe actus elicitus, vel regulatus à iuſtitia commutatiua. 53. b. Satisfactio puri hominis imperfecta ſolum expoſcit, vt ſit eiuſdem ordinis cum perſona offenſa, ſcilicet cum Deo, vt eſt auctor gratiæ, qui illam acceptat. 55.b

Satisfactio puri hominis pro culpa totius generis humani potuit eſſe cõdigna ſecundum acceptationem diuinam, non autem ſecundum ſe. 56. a

Satisfactio hominis peccantis, pertinet ad pænitentiam, quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ, & deficit ab eius perfecta ratione. 37.a

Satisfactio rigoroſa expoſtulat, quod fiat ex proprijs bonis ſatisfacientis, quorum dominiũ ita reſideat apud ſatisfacientem, vt in eo non dependeat principaliter ab eo, cui fit ſatisfactio. 57.a

Satisfactio vt ſatisfactio, non reſpicit per

per ſe commodum ſatisfacientis; ſed illius, cui fit ſatisfactio. 61.a. Ad ſatisfaciendum pro peccatis humani generis, magis requiritur, quàm pro peccato proprio. 62.a

Satisfactio ex iuſtitia imperfecta fieri non poteſt Deo, per opera merè naturalia. 67.b

Satisfactio ex iuſtitia imperfecta, non fundatur ſolum in extrinſeca acceptatione Diuina, ſed etiam in valore operis, vt procedit à gratia. ibidem.

Satisfactio puri hominis fundata in gratia eſt ex iuſtitia imperfecta. 29. b

Satisfactio per ſe primo debuit fieri Deo communi tribus perſonis, & quaſi ſecundario ipſis perſonis. 34.b

Satisfactio, quam offert caput pro mẽbris, reputatur propria totius corporis myſtici. 40.b

Sacerdos conſecrans, vel abſoluens à peccatis, eſt cauſa phyſica inſtrumentalis gratiæ, & conuerſionis panis in corpus Chriſti. 410.a. 149.b

Sacramenta nouæ legis recedente fictione, ſunt cauſa phyſica gratiæ. 408.b. 363.b. Sacramenta omnia nouæ legis etiam ſine fictione ſuſcepta, in quo inſtanti cauſent gratiã. 264. a

Sacramentum recipiens, ſi moriatur in inſtanti extrinſeco prolationis verborum, non recipit gratiam ſacramentalem. 302. a

Sacra Scriptura, quæ importãt excellentiam, dignitatem, & maieſtatem tribuit Patri æterno. 34.b

Sanctificatio adultorum, quæ fit media diſpoſitione, eſt perfectior ſanctificatione puerorum, quæ fit abſque propria diſpoſitione. 136. a. 283. a

Scientia futurorum conditionatorum ab humana libertate dependentium non datur in Deo ante liberum eius decretum. 77. a

Scientia vna ſine alia perfectè acquiri poteſt, quia inter eas non eſt neceſſaria connexio, niſi ſint ſubalternans & ſubalternata. 224.a

Scientiæ humanæ fuerũt à Chriſto ſucceſſu temporis acquiſitæ, nõ ſic virtutes. 336.a.b

Scientiæ maior perfectio non penſatur ex multitudine cognitorum ſecundario, ſed eorum quæ immediatè & per ſe cognoſcuntur. 358.a. Et ex modo perfectiori, quo obiectum primarium penetratur. 358.b

Scientia adæquata, & propria alicuius obiecti eſt eiuſdem ordinis cum illo, non tamen quando eſt excellens, & inadæquata. 365.a

Scientiæ inferiores ſpecie diſtinctæ cõueniũt ſub vna ratione formali ſciẽtiæ architectonicæ. 399.b

Scientiæ lumen tenet ſe ex parte intellectus, ſpecies ex parte obiectorum. 400. b

Scientia quanto magis vna, eo magis perfecta. 399.b

Scientia indita in Chriſto fuit quid cõſequens ad ſcientiam beatam. 213.b

Scientia indita propriè dicitur, quæ ſimul cum natura eadem actione cauſatur à Deo, infuſa vero, quæ alia actione communicatur immediatè à Deo, licet ſimul tempore cum natura. 331.a

Scientia infuſa duplex. 333.b

Scientia indita conſequitur naturaliter ad animam Chriſti, non vt creatam, ſed vt à Verbo aſſumptam. 336.a

Scientia indita animæ Chriſti multo perfectior eſt, quàm ſcientia indita Angelorum. 363. a

Scientiæ inditæ animæ Chriſti ſpecies, vtpote cauſatæ ad exemplar eſſentiæ diuinæ repræſentant clarè, & diſtinctè omnes res naturales ſecundum

Digitized by Google

dum proprias rationes. 363. a. Et naturam ſpecificam, & omnia indiuidua. 364.b

Scientia animæ Chriſti indita, diuerſis rationibus eſt naturalis, & ſupernaturalis. 365.b

Scientia indita animæ Chriſti, & Angelorum quomodo diſtinguantur. 368. b. 369.a. Eſt ſuperior, & vniuerſalior quacumque ſcientia creata ſupernaturali, quæ habetur extra Verbum. 372.a. Eſt inferior ſcientia Angelorum ex parte ſubiecti, & modo cognoſcendi cum diſcurſu, ſed quoad multitudinem ſcitorum, & certitudinem eſt excellentior. 374.a

Scientia indita animæ Chriſti eſt ſupra, & infra ſcientiam Angelorum, & quomodo. 398.a

Scientia Chriſti habitualis eſt diſtincta per diuerſos habitus. 398. Et quomodo ſit vnus, & multiplex habitus explicatur. ibid. Fuit quaſi architectonica reſpectu omnium humanarum ſcientiarum. 399.b

Scientia beata animæ Chriſti nec in ratione entis, nec in ratione ſcientiæ eſt ſimpliciter infinita. 357.a.b

Scientia comprehenſorum eſt ſuprema operatio poſſibilis communicari animæ Chriſti. 328.a

Scientia beata Chriſti non eſt reducibilis in actum per conuerſionem ad phantaſmata; bene tamen infuſa, & aſſignatur ratio diſcriminis. 393.b

Scientia beata nullam admittit ſucceſſionem, vel diſcurſum, ſed ſimplici intuitu ſemper eodem modo cognoſcit Deum, vt eſt in ſeipſo. 388.a

Scientia beata, & indita fiunt per diuerſas ſimilitudines, illa per eſſentiam diuinam vnitam in ratione ſpeciei intelligibilis, hæc verò per creatam ſimilitudinem. 331.b

Scientia viſionis animæ Chriſti quomodo aſſimiletur, & excedatur à ſcientia viſionis Dei. 345.a

Scientia acquiſita animæ Chriſti verſatur circa vniuerſalia immediatè. 338.a. Et qua ratione dicatur experimentalis. ibid.

Scientiæ vnitas cum pluralitate ſpecierum ſaluatur. 400.b

Scientia per ſe infuſa eſt ordinis ſupernaturalis. 402.b. Vide verbo, Anima Chriſti. & verbo, Chriſtus.

Scopus totius ſummæ Theologiæ ſancti Thom. eſt agere de Deo ſecundum ſe, quatenus eſt vnus & trinus, & quatenus eſt principium, & finis omnium creaturarum. 1. a

Scopus totius Euangelij S. Matthæi eſt ex ſignis, ſeu notis 22. De vero Meſſia, in veteri Teſtamento prædictis, in Chriſto concurrentibus & adimpletis, oſtendere contra Iudæos illũ eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum. 15. a

Scopus S. Ioannis in toto Euãgelio eſt probare Chriſtum non ſolum eſſe hominem, ſed etiam verum Deum. ibidem.

Senſus non ſe extendit ad futura contingentia, nec ad cogitationes cordium, nec ad ſubſtantias ſeparatas. 403.

Signa rationis comparatione intellectus, & voluntatis diuinæ aſſignantur. 80. a

Similitudines eiuſdem rationis in eodem non poſſunt eſſe plures ſimul eiuſdem obiecti, ſecus quando ſunt diuerſarum rationum. 331.b

Singularitas creata nõ includit intrinſecè exiſtentiam creatam, ſed ordinem ad illam. 126.b

Solutio euidens argumentorum in cõtrarium non ſufficit, vt aliquid euidenter cognoſcatur. 7. b

Solutio anticipata poteſt eſſe præmiũ meriti futuri, & termin' illius. 138.b

Somnus non erat humanitati Chriſti impedimento, ne eius merita eſſent continua. 304.b

Spes eſt de eo, quod nondum habetur. 310. a

Spei obiectum primarium eſt gloria futura animæ, beatificatio corporis eſt obiectum ſecundarium. 227,a

Spei obiectum formale eſt bonum arduum,futurum,& poſſibile. 227.b

Spes virtus Theologica ſupponit Fidem. 227.b

Species infuſa dabilis eſt, quæ repræſentet clarè futurum contingens cum omnibus accidentibus. 371.a

Species,vt repræſentet futura contingentia,non requirit virtutem infinitam. 371.a

Species intelligibilis creata poteſt dari, quæ repræſentet, & ſit principiũ cognoſcendi habitum Fidei. 382.b

Species creata nulla poteſt dari, quæ repræſentet eſſentiam diuinam in ſeipſa. 383. b

Species intelligibiles tenent ſe ex parte obiectorum,ſcientia ex parte potentiæ. 400.b

Species intelligibiles plurificãtur cum vnitate ſcientiæ. ibid.

Species non conformantur lumini in vnitate,bene tamen ſcientia. ibid.

Species intelligibiles animæ Chriſti sũt ordinis ſupernaturalis,ſicut & ſcientia indita. 402.a

Species intelligibiles deſeruientes alicui ſcientiæ debent eſſe proportionatæ lumini ſcientifico. 402.a

Species naturalis ordinis non poteſt repręſentare diſtinctè futura contingentia in ſeipſis, nec actus liberos, nec cogitationes cordium. 402.b

Species inditæ animæ Chriſti ſunt perfectiores,& clariores ſpeciebus Angelorum. 402. b

Species ordinis naturalis ſufficiunt ad cognitionem Fidei, vt eleuatæ lumine ſupernaturali. 403. a

Species ſcientiæ inditæ animæ Chriſti licet ſint ordinis ſupernaturalis, quomodo poſſint dici ei connaturales. 403.b

Status merendi & viatoris, durat ſolum eo tempore, quo anima eſt in corpore. 302.a

Subſtantia eſt ens per ſe actu, vel aptitudine, ſicut accidens eſt ens in alio actu, vel aptitudine. 185.b

Subſtantia creata,ſi daretur ordinis ſupernaturalis,non poſſet ſatisfacere Deo ex proprijs, nam adhuc penderet à Deo in ſuo eſſe,& ſatisfactione. 58. a

Subſtantia inſenſibilis licet incapax perſonalitatis poteſt vniri hypoſtaticè Deo. 172.b

Subſiſtentia eſt ratio ſuppoſiti faciens naturam ſubſtantialem proximè capacem exiſtentiæ. 120.a.& 178.b

Subſiſtentiæ perſonales in diuinis ſunt tres, & vna abſoluta communis ſola ratione ratiocinata ab illis diſtincta. 158. a

Subſiſtentia,& exiſtentia non debent in Deo confundi. 158.a

Subſiſtens non oportet, quod ſit incõmunicabile. 159. b

Subſiſtentia non eſt intrinſeca,& eſſentialis naturæ, ſed terminus intrinſecus conſtituens illam formaliter in ratione ſuppoſiti. 178.b

Subſiſtentia rationalis naturæ, & perſonalitas ſunt eadem res, quæ tamen ab exiſtentia realiter differt. 179.a

Subſiſtentia perſonalis eſt incommunicabilis. 179. a

Subſiſtentia eſt de intrinſeca ratione,& definitione Dei, & ſubſtantiæ creatæ. 179.a

Subſiſtentia eſt intrinſeca, & conſtitutiua ſuppoſiti, non tamen exiſtentia. 179.b

Subſiſtentia non eſt actus vitalis,& imma-

Digitized by Google

manens, ſed terminus naturæ. 325.a
Summa delectatio, & ſumma triſtitia reſpectu eiuſdem obiecti, licet opponantur contrariè, tamen inferunt contradictoriã oppoſitionem. 330.a
Summa delectatio, & ſumma triſtitia poſſunt eſſe ſimul in eodem, reſpectu diuerſorum. 330.a
Suppoſitum Verbi Diuini idem eſt ſecundum rem ſuppoſitum diuinæ naturæ, & humanæ, quamuis ſecundum rationem ſit diſtinctum. 36.a
Suppoſitum non eſt de eſſentia naturæ, ſed eſſe poteſt ſine eo. 89.b
Suppoſitum in ſuo conceptu formali non intrinſecè, ſed extrinſecè includit exiſtentiam. 120.a
Suppoſitum creatum, etiam de potentia Dei abſoluta, non poteſt ſuam propriam & alienam naturam ſubſtantialiter terminare. 35.a. 149.b. 163.a
Suppoſitum, & natura in rebus creatis diſtinguuntur tanquam includens, & incluſum. 179.b
Suſtentare accidens per modum ſubiecti eſt imperfectio, non tamen per modum ſuppoſiti. 172.b
Suppoſitum per ſe concurrit ad operationem; cum actiones ſint ſuppoſitorum. 235.b
Suppoſitum in ratione termini non producit aliquem modum in natura terminata, ſed ſolum dat illi ſubſiſtere. 238.b. 252.a

T

Terminus, incipit, quamuis affirmet, includit tamen negationem. 448.b
Terminus poſitus in ſubiecto, ſupponit materialiter pro ſuppoſito, & nõ pro natura. 482.& 511
Termin' (Chriſtus) quomodo ſupponat, quãdo ponitur à parte ſubiecti. 452.b
Terminus numeralis, ſiue maſculinus, ſiue neuter, ſe habet communiter ad perſonam, & naturam. 458.b
Terminus poſitus à parte ſubiecti ſupponit pro ſuppoſito, ex parte prædicati refertur ad naturam. 432.b
Terminus actionis duplex: totalis, & formalis. 109.a
Terminus totalis vnionis hypoſtaticæ, ſi rẽ ipſam attendamus, nec eſt præciſe aliquid creatum, nec increatũ, ſed vtrumque includit. 111.a
Terminus totalis vnionis hypoſtaticæ eſt perſona Chriſti ſubſiſtens in duabus naturis. ibid.
Terminus iſte, creatura, vel ens creatum, poteſt dupliciter accipi. 440.b
Terminus formalis, & principalis vnionis hypoſtaticæ, quæ eſt perſonalitas Verbi, eſt quid increatum. 111.a
Terminus vnionis hypoſtaticæ abſolutè eſt quid increatum. 111.b
Terminus formalis, & immediatus ſacramentalis tranſubſtantiationis eſt ipſa ſubſtantia corporis Chriſti ſecundum nouum modum, videlicet quatenus eſt fundamentum exiſtendi realiter ſub ſpeciebus. 115.a
Tranſubſtãtiatio panis in corpus Chriſti præſupponit per ſe exiſtentiam realem corporis Chriſti ſub propria ſpecie. 114.b. & 115.a
Timor habet duplicem actum, vnum primarium, ratione cuius dicitur reuerentialis, alterum ſecundarium. 228.a
Timoris Dei, qui eſt donum Spiritus ſancti, obiectum primarium non eſt malum, ſed bonum: timoris autem, vt paſſio eſt, obiectum primarium eſt malum. 228.b
Theologia noſtræ de eſſentia non eſt euidentia, vel obſcuritas, ſed ratione ſtatus. 230.b
Tempus præſentis vitæ, quod eſt viatoris, ſolum eſt tempus merendi, vel deme-

demerendi. 301.a

Triſtitia importat actum per modum receſſus, & fugæ: delectatio per modum acceſſus. 330.a

Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & humanitas ſumpta, quomodo intelligatur. 339. b

Trinitas perſonarum nō poteſt cognoſci euidenter in ſeipſa quantum ad an eſt, niſi euidenter etiam cognoſcatur in ſeipſa, quantum ad quid eſt. 383.a

V

VAlor infinitus ſatisfactionis Chriſti non deſumebatur, ex infinita virtute diuina, vt cōmunis erat toti Trinitati, cui fiebat ſatisfactio, ſed ex infinitate perſonæ Verbi, quæ in natura aſſumpta ſatisfaciebat. 35.b. 39.b. 40.a

Verbum diuinum carnem veram humanam, non phantaſticam, ſed eiuſdem eſſentiæ cum carne reliquorū hominum aſſumpſiſſe, eſt de Fide. 194.b. In exequutione prius natura communicauit ſuam ſubſiſtentiam animæ rationali, & ea mediante toti humanitati. 203.b. Aſſumens animam rationalem præuenit eſſe creatum, tribuens illi eſſe diuinum. 203.b Seruauit in aſsūptione naturę, quantum fieri potuit, ordinem, qui in generatione hominis ſeruatur. 206. b. Manſit in triduo hypoſtaticè vnitum cadaueri abſque nouo miraculo. 209.a. De potentia abſoluta potuit aſſumere naturam humanam ſanctificatam per gratiam habitualem, & nondum glorificatam per viſionem beatam. 308. b

Verbum Diuinum eſſe auerſum à Deo vltimo fine, etiā in natura humana, implicat contradictionem. 423.b

Verbum Diuinum vt ſubſiſtens in natura humana tenebatur impedire, & non permittere peccatum: non autē Pater, neque Spiritus ſanctus, neque Filius, vt ſubſiſtens in natura diuina. 424. b. Si aſſumeret naturam infectam peccato, in ipſo inſtanti aſſumptionis illā per gratiam ſanctificaret. 426.a

Verbum Diuinum non habet rationem formæ, ſed termini reſpectu naturæ humanæ. 238.b. Per Incarnationem nullam acquiſiuit relationem realē, ſed tantum rationis. 13.b. 42.b. Nō potuit de potentia Dei abſoluta aſſumere humanitatem exiſtentem exiſtentia creata. 123. b

Verbum Diuinum dicitur caro factum, non quia in carnem conuerſum, ſed quia carni vnitum. 86.b. Verbum Diuinum terminat naturam humanam per ſe primo ſua propria perſonalitate relatiua, qua conſtituitur in eſſe Filij. 163. a. Ita immediate terminat naturam humanam, tribuendo illi propriam ſubſiſtentiam, vt ſecundario tribuat ei exiſtentiam increatam abſolutam, qua formaliter exiſtit ipſum Verbum. 163. b. De potentia Dei abſoluta potuit aſſumere naturam Angelicam, vel producendo illam abſque propria perſonalitate, vel deſtruendo illius perſonalitatem, & loco illius ſubrogando perſonalitatem Verbi. 170.a

Verbum Diuinū poteſt aſſumere quālibet aliam ſubſtantiam completam, etiam inſenſibilem. ibid. Non poteſt aſſumere materiam primam ſine forma. 170.b. Bene tamen formam ſine materia. 171. b. Poteſtq; ſibi vnire hypoſtatice accidentia. 172.a

Verbum Diuinum, ſi aſſumeret naturā lapidis, haberet rationem vnius tantum perſonæ, ſed duplicis ſuppoſiti. 173.b. Si aſſumeret albedinem, non diceretur albū, nec albedo, ſed vni-

tum albedini, ſicut ſi aſſumeret ſolum caput, non diceretur caput, ſed vnitum capiti. 175.b. 176.a. Et ſi aſſumeret accidens, nō diceretur perſona, ſed ſuppoſitū accidentis. ibid. Ipſumq; accidens aſſumptum non intenderetur, nec remitteretur actu, ſicut nec actu inhæreret. ibid.

Verbum Diuinum non aſſumpſit perſonam. 176. a. Neque hominem. 176.b. Si dimitteret humanitatem, ipſa humanitas abſque noua actione alterius cauſæ explicaret ſe in propriam perſonalitatem. 182. b. Per ſimplicem reſultantiam, non ad modum propriæ paſſionis, ſed vt effectus ſecundarius. 183. a. Et ſubſiſtentia, & exiſtētia creata, quæ emanaret ab ipſa humanitate eſſet effectus illius actionis antiquę, qua producta fuit humanitas. 183.b

Verbum Diuinum non debuit aſſumere naturam humanam abſtractam ab omnibus indiuiduis. 192. Nec coniunctam cum omnibus indiuiduis. ibid. Et conuenientius fuit illam aſſumere ex ſtirpe Adæ. ibid.

Veritas prima obſcurè reuelās eſt obiectum primariū noſtræ Fidei. 226.a

Via ſimpliciter antecedit terminum. 309.b. Quādo via, & terminus procedunt à principijs incompoſſibilibus, non poteſt quis in eodem inſtanti eſſe ſimul in via, & in termino. 31 .a. Bene tamen quando principia non ſunt incompoſſibilia. ibid.

Violentum eſt, cuius principium eſt extra, paſſo non conferente vim, id eſt reſiſtente. 189.b

Virtutes morales acquiſitæ præcipuè ponuntur ad eliciendam perfectam operationem circa proprias materias ſecundum regulas inferiores, ex conſequenti tamen moderantur paſſiones, ſi inuenerint eas in ſubiecto immoderatas. 222.a

Virtutes morales ex genere acquiſitæ fuerunt Chriſto à principio per accidens infuſæ, non tamen ſcientiæ humanæ. 222. b

Virtutes in Chriſto nunquam fuerunt otioſæ, vel in actu primo ſolū. 304.b

Virtutes per ſe infuſæ compatiuntur ſecum exorbitantes paſſiones. 336.b

Virtus ſeminis non poteſt euidenter cognoſci, niſi euidenter cognoſcatur fructus, qui ex illo produci poteſt. 383. a

Virtutes morales pluribus generantur actibus, & in gradu perfecto ſunt cōnexæ. 224 a

Virtus Dei in inſtrumēto corporeo eſt formaliter corporalis, & virtualiter ſpiritualis. 411. a

Virtus ſpecialis conſtituitur, quando plures actus virtutū ordinantur ad eundem finem, vt dirigat illos in talem finem. 32. b

Virtus, ad quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad quas ſpectant ea, quæ ſunt ad finem. 33.a

Virtute Religionis ſatisfacimus Deo, tametſi imperfectè pro beneficijs ab eo acceptis. 63. a. Et virtute Pœnitentiæ ſatisfacimus Deo, etſi imperfectè pro offenſis contra illum commiſſis. ibid.

Viſio beatifica omni ex parte in anima Chriſti fuit neceſſaria: tamen actus charitatis regulatus per viſionem beatificam aliqua ex parte fuit liber. 291.a

Viſio beata non patitur ſucceſſionem. 350.b. Menſuratur æternitate participata. 352.b. Non poteſt euidenter cognoſci per ſcientiam inditam animæ Chriſti. 383. a. Eius gradus attenditur magis ſecūdum ordinem gratiæ, quàm ſecundum ordinem naturæ. 360. a. Non poteſt immediatè terminari ad hunc Deum, quin immediatè, & per ſe primo terminetur

tur ad omnes perſonas, & ad omnia, quæ formaliter ſunt in Deo. 159.b

Viuere in viuentibus eſt eſſe, quomodo intelligatur. 453 b

Vltima diſpoſitio meritoria augmenti habitus vt octo, non procedit effectiuè ab ipſo habitu intenſo vt octo; ſicut nec in prima iuſtificatione procedit ab ipſa gratia habituali, ſed ab auxilio. 313.a

Vnio hypoſtatica humanitatis ad Verbum nullam ponit mutationem realem in Verbo. 13.b. Quāuis ſit abſoluta, habet tamen modum relationis. 14.a

Vnione hypoſtatica per ſe primo ſatiatur potentia obedientialis naturæ humanæ, & ſecundario potentia naturalis ad propriam perſonalitatem. 14.b

Vnionem fieri in natura quid ſit. 85.a

Vnionem Verbi nullo modo factam fuiſſe in natura, eſt de Fide. 85.b

Vniri in perſona quid ſit. 87.a

Vnio hypoſtatica poteſt, & debet naturalis, & phyſica appellari, vt ſignificat veram, & realem vnionem diuinæ naturæ, & humanæ in eodem ſuppoſito Verbi. 88.a

Vnio Verbi facta eſt in ſuppoſito, & hypoſtaſi. 88.a

Vnio Verbi cum humanitate licet ineffabilis, eſt tamen propriè vnio abſque imperfectione alterius extremi, ſcilicet Verbi. 99.b

Vnionem animæ & corporis eſſe in Chriſto, eſt de Fide. 101.a

Vnio humanitatis, & Verbi non eſt eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis. 103.a

Vnio, qua accidentia vniuntur ſuppoſito, etſi immediatè exiſterēt per exiſtentiam ſubſtantiæ, non eſt ſubſtantialis. 104.b

Vnio ſubſtātialis tria requirit, & quod vnitum ſit ſubſtantia, & tribuat ſubſtantialem denominationem, & vniatur in perſona ſecundum perſonam, id eſt immediatè. 104.b

Vnio poteſt accipi tripliciter, pro actione, pro termino, pro relatione. 105. a

Vnio ſumpta pro actione vniendi ex parte Dei vnientis, qui ſua infinita virtute humanitatem effectiuè coniunxit Verbo Diuino, eſt increata. 108. b

Vnioni hypoſtaticæ nihil tam ſimile inuenitur in rebus naturalibus, ſicut vnio animæ rationalis ad corpus, 109. b

Vnio non eſt idem quod aſſumptio, ſed tripliciter differunt. 115.b

Vnio naturæ humanæ immediatè facta eſt cum ſubſiſtentia Verbi, & mediatè cum exiſtentia. 127.a

Vnio duarum naturarum in Chriſto ex parte eius, in quo vniuntur, eſt maxima: non tamen ex parte naturarū, quæ vniuntur. 129.a. Et facta eſt per gratiam habitualem. 129.b

Vnio hypoſtatica eſt ſimpliciter donū gratuitum, & gratia maxima facta humanitati. 132.b. Non poteſt eſſe principium effectiuum meriti, & terminus eiuſdem. 136.a. Eſt tamen principium primum, & radicale effectiuum omnium Chriſti meritorū, 137.b. Non fuit facta mediante aliquo accidente. 150. b. Nulla creatura etiam B. Virgo fuit cauſa effectiua eiuſdem vnionis etiam inſtrumentalis. 152.a

Vnioni hypoſtaticæ nullum præſupponitur ſubiectum, circa quod poſſit creatura operari. 153. a

Vnitas luminis magis pertinet ad perfectionem ſcientiæ, quàm vnitas ſpecierum. 401. a

Vnitas luminis pertinet ad ſcientiam inditam Chriſti ex parte obiecti formalis, ſpecierum vero pluralitas tenet

Digitized by Google

net ſe ex parte ſubiecti. 401.a
Vnitas realis eſſentiæ diuinæ, quæ eſt ratio fundandi relationem æqualitatis inter perſonas diuinas, à nulla earum diſtinguitur realiter, vel formaliter, ſed ſola ratione ratiocinata. ibid.
Vnitas naturæ ſubſtantialis materialis ſumitur à materia ſignata quantitate. 126.a
Vnum, & ens conuertuntur. 462.a
Voluntas Chriſti, non obſtante præcepto, integram habuit, & habet libertatem, quãtum ad exercitium actus in indiuiduo. 299.a
in Voluntate ſenſualitatis ſola, vel in voluntate vt natura non poteſt perfectum meritum conſiſtere. 300.b
Voluntatis diuinæ ex parte actus volendi nulla poteſt ratio aſſignari extra Deum, ſed ex parte obiecti voliti vnum poteſt eſſe ratio alterius. 314.b
Voluntas diuina, & voluntas humana Chriſti realiter diſtinguuntur; ſicut natura diuina, & humana. 35.a

F I N I S.



ERRA-

Digitized by Google

ERRATA.

Pag.	col.	lin.	Errata.	Correcta.
1	1	2	inefabili	ineffabili
2	1	19	compoſitio	compoſite
2	1	25	corruperet	corruperat
3	1	11	impaſſibili	impaſſibilitas
4	2	10	ſuppoſito	ſuppoſito
6	2	13	incarnar	incarnari
7	1	1	reueletione	reuelatione
8	1	2	procedens	præcedens
13	1	16	in marg. ſupra num. 1	lege ſupra pag. 3.
13	1	37	oluendo	ſoluendo
14	2	5	ſatiatiatur	ſatiatur
16	1	23	in illum	in illam
80	1	26	uiſſe	fuiſſe
138	2	29	in marg. 1. 1.	1. 2.
1-8	1	25	omittemus	emittemus
151	1	24	aſſumpſerit	aſſumpſerit
153	1	24	creaturea	creatura

Pag.	col.	lin.	Errata.	Correcta.
Ibid.		41	perſoale	perſonale
Ibid.	2	13	porſus	prorſus
154	1	18	firmiſſiue	firmiſſimè
156	2	3	conſacrationis	conſecrationis
Ibid.		4	Euchareſtiæ	Euchariſtiæ
Ibid.		9	trãſubſtationis	tranſubſtantiationis
179	2	5	ſubſiſtentia eſt extrinſeca, ſuppoſito, exiſtẽtia autẽ intrinſeca	ſubſiſtentia eſt intrinſeca ſuppoſito, exiſtentia autem extrinſeca
209	2	25	animæ	anima
236	1	17	non eſſe	eſſe
237	1	2	in marg. Iſai. 6.	Iſaiæ 61.
274	2	9	ſpectantes	expectantes
414	2	20	in marg. quæſt.	adde 29
456	1	30	intenſionis	intentionis

Digitized by Google

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll
Mm Nn.

Omnes ſunt Quaterniones, præter N n, quæ eſt Duernio.





ROMAE, Apud Guilielmum Facciottum. M. DC. XIII.

Cum Priuilegio, & Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

gle